This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lambert

M. T. CICERONIS ORATIONES

Quædam SELECTÆ,

CUM

INTERPRETATIONE & NOTIS

QUAS IN USUM

SERENISSIMI DELPHINI

EDIDIT

P. CAROLUS MEROUILLE, S. J.

QUIBUS PRÆFIGITUR

VITA CICERONIS

Per Annos Conſulares digeſta.

His adjiciuntur in Tres ORATIONES

NOTÆ quædam non inutiles ex ASCONIO, P. MANUTIO, &c. decerptæ. Unà cum Variantibus aliquot per ſingulas Orationes Lectionibus.

Huic Editioni acceſſerunt DIALOGI

De Senectute & de Amicitia.

EDITIO DECIMA Emendatior.

LONDINI

Excudebant *R.* & *M. Brown.*

Impenſis C. BATHURST, W. STRAHAN, B. COLLINS, B. LAW, G. KEITH, T. LONGMAN, T. CASLON, G. ROBINSON, T. POTE, J. JOHNSON, R. BALDWIN, H. L. GARDNER, FEILDING & WALKER, J. HAYES, & W. FOX.

MDCCLXXX.

This one

91 KG-GG7-9½

AD

LECTOREM.

CUM Ciceronis ORATIONES univerſæ in Sereniſſimi Delphini uſum illuſtratæ, non niſi ingenti pecuniâ comparandæ fuerint; non ingratum fortaſſis videatur, frugi Lector, ſelectas quaſdam, eaſque præclaras, in uſus etiam tuos, leviori impensâ accommodâſſe. Quid præter cæteros, Gallicus hic Interpres præſtiterit, ſcire ſi velis, pro me reſpondeant Montauſerii Dux, Epiſcopus Condomienſis, atque Huetius, Operis hujus fautores adjutoreſque eximii. Hoc proculdubio egregie præſtitit; quod, cum plerique aut variis Lectionibus, non raro ineptis, quandoque etiam confictis; aut perexiguis, iiſque ſæpè frivolis, Logicorum Rhetorumque topicis atque tropis laborioſiſſimè inſudaverint; Gallicus hic

Aſconium Pedianum, Paulum Manutium, alioſque melioris notæ Interpretes ſecutus, utiliſſima, ut plurimum, rerum ipſarum verborumque Expoſitione, Lectoribus prodeſſe maluit [plus tamen profuturus, ſi ab iſtis Interpretibus doctioribus rarius diſceſſiſſet.] Quid autem à nobis præſtitum fuerit paucis accipe. Habes imprimis, Lector, Librum hunc noſtrum, licèt non emendatiſſimum, Pariſienſi tamen longè emendatiorem. Habes etiam Divinationem, C. Rabirium, Murænam, Cœlium, atque Piſonem, Orationes admodùm jucundas, & ſemper & multùm laudatas, quæ tamen nunquam antehac inter ſelectas poſitæ fuerant. Cæterùm, cum in Divinatione, Piſone, atque Milone pulcherrima multa, quædam autem paulò difficiliora occurrant, in iiſque explicandis feliciſſime elaboraverit Aſconius, Interpretum omnium antiquiſſimus longe, clariſſimuſque; non inconſultum fore putavimus, ex eodem potiſſimum Aſconio Notas quaſdam perbreves in loca illa obſcuriora adjunxiſſe, de quibus à Gallico Interprete aut nihil prorſus eſt dictum, aut ſaltem vix ſatis dilucidè. Denique Milonis Argumentum Aſconianum, cum plurima contineat, quæ alibi fruſtra quæſiveris, non minùs tamen ad univerſam eorum temporum Hiſtoriam, quam ad Orationem iſtam illuſtrandam neceſſaria, integrum hìc, prælongum licet, apponendum curavimus. Nihil reſtat, Lector, niſi forte Analyſin Pariſienſem tibi deeſſe conqueſtus fueris; Nos quidem ſumma rerum Capita perſtrinxiſſe contenti,

tenti, Analyſin ipſam conſulto omiſimus, cum multo longior eſſet quam inſtituti noſtri Ratio ferebat.

Huic denique alteri Editioni, quorundam amicorum rogatu, Dialogos de Senectute & de Amicitia, in uſum Scholarum adjecimus; in quibus Editionem Cl. Grævii ſecuti ſumus. Notas omnes, ne moles libri nimium creſceret, prorſus omiſimus: jucunda enim eorum Dialogorum utilitas eos, abſque ope alienâ, ſtudioſæ Juventuti facillimos intellectu præſtabit.

De Noviſſima hac Editione.

MOnendus es, Amice Lector, nos hallucinationes quaſdam manifeſtiores, quæ in notis occurrebant, ne ſtudioſæ juventuti (cui aliorum Commentarios intuendi copia forſan non datur) amplius fraudi eſſent, levi interdum verborum immutatione è medio ſuſtuliſſe; alias fortaſſe minoris momenti ſublaturos, niſi verendum eſſet, ne in opere alieno nimium curioſi aut invidi forte videremur.

Variantium etiam Lectionum Specimen è Commentariis Cl. Grævii prolixioribus, & Editione Victoriana Roberti Stephani, ut & editione Caroli Stephani (quæ plurimas Hieronymi Ferrarii è Cod. Colotiano emendationes in ſe recepit) adjunximus; ut, ubi à vulgatis libris diſceſſimus, ratio noſtra conſtaret; & ut etiam provectioribus paulo adoleſcentulis judicium ſuum in hac rei Criticæ parte experiendi, locum daremus. Hoc autem, quantum fieri potuit, breviſſime perfecimus; ne vel iis, qui hujuſmodi ſpernunt, tædio eſſemus; vel iis, qui eas pluris æſtimant, ulterius quærendi, & ad ipſos fontes pergendi, moram injiceremus.

Breviarium

Breviarium Vitæ *Ciceronis*, ex *Aurelio Victore*, ſive ex ejus additamento, deſumptum.

Marcus Tullius Cicero, genere Arpinas, Patre Equite Romano natus, genus à Tito Tatio Rege duxit. Adoleſcens Roſciano judicio Eloquentiam & Libertatem ſuam adversùs Syllanos oſtendit: ex quo veritus invidiam, Athenas ſtudiorum gratiâ petivit: ubi Antiochum Academicum Philoſophum ſtudiosè audivit. Inde Eloquentiæ gratiâ Aſiam, pòſt Rhodum petivit: ubi Molonem Græcum Rhetorem tum diſertiſſimum Magiſtrum habuit; qui flêſſe dicitur quòd per hunt Græcia eloquentiæ laude privaretur. Quæſtor Siciliam habuit: Ædilis C. Verrem repetundarum damnavit: Prætor Siciliam latrociniis liberavit: Conſul conjuratos Capite punivit. Mox invidiâ Publii Clodii, inſtinctuque Cæſaris & Pompeii, quos dominationis ſuſpectos, eâdem, quâ quondam Syllanos, libertate perſtrinxerat, ſollicitatis Piſone & Gabinio Conſulibus, qui Macedoniam Syriamque provincias in ſtipendium operæ hujus acceperant, in Exilium actus; mox, ipſo referente Pompeio, rediit: eumque civili bello ſecutus eſt. Quo victo, veniam à Cæſare ultro accepit; quo interfecto, Auguſtum fovit, Antoniam hoſtem judicavit. Et cum III. Viros ſe feciſſent Cæſar, Lepidus, Antoniuſque, Concordia non aliter viſa eſt inter eos jungi poſſe, niſi Tullius necaretur: qui, immiſſis ab Antonio percuſſoribus, cùm forte Formiis quieſceret, imminens exilium Corvi auſpicio didicit: & fugiens occiſus eſt: Caput ad Antonium relatum.

Marci

Marci Tullii Ciceronis

VITA

PER

ANNOS CONSULARES DIGESTA,

Partim ex Plutarcho, partim ex Fabricio, Pighio, aliisque Scriptoribus collecta.

ANNUS URBIS CONDITÆ 647.

Coss. Q. Servilio Cæpione, C. Attilio Serrano, ante Christum natum 105.

CICERO Romanæ eloquentiæ princeps hoc anno Arpini, tertio Januarii natus est matre Helviâ, patre M. Tullio ex equestri ordine, quem ex regio Volscorum sanguine originem traxisse scribunt Plutarchus, & Silius Italicus lib. 8. Hi genus illius ad Tullium Attium Volscorum regem referunt. At id ne cogitavisse quidem Cicero videtur, nedum credidisse. Non enim ita laudum suarum abstinens fuit, ut id de se præterierit. Ex nomine avi qui M. Tullius Cicero nuncupabatur vocatus est, quo vivo, se, lib. 2. de Legibus, natum ait. Pater ejus nullis dignitatum ornamentis domum suam illustravit; cùm enim infirmâ valetudine esset, vitam privatam domi in literis egit, ubi fulloniam exercuisse dicitur: his ipsis Coss. & se natum esse, & L. Crassum legem Serviliam suasisse, in Bruto dicit, quâ de communicandis cum Senatu & equitibus judiciis agebatur. Eodem anno, novem mensibus post Ciceronem, natus est Pompeius magnus, si D. Hieronymo apud Eusebium, & Velleio credamus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 648.

Coss. Pub. Rutilio Rufo, Cn. Mallio, ante Christum 104. *Ciceronis secundus.*

Hoc anno duplex bellum Romanis contigit, funestum utrumque, alterum in Lusitaniâ, ubi cæsus est eorum exercitus: alterum Cimbricum,

quod nec Conſules ſuſtinere potuêrunt. Hinc magna Romæ exorta trepidatio, & ſeditiones, tum propter imminens periculum, tum propter imperium Q. Servilio Cæpioni abrogatum rogatione Norbani tribuni plebis.

ANNUS URBIS CONDITÆ 649.

Coſſ. C. Mario II. C. Flavio Fimbriâ, ante Chriſtum 103. *Ciceronis tertius.*

Marius deportatis ex Africâ legionibus, ipſis Kal. Januariis Conſulatum iniit, & magnificentiſſimè triumphavit: quo in triumpho vinctum Jugurtham exhibuit. Longinus tribunus plebis leges contrarias nobilitati tulit, hanc præſertim, ne eſſet in Senatu, qui damnatus eſſet à populo, aut cui imperium eſſet abrogatum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 650.

Coſſ. C. Mario III. Aurelio Oreſte, ante Chriſtum 102. *Ciceronis quartus.*

Hic annus conſumptus eſt in belli apparatu, quod à Mario contra Cimbros ſuſceptum eſt, & duce Athenione ſervile exortum fuit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 651.

Coſſ. C. Mario IV. Q. Lutatio Catulo, ante Chriſt. 101. *Ciceronis quintus.*

Ad aquas Sextias Marius contra Teutonas pugnavit, quo in certamine hoſtium ducenta millia trucidâſſe, ac nonaginta cepiſſe, dicitur. His Conſulibus Archias poëta Romam venit, quem in Oratione pro eodem dicit Cicero à primâ pueritiâ principem & ad ſuſcipiendam, & ad ingrediendam rationem ſuorum ſtudiorum ſe habuiſſe.

ANNUS URBIS CONDITÆ 652.

Coſſ. C. Mario V. M. Aquilio, ante Chriſtum 100. *Ciceronis ſextus.*

Clarus hic annus fuit C. Marii & Catuli triumpho, nam utrique ſimul decretus eſt, cùm ab eis centum quadraginta Cimbrorum millia aut in pugnâ, aut in fugâ cæſa eſſent, & ſexaginta capta millia: eodem anno M. Aquilius bellum ſervile confecit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 653.

Coſſ. C. Mario VI. L. Valerio Flacco, ante Chriſtum 99. *Ciceronis ſeptimus.*

Apuleius Saturninus iterùm tribunus plebis legem Agrariam pervim tulit, & Q. Metello Numidico, qui in eam jurare noluit, diem dixit. At ille maluit urbe cedere, quàm de ſententiâ dimoveri: cùm idem Saturninus Memmium candidatum Conſulatûs occidiſſet, efficeretque ut viderent Conſules, nè quid detrimenti caperet Reſpub. Statim Saturninus

Saturninus & Glaucia interfecti sunt. Saturnini caput Rabirius Senator per convivia circumtulit. Verùm posteà, Cicerone Consule, Rabirius perduellionis accusatus fuit à Labieno, cujus patruus Q. Labienus cum Saturnino occisus fuerat. Hoc eodem anno natus est Julius Cæsar, mense Julio, die duodecimâ.

ANNUS URBIS CONDITÆ 654.

Coss. M. Antonio, A. Postumio Albino, ante Christum 98. Ciceronis octavus.

Summâ totius populi consensione perhonorificè Metellus Numidicus revocatus est; & Furius, qui pertinaciter hujus reditui obsistebat, nè exspectato quidem judicio, in quod à Canuleio tribuno plebis vocatus erat, à furente multitudine discerptus est: his Consulibus à Dolabellâ Lusitani subacti sunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 655.

Coss. Q. Cæcilio Metello Nepote, T. Didio, ante Christum 97. Ciceronis nonus.

Ab his Consulibus lata lex Cæcilia Didia, & ab his sic nuncupata, quâ sancitum est, nè diversis rebus lex ferretur, ut leges trinundino promulgarentur. Hic porrò Metellus pater illius Metelli fuit, qui cum Cicerone inimicitias habuit, & qui Consul cum eo rediit in gratiam.

ANNUS URBIS CONDITÆ 656.

Coss. Cn. Cornelio Lentulo, P. Licinio Crasso, ante Christum 96. Ciceronis decimus.

Hoc anno Antonius Censor imperatoriis manubiis rostra ornavit, ut scribit Cicero lib. 3. de Oratore; & superstitiosæ illæ religiones S. C. sublatæ sunt, cum sacrificiis, in quibus homines immolabantur.

ANNUS URBIS CONDITÆ 657.

Coss. Cn. Domitio Ænobarbo, Cassio Longino, ante Christum 95. Ciceronis undecimus.

Cicero pro Domo ait Cn. Domitium Consulem, Censorem, & Pontificem maximum se puerum vidisse: his Coss. Ptolemæus Cyrenarum rex, cognomento Apio, moriens populum Romanum hæredem reliquit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 658.

Coss. L. Licinio Crasso, Q. Mutio Scævolâ, ante Christum 94. Ciceronis duodecimus.

Duo illi Consules legem Mutiam Liciniam tulerunt de redigendis in suas civitates sociis, qui se passim pro civibus Romanis gerebant:

quæ lex fomes fuit illius incendii civilis, quod poſt triennium exortum eſt. Gallia provincia Craſſo obtigit, Aſia Scævolæ, quam tantâ abſtinentiâ rexit, ut à Senatu in exemplum deinceps cæteris magiſtratibus proponeretur. At, quia publicanis regere Aſiam non permiſerat, eorum conſpiratione in judicium vocatus eſt, & ab equitibus, qui tum judicabant, condemnatus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 659.

Coſſ. Cælio Caldo, L. Domitio Ænobarbo, ante Chriſtum 93. *Ciceronis decimus tertius.*

Hoc anno nihil memorabile apud Romanos geſtum eſt. Huic Conſuli Caldi ſeu Calidi cognomen à ferventiori indole datum fuiſſe, ait Cicero, lib. 2. de Inventione.

ANNUS URBIS CONDITÆ 660.

Coſſ. C. Valerio Flacco, M. Herennio, ante Chriſtum 92. *Ciceronis decimus quartus.*

Hic M. Herennius Philippum ſummâ virum eloquentiâ & nobilitate in petitione Conſulatûs ſuperavit. T. Didius de Celtiberis, P. Licinius Craſſus de Luſitanis triumphavit. P. Rutilius vir ſummæ innocentiæ, qui à publicanorum inſidiis Aſiam liberaverat, inviſus equeſtri ordini, repetundarum damnatus eſt, & in exilium ejectus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 661.

Coſſ. C. Claudio Pulchro, M. Perpennâ, ante Chriſtum 91. *Ciceronis decimus quintus.*

His Coſſ. nobiliſſima M. Curii, & M. Coponii cauſa apud centumviros à duobus Conſularibus atque æqualibus L. Craſſo, & Q. Scævolâ defenſa eſt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 662.

Coſſ. L. Martio Philippo, Sexto Julio Cæſare, ante Chriſtum 90. *Ciceronis decimus ſextus.*

Hoc anno ætatis decimo ſexto Cicero exceſſit è pueritiâ, in qua mirâ animi felicitate iis omnibus artibus inſtructus eſt, quibus per illam ætatem pueri ad humanitatem informari ſolent: incredibile eſt quantum ejus ingenium eluxerit, quantaque eſſet apud æquales in veneratione. Nam eum euntem ad ludum, & redeuntem, honoris gratiâ, medium deducebant. Delectabatur in primis poëſi. Plutarchus ſcribit, Pontium Glaucum tetrametris compoſuiſſe, atque eum ſuâ

ſuâ ætate adhuc extitiſſe. Juxta antiquum morem ſumptâ virili togâ à parentibus in forum deductus eſt, ut eſſet auditor, & ſectator judiciorum.

ANNUS URBIS CONDITÆ 663.

Coſſ. L. Julio Cæſare, P. Rutilio Lupo, ante Chriſtum 89. *Ciceronis decimus ſeptimus.*

Hoc anno acriter bellum Italicum geſtum eſt, in quo plures clades accepêre, quàm intulêre Romani: cùm itaque tota tumultibus repleta eſſet Italia, Senatûs decreto judicia intermiſſa ſunt. Quo tempore totum ſe eloquentiæ ſtudio dedit. Nam quotidie & ſcribebat, & legebat, & commentabatur quæ legerat aliis verbis, & quæ fuerat commentatus pronunciabat. Græcas ſummorum oratorum orationes Latinè reddebat. Arati carmina de cœlo, ſtelliſque lib. 2. de Nat. Deor. refert ſe convertiſſe, & lib. 1. de Leg. & 1. de Divin. Marium ſcripſiſſe. Quoniam verò ſumptâ virili togâ adoleſcentes ad aliquem virum præſtantem à parentibus deducebantur, à patre Q. Mutio Scævolæ Auguri traditus eſt, cujus à latere nunquam ſe diſceſſiſſe in Lælio aſſeverat. Huic igitur Mutio operam dedit, à quo tantum juris civilis accepiſſe ſe in Bruto ait, quantum ſatis eſſet oratori.

ANNUS URBIS CONDITÆ 664.

Coſſ. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone, ante Chriſtum 88. *Ciceronis decimus octavus.*

L. Cæſar, occiſis octo millibus hoſtium ad Aſculum, morbo periit. Hoc in bello Marſico Cicero aliquandiu ſub Syllâ militavit, apud quem ſe legatum fuiſſe lib. 1. de Divinat. ſcribit, cùm ante oppidum Nolam, Samnitum caſtra diripuit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 665.

Coſſ. L. Cornelio Syllâ, Q. Pompeio Rufo, ante Chriſtum 87. *Ciceronis decimus nonus.*

Confectum eſt bellum Italicum ſeu Marſicum; cûmque Sylla rebus proximè in Italiâ, nuper in Aſiâ, & jamdudum in Galliâ, Africâque geſtis clareret, omnium ſuffragiis Conſulatum obtinuit, eique bellum Mithridaticum cum Aſiâ provinciâ ſorte obtigit. Verùm ei à Sulpicio tribuno plebis abrogatum eſt in gratiam Marii, quod cùm Sylla intellexiſſet, cum ſex legionibus ad urbem venit, quam initâ cum Marianis pugnâ victor occupavit, ac Marium profugere in oras Africæ extremas coegit, Sulpicio occiſo, cujus caput pro roſtris expoſitum eſt, veluti fatale quoddam futuræ proſcriptionis omen. Dum hæc in Italia geruntur, Mithridates rex Ponti Aſiam intravit, ubi unâ die in urbibus uno nuncio & unâ ſignificatione literarum cives Rom.

omnes necandos imperavit. Cùm autem princeps Academiæ Philo cum Athenienſium optimatibus propter bellum Mithridaticum Romam profugiſſet, tum ei ſe Cicero tradidit, admirabili quodam ad Philoſophiam ſtudio incitatus.

ANNUS URBIS CONDITÆ 666.

Coſſ. Cn. Octavio, L. Cornelio Cinnâ, ante Chriſtum 86. *Ciceronis vigeſimus.*

Cùm Cinna pernicioſas leges per vim ferret, urbe à Cn. Octavio collegâ pulſus, corrupit exercitum Appii Claudii, quem in ſuam poteſtatem redegit. Redux ſtatim ex Africâ ei Marius ſe adjunxit cum ſex Hetruſcorum millibus: atque ita iſto agmine urbem obſident, & invadunt; quam captam cædibus & rapinis vaſtavêre. Octavius Conſul capite truncatur. Catulus, M. Antonius, C. Julius, Oratores præſtantiſſimi interficiuntur: M. Antonii caput in iis ipſis roſtris exponitur, à quo erant multorum civium capita conſervata. Hoc anno Cicero Moloni Rhodio Romæ operam dedit, & actori ſummo cauſarum, & magiſtro, ut ait in Bruto. Cùm ille videret Ciceronem natum ad eloquentiam, mirum eſt quantum vir tantus ejus ſtudia acuerit. Circa hoc tempus Cicero adoleſcens commentarios Rhetoricos de Inventione inchoatos & rudes edidit, ut ipſe initio libri 1. de Orat. ſignificat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 667.

Coſſ. C. Mario VII. L. Cornelio Cinnâ, ante Chriſtum 85. *Ciceronis vigeſimus primus.*

Romæ Cinna & Marius ſine comitiis ſemetipſos in ſequentem annum Conſules deſignârunt. Marius poſt multa crudeliter acta in civitate decimo ſexto ſui conſulatûs die mortuus eſt. Cinna Valerium ſibi collegam ſubſtituit, quem miſit in Aſiam, ut pro Syllâ jam hoſte declarato provinciæ præeſſet, ac bellum contra Mithridatem gereret. Verùm ei clauſa eſt Aſia, & à Fimbriâ ſuo legato anno ſequente interfectus eſt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 668.

Coſſ. L. Cornelio Cinnâ, Cn. Papirio Carbone, ante Chriſtum 84. *Ciceronis vigeſimus ſecundus.*

Cùm Cinna Romæ ſummum haberet imperium, ſe tertiùm Conſulem creavit, aſſumpto ſibi collegâ Carbone pro Valerio, qui occiſus eſt. Fimbria crudeliſſimè ſæviit in Aſiâ contra Ilienſes, qui ad Syllam confugerant: nam eorum urbem cædibus replevit. Sylla, deficientibus rebus omnibus ad bellum, hoſtis à populo Romano judicatus, pacem cum Mithridate facere coactus eſt: atque ita primo bello Mithridatico finis impoſitus, in quo à Syllâ centum ſexaginta hoſtium millia interfecta ſunt: initâ hâc pace, contra Fimbriam Sylla

Sylla profectus eſt, qui deſertus à ſuis militibus ſibimet violentas manus in templo Æſculapii intulit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 669.

Coſſ. iiſdem, ante Chriſtum 83. Ciceronis vigeſimus tertius.

Sylla, rebus compoſitis in Aſiâ, civitates ejus in provincias deſcripſit, atque ibi Muranâ relicto cum duabus Fimbriæ legionibus, ipſe in Græciam, ac inde in Italiam trajecit, extortis anteà per vim publicè privatimque pecuniis, quas partim ſibi ad bellum aſſumpſit, partim militibus diſtribuit. Cùm autem hoſtiliter ad urbem veniret, miſſos à ſenatu legatos non audivit: ac, cùm ei Cinna vellet occurrere, à ſuis confoſſus eſt. Reliquo anno ſolus Carbo conſulatum geſſit. Totum autem hoc triennium, quo ab armis ceſſavit civitas, noctes & dies in omni doctrinarum meditatione verſatus eſt Cicero, ut ait in Bruto: erat cum Stoico Diodoro, qui apud eum habitavit, & apud eum mortuus eſt. Ejus artibus variis ita erat deditus, ut ab oratoriis exercitationibus nullus dies vacuus eſſet. Commentabatur declamitans ſæpe cum Piſone, & cum Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie, idque faciebat multùm etiam Latinè, ſed Græcè ſæpiùs, tum quia Græca oratio plura ornamenta ſuppeditabat, & ſimiliter dicendi conſuetudinem afferebat: tum quia arbitrabatur quòd à Græcis ſummis Doctoribus, niſi Græcè diceret, neque corrigi poſſet, neque doceri. Aratum verſibus hexametris edidit, Xenophontis œconomicum è Græco ſermone in Latinum, ut ſcribit Hieronymus in præfatione in Euſebii Chronica, Platonis libros aliquos, & Protagoram convertit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 670.

Coſſ. L. Cornelio Scipione Aſiatico, C. Norbano Flacco, ante Chriſtum 82. Ciceronis vigeſimus quartus.

Conſules unáque Carbo contra Syllam cum ſuis copiis profecti ſunt: ac, licèt ipſe ſe æquis conditionibus deſcenſurum ad pacem teſtaretur, contra Conſules pugnavit, & utrumque profligavit. Carbo ad urbem rediit, effecitque, ut Sylla, & qui ejus à partibus ſtabant, hoſtes à Senatu judicarentur. Hoc eodem tempore Capitolium incenſum fuit annis ferè viginti ante Catilinæ conjurationem.

ANNUS URBIS CONDITÆ 671.

Coſſ. Cn. Papirio Carbone, Cn. Mario Gratidiano, ante Chriſtum 81. Ciceronis vigeſimus quintus.

Carbo tertiùm factus eſt Conſul cum Mario Gratidiano, quem Marius ſeptíes Conſul adoptavit. Is parùm feliciter cum Syllâ pugnavit, rebuſque deſperatis, ſibi ipſi manus intulit. Inde ad urbem Sylla contendit, ubi commiſſo prælio octoginta hominum millia cecidit, & duodecim millia ſe victori dedêrunt. Fuſo Carbonis exercitu, victor

urbem ingreditur, advocatâ ſtatim concione, multa de ſe magnificè dixit, ac populi ſtatum in melius ſe mutaturum. Tantam autem civium carnificinam edidit, ut nulla unquam major extiterit. Cn. Pompeius cum imperio miſſus in Siciliam, Carbonem interfecit. His peractis, Dictator creatus eſt ab interrege Flacco, qui tulit, ut quæcunque ille feciſſet, eſſent rata, ut quem vellet civium, indictâ causâ, impune poſſet occidere.

ANNUS URBIS CONDITÆ 672.

Coſſ. M. Tullio Deculâ, Cn. Cornelio Dolabellâ, ante Chriſtum 80. *Ciceronis vigeſimus ſextus.*

Licèt ſummum Reipublicæ teneret imperium Sylla, tamen ad ſpeciem aliquam Reipublicæ retinendam permiſit illos Conſules creari: ei ut Dictatori viginti quatuor ſecures præferebantur, legibus aliis pro arbitrio latis, aliis antiquatis: denique de Mithridate jamdudum victo tertio Kalend. Febr. & Pompeius bello in Africâ maximo confecto de Domitio & Hiertâ prætor legitimam ætatem triumphavit. Hoc anno Sertoriani belli in Hiſpaniâ initium fuit: cauſas etiam Cicero agere cœpit: nam pro Quinctio cauſam privatam apud Aquilium Gallum judicem dixit, & iterùm ſe Moloni, qui legatus ad Senatum de Rhodiorum præmiis venerat, operam dediſſe, in Bruto ait.

ANNUS URBIS CONDITÆ 673.

Coſſ. L. Cornelio Syllâ II. *Q. Cæcilio Metello Pio, ante Chriſtum* 79. *Ciceronis vigeſimus ſeptimus.*

Sextum Roſcium Amerinum parricidii reum defendit Cicero, quâ in causâ Chryſogonum Syllæ libertum præpotentem invidiosè inſectatus eſt. Hæc actio prima illius publica fuit, in quâ victor tantum commendationis habuit, ut nulla jam deinceps fuerit, quæ non ejus digna patrocinio videretur. Statim poſt hanc defenſionem metu Syllæ, quem perſtrinxerat, Athenas ſeceſſit, unde tantùm poſt triennium Romam redivit. Hoc anno M. Thermus Mitylenas expugnavit, & imperio Romano addidit. Depoſuit quoque Sylla Dictaturam, & in Cumanum ſeceſſit.

Coſſ. P. Servilio Vatiâ Iſaurico, Appio Claudio Pulchro, ante Chriſtum 78. *Ciceronis vigeſimus octavus.*

Cicero cauſatus valetudinem hujus anni æſtate Athenas profectus eſt. Erat certè eo tempore in Cicerone ſumma gracilitas, & infirmitas corporis, procerum & tenue collum, qui habitus non procul abeſſe putatur à vitæ periculo, ſi accedit labor, & laterum contentio. Itaque, cùm eum amici & medici hortarentur, ut à cauſis agendis abſtineret,

abſtineret, ipſe autem quodvis periculum adire, quàm à ſperatâ dicendi gloriâ diſcedere mallet, Athenas profectus eſt, ubi commutato genere dicendi vitavit periculum: nam temperantiùs ſine illâ ſummâ vocis ac totius corporis contentione dixit: antequàm diſcederet, Aretinæ mulieris cauſam defendit. Athenis ſex menſes cum Antiocho clariſſimo Philoſopho ſtudium Philoſophiæ nunquam intermiſſum ab adoleſcentiâ renovavit: Epicureos Phædrum & Zenonem frequenter cum Attico audivit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 675.

Coſſ. M. Æmilio Lepido, Q. Lutatio Catulo, ante Chriſtum 77. Ciceronis vigeſimus nonus.

Hoc anno pediculari morbo in agro Cumano mortuus eſt Sylla, cujus cùm mors Ciceroni renunciata eſt, confirmata jam valetudine, & precibus amicorum, & Antiochi cohortatione Romam redire ſtatuit, ut Rempublicam capeſſeret. Athenis apud Demetrium non ignobilem dicendi magiſtrum exercebatur: pòſt totam Aſiam luſtravit cum ſummis oratoribus. Audivit Menippum cognomento Catocam, nobilem oratorem; Xenoclem Adramyttenum, Æſchylum, Cnidium; aſſiduè autem fuit cum Cicerone Dionyſius Magnes. Venit Rhodum, ubi iterùm, quem jam Romæ Molonem audiverat, frequentavit, qui actor in veris cauſis, ſcriptorque nobilis, & in notandis corrigendiſque vitiis, & inſtituendo, docendoque prudentiſſimus fuit. Is effecit ut Cicero redundantem nimis illam dicendi copiam reprimeret. Hic fertur rogâſſe Ciceronem Græcæ linguæ rudem, ut Græcè declamaret: paruit, ut ab eo emendaretur. Cùm autem cæteri multa de Cicerone gloriosè prædicarent, nihil lætitiæ præ ſe tulit Molo: quod cùm ægrè Ciceronem ferre ſenſiſſet, exclamavit: *Te miror, Cicero, & laudo, ſed me Græcorum fortunæ miſeret, cùm videam, doctrinæ & eloquentiæ laudem, quæ ſola nobis reſtabat, per te ad Romanos tranſlatum eſſe.*

ANNUS URBIS CONDITÆ 676.

Coſſ. D. Junio Bruto, Æmilio Lepido Liviano, ante Chriſtum 76. Ciceronis trigeſimus.

Hoc anno ſe Cicero recepit è Græciâ, biennio poſtquàm huc profectus erat, totus penè mutatus. Cùm autem ſummo ſtudio raperetur ad gloriam, ardor ejus oraculo quodam repreſſus eſt: nam cùm Delphis illud conſuluiſſet, reſpondit, ſuam ut naturam, non multitudinis opinionem ducem vitæ ſequeretur: quare Romam reverſus timidè vixit, & per contemptum Græculus appellatus eſt: ſed partim patris, partim amicorum adhortationibus, ſe totum patrociniis dedit, tantâ porrò felicitate, ut dicendi gloriâ reliquos oratores ſuperârit. Hoc anno Pompeius privatus, & adhuc Eques pro Conſule contra Sertorium miſſus eſt,

ANNUS

ANNUS URBIS CONDITÆ 677.

Coſſ. Cn. Octavio, C. Scribonio Curione, ante Chriſtum 75. Ciceronis trigeſimus primus.

Reverſus è Græciâ, cùm annum in cauſis poſuiſſet, ac maximè pro Roſcio Comœdo dixiſſet, quæſturam petiit (cùm Cotta Conſulatum peteret) quam omnibus ſuffragiis conſecutus eſt. In Hiſpaniâ adverſus Sertorium acerrima illa prælia & maxima Sucronenſe & Durienſe commiſſa ſunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 678.

Coſſ. L. Octavio, C. Aurelio Cottâ, ante Chriſtum 74. Ciceronis trigeſimus ſecundus.

Quæſtor Cicero deſignatus Siciliam, Sex. Peducæo Prætore, ſortitus eſt. Cùm autem duo Quæſtores eſſent in eâ provinciâ, Lilybætanus alter, alter Syracuſanus, prior factus eſt. Verùm cùm in difficultate annonæ magnus frumenti numerus Romam mittendus eſſet, Siculos initio offendit: at poſtquam novêrunt quàm negotiatoribus comis, mercatoribus juſtus, municipibus liberalis, ſociis abſtinens, & in omni officio diligentiſſimus eſſet, majores illi honores quàm ulli Prætori reddidêrunt. Eo tempore multi adoleſcentes Romani nobiles cùm apud prætorem intemperantiæ & neglectæ diſciplinæ militaris eſſent accuſati, magnâ eos commendatione Cicero defendit, & conſervavit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 679.

Coſſ. L. Licinio Lucullo, M. Aurelio Cottâ, ante Chriſtum 73. Ciceronis trigeſimus tertius.

Cicero rediit è Siciliâ, ac decedens habuit orationem Lilybæi, in quâ omne genus officii Siculis promiſit ſe præſtiturum. Tum videbatur facultas illa ſua dicendi eſſe perfecta, & maturitatem quandam ſuam habere. Antonius, qui pater fuit M. Antonii Triumviri, re malè geſtâ contra Cretenſes, morbo periit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 680.

Coſſ. M. Terentio Varrone Lucullo, C. Caſſio Varo, ante Chriſtum 72. Ciceronis trigeſimus quartus.

L. Lucullus, qui anno ſuperiori Conſul contra Mithridatem profectus erat, ad Cyzicum urbem exercitum ejus ferro & fame delevit: bellum quoque à gladiatoribus, duce Spartaco, excitatum eſt; quod Cicero Servile vocat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 681.

Coſſ. L. Gellio Poplicolâ, Cn. Cornelio Lentulo Claudiano, ante Chriſtum 71. Ciceronis trigeſimus quintus.

Hoc anno Lucullus Mithridatem in Pontum perſecutus eſt, & eum legio-

legionibus Romanis patefecit, qui antè populo Romano ex omni aditu clausus fuerat.

ANNUS URBIS CONDITÆ 682.

Coss. Cn. Aufidio Oreste, P. Cornelio Lentulo Surâ, ante Christum 70. Ciceronis trigesimus sextus.

Hoc anno Servile bellum à Crasso Prætore sex mensibus confectum est, eique permissum, at ovans urbem ingrederetur. Eodem tempore ex Hispaniâ in Italiam Pompeius exercitum reduxit, & quinque millia fugitivorum, qui prælio fugerant, interfecit. Ultimo hujus anni die, pridie quàm consulatum iniret, Eques Romanus de Hispaniâ præter morem triumphavit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 683.

Coss. M. Licinio Crasso, Cn. Pompeio Magno, ante Christum 69. Ciceronis trigesimus septimus.

Defunctus Quæsturâ Cicero, quinquennium ferè in causis agendis versatus est summâ cum admiratione, sed præcipuè, quòd ab iis, quos defendebat, nulla dona accipiebat. Hoc anno dixit pro M. Tullio & L. Vareno. Orationem utramque in lucem edidisse Ciceronem Quintiliani & Prisciani testimonio certum est: at utraque periit. Verrem quoque in judicium vocavit in gratiam Siculorum. Eodem anno tulit legem ad populum L. Aurelius Cotta Prætor, ut Senatores cum Equitibus & Tribunis ærariis judicarent.

ANNUS URBIS CONDITÆ 684.

Coss. Q. Hortensio, Q. Cæcilio Metello Cretico, ante Christum 68. Ciceronis trigesimus octavus.

Hoc anno Ædilis fuit Cicero, ipsique ludi sanctissimi maximâ cum cæremoniâ Cereri, Libero, Liberæque faciendi fuêrunt. Multa Siculi ex insulâ suâ ad eum Ædilem attulêrunt, quorum ille nihil ad suum quæstum contulit, tantùm hominum liberalitate ad annonam levandam usus est. Lucullus Tigranocertam urbem ex imperio Tigranis cepit exiguâ manu, magno hostium numero profligato. M. Pupius Piso de Hispanis triumphavit, Cicero pro Fonteio dixit; fortasse etiam pro Cæcinâ: nam tempus incertum est.

ANNUS URBIS CONDITÆ 685.

Coss. L. Cæcilio Metello, Q. Martio Rege, ante Christum 67. Ciceronis trigesimus nonus.

Luculli exercitum Clodius solicitavit, dum Nisibim oppugnabat, quam frustrà totâ æstate oppugnatam hieme cepit. Bellum Creticum publicâ auctoritate à Q. Metello Proconsule renovatum est.

ANNUS

ANNUS URBIS CONDITÆ 686.

Coſſ. Calpurnio Piſone, M. Acilio Glabrione, ante Chriſtum 66. *Ciceronis quadrageſimus.*

Triarius legatus Luculli à Mithridate victus eſt, & capta Romanorum caſtra. Pompeius bellum Piraticum confecit. Hoc anno licitum fuit Ciceroni præturam petere, nempe biennio poſt ædilitatem: licèt multos haberet competitores, eoſque viros illuſtres; tamen primus ex octo, qui tum fiebant, incredibili totius populi voluntate renunciatus eſt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 687.

Coſſ. M. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo, ante Chriſtum 65. *Ciceronis quadrageſimus primus.*

Ad Kalendas Januarias præturam iniit Cicero, & quæſtioni de pecuniis repetundis præfuit. Judicia caſtè integréque exercuit: cùm enim Licinius Macer, qui multùm in civitate poterat, apud eum eſſet accuſatus de pecuniis repetundis, & Craſſo patrono ille uteretur, omnium ſententiis damnatus eſt. Quo ex judicio multò majorem fructum ex populi exiſtimatione cepit, quàm ex ipſius, ſi abſolutus eſſet, gratiâ percepiſſet. Cùm verò Manilius tribunus plebis legem promulgâſſet, ut bellum Mithridaticum Pompeio committeretur, eique adverſarentur Q. Hortenſius & Catulus, viri Conſulares; Cicero Prætor eam ſuaſit hâc oratione, quæ pro lege Maniliâ inſcribitur. Defendit quoque Avitum Cluentium veneficii apud Volcatium prætorem. Dixit pro M. Fundanio, & Gallio. Licèt verò prætura fungeretur, tamen ſcholam M. Antonii Gniphonis frequentavit. Extremo menſe hujus anni, cùm Ciceroni jam biduum aut triduum præturæ ſupereſſet, Manilium quidam furti apud ipſum poſtulavit. Studebat Manilio populus, quòd propter Pompeium accuſari videretur. Cùm igitur Manilius unum diem petiiſſet, ac Cicero tantùm inſequentem dediſſet, populus indignè tulit: quòd mos eſſet, ut decem minimum dies Prætores reis darent. Quare productus in concionem à tribunis plebis, ibique accuſatus, cùm rogâſſet ut audirent, dixit, ſe, qui in reos ſemper, quantùm leges permitterent, comis & humanus fuiſſet, indignum judicâſſe, non eundem ſe Manilio præſtare. Itaque ei diem, quem unum Prætor in ſuâ poteſtate haberet, dedita opera præfiniviſſe: cùm non ſit ejus cui rei cauſam adjuvare velit, ad alium magiſtratum judicium rejicere. Hâc oratione animi populi ita commutati ſunt, ut Ciceronem totis acclamationibus proſecuti rogarent, ut Manilii patrocinium ſuſciperet; quod ille præſertim ob Pompeium abſentem cupidè recepit, magnâque vi orationis in ſtudioſos potentiæ paucorum, & Pompeii invidos invectus eſt.

ANNUS

ANNUS URBIS CONDITÆ 688.

Coſſ. L. Aurelio Cottâ, L. Manlio Torquato, ante Chriſtum 64. Ciceronis quadrageſimus ſecundus.

Hoc anno plura contigêre prodigia, quæ verſibus deſcripſit Cicero. Ex prætură in provinciam abire noluit; quia in annum ſequentem de conſulatu petendo cogitabat. Cornelium de majeſtate apud Q. Gallium Prætorem quatriduo defendit: ſed illarum orationum reliquiæ quædam tantùm extant apud Aſconium.

ANNUS URBIS CONDITÆ 689.

Coſſ. L. Julio Cæſare, C. Marcio Figulo, ante Chriſtum 63. Ciceronis quadrageſimus tertius.

Cùm annum quadrageſimum tertium, qui conſularis eſt, Cicero attigiſſet, conſulatum petivit: in quo petendo cùm ſex competitores haberet, unâ voce populi Romani primus Conſul renunciatus eſt. Cùm autem in dies licentia ambitûs augeretur propter præcipuam Catilinæ & Antonii audaciam, cenſuerat Senatus, ut ad legem ambitûs pœna gravior adderetur. Cui rei cùm Q. Mucius Oreſtinus Tribunus plebis interceſſiſſet, graviter Senatu interceſſionem ferente, Cicero ſurrexit, atque in coitionem Catilinæ & Antonii invectus eſt, habitâ oratione in togâ candidâ, quâ utebantur qui magiſtratus petebant. Hoc eodem anno Q. Gallium de ambitu defendit, quòd Prætură candidatus gladiatorum munus dediſſet.

ANNUS URBIS CONDITÆ 690.

Coſſ. M. Tullio Cicerone, C. Antonio, ante Chriſtum 62. Ciceronis quadrageſimus quartus.

Cùm Kal. Januariis de more Conſulatum Cicero iniiſſet, vidit nihil eſſe mali, quod non boni metuerent, & improbi exſpectarent. Eo enim tempore multa multi moliebantur, ac in primis Tribuni plebis Antonio freti, proſcriptorum à Syllâ liberos, qui petitione honorum privati erant, ad magiſtratus adducebant. Rullus legem ferebat de agris per Italiam dividendis: Labienus contra Rabirium tabulas proponebat: tumultus in Theatro contra Othonem & equites excitabatur, quibus latâ lege fas erat, ut in quatuordecim gradibus in Theatro ſederent: Catilina de evertendâ Repub. cogitabat. At his omnibus tum mirâ animi fortitudine, tum admirabili eloquentiâ Cicero occurrit. Nam Antonium patientiâ & obſequio mitigavit, eique Macedoniam, quam ſortitus erat, provinciam detulit, ſibique Galliam aſſumpſit, quæ Antonio obvenerat: proſcriptorum liberos ſuis inimicitiis, nulla Senatus malâ gratiâ, magiſtratuum honore privavit, ne, ſi capeſſerent,

capeſſerent, Reip ſtatus ab eis convelleretur: Rullo obſtitit, ac primam in eum, ſecundam, & tertiam orationem Conſularem habuit tum in Senatu, tum ad populum, effecitque ut Reſpub. magno largitionum metu liberaretur: Othonem populo conciliavit: nam ille veniens in Theatrum, cùm partim ab equitibus ſummo plauſu, partim à plebe ſibilis & conviciis exciperetur, ac nihil propè abeſſet, quin cædes utrinque maxima fieret, Cicero Conſul, cujus erat ſaluti civium proſpicere, populum in concionem ad ædem Bellonæ convocavit, effecitque & reprehendendo, & paternè admonendo, ut univerſi ad Theatrum reverſi magno plauſu Othonem exciperent: apud populum verò Rabirium defendit, cui, inſtigante Julio Cæſare, dies perduellionis à Labieno dictus erat.

At præſertim Catilinæ pernicioſiſſimè omnium de Repub. cogitantis fregit audaciam, & compreſſit impetus. Cùm enim ille vix ferret antepoſitum ſibi fuiſſe in Conſulatu petendo Ciceronem, arma per Italiam locis opportunis paraverat; quò, ac præſertim Fæſulas, pecuniam ſuâ aut amicorum fide ſumptam, ad C. Manlium Centurionem portabat, multoſque ſibi cujuſvis generis homines adjungebat, quibus juvantibus Conſul in ſequentem annum aut deſignaretur, aut Rempub. perderet; id ubi compertum habuit Cicero, retulit ad Senatum, placuitque, ut ad pœnam, quæ ambitûs crimini conſtituta erat, decem annorum exilium lege latâ ad populum adderetur. Ferebatur eâdem lege, ne biennio, quo quis peteret magiſtratum, petiturusve eſſet, gladiatores daret, niſi ex teſtamento præſtitutâ die. Cùm hâc lege peti ſe Catilina arbitraretur, adjunctâ ſibi ſceleratorum hominum manu, interficere Ciceronem in campo conatus eſt, ut eo interfecto ſtatim Conſul deſignaretur. Sed cùm pridie illius diei Catilinæ conſilia Cicero ad Senatum detuliſſet, factum eſt Senatuſconſultum, ne poſtero die comitia haberentur, ut de iis rebus agi poſſet in Senatu: itaque poſtridie frequenti Senatu Catilinam excitavit, juſſitque iis de rebus dicere, quæ ad ſe allatæ eſſent. Nihil diſſimulavit Catilina, dixitque duo corpora eſſe in Repub. unum debile infirmo capite, alterum firmum ſine capite; huic, cùm ita de ſe meritum eſſet, caput ſe vivo non defuturum. Eo interim die, id eſt, decimo octavo, antequàm primam orationem Cicero contra Catilinam dixit, factum eſt Senatuſconſultum, ut viderent Conſules, ne quid detrimenti caperet Reſpub. itaque Cicero res externas Q. Metello commiſit, ipſe verò urbis curam ſuſcepit. Cùm autem ſciret homines conjuratos in campum ad comitia deduci, ipſe deſcendit ingenti loricâ tectus, firmiſſimo hominum præſidio ſtipatus. Cæteri qui videbant Conſulem periclitari, ad ejus defenſionem concurrêrunt; quare Catilinæ & Autronii copias, & conatum compreſſit, nullo tumultu excitato. His comitiis iterùm Catilina repulſum tulit. Nam D. Junius Silanus, & L. Licinius Muræna Conſules deſignati ſunt. Verùm cùm videret Catilina ſuos conatus omnes inutiles fuiſſe, conjuratos

juratos nocte in M. Porcii Leccæ domum convocavit, eâ videlicet, quæ posterum diem Nonarum Novemb. consecuta est. Hic Catilinæ dies exeundi, tum cæteris manendi conditio, tum descriptio per totam urbem cædis atque incendiorum constituta est: quin etiam ibi dixit Catilina paululùm sibi esse etiam tum moræ, quòd Cicero viveret: reperti sunt duo equites Romani, qui sese illâ ipsâ nocte paulò antè lucem Ciceronem in suo lectulo interfecturos polliciti sunt. Cùm autem Cicero de dolo malo, qui parabatur, vix cœtu dimisso, per Fulviam certior factus esset, domum suam majoribus præsidiis munivit, nec eos admisit, quos Catilina salutationis causâ miserat. VI. Idus Novemb. Senatum in Jovis Statoris ædem convocavit, quò etiam Catilina cum cæteris venire ausus est, sed ei assidere nemo voluit: eo viso, sive ejus aspectum Consul formidaret, sive irâ commoveretur, hanc habuit in eum orationem, quæ prima ejus in Catilinam extat: perculsus hâc oratione Catilina nocte cum trecentis armatis hominibus, lictoribus & fascibus, imperii insignibus, ex urbe in Manliana castra profectus est. Eo profecto, ad populum orationem habuit, in quâ ei, & Reipub. gratulatus est, quòd Catilina abiisset. Ubi Romæ cognitum est Catilinam ad Manliana castra profectum esse, eum cum Manlio Senatus hostem patriæ judicavit, edixitque Consulibus uti delectum haberent, Antonius cum exercitu Catilinam insequeretur, Cicero urbis præsidium susciperet. Cùm autem in urbe de sociis Catilinæ nondum compertum esset, Cicero interim Murænam accusatum ambitûs cum Hortensio defendit. Quâ in defensione ei fuit inferior, tum propter vigilias noctis, cujus nullam partem quieverat, tum propter curas, quibus continuis premebatur.

Fortè illis temporibus legati Allobrogum Romam venêrunt, ut de suorum Magistratuum avaritiâ quererentur. Illi à Pub. Lentulo Surâ solicitati sunt, & ad suos remissi cum literis. Re cognitâ per Q. Fabium Sangam, qui Allobrogibus Romæ patrocinabatur, Cicero L. Valerio Flacco, & C. Pomptino Prætoribus imperavit, ut in Ponte Milvio legatos illos comprehenderent, quos summo mane ad Consulem cum literis deduxêrunt. III. Nonas Cicero principes conjurationis ad se venire jussit, convocato in ædem Concordiæ Senatu, ubi T. Vulturcii, & Allobrogum indiciis omnis patefacta est conjuratio. Introducti sunt in Senatum, constitutique quatuor viri graves, qui omnia indicum dicta, interrogata, & responsa perscriberent. Tum Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, & Ceparius, ex Senatusconsulto in custodiam traditi sunt. Eo die Senatus testimonium conservatæ Reip. Ciceroni dedit, quod nemini hactenùs concessum erat, & supplicationis genere singulari deorum templa patefecit. Sub noctem concionem habuit ad populum, qui frequens aderat, eique, quod in Senatu gestum erat, exposuit: à concione in domum suæ vicinam à populo deductus est, qui tunc in ejus ædibus matronæ & Vestales Bonæ Deæ sacra faciebant. Nonis Decembribus Consul admonitus est cogitare nonnullos de Lentulo & Cethego eripiendis è carcere.

De

De iis ſtatim ad Senatum retulit. Rogati ſunt ſententiam Senatores. Silanus decrevit in eos ultimum ſupplicium. Plures ejus ſententiæ acquievêre. Cenſuit T. Nero, ut in vinculis tenerentur; C. Cæſar, ut bonis eorum publicatis per municipia circumferrentur. Cicero in utramque partem differuit, ac ita dixit, ut favere potiùs Silani quàm aliorum ſententiæ videretur. Et hæc quarta ejus in Catilinam oratio fuit. Reliqui Senatores Cæſari quidem aſſentiebantur; ſed cùm Cato Tribunus plebis ſententiam rogatus eſſet, tantâ contentione dixit, ut qui eos à morte eximerent, ſuſpectos conjurationis redderet: tot laudibus ſedulitatem, & virtutem Conſulis extulit, ut ejus ſententiam univerſi ſecuti ſint. Itaque factum eſt Senatuſconſultum in Catonis ſententiam, quo Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, & Ceparius rei conjurationis morte multati ſunt: atque ita Cicero ſine tumultu, ſine armis, ſine exercitu, ſublatis illis hominibus, internecione cives, urbem flammis, Rempub. perditione liberavit. Mirum autem fuit quo plauſu ſub veſperam in domum Cicero reductus eſt: nam alii eum patriæ liberatorem, alii conſervatorem, alii conditorem vocabant. Craſſus palàm dixit, ſe, quòd eſſet Senator, quòd civis, quòd liber, Ciceroni acceptum referre. E Syriâ decedens Pompeius pronunciavit ſe Ciceronis beneficio patriam viſurum eſſe, ac fruſtrà ſe tertium triumphum deportaturum, niſi ejus beneficio Rempub. ubi triumpharet, eſſet habiturus. Q. Catulus, Senatûs Princeps, aliique cum eo plurimi eum parentem patriæ nominârunt.

Non defuêre qui glorioſiſſimum Ciceronis facinus in invidiam traxêre, in primis Metellus & Beſtia novi Tribuni plebis, ſed Metellus præſertim, qui pridie Kal. Januarii eum abeuntem magiſtratu concionis habendæ poteſtate privavit. At id non modò non obfuit Ciceroni, ut etiam ſummæ ejus laudi ceſſerit. Nam, cùm ille tantùm eum jurare permitteret, Rempublicam & urbem ſuâ unius operâ eſſe ſalvam juravit. Huic populus aſſenſit. Nam magnâ voce eum verè jurâſſe juravit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 691.

Coſſ. Junio Silano. L. Licinio Muræna, ante Chriſtum 61. Ciceronis quadrageſimus quintus.

L. Catilina poſt detectam atque punitam in urbe conjurationem, cum exercitu, quem collegerat C. Manlius in Etruriâ, profugus, deſciſcentibus multis, dum per tramites atque invia conatur ſe proripere in Galliam Tranſalpinam, in agro Piſtorienſi à C. Antonio, & Q. Metello Celere clauſis itineribus obſeſſus, C. Antonii Procoſ. auſpiciis à M. Petreio ejus legato uno conflictu victus, ipſe cum ſuis omnibus fortiſſimè dimicans cecidit. Metellus, Tribunus plebis, ad populum egit, tertio quoque ſuæ orationis verbo Ciceronem appellans, & arguens ei non licuiſſe Lentulum, Cethegum, & reliquos cives indictâ

dictâ causâ necâsse. Cicero forti animo ei restitit, & contra concionem Metelli scripsisset, cùm ille prior scripsisset. Defendit circa idem tempus P. Cornelium Sullam, qui à L. Torquato de duplici conjuratione accusabatur. De priore dixit Hortensius, de posteriore Cicero. Pompeius bellum Mithridaticum confecit. Clodius adolescens ad audendum projectissimus extremo hoc anno in operta Bonæ Deæ muliebri habitu irrepsit, & agnitus foràs ejectus est.

ANNUS URBIS CONDITÆ 692.

Coss. M. Pupio Pisone, M. Valerio Messalâ, ante Christum 60. Ciceronis quadragesimus sextus.

Cùm Clodius ab optimatibus propter violatam Bonæ Deæ religionem vocatus esset in judicium, contenderetque idem Clodius, se eâ nocte non Romæ, sed Interamnæ apud Cassinium Scholam fuisse, productus testis est Cicero, qui dixit Clodium ad se domum venisse, & quibusdam de rebus unà egisse. Et id quidem verum erat. Verùm pecuniâ corruptis judicibus judicium Clodius evasit. Hinc fons odiorum Clodii in Ciceronem. Eodem anno pro Archiâ dixit Cicero, Pompeius de Mithridate triumphavit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 693.

Coss. Q. Cæcinio Metello Celere, L. Africano ante Christum 59. Ciceronis quadragesimus septimus.

Primis hujus anni mensibus Cicero in urbe fuit, effecitque ne Q. fratri in Asiâ succederetur. Clodius ut Tribunus plebis fieret, patriciatum ejuravit, & ad plebem transivit, statimque tribunatum petivit, sed ejus petitioni Metellus propinquus ejus obstitit. Cicero commentarium Consulatûs sui Græcè compositum ad Atticum misit, & Rhodum ad Posidonium: scripsit quoquè de Consulatu suo versibus tres libros. Post Idus Martii cùm aliquando ruri fuisset, Romam è Pompeiano se recepit ad 4 Id. Maii. Kal. Junii Antium ivit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 694.

Coss. C. Julio Cæsare, M. Calpurnio Bibulo, ante Christum 58. Ciceronis quadragesimus octavus.

Antonium Collegam suum à Cœlio accusatum defendit Cicero, qui condemnatus in Cephaleniâ exulavit. Clodius verò beneficio Cæsaris ad plebem transivit, seque adoptari à Fonteio effecit, ut Tribunus plebis creatus certiùs Ciceroni noceret: licétque Pompeius eum omni cautione & fœdere devinxisset, nihil in tribunatu contra Ciceronem facturum esse, in fide tamen non mansit. Tullius porrò mense Aprili & Maio extra urbem Antii, in Pompeiano, Formiano, & Arpinati in literis vixit, & Attico in Epirum profecto, se Romam recepit, ubi relictis omnibus consiliis publicis, totum se ad Forensem

operam contulit: nam bis Thermum defendit, ſemel Valerium Flaccum, qui repetundarum accuſabatur. Invitatus circa illud tempus fuit à Cæſare Cicero, ut ſibi eſſet legatus in Galliâ, & mortuo Coſconio, eſſe vellet inter viginti viros agro Campano dividendo præpoſitos: ſed utrumque, moleſtè id ferente Cæſare, repudiavit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 695.

Coſſ. L. Calpurnio Piſone Cæſonino, A. Gabinio, ante Chriſtum 57. Ciceronis quadrageſimus nonus.

Hoc anno Cicero à Clodio perditiſſimo Tribuno plebis in exilium actus eſt: atque ut citra populi offenſionem eum opprimeret, multas leges populares quidem, ſed Reipub. pernicioſas tulit. Conſules verò mercede provinciarum ſibi devinxit. Nam Gabinio Syriam, Babylonem, Perſas: Piſoni Achaiam, Theſſaliam, Græciam, Macedoniam, omnemque Bœotiam dedit. Tum tulit legem, ut, qui civem indemnatum interemiſſet, ei aquâ & igni interdiceretur. Licèt Cicero non nominaretur, ſolus tamen petebatur. Igitur Cicero reus veſtem mutavit, & ſordidatus populo ſupplicavit. Ei ubique Clodius nefariis ſtipatus hominibus occurrens, mutationem veſtis objiciebat, ac luto & lapidibus in eum conjectis, ejus ſupplicationes impediebat. Cum Cicerone univerſus equeſter ordo veſtem mutavit, quem adoleſcentes nobiliſſimi numero ad 20 millia ejus ſalutis deprecatores ſordidati comitati ſunt. Senatus verò frequens convenit, & tanquam in luctu publico veſtem mutandam cenſuit, ſed vetuêre Conſules. Equites in Capitolio adfuêre, qui ad Conſules, & ad Senatum legatos non ſolùm ex ſuo ordine, verùm etiam ex Senatorio Q. Hortenſium, & C. Curionem miſerunt, qui pro Cicerone deprecarentur; ſed eos reſpuêre Conſules; imò L. Ælius Lamia equeſtris ordinis princeps à Gabinio relegatus eſt. Itaque Cicero à Conſulibus derelictus, proditus à Pompeio, cui toties faverat, urbe potiùs cedere, quàm eam armatis hominibus objicere maluit: abeuntem omnes cum lacrymis proſecuti ſunt cum publicâ ad reges principeſque Senatûs commendatione. Cæſar qui in Gallias proficiſci cum imperio debebat, non priùs ad exercitum abiit, quàm Ciceronem per Clodium Italiâ expuliſſet. Nihil non in eum crudeliter egit Clodius; nam edictum propoſuit, ut ei aquâ & igni interdiceretur, & ne intra quingenta millia paſſuum ab Italiâ tecto reciperetur, & qui eum reciperent, impunè interficerentur. At pœnam illam omnes neglexêre, nam eum & comitèr omnes & benevolè accipiebant, & proſequebantur. Clodius villas ejus incendit cum domo quæ erat in Palatio, aream in ædem Libertatis conſecravit, reliqua bona haſtæ ſubjecit: nemo tamen ad haſtam acceſſit. Summo ſuo dolore profectus Cicero per Lucaniam, Siciliam versùs venit: hinc Vibonem, Brunduſium; & inde Dyrrhachio Theſſalonicam ad Plancium profectus, ubi ab eo ſeptem menſes detentus eſt. Interim Senatus frequens referente L. Mummio,

L. Mummio, nullo dissentiente, de Ciceronis reditu decrevit. Pompeius, sive quòd eum suæ perfidiæ puduisset, sive quòd à Clodio offensus esset, quia Tigranem Armeniæ regis filium captivum invito Pompeio muneribus corruptus liberâsset, de illius reditu operâ amicorum agere cœpit. Resistente frustrà Clodio, placuit Senatui, nihil in Repub. decernere, nullâ de re agere, nisi priùs Cicero ab exilio revocaretur. Quarto Kal. Novembris octo tribuni plebis de Ciceronis reditu legem promulgârunt: iisdemque referentibus P. Lentulus Consul designatus præstantissimam sententiam de Cicerone dixit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 696.

Coss. P. Cornelio Lentulo, Q. Cæcilio Metello Nepote, ante Christum 56. Ciceronis quinquagesimus.

Non priùs Lentulus cum Metello Consulatum inivit, quàm de Cicerone revocando agendum putavit. Itaque de illius reditu Senatores sententiam rogati sunt. Cotta dixit nihil jure actum esse de Cicerone, nihil more majorum, nihil legibus, ideòque lege non opus esset ut revocaretur; at censuit Pompeius, ut Senâtûs auctoritas beneficio populi firmaretur; res subitò confecta esset, nisi Sextus Attilius è factione Clodii, vir turbulentus, non ausus quidem intercedere, noctem sibi ad deliberandum postulâsset. Sed cùm perspecta esset Senatûs voluntas, causa ad populum VIII Kal. Feb. delata fuit. Nihil non effecêre Clodiani, ut Ciceronis reditum prohiberent. Ipse Clodius acceptis à fratre Appio gladiatoribus, quos in funere Marci propinqui sui daturus erat, in multitudinem impetum fecit. Multi cives cum Tribunis plebis vulnerati sunt, multi occisi. Q. Cicero inter cadavera tanquam occisus jacuit: crudelissimæ in foro cædes factæ sunt. Milo, qui summo studio Ciceronem prosequebatur, Clodium de vi postulavit. Verùm in judicium non adductus est, quia creati nondum Quæstores erant, per quos sortitio judicum fieri debebat. Quare cùm Milo videret judicio locum non esse, ne omnia interim Clodius perturbaret, emptis gladiatoribus, ejus furores & conatus repressit.

Antequàm autem de Ciceronis reditu sententia ferretur, iis civitatibus gratias agendas esse Senatus censuit, quæ M. Tullium receperant: decrevit etiam, ut qui provincias cum imperio obtinebant, salutem & vitam Ciceronis custodirent, & cunctam in Italiam literæ Consulares mitterentur, ut qui Remp. salvam esse vellent convocarentur, ut de Cicerone ageretur. Cùm igitur ex omnibus Italiæ partibus tanta multitudo, quanta nunquam, Romam confluxisset, Lentulus Senatum in Capitolium convocavit. Adfuerunt Senatores quadringenti & ampliùs. Q. Nepos Consul alter, qui Ciceroni erat inimicus, tum Senatûs auctoritate, tum Pub. Servilii gravitate dicendi permotus, cum M. Tullio absens rediit in gratiam, ac pro eo mitissimam habuit orationem. Pompeius de scripto sententiam dixit,

unique Ciceroni Reipublicæ conſervatæ teſtimonium dedit : omnes Pompeii ſententiam ſecuti excepto uno Clodio, ab exilio Ciceronem revocârunt. Senatûs illud Conſultum ſummo totius populi plauſu & clamore comprobatum eſt. Poſtridie in curiâ decretum fuit populi admonitu, ne quis de cœlo ſervaret, ne quis moram ullam afferret, ſi quis aliter feciſſet, is everſor Reipub. haberetur. Legem magiſtratus promulgârunt, cui ſolus Appius Prætor, duoque Tribuni plebis Quinctius & Sex. Attilius adverſati ſunt, ſed fruſtrâ. Nam pridie Non. Sext. cùm comitia centuriata Lentulus Conſul in campo Martio haberet, diſſuadente Clodio, legem hanc ſuaſit Pompeius, cui populus univerſus aſſenſit. Statim autem atque cognovit Cicero ex literis Q. fratris mirifico omnium ſtudio de reditu legem perlatam eſſe, Dyrrhachio Brunduſium venit, ubi ab honeſtiſſimis civibus ornatus eſt. Iter Appiâ viâ Romam verſûs fecit. Toto autem illo itinere incredibilis ad eum ex omnibus oppidis & coloniis concurſus factus eſt, ut illi reditum gratularentur. Veniebant undique legati, & patres-familias cum conjugibus è domibus : totâ paſſim Italiâ feſti dies celebrabantur. Porro ad urbem ut venit, ad eum Senatus univerſus egreſſus eſt cum populo, ut conſervatorem ſuum videret. Cùm ad portam Capenam adveniſſet, qua Appia via ad urbem ducit, gradus templorum ab infimâ multitudine completi ſunt, à qua maximus plauſus datus eſt, & ſumma Ciceroni facta gratulatio : ita populo eum deducente ad Capitolium pervenit, unde inter acclamationes populi ad domum per forum reductus eſt.

Poſtridie in Senatum venit, ubi & Senatui, & populo gratias agit eâ oratione, quæ poſt reditum in Senatu, & alterâ, quæ ad Quirites inſcribitur. Hoc biduo cùm ſumma eſſet annonæ caritas, tumultus à plebe concitatus eſt, quæ cædem & flammam Senatui, qui in Capitolio habebatur, minitata eſt. Cicerone ſuadente lex promulgata eſt, ut per quinquennium Cn. Pompeio rei frumentariæ poteſtas toto orbe terrarum decerneretur. Secuta eſt deinde magna contentio de Ciceronis domo, quæ à Clodio conſecrata fuerat. Populus enim comitiis centuriatis eam eodem jure eſſe juſſerat, quo fuiſſet. Senatus, ut de ejus religione ad Pontificum Collegium referretur, edixit. Egit cauſam ſuam tantâ vi dicendi Cicero, ut vacuam omni religione domum ejus Pontifices judicârint : ea ſumptibus publicis reſtituta eſt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 697.

Coſſ. Cn. Cornelio Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo, ante Chriſtum 55. *Ciceronis quadrageſimus primus.*

Initio hujus anni Cicero omni ſtudio in id incubuit, ut Pub. Lentulo qui Ciliciam pro Conſule obtinebat, Ptolemæi Regis reductio decerneretur. Pub. Sextius à M. Tullio Albinovano lege Lutatiâ de vi poſtulatus fuit, propter cædem quæ anno ſuperiore, cùm de Ciceronis reditu ageretur, in foro facta eſt ; ſed defenſus fuit tum ab

Hortenſio, tum à Cicerone: cujus oratio pro Sextio extat. Cúmque Vatinius maximè Sextium oppugnaviſſet, atque in illum teſtimonium dixiſſet, Cicero Vatinium teſtem perpetuâ interrogatione accuſavit. Dixit eodem anno pro Beſtiâ, de ambitu, apud Prætorem Cn. Domitium in foro medio, maximo conventu. Nonis April. factum fuit ſenatuſconſultum in Ciceronis ſententiam, ut de agro Campano frequenti Senatu Idibus Maii referretur. Hoc eodem anno multa prodigia facta ſunt, de quibus conſulti haruſpices reſpondêrunt, quòd loca ſacra & religioſa profana haberentur. Hinc occaſionem nactus Clodius Ædilis vexandi Ciceronem, de ſacris & religionibus concionem habuit; atque Ciceronis domum inter ea loca eſſe dixit, quæ conſecrata profana haberentur. Itaque poſtridie Cicero defendens ſe in ſenatu qui ex haruſpicum reſponſo decreverat ut de locis ſacris & religioſis Conſules ad Senatum referrent, orationem habuit de haruſpicum reſponſis; in quâ omnia illa prodigia contra Clodium interpretatus eſt. Hoc tempore actum fuit in Senatu de ſtipendio Cæſaris exercitûs, quod non ſolùm Cicero decrevit, ſed etiam ut & alii decernerent, laboravit. Decrevit quoque de decem legatis Cæſari dandis. Habuit etiam orationem in Senatu de provinciis conſularibus, in quâ ſuadet ut Macedonia & Syria futuris Conſulibus decernantur, & Galliæ Cæſari non adimantur. Cornelium Balbum, & Cœlium de vi accuſatum defendit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 698.

Coſſ. Cn. Pompeio Magno ſecundùm, M. Licinio ſecundùm, ante Chriſtum 54. Ciceronis quinquageſimus ſecundus.

Hoc anno dixit contra Piſonem; cùm enim ille, ſuadente Cicerone, è Macedoniâ revocatus eſſet, gravitèr de eo conqueſtus eſt in ſenatu. Cicero ei reſpondit. Hoc etiam tempore ſcripſit tres libros de Oratore.

ANNUS URBIS CONDITÆ 699.

Coſſ. L. Domitio Ænobarbo, Ap. Claudio Pulchro, ante Chriſtum 53. Ciceronis quinquageſimus tertius.

Cicero abſentis Craſſi cauſam in Senatu defendit: & Româ profectus, in Cumano & Pompeio fuit: atque in Cumano ſcribere inſtituit de optimo ſtatu civitatis, & optimo cive. Eductus à Reatinis in eorum agrum, apud Ap. Claudium coſ. & decem legatos, eorum cauſas contra Interamnates egit. Hinc Romam rediit, ubi totus fuit in cauſis agendis; nam defendit Meſſium & Druſum; Vatinium dignitati ſuæ ſemper infeſtum duobus publicis judiciis tutatus eſt. Pro M. Æmilio Scauro, qui à Triario repetundarum poſtulatus eſt apud M. Catonem Prætorem dixit: Item pro Planco; extremis anni menſibus, Pompeii rogatu, pro Gabinio, à quo Conſule expulſus eſt, & pro Rabirio Poſthumo.

ANNUS URBIS CONDITÆ 700.

Coſſ. Cn. Domitio Calvino, M. Valerio Meſſalâ, ante Chriſtum 52. Ciceronis quinquageſimus quartus.

Hoc anno Cicero Augur factus eſt, quem à toto collegio expetitum Cn. Pompeius, & Q. Hortenſius nominârunt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 701.

Coſſ. Cn. Pompeio magno tertiùm ſine collegâ, ante Chriſtum 51. Ciceronis quinquageſimus quintus.

Cùm Clodium Milo interfeciſſet, poſtulatus in judicium, à ſolo Cicerone defenſus eſt: at cùm dicere inciperet, ita importunis Clodianorum clamoribus exceptus eſt, ut eâ quâ ſolitus erat conſtantiâ, nòn dixerit: quare eam quam habemus orationem Cicero poſteà ſcripſit cùm Milo Maſſiliæ eſſet, quò, ſtatim poſt judicium, profectus fuerat in exilium. M. Saufeius, Cicerone defendente, abſolutus eſt; & Sex. Clodius ſummo omnium conſenſu damnatus. Hoc anno fingitur habitus ſermo de Finibus bonorum & malorum, quem Cicero libris quinque poſtea perſcripſit. T. Munacius Plancus Burſa à Cicerone accuſatus eſt, & Pompeio defendente damnatus, quòd curiam incendiſſet.

ANNUS URBIS CONDITÆ 702.

Coſſ. Ser. Sulpicio Rufo, M. Claudio Marcello, ante Chriſtum 50. Ciceronis quinquageſimus ſextus.

Poſt Clodii cædem Cicero de Legibus ſcripſit: quâ de re cùm plures libros ſcripſiſſet, tres tantùm ad nos, iique mutili pervenêre. Cùm anno ſuperiore factum eſſet ſenatuſconſultum, ne quis Prætorius aut Conſularis intra quinquennium in provinciam ire poſſet, hoc ſenatuſconſulto ire in provincias coacti ſunt, qui in eas ex prætura aut conſulatu non iverant. In his fuit M. Tullius, cui Cilicia provincia Conſularis obtigit cum exercitu peditum XII. mill. equitum duorum mill. & 600. Tenuit etiam Proconſul Cyprum inſulam Ciliciæ oppoſitam, cum tribus diœceſibus Aſiaticis, Cybaritică, Synnadenſi, & Apamenſi. Maio ex urbe profectus eſt, & Brunduſii aliquot diebus commoratus, Athenas 7 Kal. Sextil. ad caſtra venit ad 7. Kal. Sept. ad tertium verò apud Iconium exercitum luſtravit. Ex his caſtris cùm graves de Parthis nuncii venirent, perrexit in Ciliciam, per eam Cappadociæ partem, quæ provinciam illam attingit; eo conſilio, ut Armenius Artavaſdes & ipſi Parthi Cappadociâ ſe excludi putarent: at certior factus, Parthos procul hinc abeſſe, & magìs Ciliciæ imminere, confeſtim iter in eam fecit per Tauripylas. Tarſum venit ad 3 Non. Octob. inde ad Amanum montem plenum hoſtium contendit, ubi ad 3 Idus Octob. magnum eorum numerum cecidit,

cecidit, caſtella munitiſſima nocturno Pomptinii legati ſui adventu, & ſuo matutino cepit, atque incendit; moxque Imperator eſt appellatus. Inde Pindeniſſum oppidum munitiſſimum, modis omnibus oppugnatum, poſt ſeptimum & quinquageſimum diem deditione accepit. Tum in hyberna exercitum dimiſit, eique Q. fratrem præfecit, qui & ipſe in ejus legatis fuit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 703.

Coſſ. L. Æmilio Paulo, C. Claudio Marcello, ante Chriſtum 49. Ciceronis quinquageſimus ſeptimus.

Ad hos Conſules è Cilicia ſcripſit Cicero, petiitque ut quàm honorificentiſſimum ſenatuſconſultum de rebus à ſe geſtis faciendum curarent. Ei reverà pro re bene geſtâ ſupplicationes decretæ ſunt. Nonis Januarii Tarſo profectus fuit in Aſiam, ut in ſuis diœceſibus jus diceret. Ex Aſiâ in Ciliciam Nonis Maii perrexit: provinciâ decedens, C. Cœlium Quæſtorem ſuum ei præfecit: Athenas venit, inde Brunduſium, unde Romam reverſus eſt.

ANNUS URBIS CONDITÆ 704.

Coſſ. C. Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo Crure, ante Chriſtum 48. Ciceronis quinquageſimus octavus.

M. Tullio Ciceroni pridie Non. Januar. ad urbem accedenti, ſic eſt obviàm proditum, ut nihil fuerit magnificentius: at invenit plenam motibus internis rempublicam, diſſentientibus Pompeio & Cæſare. Dixit omnia, & fecit quæ ad concordiam pertinerent. Ad Cæſarem & Pompeium ſcripſit, ut utrumque placaret, atteſtatus nihil civili bello miſerabilius eſſe in republicâ. Cùm itaque varias in partes Italia deſcripta eſſet ut quiſque ſuam partem defendendam ſuſciperet, Capuam Cicero ſumpſit. Româ igitur Capuam profectus eſt 14 Kal. Feb. luſtratiſque Formiis, iterùm Capuam rediit, ubi triduum fuit. In Apuliam à Pompeio advocatus eſt. Sed cùm in viâ Cæſar eſſet, Theani Sidicini manſit, unde Leptam cum literis ad Pompeium miſit, reverſuſque Formias eſt. Pompeius verò Brunduſium iter fecit, quò Ciceronem vocavit, ſed manſit in Formiano. Cæſar interim Brunduſio, quò ingreſſus erat poſtero die, quo Pompeius oppidum deſeruerat, Romam reverſus eſt. Eo in itinere Cicero illum convenit: deinde Arpinum profectus, ibi Tullio filio ſuo togam puram dedit, manſitque in villis menſe Aprili & Maio, & 7 Idus Junii ad Pompeium in Græciam navigavit. Ejus adventus multis gratus fuit, ſed non Catoni, à quo reprehenſus eſt, quod Pompeium ſecutus eſſet, neque manſiſſet in Italiâ, rebus proſpecturus. Catonis verbis non mediocriter commotus eſt, eoque graviùs, quòd nullâ ejus operâ Pompeius utebatur: quare eum facti pœnituit non tàm propter ſuum periculum, quàm propter vitia multa, quæ ibi offendit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 705.

Coſſ. C. Julio Cæſare ſecundùm, P. Servilio Vatiâ Iſaurico, ante Chriſtum 47. *Ciceronis quinquageſimus nonus.*

Vicit Cæſar Pompeium ad Pharſaliam : in acie Cicero non fuit, ſed in caſtris, propter valetudinem. Erant cum Cicerone M. Varro, & M. Cato: nam Cato Dyrrhachii relictus eſt à Pompeio cum 15 cohortibus, ut impedimentis præſidio eſſet. Victo Pompeio, Cato, qui copias magnas, & claſſem ingentem Dyrrhachii habebat, ad M. Tullium, qui Conſularis erat, imperium deferre voluit : at cùm illud recuſaret, propiùs factum eſt nihil, quàm ut occideretur, cùm & Pompeius filius, & amici eum proditorem appellarent, gladioſque ſtringerent ; ſed Cato reſiſtens vix letho eum eripuit : quare Cicero cum multis aliis Senatoribus continuò Romam profectus eſt, & Brunduſii moratus Cæſarem exſpectavit. Brunduſium quoquè M. Antonius poſt victoriam, cum legionibus venit, & Ciceroni pepercit. Scripſit tum Cæſar ad Antonium, prohibere omnes Italiâ, niſi quorum ipſe cauſam cognoviſſet : quare cùm Antonius petiiſſet à Cicerone per literas, ut ſibi ignoſceret : facere ſe non poſſe, quin Cæſaris literis pareret : miſit ad eum Cicero L. Lamiam, qui demonſtraret, Cæſarem Dolabellæ dixiſſe, ut ad Ciceronem ſcriberet, ut in Italiam quamprimùm veniret : Itaque Antonius edixit ita, ut M. Tullium exciperet nominatim. Vide epiſt. 7. lib. 11. ad Att.

ANNUS URBIS CONDITÆ 706.

Coſſ. Julio Cæſare ſecundùm, Dictatore, M. Antonio Equitum Magiſtro, ante Chriſtum 46. *Ciceronis ſexageſimus.*

Conſtituerat Cicero filium ſuum Ciceronem cum Cn. Salluſtio obviàm Cæſari mittere ; ſed cùm de ejus adventu nihil afferretur, conſilium mutavit. Cicero literas à Cæſare accepit, quas ille ei ex Ægypto miſerat, quibus petebat ut eſſet idem qui fuiſſet. Sed opinione citiùs Cæſar venit in Italiam ; quod ubi Ciceroni perlatum eſt, & eum Tarentum navibus appuliſſe, atque inde Brunduſium pedibus contendere, obviàm illi proceſſit. Cæſar, ut eum longè ante alios occurrere vidit, deſcendit, & cum eo ſolo colloquens, multa ſtadia proceſſit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 707.

Coſſ. Julio Cæſare tertiùm, Dictatore, M. Æmilio Lepido, ante Chriſtum 45. *Ciceronis ſexageſimus primus.*

Toto hoc anno bellum Africanum geſtum eſt, ac ferè ſemper Romæ commoratus eſt Cicero, vel in villis ; nec ferè exibat, propter varias hominum ſuſpiciones. Totus fuit in ſtudiis : eo enim tempore putatur ſcripſiſſe Partitiones oratorias & librum qui *Brutus* inſcribitur,

tur, qui de claris oratoribus eſt. Cato ſibi Uticæ mortem conſcivit. Cæſar Africano bello confecto, Romam rediit, ubi ab eo honore Cicero afficiebatur. Scripſit vitam Catonis. Pepercit Marcello Cæſar rogante Senatu. Cicero, qui ſilere in poſterum ſtatuerat, rogantes ſententiam, ampliſſimis verbis Cæſari gratias egit: quæ oratio pro Marcello extat. Dixit quoque apud Cæſarem pro Ligario, quem crimine liberavit. Tullius cum Terentiâ divortium fecit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 708.

Coſſ. C. Julio Cæſare quartùm, Dictatore ſine collegâ, ante Chriſtum 44. Ciceronis ſexageſimus ſecundus.

Dimiſsâ Terentiâ, Cicero virginem quandam, nomine Publiliam, uxorem duxit, eamque divitem, ut æs alienum diſſolveret. Non ita multò pòſt Tullia ejus filia pariens apud Lentulum obiit. Mirum eſt quanto ejus deſiderio exarſerit. Plures viri graves eum literis conſolati ſunt; M. Brutus, Lucceius, & Cæſar, qui tum erat Hiſpali; ſed cùm omnem conſolationem dolor vinceret, ſcripſit librum, quem *Conſolationem* inſcripſit. Dicitur paulò pòſt Publiliam conjugem dimiſiſſe, quòd morte Tulliæ viſa eſt lætari. Poſt illius mortem Cicero domo abfuit, atque in cæteris villis maximam anni partem in Philoſophiæ ſtudiis poſuit. Hortenſium ſcripſit; quo in libro Philoſophiam ab Hortenſio vituperatam defendit. Meminit hujus libri D. Auguſtinus, aitque, illius lectione ad Chriſtianæ Philoſophiæ contemplationem ſe incenſum fuiſſe. Duobus libris Academicis poſteriores duos adjecit: ſcripſit quoque libros de Finibus & Laudationem Porciæ, ſororis M. Catonis, & uxoris L. Domitii Ænobarbi. Cæſar ex Hiſpaniâ victor menſe Octobri in urbem rediit, apud quem Cicero pro rege Dejotaro orationem habuit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 709.

Coſſ. C. Julio Cæſare, M. Antonio, ante Chriſtum 43. Ciceronis ſexageſimus tertius.

Cicero, poſt quinque libros de Finibus, quinque alios Tuſculanarum quæſtionum edidit. Initio hujus anni Romæ fuit, & Kal. Jan. in Senatu adfuit, cùm Cæſar, reſiſtente Antonio, Dolabellam ſubrogare ſibi voluit. Idibus Martiis à conjuratis in Pompeii curiâ confoſſus eſt: ſed quia eo interfecto Brutus pugionem extollens, Ciceronem exclamavit, illius conjurationis particeps creditus eſt: ſed reverà non fuit, ut Plutarchus ſcribit. Dio refert lib. 44. percuſſores Cæſaris, cùm è curiâ in forum ſe conferrent, crebrò Ciceronem exclamâſſe: cum illis Cicero ſe recepit in Capitolium, neque adduci potuit ut ad Antonium iret. Poſt diem tertium in ædem Telluris venit, ubi Senatus habebatur, & ad pacem cives hortatus eſt, Athenienſium exemplo: habuit quoque Antonius Orationem de Concordiâ,

cordiâ. Cicero initio Aprilis ex urbe rus profectus eſt, villas ſuas luſtraturus. In hâc ruſticatione tres libros de Naturâ Deorum ſcripſit: duos de Divinatione, & dialogum de Senectute, aut ſanè jam ſcriptum ad Atticum miſit. Eodem tempore, cùm omnes cogitationes ſuas defixas in concordiâ civium haberet, atque omnium, etiam Antonii amicitiam retinere vellet, ſcripſit Lælium, ſive librum de Amicitiâ. Circa illud tempus Octavius, qui Auguſtus dictus eſt, auditâ morte Cæſaris, qui magnus ejus avunculus erat, Apolloniâ in Italiam venit, & Neapolim tranſivit, ubi honorificè cum Cicerone fuit, & amicè. Hic poſteà menſe Maio cum Hirtio coſ. deſignato in Puteolano commoratus eſt, ubi de Fato ſermonem habuit. Extremo menſe Maio Romam versùs profectus eſt, ut Kal. Junii in Senatu, ſicut Antonius edixerat, adeſſet. Sed cùm ille ſe Romam ſtipatus armis retuliſſet, Senatores metu perterriti repentè diffugêrunt. IV Nonas igitur Cicero ab urbe abfuit, nec in urbem rediiſſe, niſi pridie Kal. Septemb. videtur. Eo tempore de Officiis ſcribere aggreſſus eſt; & cùm haberet jus legationis liberæ, iter in Græciam ſuſcepit, ut Romæ adeſſet Kal. Januariis, quibus Hirtius & Panſa conſulatum erant inituri. Veliam venit XIII Kal. Sextil. ibique diem conſtitit. Veliâ proficiſcens Topica ad Trebatium, in ipsâ navigatione, conſcripſit. Miſerat etiam paulò antè ad Atticum duos libros de Gloriâ, quorum meminit lib. 2. de Officiis. Inde venit in Siciliam, Syracuſas, & Leucopetram, ubi navim conſcendit tranſmiſſurus in Græciam. Stadia trecenta circiter provectus, rejectus Auſtro vehementi eſt ad Leucopetram. Sed cùm in villâ P. Valerii maneret, ibíque ventum commodum exſpectaret, Rhegini quidam viri illuſtres Româ huc rediêrunt, qui nunciabant ſpem eſſe, fore ut Antonius cederet, res conveniret, Cæſaris interfectores redirent. Addebant etiam Ciceronem deſiderari. Nihil moratus ille ſtatim Veliam adductus eſt. Convenit Brutum, qui apud Hebetem fluvium circa Veliam cum navibus erat, atque inde in patriam omni feſtinatione properavit. Accedenti ad urbem tanta multitudo obviàm venit, ut dum ad portas cives Rom. ingredientem excipiunt, adventumque gratulantur, dies ferè conſumptus fuerit. Kalendis Sept. Antonius Senatum habuit de ſupplicationibus Cæſari decernendis: Ciceronem in curiam vocavit; ſed cùm è viâ langueret, non adfuit, cauſatus valetudinem. Antonius id ægrè ferens palàm in Senatu, niſi veniret, fabros ſe miſſurum, & domum ejus diſturbaturum dixit. Adfuit poſtridiè in Senatu Cicero, ſed Antonius abfuit. Cicero minùs quidem liberè de republicâ dixit, quàm ſua conſuetudo; liberiùs tamen, quàm pericula minæque poſtulabant. Habuit in Senatu primam Philippicam, quâ ſic Antonius offenſus eſt, ut inimicitias Ciceroni denunciaverit. Itaque in Senatu eum adeſſe juſſit XIII Kal. Octob. ubi orationem contra Ciceronem abſentem non tam dixit, quàm furiosè evomuit. Ciceroni cupienti adeſſe in Senatu, per amicos non licuit,

licuit, eò quod Antonius à Cicerone cædis initium facturus putaretur. Antonio Tullius respondit nobili & divinâ suâ Philippicâ, in quâ totam Antonii vitam excussit egregiè. Verùm non adfuit Antonius, quem tamen quasi præsentem alloquitur: obviàm nempè iverat legionibus quatuor, quæ in Macedoniam à Cæsare missæ, post ejus cædem in Italiam redîerant, ut eas sibi pecuniâ conciliaret, & in urbem adduceret. Brundusium itaque venit VII Idus Octob. Profecto Antonio, Octavianus primùm à Calatiâ, mox à Capillino veteranos milites excivit, quorum alii secuti exemplum brevì exercitum conflavêrunt. Cicero tum rusticabatur, & libros de Officiis absolvebat. Sunt qui putent eo tempore Paradoxa scripsisse. Cùm redîisset Romam Antonius, atque adesse jussisset Senatum in Capitolio, audivit legionem Martiam & quartam ad Octavianum transisiviſſe: quare mente concidit, & statim in Galliam citeriorem paludatus properare decrevit, quam acceperat à populo: sed Brutus eum provinciâ exclusit, & edictum proposuit, quo promittebat se provinciam Galliam in Senatûs populique Romani potestate retenturum. Cicero Romam reversus, cùm audivisset decretum à Bruto propositum, venit in Senatum, quo plures cum eo Senatores convenêre. Retulêrunt Tribuni plebis ad Senatum, de præsidio Consulum designatorum Pansæ & Hirtii, ut Senatus Kal. Jan. tutò haberi, & sententiæ de summâ Repub. dici possent. Cicero suam rogatus censuit, ut præsidium decerneretur, & quæ Octavius Cæsar egisset, publicâ auctoritate confirmarentur, &c. De his vide Philippicam tertiam. Factum est igitur in ejus sententiam senatusconsultum; & progressus in concionem, quid actum esset in Senatu Philippicâ quartâ exponit.

ANNUS URBIS CONDITÆ 710.

Coss. C. Vibio Pansâ, A. Hirtio ante Christum 42. Ciceronis sexagesimus quartus.

Kalendis Januariis Consules Senatum habuêrunt in Capitolio de Antonio, qui Mutinam obsidebat, & D. Brutum oppugnabat. Cicero id egit ut hostis Antonius judicaretur, alii ut legati ad eum mitterentur. Habuit igitur quintam Philippicam, in quâ legationem dissuadet, contendit bello Antonium esse persequendum, honores esse decernendos iis, qui adversus eum Rempublicam defendunt. Judicatus fuisset hostis Antonius, nisi Salvius Tribunus plebis intercessisset. Decrevit tamen Senatus ut Brutus laudaretur, quòd Antonio Galliam non concessisset; ut Cæsar Octavianus cum Pansâ bellum gereret, sententiam loco consulari diceret, consulatum peteret decem annis priùs quàm lege fas esset. Decreti sunt itaque legati ad Antonium cum iis verbis quæ Cicero perscriberet. Quæ ad eam rem pertinent sextâ Philippicâ populo exposuit. Cùm interim legati exspectarentur,

ſpectarentur, veritus Cicero, ne ad pacem Senatus inclinaret, Philippicâ ſeptimâ pacem diſſuaſit: at cùm plena ſuperbiæ reſponſa retuliſſent, tumultus à Senatu decretus eſt, cùm belli nomen quibuſdam non placeret: quod à Cicerone Philippicâ octavâ reprehenſum eſt. Deinde cùm in ſenatu ageretur de ornando Ser. Sulpicio, qui in legatione obiêrat, Philippicam nonam habuit.

M. Brutus anno ſuperiore ex Italiâ in Græciam profectus, Athenas venit, ubi multos nobiles adoleſcentes ſibi adjunxit. In his fuit M. Ciceronis filius, quem ſummis laudibus propter multas virtutes, ut ſcribit Plutarchus, Brutus efferebat. Hunc ille ſecum in Macedoniam duxit, quo legato uſus multa feliciter geſſit. Venit igitur Brutus in Macedoniam cùm C. Antonius Marci frater Q. Hortenſio decedenti ſuccederet. Sed Hortenſius exercitum Bruto dedit. Legio verò, quam L. Piſo Legatus Antonii ducebat, Ciceroni filio ſe tradidit; pars equitatûs, qui in Syriam ducebatur, ad Brutum ſe contulit: partem alteram ad ſe Cn. Domitius abduxit: P. Vatinius, qui Dyrrhachium occupaverat, portas Bruto aperuit, & exercitum tradidit. His de rebus Brutus literas publicè miſit, quas Panſa Conſul, laudato Bruto, in Senatu recitavit. Q. Fuſius rogatus ſententiam, Brutum oppugnavit: contra quem Cicero Philippicam decimam dixit. C. Antonius qui ſe Apolloniam receperat cum ſeptem cohortibus, Buthrotum contendens, tres amiſit, quæ à Bruto conciſæ ſunt: verùm prælio cum Cicerone filio ad Byllidem commiſſo, victus in Bruti poteſtatem venit. Cùm Antonius Apolloniam teneret, ante Kal. Apr. allatum fuit de morte Trebonii, quem Dolabella Smyrnæ verberibus in quæſtione interfecit. Hoſtis Dolabella à Senatu judicatus eſt, & actum de imperatore deligendo. Cicero rogatus ſententiam Philippicam undecimam dixit, cenſuitque ut Caſſius bello Dolabellam perſequeretur: cum autem pacis ſermo ab amicis Antonii ſpargeretur, Senatus legatos ad eum, Ciceronem & P. Servilium decrevit: ſed habuit Cicero duodecimam Philippicam, quâ inutilem illam eſſe legationem, ſeque minùs idoneum eſſe legatum oſtendit. Panſâ, initio menſis Aprilis, ad bellum profecto, M. Æmilius Lepidus Romam ad Senatum miſit, quem ad pacem cum Antonio faciendam cohortatus eſt. Multi pacem ſuaſêrunt, quòd incertus belli exitus videretur. Tullius rogatus ſententiam, Philippicam decimam tertiam dixit, cum Antonio, & Antonianis pacem eſſe non poſſe docens. Cùm multi de Mutinâ deſperarent, optatiſſimi nuncii, & literæ de victoriâ Mutinenſi venêrunt, quo tempore maximo concurſu ad Ciceronem multitudo venit, à quâ in Capitolium quaſi triumphans deductus eſt, indéque in Roſtris collocatus, domum reductus eſt. Hæc exponit Cicero Philippicâ decimâ quartâ, in quâ ſupplicationes Conſulibus, & Cæſari decernit. Interim Antonius fugâ tranſgreſſus Alpes ſpe primùm colloquii, repulſus eſt à Lepido; mox ſæpiùs in conſpectum militum veniens, a militibus receptus eſt.

Sed

Sed tandem Lepidus ſe conjunxit cum Antonio, quâ de causâ Lepidus à Senatu hoſtis judicatus eſt, & cæteri qui cum eo à Repub. defecerunt. Illis tamen redeundi ad mentem ante Kal. Septemb. poteſtas fuit. Octavianus verò Cæſar, ut cognovit Antonium à Lepido receptum eſſe, atque ab ipſo ſtare cæteros exercitûs duces, cauſam optimatum ſtatim deſeruit: tum inter eum & Antonium commercia epiſtolarum fuêre, & conditionum facta mentio, ut milites inter ſe jurarent, cum nullo exercitu, qui Caii Cæſaris fuiſſet, bellum ſe geſturos. Quadringentos igitur milites Romam ad Senatum miſit, qui Conſulatum pro ſe nomine exercitûs peterent. Cùm Senatus cunctari videretur, unus Centurio, Cornelius nomine, dicere non dubitavit, oſtendens gladii capulum, *Hic faciet, vos ſi non feceritis.* Ferunt reſponſum dediſſe Ciceronem, *Si ita petitis Conſulatum, eum accipiet.* Cùm re infectâ milites illi abiiſſent ad Octavianum, ille Antonium & Lepidum in Italiam accerſivit, & legiones ad urbem hoſtiliter admovit. Cicero tunc ad Octavianum venit, & paulò poſt ex urbe fugit. Statim verò Octavianus Cæſar anno ætatis vigeſimo cum Q. Pedio Conſul factus eſt. In Conſulatu Octavianus tulit legem de quæſtione in eos habendâ, quorum operâ pater occiſus eſt: Pedius, ut, qui C. Cæſarem interfecerant, eis aquâ & igni interdictum eſſet. Octavianus parùm gratus in Ciceronem, eum valere juſſit. Factâ cum Antonio & Lepido pace, in unum locum copias contraxerunt, & provincias imperii Romani tres illi inter ſe partiti ſunt. Cæſar utramque Africam cum Siciliâ & Sardiniâ, Lepidus Hiſpanias & Galliam Narbonenſem, Antonius reliquas Gallias habuit. Addidêre, ut ipſi triumviri per quinque annos eſſent, ut ſuos quiſque inimicos proſcriberet. Proſcribendis quidem civibus primùm Cæſar reſtitit; ſed cùm incepiſſet, duobus collegis acerbiùs egit: nam Ciceronem, qui de eo benè meritus fuerat, per ſummam perfidiam Antonii furori permiſit. Fugerat interim Cicero ex urbe, cùm illi triumviri Romam venêrunt, primò in Tuſculanum, inde tranſverſis itineribus in Formianum; cognitâque proſcriptione, cum Quinto fratre Aſturam in maritimum ſuum fundum proficiſci ſtatuit, atque inde in Macedoniam ad M. Brutum, de cujus victoriâ audîerat, tranſire. Ferebantur lecticis confecti mœrore & inter ſe caſum ſuum lamentabantur. Quintus magìs angebatur animo propter inopiam, quia nihil ſecum domo extulerat. Marco perexiguum viaticum erat. Satiùs igitur affirmabat Marcum fugâ antecedere, ſe convaſatum domum recurrere. Complexi inter ſe, multiſque lacrymis profuſis digreſſi ſunt. Quintus non ita multis diebus pòſt à ſervis proditus unà cum filio à percuſſoribus interfectus eſt. De utriuſque morte loquitur Dio, lib. 47. Marcus Aſturam delatus navem ſtatim conſcendit, & oram legens, Circæum uſque vento pervenit. Inde ſolvere cùm pararet, vel maris motu permotus, vel de Cæſaris fide non planè deſperans, in terram regreſſus eſt, habens in animo Romam, & domum

domum Cæſaris clam ingredi, ſibique ante lares ejus manus inferre, ut in patriâ quam ſervaverat moreretur, & Cæſaris perfidiam argueret, à quo tam ignavè prodebatur. Sed cruciatuum metu depulſus, ſervis ſe ad Cajetam deportandum navigio commiſit, ubi prædia habebat. Ad Ciceronis navem, quæ ad littus appellebatur, corvi confertim advolârunt, atque ex utrâque parte antennæ inſidentes partim crocitârunt, partim rudentum capita roſtris tutudêrunt: quod ſignum infauſtum omnibus viſum eſt. Cicero tamen egreſſus in villam ſe recepit, & quieti ſe dedit: ibi corvorum magna pars triſti voce ad feneſtram aſſedit, unus in lectum devolavit, & roſtro veſtem, qua Cicero tectus erat, paulatim ab ore ipſius removit. Servi cùm id prodigii viderent, ſuam ignaviam ipſi damnavêrunt, ſi herilis cædis ſpectatores eſſe ſuſtinerent, neque ipſum defenderent: partim igitur precibus, partim vi impoſitum lecticæ ad mare detulêrunt: interim percuſſores advenêre Herennius Centurio, & Popilius Tribunus militum, quem parricidii reum defenderat: qui nec unquam re, nec verbo à Cicerone læſus, hoc ſibi crudele liberatoris ſui interficiendi munus Antonium rogaverat.

Percuſſores cùm fores clauſas inveniſſent, eas effregêrunt; cúmque Cicero non appareret, & ii, qui intùs erant, ubi eſſet, ſcire ſe negâſſent, fertur Philologum quemdam Quinti fratris libertum, quem bonis artibus & diſciplinis ipſe Cicero inſtituerat, Tribuno dixiſſe, lecticam per ſylveſtres & opacas ambulationes ad mare deferri. Tribunus rectà per eaſdem accurrens, Ciceronem eſt aſſequutus; at ubi illum vidit, Cicero ſervos lecticam ibi deponere juſſit, & paratos fortiter & fideliter ad dimicandum, quietos pati quod ſors iniqua cogeret. Cùm obſideri ſe armatis hominibus circumſpexit: Ego verò conſiſto, inquit: & mentum, ut conſueverat, tangens, in percuſſoribus oculos conſtanter fixit, & extra lecticam cervicem immotam præbenti, caput à Popilio præciſum eſt, cum manibus, quibus Philippicas in Antonium ſcripſerat. Caput ſtatim ad Antonium Romam delatum eſt, quod poſt multa probra inter duas manus, in roſtris poſuit, ubi ille Conſul, ubi ſæpè Conſularis, ubi defenſor bonorum omnium, patriæ parens, urbis liberator, & conſervator civium, eâ eloquentiæ admiratione, qua nullâ unquam majore ante eum, nullâ poſt eum, auditus eſt.

IN

IN

Q. CÆCILIUM,

De Accusatore in C. VERREM constituendo, Oratio, quæ Divinatio dicitur.

ARGUMENTUM.

C. Verres per triennium Siciliæ præfuit; ubi cum avarè multa, crudeliter, & libidinosè gessisset; repetundarum à Siculis, exceptis Syracusanis & Mamertinis, postulatus est. Illi sibi patronum ob eas causas, quæ in hâc oratione exponuntur, Ciceronem delegêrunt. Sed cùm accusandi munus ad se potiùs pertinere Q. Cæcilius, qui Verris Quæstor fuerat, contenderet: ortâ contentione, Cicero hanc orationem habuit; quæ Divinatio dicitur, quòd judices, remotis testibus & tabulis, sola argumenta sequantur, & quasi divinent uter debeat accusare.

DE GENERE CAUSÆ.

Publica causa est, agitur enim de accusatore constituendo in publico crimine, quale est de repetundis. Genus est quidem judiciale, sed mixtum demonstrativo, & deliberativo, quia versatur in vituperatione Cæcilii, & quæritur uter accusator eligendus sit, Cicero an Cæcilius.

PERSONÆ IN JUDICIO.

Actores Siculi, reus Caius Verres. Accusatoris munus sibi deposcunt Cicero & Q. Cæcilius natione Siculus, & Judaicæ superstitioni obnoxius, Verris anteà Quæstor in Sicilià.

JUDICES. M. Glabrio Prætor: aderant ei tunc in consilio iidem qui in causâ Verris adfuêrunt ex ordine Senatorio lectissimi quique viri, penès quos tunc judicandi potestas erat ex lege Syllæ.

PAR-

PARTES.

Partes quinque ſunt. Exordium, Conſtitutio cauſæ, Confirmatio, Confutatio, Peroratio.

TEMPUS.

Habita eſt anno Urbis conditæ 685. *Marco Licinio Craſſo, & Cn. Pompeio Conſulibus, anno Ciceronis* 37. *cum ædilitatem peteret, tribus & ampliùs menſibus antequàm à Cicerone Verres accuſari cœperit.*

LOCUS.

Habita eſt hæc Oratio in foro, audiente ac ſpectante populo, quia eſt cauſa publica.

EVENTUS.

Victus eſt Cæcilius, & accuſatio ad Ciceronem delata.

EXORDIUM.

In quo, cauſas affert quare nunc petit accuſare Verrem, qui hactenùs plures defendit.

I. SI quis veſtrûm, Judices, aut eorum qui adſunt, fortè miratur, me, qui tot annos in cauſis judiciiſque publicis ita ſim verſatus, ut defenderim multos, læſerim neminem, ſubitò nunc mutatâ voluntate ad accuſandum deſcendere: ſi mei conſilii cauſam rationemque cognoverit, unà & id quod facio probabit, & in hâc causâ profectò neminem præponendum eſſe mihi [a] actorem putabit. Cum Quæſtor in Siciliâ fuiſſem, Judices, itaque ex eâ provinciâ deceſſiſſem, ut Siculis omnibus jucundam, diuturnamque memoriam Quæſturæ, nominiſque mei relinquerem: factum eſt, uti cùm ſummum

INTERPRETATIO.

[a] *accuſatorem.*

NOTÆ.

1. *Eorum qui adſunt.*] Aderant aut aſſeſſores, aut auditores ex Senatorio ordine ſine poteſtate. Quia ad Magiſtratus non pertinebat judicare, ſed tantùm judices conſtituere.

2. *In cauſis judiciiſque publicis.*] Cauſæ aliæ fuerunt privatæ, quæ de controverſiis, & quæ privatas tantùm perſonas attingebant: aliæ publicæ, quæ de criminibus, & ad totam Rempub. pertinebant: unde Cic. pro Cecinnâ, *Omnia judicia aut diſtrahendarum controverſiarum, aut puniendorum maleficiorum causâ reperta ſunt.*

4. *Ad accuſandum deſcendere.*] Excuſat ſe quòd illud accuſandi munus ſuſcipiat, quod erat tantùm adoleſcentum. Certè illam ætatem ſine ullâ accuſatione tranſegerat.

6. *Unà & id.*] Id eſt, ille *ſimul* cum omnibus.

7. *Cùm Quæſtor.*] Quæſtor fuit Cicero ante annos abhinc quatuor, Prætore Sexto Pæduceo, qui ſucceſſorem habuit C. Sacerdotem, & ille Verrem. Duo autem fuerunt in Siciliâ Quæſtores, Lilybætanus alter, alter Syracuſanus. Cicero Lilybætanus fuit.

in

in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me præſidium ſuis fortunis conſtitutum eſſe arbitrarentur: qui nunc populati atque vexati, cuncti ad me [b] publice ſæpè venêrunt, ut ſuarum fortunarum omnium cauſam, defenſionémque ſuſciperem; me ſæpè eſſe pollicitum, ſæpè oſtendiſſe dicebant, ſi quod tempus accidiſſet, quo tempore aliquid à me requirerent, commodis eorum me non defuturum, veniſſe tempus aiebant, non jam ut commoda ſua, ſed ut vitam, ſalutémque totius provinciæ defenderem: ſeſe jam ne Deos quidem in ſuis urbibus, ad quos confugerent, habere: quod eorum ſimulacra ſanctiſſima C. Verres ex delubris religioſiſſimis ſuſtuliſſet: quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in ſuppliciis, avaritia in rapinis, ſuperbia in contumeliis, efficere potuiſſet, eas omneis ſeſe hoc uno Prætore per triennium pertuliſſe: rogare & orare, ne illos ſupplices aſpernarer, quos, me incolumi, nemini ſupplices eſſe oporteret. Tuli graviter & acerbè, Judices, in eum me locum adductum, ut aut eos homines ſpes falleret, qui opem à me atque auxilium petiſſent, aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adoleſcentiâ dediſſem, tempore atque officio coactus ad accuſandum traducerer. Dicebam, habere eos actorem Q. Cæcilium, qui præſertim Quæſtor in eâdem provinciâ poſt me Quæſtorem fuiſſet. Quo ego [c] adjumento ſperabam hanc à me moleſtiam poſſe dimoveri, id mihi erat [d] adverſarium maximè: nam illi multò mihi hoc facilius [e] remiſiſſent, ſi iſtum non nôſſent, aut ſi iſte apud eos Quæſtor non fuiſſet.

[b] *publico* conſilio. [c] *excuſatione.* [d] *contrarium.* [e] *conceſſiſſent.*

10. *In veteribus patronis.*] Siculi veteres patronos habebant, Marcellum qui à primo illo Marcello natus eſt qui Syracuſas cepit; Scipiones, propter Scipionem Africanum, qui excisâ Carthagine rapta quondam à Pœnis Siciliæ ſua ornamenta retulit: Metellos, qui Lepidum Quæſtorem in illâ Provinciâ accuſârunt.

11. *Populati atque vexati.*] Avaritiâ Verris & crudelitate non mediocriter Siculi vexati ſunt, ut patebit ex hâc, & ſequentibus orationibus.

12. *Ad me publicè.*] Oratoriè omnes veniſſe dicit; nam neque Mamertini venerant, neque Syracuſani.

18. *Ne Deos quidem.*] Per Oxymoron odium in Verrem excitat, qui ita omnia depopulatus eſt, ut vel ipſa Deorum ſimulacra abſtulerit.

19. *Ex delubris.*] Inter delubra & templa Aſconius id ponit diſcriminis, quod *templa ſunt ſingulorum diis attributorum locorum: delubra multarum ædium ſub uno tecto, à diluvio pluviæ munitarum.*

22. *Per triennium pertuliſſe.*] Per tres annos Siculi Arrium quendam Verri ſuceſſorem exſpectabant. Nota autem Prætorias Provincias annuas quidem fuiſſe, ſed, ſi neque primo, neque ſecundo anno revocarentur Prætores, triennium eas adminiſtrâſſe.

23. *Rogare & orare.*] *Rogantur homines, orantur dii,* inquit Pedianus.

24. *Nemini.*] Omiſit *alteri*, ne hæc laus ſibi uſurpata ſuperbiſſima videretur.

Ib. *Graviter & acerbè.*] Graviter tulit Cicero, quod præter conſuetudinem ſuam accuſare cogeretur: *acerbè*, quod Siculorum calamitas eum moveret, qui peſſimè à Verre tractabantur.

28. *Habere eos.*] Indicat quod munus accuſandi Verrem à ſe rejecerit.

30. *Poſt me.*] Non proximè, nam Sext. Peduceo Prætore, Quæſtor tantùm fuit Cicero, at Cæcilius Verre. Inter Peduceum autem & Verrem, Prætor in eâ fuit Sacerdos.

33. *Non nôſſent.*] Noverant Siculi Cæcilium, cum genere Siculus eſſet, & quia noverant eum ignarum & improbum, ei cauſam ſuam confidere auſi non ſunt.

II. Adductus ſum, Judices, officio, fide, miſericordiâ, multorum bonorum exemplo, veteri conſuetudine, inſtitutoque majorum, ut onus hoc laboris atque officii, non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem. Quo in negotio tamen illa me res, Judices, conſolatur, quod hæc, quæ videtur eſſe accuſatio mea, non potiùs accuſatio quàm defenſio eſt exiſtimanda. Defendo enim multos mortales, multas civitates, provinciam Siciliam totam. Quamobrem ſi mihi unus eſt accuſandus, propemodùm manere in inſtituto meo videor, & non omninò à defendendis hominibus, ſublevandiſque diſcedere. Quod ſi hanc cauſam tam idoneam, tam illuſtrem, tam grâvem non haberem: ſi aut hoc à me Siculi non petiiſſent, aut mihi cum Siculis cauſa tantæ neceſſitudinis non intercederet, & hoc, quod facio, me reipub. causâ facere profiterer, ut homo ſingulari cupiditate, audaciâ, ſcelere præditus, cujus furta atque flagitia non in Siciliâ ſolum, ſed in Achaiâ, Aſiâ, Ciliciâ, Pamphyliâ, Romæ denique ante oculos omnium maxima turpiſſimaque nôſſemus, me [a] agente in judicium vocaretur: quis tandem eſſet, qui meum factum aut conſilium poſſet reprehendere? Quid eſt, proh Deûm hominumque fidem! in quo ego reip. plus hoc tempore prodeſſe poſſim? Quid eſt, quod

[a] *accuſante.*

1. *Officio.*] Cùm Quæſtor in Siciliâ fuiſſet Cicero, petentibus Siculis officium denegare non debuit.

Ib. *Fide.*] Cum promiſiſſet ſe commodis eorum non defuturum, fidem præſtare debuit.

Ib. *Miſericordiâ.*] Cùm crudeliter Siculi vexarentur, debuit eos ſublevare.

2. *Exemplo.*] Pub. Sulpitius C. Norbanum civem ſeditioſum in jus vocavit. L. Fuſius M. Aquilium accuſavit. Vide lib. 3. Offic.

Ib. *Conſuetudine.*] Non adoleſcentes ut tunc temporibus; ſed ipſi viri graves accuſare conſueverant, cum de Repub. & patrocinio agebatur, nunc autem agitur de patrocinio Siculorum.

3. *Non ex meo, ſed, &c.*] Hotomannus docet hîc tempus pro ratione negotiorum poni, id eſt, commodo, vel incommodo recenti, cui ex tempore proſpiciendum eſt.

4. *Neceſſariorum.*] Cum Siculis amicitiam junxerat Cicero, in quos præter cæteros neceſſaria officia conferre debuit.

8. *Si mihi unus.*] Is ſenſus eſt, etſi unum accuſem, tamen hæc actio non eſt dicenda accuſatio, ſed defenſio, quia Siculos cum eorum civitatibus contra unum Verrem defendo.

9. *In inſtituto meo.*] Gloriatur Cicero ſæpe multos defendiſſe, neminem accuſâſſe, vel paucos.

11. *Cauſam tam idoneam.*] Oratori idonea eſt cauſa unde ſibi multam laudem comparare poteſt.

Ib. *Tam illuſtrem.*] Illuſtris eſt propter Quæſtoris munus, quod in eâ geſſit.

Ib. *Tam gravem.*] Propter res momenti quas continet, gravis eſt.

14. *Reipub. causâ.*] Cicero *Nullis inimicitiis, nullis injuriis, nullo præmio, nulla denique alia re, quam utilitate communi adductus,* Verrem in judicium vocat. Nec quemquam alium advocâſſe ait, Ver 5.

16. *Achaiâ, Aſiâ.*] Dolabellæ legatur Verres, & proquæſtor multa in his provinciis flagitia commiſit. *Achaia* verò Regio eſt Græciæ undique mari ſepta, præterquàm à Septentrione, cujus Metropolis Corinthus. Plin. lib. 4. cap. 4.

Ib. *Ciliciâ.*] Regio minoris Aſiæ, Syriæ proxima. Vide Plin. lib. 5. cap. 26. hanc poſtea regendam Cicero ſortitus eſt.

Ib. *Pamphyliâ.*] Pamphylia Aſiæ minoris Regio ad mare Mediterraneum ſita.

Ib. *Romæ.*] Romæ Prætor Urbanus fuit Verres.

aut

aut populo Rom. gratius esse debeat? aut sociis, exterisque nationibus optatius esse possit, aut saluti, fortunisque omnium magis accommodatum sit? Populatæ, vexatæ, funditus eversæ provinciæ: socii stipendiariique populi Romani afflicti, miseri, jam non salutis spem, sed exitii solatium quærunt. Qui judicia manere apud ordinem Senatorium volunt, queruntur accusatores se idoneos non habere, qui accusare possunt, judiciorum severitatem desiderant. Populus Rom. interea, tametsi multis incommodis, difficultatibusque affectus est, tamen nihil æquè in repub. atque illam veterem judiciorum vim, gravitatemque requirit. Judiciorum desiderio, tribunitia potestas efflagitata est: judiciorum [b] levitate, ordo quoque alius ad res judicandas postulatur. Judicum culpâ atque dedecore etiam censorium nomen, quod asperius antèa populo videri solebat, id nunc poscitur: id jam populare, atque plausibile factum est. In hâc libidine hominum nocentissimorum in populi Rom. quotidianâ querimoniâ, judiciorum infamiâ, totius ordinis offensione, cùm hoc unum

[b] *improbitate.*

21. *Aut sociis.*] Tria erant sociorum genera: alii victi bello, quibus leges imponebantur: alii qui bello pares æquo fœdere in amicitiam venerant: alii, qui nunquam hostes fuerant, sed sociali fœdere amicitiam junxerant.

24. *Stipendiarii.*] Stipendiarii illi populi dicebantur, qui certum vectigal Pop. Rom. aut in pecuniâ, aut in frumento pendebant.

25. *Qui judicia.*] Ab Equitibus ad Senatores judicia Sylla transtulit, quòd Cinnam contra se adjuvissent. Sed cum infamiâ judicârunt; nam apud omnes invaluit hæc de iis opinio, hominem divitem quantumvis sit nocens, damnari non posse.

26. *Accusatores idoneos.*] Idonei non erant accusatores, aut quia rudes erant propter juniorem ætatem, aut quia pecuniâ corrupti. Unde meta accusationis audacia improborum civium non continebatur.

27. *Judiciorum severitatem.*] Severitas judiciorum patet maximè in damnandis improbis, & bonis vindicandis.

29. *Multis incommodis, difficultatibusque.*] Incommoda sunt rerum præteritarum quæ maxima Reipub. Sylla intulit, quia ab ipso Populus Rom. agris suis & jure Civitatis spoliatus est: difficultates verò sunt rerum præsentium; nulla autem jam integra judicia sunt.

30. *Judiciorum vim.*] Equester ordo judicavit annos ferè quinquaginta fine ullâ, ne tenuissimâ quidem acceptæ pecuniæ suspicione; sed postea, non minore infamiâ quàm Senatores, judicia exercuit.

31. *Tribunitia potestas.*] Ante Syllæ dictaturam potestatem habebant Tribuni vocandi ad populi judicium quemlibet, non modò Senatorem, sed etiam Magistratum, qui pecuniam ob rem judicandam accepisset. Vide Orat. pro Cluentio: hanc autem potestatem paucis post mensibus Coss. Pompeius, & Crassus restituêrunt, quam Sylla abstulerat.

32. *Ordo alius.*] Equester nempè.

33. *Censorium nomen.*] Censores quinto quoque anno creabantur, illi porrò corrigendis civium moribus invigilabant. Si Senatorem notâssent, è Senatu ejiciebatur: si equitem, equum amittebat: si Plebeium, in Cæritum tabulas referebatur, ut esset tantùm capite census, neque esset in albo Centuriæ suæ.

34. *Id nunc poscitur.*] Petitur ut illa Censoria dignitas, quæ tam odiosa populo erat, restituatur. Enimvero restituta fuit illo tempore: nam Gellius & Lentulus facti Censores quatuor & sexaginta à Senatu removêrunt.

37. *Ordinis.*] Senatorius ordo graviter offensus est, quod nihil propius esset, quam ut Aurelius Cotta legem ferret, ut iterum Equites cum Senatoribus, & Tri-

unum his tot incommodis remedium esse arbitrarer, ut homines idonei, atque integri causam reipub. legumque susciperent: fateor me salutis omnium causâ ad eam partem accessisse reipubl. sublevandæ, maximè laboraret.

bunis ærariis unà judicarent, quam reverà tulit aliquot post mensibus. Unde Verr. 7. *Itaque cum primo agere cœpimus, lex non erat promulgata.*

39. *Idonei.*] Idonei sunt qui & auctoritate & gravitate præstant adolescentibus.

Ib. *Integri.*] Integri sunt qui pecuniâ non corrumpuntur, & possunt iis opponere se, quorum vitio judicia perdita sunt.

PARTITIO sive CONSTITUTIO CAUSÆ.

III. Nunc, quoniam quibus rebus adductus ad causam accesserim demonstravi, dicendum necessario est de contentione nostra, ut in constituendo accusatore, quod sequi possitis, habeatis. Ego sic intelligo, Judices, cùm de pecuniis repetundis nomen cujuspiam deferatur, si certamen inter aliquos sit, cui potissimum[a] delatio detur, hæc duo in primis spectari oportere: quem maximè velint actorem esse ii, quibus factæ esse dicantur injuriæ: & quem minimè velit is, qui eas injurias fecisse arguatur.

[a] *accusatio.*

4. *De pecuniis repetundis.*] De repetundis, seu repetundarum judicium inde dictum est, quod eo judicio socii pecunias sibi contra leges ereptas repetebant.

Ib. *Nomen cujuspiam deferatur.*] Deferre nomen non est tam accusare, quàm apud Magistratum, vel judicem aliquem alicujus criminis reum denunciare. Factâ autem hâc nominis delatione, sequebatur accusatio.

CONFIRMATIONIS PRIMA PARS.

Quòd Siculi accusatorem Ciceronem, minimè Cæcilium velint.

IV. In hâc causâ, Judices, tametsi utrumque esse arbitror perspicuum; tamen de utroque dicam, & de eo priùs, quod apud vos plurimùm debet valere, hoc est, de voluntate eorum, quibus injuriæ factæ sunt: quorum causâ judicium de pecuniis repetundis est constitutum. Siciliam provinciam C. Verres per triennium depopulatus esse, Siculorum civitates vastâsse, domos exinanîsse, fana spoliâsse dicitur. Adsunt, queruntur Siculi universi: ad meam fidem, quam habent spectatam jam & diu cognitam, confugiunt: auxilium sibi per mè à vobis, atque à populo Romano legibus petunt: me defensorem calamitatum suarum, me ultorem injuriarum, me cognitorem juris sui, me actorem causæ totius esse voluêrunt. Utrum,

6. *Fanâ spoliâsse.*] Alii fanum dictum putant à Faunis, alii à fando, quia divina oracula ibi edere solebant; alii à Fauno qui, Proho Auctore, primus illorum locorum conditor fuit.

8. *Spectatam fidem.*] Fides quæ publicè cognita est, spectata dicitur.

11. *Me cognitorem.*] *Cognitor* olim erat

trum, Q. Cæcili! hoc dices, me non Siculorum rogatu ad cauſam accedere? an optimorum fideliſſimorumque ſociorum voluntatem apud hos gravem eſſe non oportere? Si id audebis dicere, quod C. Verres, cui te inimicum eſſe ſimulas, maximè exiſtimari vult, Siculos hoc à me non petiiſſe: primùm cauſam inimici tui [a] ſublevabis, de quo non præjudicium, ſed planè judicium jam factum putatur: quod ita percrebuit, Siculos omneis actorem ſuæ cauſæ contra illius injurias quæſiiſſe. Hoc, ſi tu inimicus ejus factum negabis quod ipſe, cui maximè hæc res obſtat, negare non audet; videto, ne nimiùm familiariter inimicitias exercere videare. Deinde ſunt teſtes viri clariſſimi noſtræ civitatis, quos omneis à me nominari non eſt neceſſe: eos qui adſunt, appellabo, quos, ſi mentirer, teſteis eſſe impudentiæ meæ minimè vellem. Scit is, qui eſt in [b] conſilio, C. Marcellus: Scit is, quem adeſſe video, Cn. Lentulus Marcellinus: quorum fide, atque præſidio Siculi maximè nituntur, quod omninò Marcellorum nomini tota illa provincia adjuncta eſt. Hi ſciunt, hoc non modo à me petitum eſſe, ſed ita ſæpè, & ita vehementer eſſe petitum, ut aut cauſa mihi ſuſcipienda fuerit, aut officium neceſſitudinis repudiandum. Sed quid ego his teſtibus utor, quaſi res dubia, aut obſcura ſit? Adſunt homines ex totâ provinciâ nobiliſſimi, qui præſentes vos orant, atque obſecrant, Judices, ut in actore cauſæ ſuæ deligendo, veſtrum judicium à ſuo judicio ne diſcrepet. Omnium civitatum totius Siciliæ legationes adſunt, præter duas civitates: quarum duarum, ſi adeſſent, duo crimina vel maxima minuerentur, quæ cum his civitatibus C. Verri communicata ſunt. At enim cur à me potiſſimùm hoc præſidium petivêrunt? Si eſſet dubium, petiſſent à me præſi-

[a] *defendes.* [b] *in cœtu.*

rat, inquit Briſſonius, *qui præſentis alterius cauſam tuebatur ut ſuam.* Nunc verò inquit idem, *ſumitur pro eo judice, qui de negotio, cauſâve diſceptat, eamque cognoſcit.*

17. *Nam præjudicium.*] Præjudicium, inquit Aſconius, *dicitur res, quæ cùm ſtatuta fuerit, affert judicaturis exemplum, quod ſequantur; judicium autem res, quæ cauſam, litemque determinat.*

22. *Ne nimiùm familiariter,* &c.] Ironia, id eſt, videto ne te inimicum fingas, ut poſſis prævaricari.

23. *Sunt teſtes.*] Sunt teſtes quorum teſtimoniis probatur Ciceronem à Siculis eſſe delectum accuſatorem.

26. *C. Marcellus.*] Judex ſedebat ille Marcellus.

27. *Lentulus Marcellinus.*] L. Marcellinus aderat advocatus, & Marcelli Gentilis: de quo ita loquitur in lib. de Clar. Orat. *Lent. Marcellinus nec unquam indiſertus, & in Conſulatu pereloquens viſus eſt,* &c.

28. *Marcellorum nomini.*] Propter Marcellum, qui Syracuſas cepit, & conſervavit; tota Marcellorum familia Siculis addicta fuit.

31. *Officium neceſſitudinis.*] Officium neceſſitudinis non ſolùm ſanguine & affinitate, ſed etiam beneficiis & benevolentia æſtimatur.

37. *Præter duas civitates.*] Syracuſæ & Mamercum Verrem non accuſabant, quia Mamercum erat illius furtorum receptaculum, Syracuſæ libidinis domicilium.

dium nec-ne, dicerem cur petîiſſent. Nunc verò cùm id ita perſpicuum ſit, ut oculis judicare poſſitis, neſcio cur hoc mihi detrimento eſſe debeat, ſi id mihi objiciatur, me potiſſimùm eſſe delectum. Verùm id mihi non ſumo, Judices, & hoc non modò in oratione meâ non pono, ſed ne in opinione quidem cujuſquam relinquo, me omnibus patronis eſſe præpoſitum. Non ita eſt, ſed uniuſcujuſque temporis, valetudinis, facultatis ad agendum [c] ducta ratio eſt. Mea fuit ſemper hæc in hâc re voluntas, & ſententia, quemvis ut hoc mallem de iis, qui eſſent idonei, ſuſcipere, quàm me: me, ut mallem, quam neminem.

V. [a] Reliquum eſt jam, ut illud quæramus, cùm hoc conſtet, Siculos à me petîiſſe, ecquid hanc rem apud vos, animoſque veſtros valere oporteat: ecquid auctoritatis apud vos in ſuo jure repetundo ſocii populi Rom. ſupplices veſtri habere debeant. De quo quid ego plura commemorem? quaſi verò dubium ſit, quin tota lex de pecuniis repetundis ſociorum causâ conſtituta ſit. Nam civibus cùm ſunt ereptæ pecuniæ, civili ferè actione, & privato jure repetuntur. Hæc lex ſocialis eſt: hoc jus nationum exterarum eſt: hanc habent arcem minus alia quantò nunc quidem munitam, quam anteà: verumtamen, ſiqua reliqua ſpes eſt, quæ ſociorum animos conſolari poſſit, ea tota in hâc lege poſita eſt: cujus legis non modò à populo Romano, ſed etiam ab ultimis nationibus jampridem ſeveri cuſtodes requiruntur. Quis igitur eſt, qui neget oportere eorum arbitratu lege agi, quorum causa lex fit conſtituta? Sicilia tota, ſi unâ voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, ſedibus, delubris fuit; quod in

[c] *habita.* [a] *neſtat.*

46. *Non ita.*] Removet cauſam à ſe & rejicit in circumſtantias temporis, valetudinis, & facultatis.

47. *Temporis.*] Affert rationes quare ad Marcellos non hæc ſit delata accuſatio: 1. Quia Marcellus judicabat. 2. Quia Marcellinus infirmâ erat valetudine. 3. Quia Marcellus alter non tam eloquens erat, quàm juris civilis peritus.

50. *Quam neminem.*] Maluêrunt Siculi Ciceronem actorem habere, quam Cæcilium.

4. *Supplices veſtri.*] Id eſt, Siculi, qui vobis ſupplices ſunt.

6. *Lex de pecuniis repetundis.*] Lex illa à L. Piſone Tribuno plebis, qui frugi dictus eſt, ut Cic. lib. de Clar. Orat. ait, lata eſt primùm L. Martio, & Manilio Coſſ. anno 604.

7. *Nam civibus.*] Diſcrimen ponit inter legem civium & ſocialem: hæc erat nempè publica, illa privata.

Ib. *Civili actione.*] Actio civilis ſeu ſorenſis civium eſt propria, quâ præcipuè cives utuntur. Jus autem privatum illud eſt, cui urbis Prætor præerat, qui inter privatos jus dicebat.

8. *Socialis.*] Inſtituta eſt ad tutandas ſociorum fortunas lex de repetundis pecuniis, contra eos qui exteras nationes opprimebant. Qui enim id provinciis magiſtratus populi Rom. eorumve comites pecunias contra leges cepiſſent, earum provinciarum homines, judicio Romæ conſtituto, ſuas pecunias repetebant.

13. *Severi cuſtodes.*] Severi cuſtodes dicuntur judices, quia leges vindicant, & tutantur.

15. *Lege agi.*] Agere lege, eſt judicio ſecundum legem contendere: id lege autem repetundarum Siculi agere volebant contra Verrem.

unaquâ-

unaquâque re beneficio Senatûs populique Romani juris habui; id mihi tu, C. Verres, eripuiſti, atque abſtuliſti: quo nomine abs te ſeſtertiûm millies ex lege repeto. Si univerſa, ut dixi, provincia loqui poſſet, hâc voce uteretur. Quoniam id non poterat, harum rerum actorem, quem idoneum eſſe arbitrata eſt, ipſa delegit. In hujuſmodi re quiſquam tam impudens reperietur, qui ad alienam cauſam, invitis iis, quorum negotium eſt, accedere aut aſpirare audeat? Si tibi, Q. Cæcili, hoc Siculi dicerent; Te non novimus: neſcimus quis ſis: nunquam te anteà vidimus: ſine nos per eum noſtras fortunas defendere, cujus fides eſt nobis cognita: non ne id dicerent, quod cuivis probare deberent? nunc hoc dicunt: utrumque ſe nôſſe: alterum ſe cupere defenſorem eſſe fortunarum ſuarum: alterum planè nolle. Cur nollint, etiamſi taceant, ſatis dicunt: verum non tacent; tamen his invitiſſimis te öfferes? tamen in alienâ cauſâ loquêre; tamen eos defendes, qui ſe ab omnibus defertos potiùs, quam abs te defenſos eſſe malunt? tamen his operam tuam pollicebere, qui te neque velle ſuâ causâ, nec, ſi cupias, poſſe arbitrantur? Cur eorum ſpem exiguam reliquarum fortunarum, quam habent in legis & judicii ſeveritate poſitam, vi extorquere conaris? cur te interponis, invitiſſimis eis, quibus maximè lex conſultum eſſe vult? cur de quibus in provinciâ non optime es meritus,

18. *Beneficio Senatûs.*] Devictis nationibus vel novæ leges imponebantur à victoribus, vel antiquæ permittebantur. Senatus autem permiſerat Siculis ut ſuis uterentur.

20. *Seſtertiûm millies.*] Conciſum genus orationis, inquit Hotomannus, *quo veteres millies centena millia ſignificabant*, id eſt, duos milliones & quinquaginta ſeſtertios, qui efficiunt 250000 libras Gallicas. Ad plenam ſeſtertiorum cognitionem quædam adnotanda ſunt: 1. de pretio; nam ſeſtertius apud Romanos nummus erat, qui duos aſſes & ſemiſſem valebat. 2. Obſervandum eſt, quòd ſeſtertia in numero plurali neutro enunciata milleſimos ſeſtertios continebant: quod tamen ab omnibus Auctoribus non admittitur. 3. Quòd cùm reperitur iſta nota H-S, eam de nummis tantùm ſeſtertiis intelligi. 4. Quod, ut à nummis ſeſtertiis ad ſeſtertia tranſeundo numerus millies multiplicatur, ita cùm ad eam locutionem ventum eſt, quæ per adverbia numeralia nunciatur, creſcunt ſeſtertia ſinguis conduplicata: v. g. ſi centum ſeſtertia dicam, intelligi debere centena millia ſeſtertiûm: ſic, ubi centies ſeſtertiûm dicitur, intelligenda ſunt centies centena ſeſtertia, ſive centies centena millia ſeſtertiûm. Hæc annotavit Baldeinus in Comm. Inſt. de Succeſſ. Libert. & Cujacius lib. 10. Obſerv. 37. Plures Auctores ſeſtertios ad noſtram monetam Gallicam revocare conati ſunt; imprimis Budæus, Abrahamus, Petavius, &c. quorum omnium una non eſt æſtimatio, quia ab eorum temporibus argenti pretium auctum eſt. Omnium recentiſſimus Pater Harduinus Societatis Jeſu, ſeſtertium ex pondere æſtimavit; probatque in Commentariis, quos eruditiſſimos in Plinium ſcripſit, duobus noſtris Gallicis aſſibus æquivalere: hunc conſule in lib. 33. cap. 3. nos ejus ſupputationi acquieſcimus.

34. *Accedere aut aſpirare.*] Aſpirare ad rem dicitur, qui tam prope accedit, ut halitum in eam immittere poſſit.

35. *Velle ſuâ cauſâ.*] In pleriſque Codicibus legitur, *cauſam ſuam*, ſubaudiendo inquiunt Interpretes nonnulli, *defendere*. Sed nihil mutandum videtur. *Velle enim ſua cauſa*, perinde eſt, ac alteri ſtudere, vel favere. Sic ipſe Cic. Epiſt. ad Lent. *Regis cauſa ſi qui ſint, qui velint*, &c.

eos nunc planè fortunis omnibus conaris evertere? cur his non modò perſequendi juris ſui, ſed etiam deplorandæ calamitatis adimis poteſtatem? Nam, te actore, quem eorum affuturum putas, quos intelligis, non, ut per te alium, ſed ut per aliquem teipſum ulciſcantur, laborare?

SECUNDA PARS CONFIRMATIONIS.

Quod Verres minimè velit Ciceronem accuſatorem, maximè Cæcilium.

VI. At enim ſolùm id eſt, ut me Siculi maximè velint: alterum illud credo obſcurum eſt, à quo Verres minimè ſe accuſari velit. Ecquis unquam tam palàm de honore, tam vehementer de ſalute ſuâ contendit, quàm ille, atque illius amici, ut ne hæc mihi [a] delatio detur? Sunt multa, quæ Verres in me eſſe arbitratur, quæ ſcit in te, Q. Cæcili, non eſſe: quæ cujuſmodi in utroque noſtrûm ſint, paulò poſt commemorabo. Nunc tantum id dicam, quod tacitus tu mihi aſſentiare, nullam rem in me eſſe, quam ille contemnat: nullam in te, quam pertimeſcat. Itaque magnus ille defenſor, & amicus ejus, tibi Hortenſius ſuffragatur, me oppugnat: apertè ab Judicibus petit, ut tu mihi anteponare: & ait hoc ſe honeſtè ſine ullâ invidiâ, ac ſine ullâ [b] offenſione contendere. Non enim, inquit, illud peto, quod ſoleo, cùm vehementiùs contendi; impetrare, reus ut abſolvatur, non peto: ſed, ut ab hoc potiùs quàm ab illo accuſetur, id peto. Da mihi hoc: concede, quod facile eſt, quod honeſtum, quod non invidioſum: quod cùm dederis, ſine ullo tibi periculo, ſine infamiâ illud dederis, ut his abſolvatur, cujus ego causâ laboro. Et ait idem, ut aliquis metus adjunctus ſit ad gratiam, certos eſſe in conſilio, quibus oſtendi tabellas velit: id eſſe perfacile; non enim ſingulos ferre ſententias, ſed univerſos conſtituere: cera-

[a] *accuſatio.*

[b] *infamia poſtulare.*

10. *Magnus defenſor.*] Hortenſius magnus defenſor à Cicerone appellatur, non quia multos defendit, ſed quia hunc præcipuè Verrem omni operâ defendere conatur.

13. *Non enim, inquit, illud peto.*] Ethiopœia Hortenſii ad illius improbitatem in judiciis corrumpendis oſtendendam.

15. *Da mihi.*] Fingit Cicero Hortenſium id dicere, corruptis pecuniâ judicibus.

19. *Metus adjunctus ſit.*] Id agit corruptor, ut gratioſus judex non ſolùm velit ſervare fidem ſuo corruptori, verùm etiam aliquid habeat, cur vel invitus cogatur ad cuſtodiendam pactionem promiſſæ à ſe gratiæ.

20. *Oſtendi tabellas velit.*] Hortenſius voluit, ut illi judices corrupti tabulas priùs oſtenderent, quam in urnas mitterent. Erat autem duplex ratio ferendæ ſententiæ. Quando parva erat cauſa, ex tabulis ſuum judicium pronunciabant, v. g. Si abſolverent, imprimebant ceræ literam A: ſi damnarent, C. ſi ampliabant, N. L. nempè quod parùm liqueret, & iterùm agi cauſam optarent. Si verò magna eſſet cauſa & invidioſa, ſcribebant ſuas ſententias, & cumulatim præconi dabant, qui in urnam eos conjiciebat.

tam unicuique tabellam dari cerâ legitimâ, non illâ infami ac nefariâ. Atque is non tam propter Verrem laborat, quàm quòd eum minimè res tota delectat. Videt enim ſi à pueris nobilibus, quos adhuc eluſit, ſi à quadruplatoribus, quos non ſine causâ contempſit ſemper, ac pro nihilo putavit, accuſandi voluntas ad viros forteis, ſpectatoſque homines tranſlata ſit, ſe in judiciis dominari non poſſe.

VII. Huic ego homini jam antè denuncio, ſi à me cauſam hanc vos agi volueritis, rationem illi defendendi totam eſſe mutandam; & ita tamen mutandam, ut meliore & honeſtiore conditione ſit, quàm qua ipſe eſſe vult: ut imitetur homines eos, quos ipſe vidit ampliſſimos, L. Craſſum, & M. Antonium; qui nihil ſe arbitrabántur ad judicia, cauſaſque amicorum præter fidem, & ingenium afferre oportere. Nihil erit, quod, [a] me agente arbitretur judicium ſine magno multorum periculo poſſe corrumpi. Ego in hoc judicio mihi Siculorum cauſam receptam, populi Rom. ſuſceptam eſſe arbitror: ut mihi non unus homo improbus opprimendus ſit, id quod Siculi petivêrunt; ſed omninò omnis improbitas, id quod populus Rom. jam diu flagitat, extinguenda, atque delenda ſit. In quo ego quid [b] eniti, aut quid efficere poſſim, malo in aliorum [c] ſpe relinquère, quàm in oratione meâ ponere. Tu verò, Cæcili! quid potes? quo tempore, aut quâ in [d] re non modo ſpecimen cæteris aliquod dediſti, ſed tute tui periculum feciſti? in mentem tibi non

[a] *me accuſante.* [b] *ſuſcipere.* [c] *cogitatione.* [d] *cauſa.*

22. *Cerâ legitimâ.*] Cera legitima erat in qua A, litera abſolutionis, ſcripta erat, & quæ erat unius coloris.

Ib. *Non illâ infami.*] Per infamem, diſcolorem intelligit; in qua litera C ſcripta erat, alludit autem ad judicium quod contra Varronem conſtitutum eſt, qui ab Hortenſio defenſus eſt, qui tabulas infames, varii nempè coloris protulit, cum Judicum metueret corruptionem.

24. *A Pueris nobilibus.*] Appium Claudium, & Cæſarem adhuc adoleſcentes ſignificat, quorum alter Terentium Varronem, alter Dolabellam accuſavit. At Hortenſii fraude, qui diſcoloribus ceris uſus eſt, liberati ſunt.

25. *A quadruplatoribus.*] Quadruplatores delatores erant criminum publicorum: in quâ re quartam partem bonorum ex ſuâ delatione referebant.

27. *Spectatos.*] Pungit Hortenſium, cui dicit, non ei rem eſſe cum pueris & quadruplatoribus, ſed cum veris generoſis, qui virtutem amant.

28. *Dominari non poſſe.*] Hortenſius Rex fori dicebatur, iiſque judiciis dominari, per judices, quos corrumpebat.

2. *Totam eſſe mutandam.*] Acriter pungit Hortenſium, ait enim ita corruptam ejus eſſe defendendi rationem, ut tota rei mutanda ſit.

3. *Meliore conditione ſit.*] Optat ut melior ſit Hortenſius, cum poſſit, ut debeat honeſtè agere, quod facilius eſt, quàm judices corrumpere.

5. *Ipſe vidit.*] Superior erat ætate Tullio Hortenſius, ideò vidit Craſſum & M. Antonium, qui ſoli Oratores Romani à Cicerone laudati ſunt, quoſque ipſe in lib. de Orat. introduxit: & quos majores Hortenſio videtur indicare.

9. *Cauſam receptam.*] Suſcipimus noſtrâ ſponte, recipimus rogati.

17. *Periculum feciſti.*] Id eſt, tute ipſe tentâſti, quando te exercuiſti, ſecretò, & remotus ab arbitris.

venit,

venit, quid negotii ſit cauſam publicam ſuſtinere? vitam alterius totam explicare, atque eam non modò in animis Judicum, ſed etiam in oculis, conſpectuque omnium exponere? ſociorum ſalutem, commoda provinciarum, vim legum, gravitatem judiciorum defendere? Cognoſce ex me, quoniam hoc primum tempus diſcendi nactus es, quam multa eſſe oporteat in eo, qui alterum accuſet: ex quibus ſi unum aliquod in te cognoveris, ego jam tibi ipſe iſtuc, quod expetis, meâ voluntate concedam. Primùm integritatem, atque innocentiam ſingularem: nihil eſt enim quod minus ferendum ſit, quàm rationem ab altero vitæ repoſcere eum, qui non poſſit ſuæ reddere.

VIII. Hìc ego de te plura non dicam: unum illud credo omneis animadvertere, te adhuc ab nullis niſi à Siculis potuiſſe cognoſci: Siculos hoc dicere, cum eidem ſint irati, cui tu te inimicum eſſe dicis, ſeſe tamen, te actore, ad judicium non affuturos. Quare negent, ex me non audies: hos patere id ſuſpicari, quod neceſſe eſt. Illi quidem (ut eſt hominum genus nimis acutum & ſuſpicioſum) non te ex Siciliâ literas in Verrem deportare velle arbitrantur, ſed cùm iiſdem literis illius prætura & tua quæſtura conſignata ſit, aſportare te velle ex Siciliâ literas ſuſpicantur. Deinde accuſatorem [a] firmum verumque eſſe oportet. Eum ego ſi te putem cupere eſſe, facilè intelligo eſſe non poſſe. Nec ea dico, quæ ſi dicam, tamen [b] infirmare non poſſis, te, antequàm de Siciliâ deceſſeris, in gratiam rediiſſe cum Verre: Potamonem ſcribam, & familiarem tuum retentum eſſe à Verre in provinciâ, cùm tu decederes: M. Cæcilium fratrem tuum lectiſſimum, atque ornatiſſimum adoleſcentem non modò non adeſſe, neque tecum tuas injurias perſequi, ſed eſſe cum Verre, cum illo familiariſſimè atque amiciſſimè vivere. Sunt

[a] *conſtantem & liberum.* [b] *negare.*

18. *Totam explicare.*] Eſt accuſatoris totam illius, quem accuſat, vitam explicare, at Verris crimina, quorum Cæcilius ſocius eſt, non aperiet.

24. *Ipſe iſtuc.*] *Iſtuc* pro *iſtud* ponitur, nam ſæpe Romani, D. in C. mutabant.

2. *A Siculis.*] Nulli certius Siculos nôrunt Cæcilium, qui Siculus eſt, & Verris Quæſtor in Siciliâ.

6. *Acutum.*] Acuto ingenio Siculos extitiſſe Cicero ait in Bruto; idque ipſius Ariſtotelis teſtimonio.

7. *Literas in Verrem.*] Per literas intelligit teſtimonia quæ in Verrem conſcripta ſunt.

9. *Aſportare.*] Cùm quis accuſator erat conſtitutus, huic à Prætore poteſtas dabatur omnia obſignandi, & deportandi Romam, quæ ad accuſationem pertinebant. Cùm autem fortorum Verris Cæcilius conſcius ſit & particeps, non aſportabit è Siciliâ teſtimonia, quæ Verri nocere poſſunt.

11. *Eum ego.*] Probat Cic. Cæcilium furem & prævaricatorem eſſe à multis ſignis, 1. Rediit in gratiam cum Verre, antequam diſcederet ex Siciliâ.

14. *Potamonem ſcribam.*] Secundum ſignum, quia quaſi communis amicus remanſit in Siciliâ, ubi non remanſiſſet, ſi reverà cognoviſſet intercedere Cæcilium inter & Verrem ſimultates. Nam decedente Quæſtore, diſcedebat etiam ejus ſcriba.

15. *Fratrem tuum.*] Tertium ſignum, quod frater lectiſſimus propter judicium hominum, & ornatiſſimus propter dignitatem rei familiaris, remaneat cum Verre.

hæc

hæc & alia in te falsi accusatoris signa permulta: quibus ego nunc non utor. Hoc dico, te, si maximè cupias, tamen verum accusatorem esse non posse. Video enim permulta esse crimina, quorum tibi societas cum Verre ejusmodi est, ut ea in accusando attingere non audeas. Queritur Sicilia tota, C. Verrem ab aratoribus, cùm frumentum sibi in cellam imperavisset, & cùm esset tritici modius H-S. ii pro frumento in modios singulos duodenos sestertios exegisse. Magnum crimen! ingens pecunia! furtum impudens! injuria non ferenda! ego hoc uno crimine illum condemnem necesse est.

IX. Tu, Cæcili, quid facies? Utrum hoc tantum crimen prætermittes? an objicies? Si objicies, idne alteri crimini dabis, quod eodem tempore in eâdem provinciâ tu ipse feciſti? audebis ita accusare alterum, ut quominus tute condemnere, recusare non possis? Sin prætermittes; qualis erit ista tua accusatio, quæ domestici periculi metu, certissimi, & maximi criminis non modò suspicionem, verùm etiam mentionem ipsam pertimescat? Emptum est ex S. C. frumentum ab Siculis prætore Verre, pro quo frumento pecunia omnis soluta non est. Grave est hoc crimen in Verrem, grave me agente: te accusante nullum. Eras enim tu Quæstor: pecuniam publicam tu tractabas: ex quâ etiamsi cuperet Prætor, tamen ne qua deductio fieret, magnâ ex parte tua potestas erat. Hujus quoque igitur criminis, te accusante, mentio nulla fiet. Silebitur toto judicio de maximis & notissimis illius furtis & injuriis. Mihi crede, Cæcili, non potest in accusando socios verè defendere is, qui cum reo criminum societate conjunctus est. Mancipes à civitatibus pro frumento pecuniam exegêrunt. Quid? hoc, Verre Prætore, factum est solum? non: sed etiam Quæstore Cæcilio. Quid igitur? [a] daturus es huic crimini, quod & potuisti prohibere ne fieret, & debuisti? an totum id relinques? Ergò id omninò Verres in judicio suo

[a] *objicies crimen huic* Verri.

21. *Video permulta.*] Quartum signum, quod, cum sit conjunctus cum reo affinitate criminum, non potest defendere socios, à quibus accusatur.

23. *Ab aratoribus.*] Aratores erant, qui pop. Rom. agros conduxerant ad arandum.

24. *Cellam.*] Cella vocatur quodlibet receptaculum rei domesticæ. Hic verò intelligit annonam Prætoris, quæ in frumenti certo numero præbebatur à Siculis, à quibus Verres & pecuniam pro frumento exegit, & eo pretio, ut pro duobus sestertiis duodenos per singulos modios exigeret, sexies plusquam merebatur. De sestertiis dictum est supra.

7. *Emptum est.*] Sicilia dabat decumanum fructum, quod ab aratoribus exigebatur sine pretio: præter id emebatur aliud à Siculis, pro quo ex Senatusconsulto pecunia solvebatur.

10. *Nullum.*] Illius criminis nullam mentionem feciſſet, si accusator constitutus fuisset Cæcilius.

12. *Deductio fieret.*] Deductio est debitæ pecuniæ compensatio, cum pro se aliquâ aliud compensatur, & detrahitur.

17. *Mancipes.*] Mancipes erant publicanorum principes, qui vectigalia à populo redimebant.

non

non audiet, quod cùm faciebat, quemadmodum defensurus esset, non reperiebat. Atque ego hæc, [b] quæ in medio posita sunt, commemoro. Sunt alia magis occulta furta, quæ ille, ut istius, credo, animos, atque impetus retardaret, cum quæstore suo benignissimè communicavit. Hæc tu scis ad me esse delata: quæ si velim proferre, facilè omnes intelligent, vobis inter vos non modò voluntatem fuisse conjunctam, sed ne prædam quidem adhuc esse divisam. Quapropter si tibi judicium postulas dari, quod tecum una fecerit; concedo, si id lege permittitur: sin autem de accusatione dicimus; concedas oportet iis, qui nullo suo peccato impediuntur, quo minùs alterius peccata demonstrare possint. Ac vide, quantum interfuturum sit inter meam atque tuam accusationem. Ego, etiam quæ tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum, quod te non prohibuerit, cùm summam ipse haberet potestatem: tu contrà, ne quæ ille quidem fecit objicies, ne quâ ex parte conjunctus cum eo reperiare. Quid illa, Cæcili? contemnenda-ne tibi videntur esse, sine quibus causa sustineri, præsertim tanta, nullo modo potest? aliqua facultas agendi, aliqua dicendi consuetudo, aliqua in foro, judiciis, legibus, aut ratio, aut exercitatio?

X. Intelligo quam [c] scopuloso, difficilique in loco versèr: nam cùm omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii, atque eloquentiæ multò molestissima. Quamobrem nihil dico de meo ingenio, neque est quod possim dicere, neque si esset, dicerem: aut enim id mihi satis est, quod est de me opinionis, quidquid est; aut si id parum est, ego magis id commemorando facere non possum. De te, Cæcili! jam mehercule, hoc extra hanc contentionem, certamenque nostrum familiariter tecum loquar. Tu ipse quemadmodum existimes, vide etiam atque etiam, & tu te collige, & qui sis, & quid facere possis considera. Putas-ne te posse de maximis, acerbissimisque rebus, cùm causam sociorum fortunasque provinciæ, jus populi Rom. gravitatem judicii legumque susceperis, tot res, tam graveis, tam varias, voce, memoriâ, concilio, ingenio, sustinere? Putas-ne te posse, quæ C. Verres in quæsturâ, quæ in legatione, quæ in prætura, quæ Romæ, quæ in Italiâ, quæ in Achaiâ, Asiâ, Pamphyliâque patrârit, ea quemadmodum locis temporibusque divisa

[b] *quæ omnes sciunt.*

[c] *periculoso.*

25. *Benignissimè communicavit.*] Cæcilium & Verrem fures esse designat, quasi tota ista Quæstura ad societatem furtorum, non ad accusationem valeret.

1. *Scopuloso.*] Metaphora sumpta à navigantibus, cùm naufragium timent.

9. *Tu te collige.*] Id est, ad te redi, & tanquam dispersum animum revoca, ut rectius cogites, & fortius agas.

15. *In quæsturâ.*] Quæstor fuit Verres Carbonis in provinciâ Consulari.

Ib. *In legatione.*] Idem legatus fuit Cn. Dolabellæ in Asiâ.

16. *Quæ Romæ.*] Prætor Urbanus Romæ.

Ib. *In Italiâ.*] Præturam exercuit Verres in Italiâ & Romæ.

Ibid. *In Achaiâ*, &c.] Ubi legatione functus est.

sint,

ſint, ſic criminibus, & oratione diſtinguere? Putaſ-ne te poſſe, id quod in ejuſmodi reo maximè neceſſarium eſt, facere, ut quæ ille libidinosè, quæ nefariè, quæ crudeliter fecerit, ea æquè acerba, & indigna videantur eſſe iis, qui audient, atque illis viſa ſunt, qui ſensêrunt? magna ſunt ea, quæ dico, mihi crede; noli hæc contemnere: dicenda, demonſtranda, explicanda ſunt omnia: cauſa non ſolùm exponenda, ſed etiam graviter, copiosèque agenda eſt: perficiendum eſt, ſi quid agere aut perficere vis, ut homines te non ſolùm audiant, verùm etiam libenter ſtudiosèque audiant. In quo ſi te multùm natura adjuvaret, ſi optimis à pueritiâ diſciplinis, atque artibus ſtuduiſſes, & in his elaborâſſes, ſi literas Græcas Athenis, non Lilybæi, Latinas Romæ, non in Siciliâ didiciſſes: tamen eſſet magnum, tantam cauſam, tam exſpectatam, ex diligentiâ conſequi, & memoriâ complecti, & oratione exponere, & voce & viribus ſuſtinere. Fortaſſe dices, Quid? ergo hæc in te ſunt omnia? Utinam quidem eſſent: verumtamen ut eſſe poſſent, magno ſtudio mihi à pueritiâ eſt elaboratum. Quod ſi ego hæc propter magnitudinem rerum, ac difficultatem aſſequi non potui, qui in omni vitâ nihil aliud egi, quàm longè tu te ab his rebus abeſſe arbitrare, quas non modò anteà nunquam cogitâſti, ſed ne nunc quidem, cum [b] in eas ingrederis, quæ & quantæ ſint, ſuſpicari potes? Ego, qui, ſicut omnes ſciunt, in foro judiciiſque ita verſer, ut ejuſdem ætatis aut nemo, aut pauci plureis cauſas defenderint, & qui omne tempus quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his ſtudiis [c] laboribuſque conſumam, quo paratior ad uſum ſorenſem promptiorque eſſe poſſim; tamen, ita Deos mihi velim propitios, ut cùm illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum ſit, non ſolùm commoveor animo, ſed etiam toto corpore perhorreſco. Jam nunc mente, & cogitatione proſpicio, quæ tum ſtudia hominum, qui concurſus futuri ſint, quantam exſpectationem magnitudo judicii ſit allatura, quantam auditorum multitudinem C. Verris infamia concitatura, quantam deinque audientiam orationi meæ improbitas illius

[b] *accedis ad eas.* [c] *defenſionibus.*

29. *Athenis.*] Athenis florebat ſermonis puritas, & artium doctrina.

Ib. *Non Lilybæi.*] Lilybæus ex tribus Siciliæ promontoriis unum in Libyam ſpectans, ut ait Polybius lib. 1. de Bello Punico primo.

30. *Non in Siciliâ.*] Imperitiam Cæcilii ridet; qui literas tam Græcas, quam Latinas in Siciliâ didicit, ubi utraque lingua planè inculta erat.

40. *Ejuſdem ætatis.*] Juvenis licet Cicero jam ſibi dicendi gloriam in foro fecerat, ad quam nemo ſuæ ætatis pervenerat.

44. *Ita Deos mihi.*] Genus jurisjurandi, id eſt, tantum mihi faveat Deus, quantum verum eſt quod dico.

46. *Citato reo.*] Vocato reo in judicium dicere incipiens timebat Cicero, ut de ſe confitetur in Cluentianâ: Semper cum metu incipio dicere.

51. *Audientiam.*] Audientia novum tum fuit vocabulum, & à Cicerone inventum, per quod attentionem ſignificat.

factura

factura sit. Quæ cum cogito, jam nunc timeo, quidnam prò offensione hominum, qui illi inimici, infensique sunt, & exspectatione omnium, & magnitudine rerum dignum eloqui possim. Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras: & si quid ex vetere aliquâ oratione, JOVEM EGO OPTIMUM MAXIMUM; aut VELLEM, SI FIERI POTUISSET, JUDICES, aut aliquid ejusmodi edisce potueris, præclarè te paratum in judicium venturum arbitraris. Ac si tibi nemo responsurus esset, tamen ipsam causam, ut ego arbitror, demonstrare non posses. Nunc me illud quidem cogitas, tibi cum homine disertissimo, & ad dicendum paratissimo futurum esse certamen, [d] quîcum modò differendum, modò omni oratione pugnandum, certandumque sit? Cujus ego ingenium ita laudo, ut non pertimescam: ita probo, ut me ab eo delectari facilius, quam decipi putem posse. Nunquam ille me opprimet consilio: nunquam ullo artificio pervertet: nunquam ingenio me suo labefactare, atque infirmare conabitur: novi omneis hominis petitiones, rationesque dicendi: sæpè in iisdem, sæpè in contrariis causis versati sumus. Ita contra me ille dicet, quamvis sit ingeniosus, ut nonnullum etiam de suo ingenio judicium fieri arbitretur.

XI. Te verò, Cæcili, quemadmodum sit elusurus, quàm omni ratione jactaturus, videre jam videor: quoties ille tibi potestatem optionemque facturus sit, ut eligas utrum velis factum esse, nec-ne; verum esse, an falsum: utrum dixeris, id contra te futurum, [a] qui tibi æstus, qui error, quæ tenebræ, Dii immortales, erunt, homini minime [b] malo? Quid? cùm accusationis tuæ membra dividere cœperit, & in digitis suis singulas parteis causæ constituere? quid, cum unumquodque transfigere, expedire, absolvere; ipse profectò metuere incipies, [c] ne innocenti periculum facesseris. Quid, cùm

[d] *cum quo.* [a] *quæ conturbatio.* [b] *callido.* [c] *ne vocaveris innocentem in periculum* capitis.

56. *Jovem ego optimum.*] Festive ridet Cæcilium; qui tam imperitus est Orator, ut aliquod tritum & vulgare Causidicis sit allaturus exordium, aut ab invocatione, aut à superioris reprehensione.

61. *Disertissimo.*] Disertus est, qui naturâ, arte, usu, atque exercitatione paratus est ad dicendum.

62. *Modò differendum, modò pugnandum.*] Differere est acutè ac subtiliter dicere & argumentari; pugnare verò, vim & copiam Orationis exercere. Hoc utrumque munus Orationi convenit maximè.

63. *Cujus ingenium.*] Se parem hîc Hortensio Cicero significat, cum quo sæpè vel in contrariis causis versatus est, vel in iisdem: cum uterque defendit & accusavit.

1. *Elusurus.*] Metaphora à gladiatoribus sumpta, qui tela & ictus motu corporis evitant.

2. *Optionem facturus.*] Pergit in Metaphorâ, nam qui prævalebant in prælio, quærebant ab adversariis, ut suprà, vel infrà, &c. ferirì vellent.

7. *Et in digitis.*] Ita insequitur Cæcilii imperitiam, ut rideat etiam Hortensium, qui orationis divisionem in digitos deductam habebat.

8. *Transfigere.*] In principio orationis transfigimus cum adversario distinguendo & explicando ejus argumenta.

Ib. *Expedire.*] *Expedimus* in medium afferendo nostras argumentationes.

Ib. *Absolvere.*] Absolvimus in fine amplificando & concludendo orationem.

com-

commiserari, conqueri & ex illius invidiâ [d] deonerare aliquid, & in te trajicere cœperit? commemorare Quæstoris cum Prætore necessitudinem constitutam? morem majorum? sortis religionem? poterisne ejus orationis [e] subire invidiam? Vide modo, etiam atque etiam considera; mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modò verbis te obruat, sed gestu ipso, ac motu corporis [f] præstringat aciem ingenii tui, teque ab institutis tuis, cogitationibusque abducat. Atque hujusce rei judicium jam continuò video futurum.

XII. Si enim mihi hodie respondere ad hæc, quæ dico, potueris: si [a] ab isto libro, quem tibi magister ludi, nescio quis, ex alienis orationibus compositum dedit, verbo uno discesseris: posse te, & illi quoque judicio non deesse, & causæ atque officio tuo satisfacere arbitrabor. Sin mecum in hâc prolusione nihil fueris: quem te in ipsâ pugnâ cum acerrimo adversario fore putemus? Esto: ipse nihil est, nihil potest: at venit paratus cum subscriptoribus exercitatis & disertis. Est tamen hoc aliquid: tametsi non est satis. Omnibus enim rebus is, qui princeps in agendo est, ornatissimus & paratissimus esse debet. Verumtamen L. Apuleium esse video proximum subscriptorem, hominem non ætate, sed usu forensi, atque exercitatione tyronem. Deinde, ut opinor, habet Allienum: hunc tamen à subselliis: quid in decendo posset, nunquam satis attendi: in clamando quidem video eum esse bene robustum, atque exercitatum. In hoc spes tuæ sunt omnes: hic, si tu eris actor constitutus, totum judicium sustinebit. Ac ne is quidem tantum contendet in dicendo, quantum potest: sed consulet laudi & existimationi tuæ, & ex eo quod ipse potest in dicendo, aliquantum remittet, ut tu tandem ali-

[d] *cœperit diminuere aliquid, & in te deducere.* [e] *sustinere.* [f] *obtenebrel.* [a] *ab ista oratione* composita.

12. *Morem majorum.*] Majores vetabant à Quæstore Prætorem accusari.

Ib. *Sortis religionem.*] Religio sortis sanctissima esse debebat, quia sorte decernebantur Magistratus.

15.] *Gestu ac motu.*] Ita laudat Hortensium, ut pungat etiam: cujus gestus plus habebat artis, quàm erat satis Oratori.

2. *Ipso libro.*] Continens posuit pro contento, liber enim continet quod scriptum est.

Ibid. *Magister ludi.*] Ludimagister dicitur, qui primas literas docet. Ergo libellum aliquem obsoletum significat attulisse Cæcilium, unde Magister dicta pueris argumenta præbere solitus esset.

5. *In hâc prolusione.*] Nempe de constituendo Verris accusatore.

7. *Cum subscriptoribus.*] Subscriptores erant, qui accusatori subscribebant. Nulli autem fas erat subscribere, nisi accepta à judicibus potestate.

9. *Qui princeps.*] Id est, qui primas egit, & qui accusator dictus est. Quatuor autem fuêre ut plurimùm.

11. *Apuleium.*] Apuleius secundo loco accusator est, senex ille quidem, sed imperitus Orator.

13. *Allienum.*] Allienus minoribus tantum judiciis interfuit. Nam teste Nonnio, subsellia sunt Tribunorum, Quæstorum, & minorum Judicum, qui non in sellis curulibus, sed subselliis considebant.

14. *In clamando.*] Habebat ille quidem naturam, sed non facultatem, ideoque erat imperitus Orator.

19. *Remittet.*] Remittere est non agere eâ diligentiâ, & studio, quo par est.

quid esse videare. Ut in actoribus Græcis fieri videmus, sæpè illum qui est secundarum, aut tertiarum partium, cum possit aliquantò clariùs dicere, quam ipse primarum, multum summittere, ut ille princeps quàm maximè excellat: sic faciet Allienus: tibi serviet, tibi lenocinabitur, minùs aliquantò contendet, quàm potest.

XIII. Jam hoc considerate, cujusmodi accusatores in tanto judicio simus habituri: cum & ipse Allienus ex eâ facultate, si quam habet, aliquantùm detracturus sit, & Cæcilius tum denique se aliquid futurum putet, si Allienus minùs vehemens fuerit, & sibi primas in dicendo parteis concesserit. Quartum quem sit habiturus, non video, nisi quem forte ex illo grege Oratorum, qui subscriptionem sibi postulârunt, [a] cuicumque vos delationem dedissetis. Ex quibus alieniſſimis hominibus, ita paratus venis, ut ubi [b] hospes aliquis sit recipiendus. Quibus ego non sum tantum honorem habiturus, ut ad ea quæ dixerint, certo loco, aut singulatim unicuique respondeam. Sic breviter, quoniam non consultò, sed casu, in eorum mentionem incidi, quasi prætegiens satisfaciam universis. Tantâ-ne vobis inopiâ videor esse amicorum, ut mihi non ex his, quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? vobis autem tanta inopia reorum est, ut mihi causam præripere conemini potiùs, quam aliquos â columnâ Mœniâ vestri ordinis reos reperiatis? Custodem, inquit, Tullio me apponite. Quid? mihi? quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero? qui non

[a] *quemcunque vos constituissetis accusatorem.* [b] *ignotus.*

20. *In actoribus.*] Histrionibus nempè.

21. *Secundarum.*] In fabulis primarum partium persona erat, quæ sæpiùs prodibat in scenam; secundarum, quæ minus, &c.

24. *Lenocinabitur.*] Lenocinari est gratiam sibi conciliare, nam lenonum est conciliare gratiam inter amatores.

6. *Ex illo grege.*] Ad contemptum vocat gregem, nempè sordidum & abjectum genus causidicorum, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores reperirentur.

8. *Ex quibus alieniſſimis.*] Id est, Oratores isti, sic explicat Hotomannus qui subscriptionem sibi postulârunt, nihilo magis versati sunt in judiciis, quam tu aut Apuleius, adeoque à foro alieni sunt & ignari disciplinæ, consuetudinisque forensis, ut, cum tu speres posse ab iis usum rationemque forensem addiscere, contra ipsi tibi docendi sint tanquam hospites & peregrini, qui nunquam in forum venêrunt.

13. *Tantâ ne vobis inopiâ.*] Id est, ita destitutus gratiâ apud judices.

14. *Sed de populo subscriptor.*] Amarulentè id dicit, quasi subscriptores ejusmodi in vulgo numerandi sint.

17. *Columnâ Mœniâ.*] Columna Mœnia erat in foro, ad quam fures, & servi nequam puniebantur à Triumviris, & minoris notæ rei accusabantur, ad quam denique magnus vilissimorum hominum concursus fiebat. Porrò cùm Mœnius suam domum Catoni venderet, ut ibi Basilica ædificaretur, excepit jus sibi unius Columnæ, ut inde ludos ipse & posteri spectarent.

Ib. *Custodem.*] Accusatoribus custodes apponebantur; ne ipsi corrumperentur. Reis etiam fas fuit accusatoribus apponere, qui cuncta nôssent, quæ accusator attentaret, ut nihil fraudis subesset in judicio.

19. *Ad meas capsas.*] Capsa à capiendo dicitur: in iis capsis literas, & tabulas ait se repositurum, quæ ex Siciliâ afferentur, si Verrem accuset.

solum

ſolum nè quid enuncies, ſed etiam nè quid auferas, cuſtodiendus ſis. Sed de iſto cuſtode toto ſic vobis breviſſimè reſpondebo: non eſſe hos tales viros commiſſuros, ut ad cauſam tantam à me ſuſceptam, mihi creditam, quiſquam ſubſcriptor, me invito [c] aſpirare poſſit. Etenim fides mea cuſtodem repudiat, diligentia ſpeculatorem reformidat.

[c] *pervenire.*

40. *Nè quid enuncies.*] Ex Conſiliis, & ſecretis meis in Verrem.

45. *Speculatorem.*] Id eſt, non opus habet ſpeculatore, cum fides nunquam in me defuerit.

CONFUTATIO.

XIV. Verum ut ad te, Cæcili, redeam, quam multa te deficiant, vides: quam multa ſint in te, quæ reus nocens in accuſatore ſuo cupiat eſſe, profectò jam intelligis. Quid ad hæc dici poteſt? non enim quæro quid tu dicturus ſis. Video mihi non te, ſed hunc librum eſſe reſponſurum, quem monitor tuus hic tenet: qui, ſi te rectè monere volet, ſuadebit tibi, ut hinc diſcedas, neque mihi verbum ullum reſpondeas. Quid enim dices? an id quod dictitas injuriam tibi feciſſe Verrem? Arbitror; neque enim eſſet veriſimile, cum omnibus Siculis faceret injurias, te illi unum eximium, cui conſuleret, fuiſſe. Sed cæteri Siculi ultorem ſuarum injuriarum invenêrunt: tu, dum tuas injurias per te, id quod non potes, perſequi conaris, id agis, ut cæterorum quoque injuriæ ſint impunitæ, atque inultæ: & hoc te præterîit, non id ſolum ſpectari ſolere, qui debeat, ſed etiam illud, qui poſſit ulciſci; in quo utrumque ſit, eum ſuperiorem eſſe: in quo alterum, in eo non quid is velit, ſed quid facere poſſit, quæri ſolere. Quod ſi ei potiſſimum cenſes permitti oportere accuſandi poteſtatem, cui maximam C. Verres injuriam fecerit: utrum tandem cenſes hos Judices graviùs ferre oportere, te ab illo eſſe læſum, an provinciam Siciliam eſſe vexatam, ac perditam? Opinor, concedis, multo hoc & eſſe graviùs, & ab omnibus ferri graviùs oportere. Concede igitur, ut tibi anteponatur in accuſando provincia; nam provincia accuſat, cùm is agit cauſam, quem ſibi illa defenſorem ſui juris, ultorem injuriarum, actorem totius cauſæ adoptavit. At eam tibi C Verres fecit injuriam, quæ cæterorum quoque animos poſſet alieno incommodo commovere. Minimè; nam id quoque ad rem pertinere arbitror, qualis injuria dicatur; quæ cauſa inimicitiarum proferatur. Cognoſcite ex me: nam iſte eam profectò, [a] niſi planè nihil ſapit, nunquam proferet.

[a] *niſi ſit ſtultus.*

5. *Monitor tuus.*] Subſcriptor tuus Allienus.

10. *Eximium.*] Eximius dicitur, qui à reliquis ſegregatus eſt, propter dignitatis excellentiam.

15. *Utrumque.*] Ut debeat & poſſit.

Agonis eſt quædam, Lilybætana, liberta Veneris Erycinæ: quæ mulier ante hunc quæſtorem copioſa planè & locuples fuit. Ab hâc præfectus Antonii quidem ſymphoniacos ſervos adducebat per injuriam, quibus ſe in claſſe uti velle dicebat. Tum illa, ut mos in Siciliâ eſt omnium Venereorum, & eorum qui à Venere ſe liberaverunt, ut præfecto illi religionem, Veneris, nomenque objiceret, dixit, & ſe, & omnia ſua Veneris eſſe. Ubi hoc Quæſtori Cæcilio, viro optimo, & homini æquiſſimo, nunciatum eſt; vocari ad ſe Agonidem jubet: judicium dat ſtatim, SI PARERET, eam ſe, & ſua Veneris eſſe dixiſſe. Judicant recuperatores id, quod neceſſe erat; neque enim erat cuiquam dubium, quin illa dixiſſet. Iſte in poſſeſſionem bonorum mulieris mittit: ipſam Veneri in ſervitutem adjudicabat: deinde bona vendit, pecuniam redigit. Ita dum pauca mancipia, Veneris nomine, Agonis, ac religione retinere vult, fortunas omneis, libertatemque ſuam iſtius injuria perdidit. Lilybæum Verres venit poſteà; rem cognoſcit: factum improbat: cogit Quæſtorem ſuum pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegiſſet, eam mulieri omnem annumerare, & reddere.

XV. Eſt adhuc, id quod vos omneis admirari video, non Verres, ſed Q. Mucius; quid enim facere potuit elegantiùs ad hominum exiſtimationem? æquiùs ad levandam mulieris calamitatem? vehementiùs ad Quæſtor is libidinem coërcendam? Summè hæc omnia mihi videntur eſſe laudanda. Sed repentè è veſtigio ex homine

30. *Libertæ.*] Liberta dicitur, quæ defuncta erat ſacerdotio Veneris, & ſe ejus religione liberaverat: *ut enim domini ſervos*; ita dii homines religione ſibi obſtrictos habebant.

Ib. *Veneris Erycinæ.*] Eryx collis Siciliæ eſt excelſus, in quo Veneri ſacrum eſt Templum; ubi illius miniſterio dicatæ ſunt mulieres plurimæ. Vide Strabonem, lib. 6. Geographiæ.

32. *Præfectus Antonii.*] Hic Antonius Curator fuerat oræ maritimæ ante Piraticum bellum; ſed bello Cretenſibus indicto, re malè geſtâ, infeliciter periit.

Ib. *Symphoniacos ſervos.*] Symphoniaci muſici ſunt, qui erant in claſſe, ut vel modulis remiges excitarent, vel ut pugnantibus claſſicum canerent, unde ipſi tubæ claſſis, eſt nomen poſitum Claſſicum. Vide Budæum in Annot. Pandect. Juris Civil.

34. *Omnium Venereorum.*] Qui quæve conſecrati erant Veneri, ii Venerei, & Venereæ dicebantur. Strabo enim ſcribit lib. Geog. 6. quod non tantùm mulieres, ſed etiam viri Veneri conſecrati eſſent.

37. *Viro optimo.*] Ironicè.

38. *Judicium dat ſtatim.*] Prætores & Quæſtores in provinciis judices in privatis cauſis conſtituebant.

39. *Judicant recuperatores.*] Recuperatores judices erant ex Equeſtri aut Publicanorum ordine. Illi autem à recuperando recuperatores dicti ſunt, quod per eos jus ſuum quiſque recuperare poſſet.

41. *In poſſeſſionem bonorum.*] Id eſt, poſſeſſione bonorum mulierem privat, alteri datâ poſſeſſione.

43. *Mancipia.*] Pueros ſymphoniacos intelligit.

1. *Non Verres, ſed Q. Mucius.*] Verres non provinciæ Prædo; ſed Mucius ſingularis vir probitatis & innocentiæ factus eſt. Novem menſes ille Conſul Aſiam ſanctè adminiſtravit, ut Aſiani Diem feſtum in ejus honorem inſtituerint, quem Mucia nominaverunt.

5. *E veſtigio.*] Id eſt, breviſſimâ, quantum tempus eſt in uno veſtigio faciendo.

tanquam aliquo Circæo poculo, factus eſt Verres: redit ad ſe, atque ad mores ſuos: nam ex illâ pecuniâ magnam partem ad ſe vertit, mulieri reddidit quantulum viſum eſt. Hîc tu, ſi læſum te à Verre eſſe dices; patiar, & concedam: ſi injuriam tibi factam quereris; defendam & negabo. Deinde de injuriâ, quæ tibi facta ſit, neminem noſtrûm graviorem vindicem eſſe oportet, quàm teipſum, cui facta dicitur. Si tu cum illo poſteà in gratiam rediſti, ſi domi illius aliquoties fuiſti, ſi ille apud te poſteà cœnavit, utrum te perfidioſum, an prævaricatorem exiſtimari mavis? Video eſſe neceſſe alterutrum. Sed ego tecum in eo non pugnabo, quo minùs, utrum velis, eligas. [a] Quid, ſi ne injuriæ quidem, quæ tibi ab illo facta ſit, cauſa remanet? Quid habes, quod poſſis dicere, quamobrem non modò mihi, ſed cuiquam anteponare? niſi fortè illud, quod dicturum te eſſe audio, Quæſtorem illius fuiſſe. Quæ cauſa gravis eſſet, ſi certares mecum, uter noſtrûm illi amicior eſſe deberet. In contentione ſuſcipiendarum inimicitiarum, ridiculum eſt putare, cauſam neceſſitudinis [b] ad inferendum periculum juſtam videri oportere. Etenim ſi plurimas à tuo Prætore injurias accepiſſes; tamen eas ferendo majorem laudem, quam ulciſcendo mererere. Cùm verò nullum illius in vitâ rectius factum ſit, quam id quod tu injuriam appellas; hi ſtatuent hanc cauſam, quam nè in alio quidem probarent, in te, juſtam ad neceſſitudinem violandam videri? qui ſummam injuriam ab illo accepiſti, tamen quoniam Quæſtor ejus fuiſti, non potes eum ſine ullâ vituperatione accuſare; ſi vero nulla tibi facta eſt injuria, ſine ſcelere eum accuſare non potes. Quare cùm incertum ſit de injuriâ, quemquam eſſe horum putas, qui non malit te ſine vituperatione, quam cum ſcelere diſcedere? At vide, quid [c] differat inter meam opinionem ac tuam. Tu, cum omnibus rebus inferior ſis hâc unâ in re te mihi anteferri putas oportere, quòd Quæſtor illius fueris: ego, ſi ſuperior cæteris rebus eſſes, te hanc unam ob cauſam accuſatorem repudiari putarem oportere. Sic enim à majoribus noſtris accepimus, Prætorem Quæſtori ſuo parentis loco eſſe oportere: nullam neque juſtiorem, neque graviorem cauſam neceſſitudinis poſſe reperiri, quàm conjunctionem ſortis, quàm provinciæ, quàm officii, quàm publicam muneris ſocietatem.

[a] *quid ſine ratio quidem remanet* conquerendi? [b] *ad accuſandum.* [c] *diſtet.*

6. *Circæo poculo.*] Poculum pro potione ponitur. Nempe alludit ad illud poculum, quod hoſpitibus ſuis Circe offerebat, quo hauſto, virgâ percuſſi ſtatim in ſues mutabantur; & alio uncti medicamento ad priſtinam formam redibant. Vide Homer. lib. 10. Odyſſ.

Ib. *Factus eſt Verres.*] Ludit in nomine, nam Verres porcum non ſectum ſignificat.

14. *Perfidioſum, an prævaricatorem.*] Perfidioſus eſt, qui amicum ſe ſimulat, cùm ſit inimicus. Si talis eſt Cæcilius, igitur non eſt ipſi credendum. Prævaricator eſt, qui ſe inimicum fingit, cùm ſit amicus. Si talis eſt Cæcilius, non eſt ei cauſa committenda.

22. *Neceſſitudinis.*] Per neceſſitudinem ſortem intelligit: quia Prætores, cæterique magiſtratus, qui in provincias mitte-

XVI. Quamobrem, si jure eum possis accusare, tamen, cùm is tibi parentis [a] numero fuisset, id piè facere non posses: cùm verò neque injuriam acceperis, & [b] Prætori tuo periculum crees, fatearis necesse est, te illi injustum impiumque bellum inferre conari. Etenim ista Quæstura ad eam rem valet, ut elaborandum tibi in oratione reddenda sit, quamobrem eum, cui Quæstor fueris, accuses: non, ut ob eam ipsam causam postulandum sit, ut tibi potissimùm accusatio detur. Neque ferè unquam venit in contentionem de accusando, qui Quæstor fuisset, quin repudiaretur. Itaque neque L. Philoni in C. Servilium nominis deferendi potestas est data, neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, neque Cn. Pompeio in T. Albucium: quorum nemo propter indignitatem repudiatus est; sed nè libido violandæ necessitudinis auctoritate judicum comprobaretur. Atque ille Cn. Pompeius ita cum C. Julio contendit, ut tu mecum. Quæstor enim Albucii fuerat, ut tu Verris. Julius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quòd ut hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus ad causam accesserat. Semper hæc causa plurimùm valuit: semper hæc ratio accusandi fuit honestissima pro sociis, pro salute provinciæ, pro exterarum nationum commodis inimicitias suscipere, ad periculum accedere, operam, studium, laborem interponere. Etenim si probabilis est eorum causa qui injurias suas persequi volunt, quâ in re dolori suo, non reipub. commodis serviunt: quantò illa causa honestior, quæ non solùm probabilis videri, sed etiam grata esse debet, nullâ privatim acceptâ injuriâ, sociorum atque amicorum populi Romani dolore atque injuriis commoveri? Nuper, cùm in P. Gabinium vir fortissimus & innocentissimus L. Piso [c] delationem nominis postularet, & contrà Q. Cæcilius peteret, isque se veteres inimicitias jamdiu susceptas persequi diceret; cùm auctoritas & dignitas Pisonis valebat plurimùm, tum illa erat causa justissima, quòd eum sibi Achæi patronum adoptârant.

[a] *loco.* [b] *accuses tuum prætorem.* [c] *peteret accusationem ejus.*

bantur, sorte eligebantur. Unde necessitudo illa sortis fuit, non sanguinis.

4. *Injustum impiumque bellum.*] Attingit hîc veterum Rom. consuetudinem, qui bellum nullum inferebant, quin priùs à fecialium Collegio justum declaratum esset.

10. *Itaque neque.*] Exempla Quæstorum affert, qui suos Prætores non permissi sunt accusare.

Ib. *Lucio Philoni.*] Lucio Philo Quæstor fuit, alter Prætor.

12. *Pompeio.*] Strabo ille Pompeius Pompeii magni parens fuit.

Ib. *T. Albucium.*] Albucius post Præturam Sardiniæ præfuit: de quo in Pis. & lib. 3. Offic.

14. *Cum Julio.*] Julium hunc lepore & facetiis excelluisse, lib. 1 de Offic. ait, Accusavit pro Sardis Albucium.

23. *Dolori suo serviunt.*] Dolorem suum mitigant, quia homo affectus injuriâ facilè hominis inimici supplicio lenitur.

27. *Pub. Gabinium.*] Qui Achaiam administravit.

28. *L. Piso.*] L. Piso causas egit, & Tribunus plebis legem tulit de repetundis. Cic. de Clar. Orator.

29. *Q. Cæcilius.*] Non is, qui Verris accusationem postulat.

31. *Achæi.*] Qui repetundarum Gabinium accusabant.

XVII. Ete-

XVII. Etenim, cùm lex ipſa de pecuniis repetundis, ſociorum atque amicorum populi Romani causâ, comparata ſit; iniquum eſt, non eum legis judiciique actorem idoneum maximè putari, quem actorem cauſæ ſuæ ſocii defenſoremque fortunarum ſuarum potiſſimùm eſſe voluerunt. An quod ad commemorandum eſt honeſtius, id ad probandum non multò videri debet æquius? Utra igitur eſt ſplendidior, utra illuſtrior commemoratio? Accuſavi eum, quîcum Quæſtor fueram, quîcum me ſors, conſuetudoque majorum, quicum me Deorum hominumque judicium conjunxerat. An accuſavi rogatu ſociorum, atque amicorum? delectus ſum ab universâ provinciâ, qui ejus jura, fortunaſque defenderem. Dubitare quiſquam poteſt, quin honeſtius ſit, eorum causâ, apud quos Quæſtor fueris, quàm eum cujus Quæſtor fueris, accuſare? Clariſſimi viri noſtræ civitatis temporibus optimis, hoc ſibi ampliſſimum, pulcherrimumque ducebant, ab hoſpitibus clientibuſque ſuis, ab exteris nationibus, quæ in amicitiam populi Rom. ditionemque eſſent, injurias propulſare, eorumque fortunas defendere. M. Catonem illum ſapientem, clariſſimum virum, & prudentiſſimum, cum multis graveis inimicitias geſſiſſe accepimus propter Hiſpanorum, apud quos Conſul fuerat, injurias. Nuper Cn. Domitium ſcimus M. Silano diem dixiſſe propter unius hominis Egritomari, paterni amici, atque hoſpitis injurias. Neque enim magis animos hominum nocentium res unquam ulla commovit, quam hæc majorum conſuetudo, [a] longo intervallo repetita atque relata: ſociorum querimoniæ delatæ ad hominem [b] non inertiſſimum, ſuſceptæ ab eo, qui videbatur eorum fortunas fide, diligentiâque ſuâ poſſe defendere. Hoc timent homines, hoc laborant: hoc inſtitui, atque adeò inſtitutum referri, ac renovari moleſtè ferunt, putant fore, uti ſi paulatim hæc conſuetudo ſerpere, ac [c] prodire cœperit, per homines honeſtiſſimos, viroſque fortiſſimos, non imperitos adoleſcentulos, aut illiuſmodi quadruplatores, leges, judiciaque adminiſtrentur. Cujus conſuetudinis, atque inſtituti patres majoreſque

[a] *petita longo tempore* retrorſum. [b] *non imperitiſſimum.* [c] *progredi.*

9. *Sors.*] Sorte obveniebant provinciæ.

Ib. *Deorum hominumque judicium.*] Propter ſortem hoc dicit, quæ quaſi quoddam eſt deorum judicium: hominum vero, nempè Conſulum, quia licet ſorte, & divinitus obvenirent, tamen à Conſulibus & à populo provinciæ decernebantur.

15. *Temporibus optimis*] Heroica illa tempora indicat, quibus vigebat fides in Repub. & nulla lex erat adhuc inſtituta de repetundis.

18. *Marcum Catonem.*] M. Cato accuſavit Servium Galbam pro direptis Luſitanis, & Pub. Furium pro iiſdem propter iniquam æſtimationem frumenti.

21. *Cn. Domitium.*] Domitius Marcum Silanum Conſularem accuſavit propter Egritomari Tranſalpini hoſpitis injurias.

22. *Diem dixiſſe.*] Diem dicere, & accuſare in hoc differunt, quod accuſare privatorum hominum ſit; diem dicere Magiſtratuum, ut videret licet ubique apud Cicer.

noſtros non pœnitebat tum, cùm P. Lentulus, is qui princeps Senatûs fuit, accuſabat M. Aquilium, ſubſcriptore C. Rutilio Rufo, aut cùm P. Africanus homo virtute, fortunâ, gloriâ, rebus geſtis ampliſſimus, poſteaquam bis Conſul & Cenſor fuerat, L. Cottam in judicium vocabat. Jure tum florebat populi Romani nomen: jure auctoritas hujus imperii, civitatiſque majeſtas gravis habebatur. Nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nunc homine parvis opibus, ac facultatibus prædito ſimulant ſeſe mirari, cùm moleſtè ferant. Quid ſibi iſte vult? accuſatorem-ne ſe exiſtimari, qui anteà defendere conſueverat? nunc præſertim, eâ jam ætate, cùm Ædilitatem petat? Ego verò, & ætatis non modò meæ, ſed multò etiam ſuperioris, & honoris ampliſſimi puto eſſe, & accuſare improbos, & miſeros calamitoſoſque defendere. Et profectò aut hoc remedium eſt ægrotæ, ac propè deſperatæ reipub. judiciiſque corruptis, ac contaminatis paucorum vitio ac turpitudine, homines ad legum defenſionem, judiciorumque auctoritatem, quàm honeſtiſſimos & integerrimos diligentiſſimoſque accedere: aut ſi ne hoc quidem prodeſſe poterit, profectò nulla unquam medicina his tot incommodis reperietur. Nulla ſalus reipubl. major eſt, quàm eos, qui alterum accuſant, non minùs de laude, de honore, de famâ ſuâ, quàm illos, qui accuſantur, de capite ac fortunis ſuis pertimeſcere. Itaque ſemper ii diligentiſſimè, laborioſiſſiméque accuſârunt, qui ſe ipſos in diſcrimen exiſtimationis venire arbitrati ſint.

PERORATIO.

XVIII. Quamobrem hoc ſtatuere, Judices, debetis, Q. Cæcilium, de quo nulla unquam [a] opinio fuerit, nullaque in hoc ipſo judicio [b] exſpectatio futura ſit, qui neque ut ante [c] collectam famam

[a] *exiſtimatio* bona. [b] *nullatenus.* [c] *acquiſitam.*

34. *Cùm Pub. Lentulus.*] Lentulus Lentuli Suræ pater, qui in carcere propter Catilinæ conjurationem ſtrangulatus eſt.

Ib. *Princeps Senatûs.*] Princeps Senatûs à Cenſoribus is legebatur, qui eorum vetuſtiſſimus erat.

35. *M. Aquilium.*] Aquilius à Marco Antonio defenſus eſt, apertâ tunicâ, ut ejus cicatrices apparerent.

38. *L. Cottam.*] Cotta à P. Africano poſt ſecundum Conſulatum, & Cenſuram acſatus eſt: qui tamen (teſte Cicer.) in Orat. pro Murænâ abſolutus eſt, ne tanti adverſarii potentiâ oppreſſus videretur.

42. *Quid ſibi ipſe vult?*] Calumniam improborum contra ſe exponit, qui moleſtè ferunt à Cicerone Verrem accuſari, veriti nè deinceps ad homines probos accuſandi conſuetudo deveniat.

44. *Cùm Ædilitatem petat?*] Ædilitas ſecundus erat magiſtratus, qui gerebatur in Repub. natus autem erat tum Cicero annos 36. hæc autem ætas Ædilitati legitima fuit.

45. *Sed multò etiam ſuperioris.*] Oſtendit hîc non ſolùm ad adoleſcentes, ſed etiam ad viros pertinere munus accuſandi, cùm ſublevandis miſeris agitur, cùm illud præſertim uſurpârint viri ætate provecti, & Conſulares.

Ib. *Honoris ampliſſimi,*] Per honorem ampliſſimum Conſulatum intelligit, qui omnium magiſtratuum erat maximus.

47. *Ægrotæ.*] Ægrota eſt Reſpub. cùm malis civibus ſcatet: deſperata eſt, cùm ab iis opprimitur.

conſervet, neque uti reliqui temporis ſpem confirmet, laborat, non nimis hanc cauſam ſeverè, non nimis accuratè, non nimis diligenter acturum. Habet enim nihil, quod in offenſione [d] deperdat: ut turpiſſimè, flagitioſiſſiméque diſcedat, nihil de ſuis veteribus ornamentis requiret. A nobis multos obſides habet populus Rom. quos ut incolumes conſervare, tueri, confirmare, ac recuperare poſſimus, omni ratione erit dimicandum; habet honorem quem petimus: habet ſpem, quam propoſitam nobis habemus; habet exiſtimationem multo ſudore, labore, vigiliiſque collectam: ut, ſi in hâc causâ noſtrum officium, ac diligentiam probaverimus, hæc, quæ dixi, retinere per pop. Rom. incolumia ac ſalva poſſimus: ſi [e] tantulum offenſum, titubatumque ſit, ut ea, quæ ſingulatim, ac diu collecta ſunt, uno tempore univerſa perdamus. Quapropter, Judices, veſtrûm eſt deligere, quem exiſtimetis facillimè poſſe magnitudinem cauſæ, ac judicii ſuſtinere fide, diligentiâ, conſilio, auctoritate. Vos ſi mihi Q. Cæcilium antepoſueritis, ego me dignitate ſuperatum non arbitrabor: populus Romanus ne tàm honeſtam, tàm ſeveram, diligentemque accuſationem, neque vobis placuiſſe, neque ordini veſtro placere arbitretur, providete.

[d] *id amittet.* [e] *aliquantulum peccatum eſt.*

5. *In offenſione.*] Offendit qui ab officio ſuo accuſatoris diſcedit, minus rectè & ſiccerè accuſare.

7. *Veteribus ornamentis.*] Vetera ornamenta dignitates ſunt quibus aliquis defunctus eſt, quas nullas obtinuit Cæcilius.

Ib. *Multos obſides.*] Habet vel uxorem, liberos, & amicos Cicero: vel potius Ædilitatem, quam tum temporis petebat. Unde dicit, *habet honorem quem petimus.*

10. *Habet ſpem.*] Aſpirabat ad Præturam & Conſulatum.

11. *Exiſtimationem.*] Exiſtimationem maximam ſibi jam Cicero comparaverat in dicendo, quæ nulla erat in Cæcilio.

13. *Per pop. Rom.*] Suis ſuffragiis Magiſtratus populus Rom. decernebat.

18. *Vos ſi.*] Comminatur modeſtè judicibus indignationem pop. Rom. ſi ſibi Cæcilium præferant, qui in omnibus Cicerone inferior eſt.

PRO
LEGE *MANILIA.*

ARGUMENTUM.

Iuturnum & grave bellum cum Mithridate rege Ponti, Romani geſsêre. Contra hunc primùm miſſi ſunt cum imperio Sylla, & poſt hunc L. Lucullus: hi duo quanquam magnis cladibus regem afficerent, ſtantem tamen, neque victum relinquere cogebantur. Sylla enim, Marianâ factione Romæ ſæviente, coactus eſt pacem facere cum Mithridate, & domum reverti, ut hanc compeſceret. L. Lucullus cùm bello ita regem fatigâſſet, ut jam prope ad anguſtias redactus videretur; exortâ inter milites ſeditione, delere eam prohibitus eſt. Adde quòd Romæ nonnulli Lucullo infenſi efficiebant, ut Lucullus Senatuſconſulto à bello revocaretur; at eo revocato, ejuſque exercitu diſſipato, Mithridates hoſtis impunè graſſabatur, quare C. Manilius tribunus plebis legem tulit, ut Pompeius in provincias, quotquot Lucullus tenebat, ſuccederet, & belli gerendi adverſus Mithridatem & Tigranem Imperator extra ordinem mitteretur; ut hâc lege Manilià potentia Pompeii creſcere, & Lucullus rerum geſtarum gloriâ privari videbatur, ita optimi quoque rogationi huic obſiſtere ſtatuebant, ne omnia ad unum Pompeium deferrentur. Verum nemo interceſſit metu plebis, quæ Pompeio favebat. Solus Catulus & Hortenſius legem diſſuadebant, quibus hâc oratione Cicero reſpondet, oſtenditque bellum eſſe neceſſarium, ac difficile, nec alium imperatorem præter Pompeium inveniri, qui huic bello gerendo ſit idoneus.

TEMPUS ET LOCUS.

Habita eſt hæc Oratio in roſtris anno urbis conditæ 687. *Ciceronis* 41. *cum Prætor eſſet, Coſſ. M. Æmilio Lepido, & Volcatio Tullo.*

GENUS CAUSÆ.

Duobus generibus conſtat, deliberativo ſcilicet, & demonſtrativo: deliberativum eſt, quia deliberatur an mittendus ſit Pompeius Imperator: demonſtrativum eſt, quia Cn. Pompeium ſummis laudibus extollit, ut illi bello præficiatur.

PAR-

PARTES.

Ejus quinque ſunt, Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Peroratio.

EVENTUS.

Miſſus eſt Pompeius Imperator.

EXORDIUM.

I. QUanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter multò jucundiſſimus; hic autem locus [a] ad agendum ampliſſimus, ad dicendum ornatiſſimus eſt viſus, Quirites! [b] tamen hoc aditu laudis, qui ſemper optimo cuique maximè patuit, non mea me voluntas,

INTERPRETATIO.

[a] *Commodiſſimus ad tractanda negotia, pulcherrimus ad habendas orationes.*

[b] *Tamen non mea voluntas, ſed meum inſtitutum vivendi inceptum ab adoleſcentiâ impedivit me, quo minus aſpirarem ad hanc gloriam dicendi apud vos.*

NOTÆ.

2. *Hic autem locus.*] Roſtra intelligit quæ L. Furio Camillo & C. Mœnio Coſſ. in roſtris navium Antiatium condita fuerunt, de quibus Livius lib. 8. *Naves Antiatium partim in navalia Romæ ſubductæ, partim incenſæ; roſtriſque earum ſuggeſtum in foro extructum adornari placuit, Roſtraque id templum appellatum.* In Roſtris ferebantur leges, agebantur cauſæ, & conciones habebantur ad populum.

Ib. *Ampliſſimus.*] In roſtris nullis niſi viris ampliſſimis, & Magiſtratum gerentibus agere cum populo licebat. Legitur quòd Antonius occiſi Ciceronis caput præciſum in Roſtris poni curaverit, ubi ille Conſul, ubi ſæpe Conſulibus auditus erat.

3. *Ornatiſſimus ad dicendum.*] In Roſtris tantum agebatur apud Populum. Neque autem eadem eſt dicendi apud eum, & apud judices ratio: cùm populus delectari, & doceri vellet, ornatior & elegantior oratio eſſe debebat: cùm judices doceri tantùm, ſimplicior & ſeverior. Obſervabis autem quod diverſa ſunt *agere & dicere. Dicere* enim eſt ſimpliciter orationem habere ad populum. Sic apud Suetonium Cæſar dicitur adhuc junior defunctam uxorem Corneliam laudaſſe de more, pro Roſtris. *Agere* autem ex Gellio l. 13. c. 15. eſt rogare aliquid *populum* quod *ſuffragiis ſuis aut jubeat, aut vetet.* Ex Feſto, Agere *eſt populum ad concilium aut comitia vocare.* Quare agere auctoritatem continet, & publicorum negotiorum tractationem quæ non poteſt abſque auctoritate haberi; tamen aliquando utrumque conjungitur, & ſæpe actio ſignificat Orationem, ut actiones in Verrem; ſæpe *agere* ſignificat etiam *dicere*, præſertim ſi cum auctoritate dicatur, ut mox infra & *ad agendum facultatis tantum, quantum*, &c.

Ib. *Quirites.*] Quirites populi Romani appellatio eſt à Curibus Sabinis populis: qui cùm ex fœdere Romulum inter ac Tatium eorum Regem conſtituto, poſt aſperrima prælia Romam commigrarent; ita Rempublicam temperârunt, ut commune regnum eſſet Romulo ac Tatio, & urbs à Romulo Roma vocaretur; cives à Curibus, *Quirites.* Porrò Cures ipſi nomen inde habuerunt, quòd bello ut plurimum haſtati eſſent, haſta autem Sabinis, Feſto teſte, dicta eſt Curis ſive Quiris. Hinc & Romulus *Quirinus* dicitur; & quia pariter haſtâ ſeu curi armatus erat, vel quia Cures ſibi adjunxerat; vel quia *Quiritum*, id eſt, Rex Romanorum erat: quæ triplex ſententia proponitur ab Ovidio Faſt. 2. 435.

4. *Optimo cuique.*] Fas erat unicuique

tas, ſed meæ vitæ rationes ab ineunte ætate ſuſceptæ prohibuerunt. Nam, cùm anteà per ætatem [c] nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem; ſtatueremque, nihil huc, niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtriâ, afferri oportere, omne meum tempus amicorum temporibus [d] tranſmittendum putavi. Ita neque hic locus vacuus unquam fuit ab iis qui [e] veſtram cauſam defenderent; & meus labor in privatorum periculis [f] caſtè integréque verſatus, ex veſtro judicio fructum eſt ampliſſimum conſecutus. Nam cùm propter dilationem comitiorum ter Prætor primus cen-

[c] *nondum auderem accedere ad dignitatem hujus loci propter ætatem juniorem.* [d] *tribuendum neceſſitatibus amicorum meorum.* [e] *tuerentur veſtra commoda publica.* [f] *verſatus ſine ullo accepto munere, ſine ullâ proditione in periculis propulſandis.*

que Magiſtratum gerenti in ſuperiorem locum aſcendere, indeque concionari ad populum, non autem privato homini, niſi acceptâ ab aliquo magiſtratu poteſtate. Cic. ad Att. lib. 4. 2. de Clodio adhuc privato: *Cum ſubito ille in concionem aſcendit, quam Appius ei dedit.*

5. *Prohibuerunt.*] Licèt Quæſtor & Ædilis fuiſſet Cicero, & annos natus viginti ſex Quinctium in privato judicio & Amerinum in publico defendiſſet, nondum tamen in Roſtris egerat, quo tantum Magiſtratibus licebat aſcendere, ut nihil huc niſi perfectum ingenio & dignum amplitudine loci afferretur, quod hâc minore ætate dicit ſe præſtare non potuiſſe.

9. *Temporibus.*] Cùm non poſſet adhuc per ætatem hanc juniorem vacare Reipub. amicis ſuis periclitantibus dedit operam; familiare enim eſt apud Ciceronem pro periculis uſurpare tempora. Sic pro Mil. *Bona, fortunas meas, ac liberorum meorum in communionem horum temporum contuli.*

11. *Caſtè integréque.*] Integritatem ſuam & abſtinentiam in cauſis defendendis profert: nam lege Cinciâ jam inde latâ ab anno U. C. 550. cautum erat, ne quis munus, aut pecuniam ob cauſam orandam acciperet.

13. *Propter dilationem.*] Abrumpebantur, & in alium diem differebantur comitia vel obnunciatione, vel interceſſione paris & majoris magiſtratus: obnunciatione, cùm quis [illegible] giſtratus, dum comitia habebant, nunciabat, ſe cœli, vel avium ſigna deprehendiſſe. Sic Cic. lib. 3. ad Quintum fratrem, *Comitiorum quotidie ſinguli dies tolluntur obnunciationibus magnâ voluntate bonorum omnium.* Credebant videlicet dato à Jove ſigno fas non eſſe agere cum populo; interceſſione verò, cùm differebantur per Magiſtratus, & maximè per Tribunos. Sic in lib. epiſt. ad Att. 4. ſcribit comitia quibus Pub. Clodius Præturam, & Milo Conſulatum petebant, ſæpius eſſe dilata; ea autem vel obnunciatio vel interceſſio fiebat in candidatorum gratiam: cum aliquis parari ſibi repulſam videbat.

Ib. *Ter Prætor.*] Plures fuêre creati Prætores, unus tantùm primis urbis temporibus; tum duo, ac tandem Sullæ dictatoris octo, deinde decem, creſcente in dies imperii Romani magnitudine, ac civium numero, à populo juriſdictionem accipiebant, ſed incertam: deſignati enim conjectis in ſortem juriſdictionibus, quam quiſque ſortiebatur, hanc exercebat. Ex illis Prætoribus duo præerant privatis judiciis, urbanus alter qui civibus, peregrinus alter qui ſociis & externis jus dicebat: ex octo aliis, duo de ſicariis decernebant, unus de repetundis quærebat, alius de peculatu, alius de ambitu, alius de falſo, alius de majeſtate, alius de vi, ac tandem ſub imperatoribus duo Cereales additi ſunt, qui de fidei-commiſſo jus dicebant, & ultimus tutelaris, cujus munus fuit cogere tutores & ſatiſdare rem pupilli ſalvam fore, & delatam tutelam accipere.

Ib. *Primus.*] Non aliquem populus dignitatis gradum inter Prætores ponebat, ſed qui omnium primus ab eo renunciatus erat, pro cæteris populo placuiſſe videbatur. Certe Plutarchus in Ciceronis vitâ ſcribit multos maximæ dignitatis viros Præturæ competitores habu-

centuriis cunctis [g] renunciatus ſum; facile intellexi, Quirites, & quid de me judicaretis, [h] & quid aliis præſcriberetis. Nunc cum & auctoritatis in me tantum ſit, [i] quantum vos honoribus mandandum eſſe voluiſtis; & ad agendum facultatis tantum, quantum homini vigilanti ex forenſi uſu prope quotidiana dicendi exercitatio potuit afferre, certe, & ſi quid auctoritatis in me eſt, eâ apud eos utor, qui eam mihi dederunt; & ſi quid etiam dicendo conſequi poſſum, iis oſtendam potiſſimum, [k] qui ei quoque rei fructum ſuo judicio tribuendum eſſe cenſuerunt. Atque illud in primis mihi lætandum jure eſſe video, quòd in hâc inſolitâ mihi ex hoc loco ratione dicendi, cauſa talis oblata eſt, in quâ oratio nemini deeſſe poteſt. Dicendum eſt enim de Cn. Pompeii ſingulari eximiâque virtute: hujus autem orationis difficilius eſt exitum, quàm principium invenire. Itaque non mihi tàm copia, quàm modus in dicendo quærendus eſt.

[g] declaratus ſum. [h] & quid deſideraretis in aliis. [i] quantum voluiſtis attribui Præturæ & Ædilitati. [k] qui ſuo ſuffragio judicaverunt præmium dandum eſſe huic etiam eloquentiæ.

habuiſſe, hiſque omnibus antepoſitum fuiſſe. Unde in lib. de claris Oratoribus de ſeipſo ait, *Atque ut multa omittam, in hoc ſpatio, & in his poſt Ædilitatem annis, & Prætor primus, & incredibili populari voluntate fum factus.*

14. *Centuriis cunctis.*] Centuriatis comitiis creabantur Conſules, Prætores, Cenſores; Proconſules interdum, Reges ſacrorum, Tribuni militares conſulari poteſtate, & decemviri legibus ſcribendis: Ædiles vero, tribuni plebis, & minores aliqui tantum tributis comitiis. Erant autem centuriata comitia quibus populus per claſſium centurias diviſus ſuffragium ferebat; ita ut ſuffragia colligerentur centuriatim. Tributa vero ſunt in quibus populus per curias diviſus ſuffragium dicebat.

16. *Honoribus.*] Familiare eſt Romanis auctoribus honores vocare Magiſtratus, ut hic: Sic & apud Hor. lib. 1. Od. 1.

Hunc, ſi nobilium turba Quiritium
Certat tergeminis tollere honoribus, &c.

NARRATIO.

II. Atque ut inde Oratio mea [a] proficiſcatur, unde hæc omnis cauſa [b] ducitur; bellum grave, & periculoſum veſtris vectigalibus [c] atque ſociis à duobus potentiſſimis regibus infertur, Mithridate,

[a] *incipiat.* [b] *incipit.* [c] *tributariis.*

3. *Potentiſſimis regibus.*] Reges illi ſunt Mithridates & Tigranes, primum in Lucullo Cicero poſt Alexandrum Regum maximum nominavit. Nicomedem ille è Bithyniâ, Ariobarzanem è Cappadociâ expulit: alterum Regem Regnum Plutarchus appellavit; qui tantâ potentiâ vigebat, ut ab Aſiâ Parthos arcens Græcas in ipſam Mediam civitates traduceret, & Syriæ & Paleſtinæ imperaret.

& Tigrane: quorum alter relictus, alter laceſſitus, occaſionem ſibi ad occupandam Aſiam oblatam eſſe arbitratur. Equitibus Romanis honeſtiſſimis viris afferuntur ex Aſiâ quotidie literæ [d] quorum magnæ res aguntur, in veſtris vectigalibus exercendis occupatæ, qui ad me pro neceſſitudine, quæ mihi eſt cum illo Ordine, cauſam reipublicæ, periculaque rerum ſuarum detulerunt: Bithyniæ, quæ nunc veſtra provincia eſt, vicos exuſtos eſſe complureis: regnum Ariobarzanis, quod finitimum eſt veſtris vectigalibus, totum eſſe in hoſtium poteſtate: Lucullum, magnis rebus geſtis, ab eo bello diſcedere: huic qui [e] ſuccurrerit, non ſatis eſſe paratum ad tantum bellum adminiſtrandum: unum ab omnibus ſociis, & civibus ad id bellum imperatorem depoſci, atque expeti, eundem hunc unum ab hoſtibes metui, [f] præterea neminem.

[d] *quorum de magnis opibus agitur, quæ collocatæ fuerunt in colligendis veſtris tributis.* [e] *ſucceſſerit.* [f] *præter hunc.*

4. *Alter relictus.*] Mithridates ingenti clade acceptâ, cùm nihil propius eſſet, quàm ut caperetur à Lucullo, deſertus eſt; cauſa fuit militum avaritia, qui fugientem inſequi noluerunt, ſed avidè ſe projecerunt in theſauros, quos de induſtriâ effundi per vias juſſerat, ut dum prædæ vacarent, ad Tigranem ſocerum ſuum confugiendi ſibi tempus eſſet.

Ib. *Alter laceſſitus.*] Tigranem Lucullus provocavit, cùm tradere Mithridatem recuſaſſet; & ita provocavit, ut Tigranocertâ urbe ejus regiâ occupatâ, ingentes ejus copias parvâ manu bis profligaverit, quare rerum ſuarum deſperatione coactus, relicto Mithridate, fugere in extremam Armeniam compulſus eſt.

5. *Occupandam Aſiam.*] Provinciam illam ab anno 137. Cornelius Scipio Romano imperio adjunxerat, Antiocho Rege debellato.

Ib. *Equitibus Romanis.*] Publicanos intelligit, qui ex genere Equeſtri erant, ut ex teſtimonio Ciceronis patet in Oratione pro Poſthumo. *Curius Princeps Equeſtris ordinis fortiſſimus & maximus Publicanus.* Conducebant autem illi quæſtûs ſui cauſâ publica vectigalia populi Romani à Cenſoribus in foro, certâ ſe obligantes pecuniâ, quam Quæſtoribus urbanis repræſentabant, Societatem illi conficiebant, cui qui præerat, Magiſter ſocietatis dicebatur, penes quem erat, quaſi ſociorum reliquorum Senatum cogere, ad eos referre de ſocietatis negotiis, curamque omnem tabularum & rationum ſuſcipere, quæ undique ab aliis, qui publicanorum ſocietati operam dabant, Romam mitterentur. Hic porro quondam habuit pro Magiſtro in provinciâ quaſi ſui muneris vicarium & ſocietatis præfectum, ad quem alii literas darent.

8. *Cum illo Ordine.*] Ex genere equeſtri Cicero fuit, quem ille Conſul, ut Plinius lib. 33. ſcribit, ſenatui conciliando, & ex eo Ordine ortum ſe prædicando, maxime ſtabilivit.

9. *Bithyniæ.*] Bithynia Aſiæ minoris eſt regio ad Pontum ſita, Thraciæ adverſa & Troadi finitima.

10. *Quæ nunc veſtra.*] Illius Bithyniæ Rex fuit Nicomedes, à quâ, cum pulſus fuiſſet à Mithridate, in idem ſuum regnum à Syllâ reſtitutus eſt. Sed demum ille paulo poſt moriens populum Romanum ſui regni hæredem reliquit, quòd à Republicâ in provinciæ formam redactum eſt.

Ib. *Provincia eſt.*] Provincia ſumitur quandoque pro regione, quam aut armis devictam, aut quocumque modo in poteſtatem adductam, ipſe populi Romani imperator adminiſtravit.

11. *Regnum Ariobarzanis.*] Cappadociæ Rex ille fuit pop. Rom. amicus, qui ter à Mithridate regno cedere coactus, à Lucullo bis, & tertiùm, devictis Mithridate & Tigrane, in idem ſuum à Pompeio reſtitutus eſt.

PRO-

PROPOSITIO & DISTRIBUTIO.

III. [a] Cauſa quæ ſit, videtis; nunc quid agendum ſit conſiderate. Primùm mihi videtur de genere belli; deinde de magnitudine, tùm de imperatore deligendo eſſe dicendum. Genus eſt enim ejuſmodi, quod maximè veſtros animos excitare, atque inflammare debet: in quo agitur populi Romani gloria, quæ vobis à Majoribus cùm magna in rebus omnibus, tùm ſumma in re militari tradita eſt: [b] agitur ſalus ſociorum, atque amicorum, pro quâ multa Majores veſtri magna & gravia bella geſſerunt: aguntur certiſſima populi Romani vectigalia, & maxima; quibus amiſſis, & pacis ornamenta, & ſubſidia belli [c] requiretis: aguntur bona multorum civium, quibus eſt à vobis & ab [d] imperatoribus reipublicæ conſulendum.

[a] *quæſtio ea de quâ debetis ferre ſuffragium.* [b] *agitur de ſalute.* [c] *deſiderabitis.* [d] *moderatoribus.*

6. *In re militari.*] Ita Romanum Imperium à Romulo ad Auguſtum uſque Cæſarem gloriâ militari floruit, ut de eo ita loquatur Florus in Prologo Hiſt. *Ita latè per orbem terrarum arma circumtulit, ut qui res ejus legunt, non unius populi, ſed generis humani facta diſcant,* & lib. 4. cap. 10. vel Parthorum teſtimonio victores gentium eos fama loquitur.

9. *Certiſſima vectigalia.*] Duo erant genera tributorum, unum certum, ſeu ordinarium, & ſtipendiarium, quod in caput, atque in ſolum impoſitum quotannis exigebatur; qui porro hoc pendebant, tributarii ſeu ſtipendiarii nominati ſunt. Aliud incertum ſive extraordinarium, quod aut ex lege, aut Senatuſconſulto pro uſu provinciæ vel imperii, aliquando imperabatur, nec locare uſquam niſi Romæ per Cenſores licebat.

10. *Pacis ornamenta.*] Contra Rullum in Senatu vectigalia ſubſidia belli, & ornamenta pacis appellat.

11. *Imperatoribus reipublicæ.*] Non tàm de iis qui ducebant exercitus Romanos hîc loquitur, quàm de iis, penès quos eſt Reipub. adminiſtratio, quos etiam lib. 2. de Nat. Deor. *Rectores & moderatores & tanquam architectos tanti operis, tantique muneris vocat.*

CONFIRMATIONIS

PRIMUM ARGUMENTUM.

Bellum Aſiaticum genere ſuo grave & neceſſarium eſſe.

PARS PRIMA Argumenti primi.

Quia agitur gloria populi Rom.

IV. Et quoniam ſemper appetentes gloriæ præter cæteras genteis,

1 *Appetentes gloriæ.*] Gloria militaris tanta fuit apud Romanos in commendatione, ut ab urbe ferè conditâ ad uſque interceptam à Gallis, id eſt, per annos circiter trecentos quinquaginta, nullo ſumpto publico, ſed ſolâ gloriæ cupiditate ſtipendia fecerint.

atque

atque avidi laudis fuiſtis, delenda eſt vobis illa [a] macula, Mithridatico bello ſuperiore [b] ſuſcepta, quæ penitus jam [c] inſedit, atque inveteravit in populi Romani nomine: quod is, qui uno die, totâ Aſiâ, tot in civitatibus, uno nuncio, atque unâ literarum ſignificatione cives Roman. necandos trucidandoſque denotavit, non modò adhuc pœnam nullam ſuo dignam ſcelere [d] ſuſcepit, ſed ab illo tempore annum jam tertium & viceſimum regnat; & ita regnat, ut ſe non Ponto, neque Cappadociæ latebris occultare velit; ſed emergere è patrio regno, atque in veſtris vectigalibus, hoc eſt, in Aſiæ luce verſari. Etenim adhuc ita veſtri cum illo rege contenderunt imperatores, ut ab illo inſignia • victoriæ, non victoriam reportârint. Triumphavit L. Sulla, triumphavit L. Muræna de Mithridate, duo fortiſſimi viri, & ſummi imperatores: ſed ita triumphàrunt, ut ille pulſus ſuperatuſque regnaret. Verumtamen illis imperatoribus laus eſt tribuenda, quod [f] egerunt: venia danda, quod reliquerunt: propterea quod ab eo bello Sullam in Italiam reſpub. Muræna Sulla, revocavit. Mithridates autem omne reliquum tempus, non ad oblivionem veteris belli, ſed ad comparationem novi contulit: qui, poſteaquam maximas ædificâſſet, [g] ornâſſetque claſſeis, exercituſque permagnos, quibuſcumque ex gentibus potuiſſet, [h] comparâſſet, & ſe Boſporanis, [i] finitimis ſuis, bellum in-

[a] *ignominiæ labes.* [b] *contracta.* [c] *adhæreſcit.* [d] *dedit.* [e] *decora.*
[f] *de eo quod egerunt.* [g] *inſtruxiſſet.* [h] *collegiſſet.* [i] *vicinis ſuis.*

3. *Bello ſuperiore.*] Illud bellum ſuperius inſtauratum eſt à Quinto Pompeio, & Lucio Sylla Coſſ. nam initio illius belli Q. Oppius ſive Proconſul, ſive Proprætor fuerit, in manus Mithridatis venit, à quo in vincula conjectus eſt. Ejuſdem juſſu Manius Attilius aſino inſidens Pergamum deductus eſt, ubi in os aurum liquefactum infundi per ſummam crudelitatem juſſit.

5. *Uno die,* &c.] Mithridates ad omnes urbium Aſiæ præfectos literas dedit, quibus imperabat ut trigeſimo ab acceptis literis die, omnes tùm Romani tùm Itali cum liberis & uxoribus trucidarentur, atque inſepulti feris relinquerentur. Tanta fuit ſtrages edita, ut uno die centum quinquaginta millia interfecta ſint. De iis vide Appianum in libro, qui Mithridaticus inſcribitur, & Plutarchum in vitâ Syllæ.

8. *Annum jam.*] Totum bellum Mithridaticum per annos 40. geſtum eſt, ut ex Floro lib. 3. patet.

12. *Inſignia victoriæ.*] Per inſignia victoriæ triumphum intelligit, quem magnificentiſſimum duxit Lucullus; qualis antea nullus Romæ viſus erat.

18. *Sullam in Italiam.*] Cum iterum Romæ ſeditiones à Cinnâ, Carbone, Sertorio, & Mario excitarentur, multique à Primoribus Reipublicæ trucidarentur, Sulla, factâ pace cum Mithridate, Romam, ad motus illos comprimendos revertitur juſſu Senatûs, relicto Murænâ, ut reliqua Aſiæ negotia componeret. Sed pacis conditiones vix ille tenuit; nam ductus triumphi cupiditate, ſtatim leves contra Mithridaticos, deinde graviores expeditiones ſuſcepit. Sulla verò arbitratus indignum eſſe Romanâ fide non ſtare pacis conditionibus, Murænam ab Aſiâ revocavit.

22. *Quibuſcumque ex gentibus.*] Tam ingentem exercitum ex omnibus nationibus Mithridates comparavit, ut Romani peti ſe arbitrarentur; perſuaſerat ſibi videlicet rex ille, à ſe Romanos frangi poſſe, & contra eos varios ex variis partibus hoſtes ſuſcitaret.

23. *Boſporanis.*] Boſporani populi ſunt, qui Boſporum Thracium incolunt, cui ab

inferre ſimulâſſet; uſque in Hiſpaniam legatos Ecbatanis miſit ad eos duces, quibuſcum tum bellum gerebamus: ut, cùm duobus in locis disjunctiſſimis, maximeque diverſis, uno conſilio, à binis hoſtium copiis bellum terrâ marique geretur, vos ancipiti contentione diſtracti, de [k] imperio dimicaretis. Sed tamen alterius partis periculum, Sertorianæ atque Hiſpanienſis, quæ multò plus firmamenti ac roboris habebat, Cn. Pompeii divino conſilio, ac ſingulari virtute depulſum eſt; in alterâ parte ita res à L. Lucullo ſummo viro eſt adminiſtrata, ut initia illa geſtarum rerum magna atque præclara, non felicitati ejus, ſed virtuti: hæc autem extrema, quæ nuper acciderunt, non culpæ, ſed fortunæ tribuenda eſſe videantur. Sed de Lucullo dicam alio loco, & ita dicam, Quirites! ut neque vera laus ei detracta oratione noſtrâ, neque falſa aſſicta eſſe videatur. Sed pro veſtri imperii dignitate, atque gloriâ, quoniam [l] is eſt exorſus orationis meæ, videte quem vobis animum ſuſcipiendum putetis. Majores veſtri ſæpe mercatoribus, ac naviculatoribus injuriosius tractatis, bella geſſerunt: vos tot civium Rom. millibus, uno nuncio, atque uno tempore necatis, quo tandem animo eſſe debetis? legati quòd erant appellati ſuperbiùs, Corinthum patres veſtri,

[k] *veniretis in diſcrimen amittendi imperii.* [l] *feci inde initium orationis meæ.*

ab Oceaſo Pontus finitimus eſt. His autem cùm Sylla in Italiam reverſus eſſet, bellum intulit Mithridates, quibus devictis, Macharem filium ſuum Regem dedit.

23. *Legatos.*] L. Magium, & L. Fannium indicat, qui à Mario ad Mithridatem confugerant, ut in tertiâ Verrinâ ait Cicero.

Ib. *Ecbatanis.*] Ecbatana caput erat Mediæ, quæ urbs ex Plinio, lib. 6. à Seleuco condita eſt.

24. *Ad eos duces.*] Sertorium deſignat, & alios duces, quos Senatum ipſe Sertorius appellat.

25. *In locis disjunctiſſimis.*] In Aſia cum Mithridate, in Hiſpania cum Sertorio bellum gerebat.

Ib. *Uno conſilio.*] Conſilio Mithridatis & Sertorii, qui inter ſe fœdus inierant, adeo ut facile ſibi perſuaderent, quòd conjuratos ſimul & irruentes Reſpublica non ſuſtineret.

27. *Dimicaretis.*] Romani in diſcrimen totius imperii veniebant, deliberando vel de ducibus, quos adverſus tantos hoſtes mittendos judicarent, vel ancipites hærendo, an Mithridates vel Sertorius imperaret.

28. *Sertorianæ atque.*] Sertorius Marianas partes ſequutus, cum Cinna, Syllâ redeunte, fugerat in Hiſpaniam, ubi cùm Hiſpanos ſibi devinxiſſet, multas clades exercitibus Romanis intulit; ſed à Syllâ proſcriptus, à M. Antonio & M. Perpennâ, aliiſque conjuratis proditus, in convivio interfectus eſt anno urbis 681. Ita Florus, Plutarchus, & Appianus.

31. *Initia.*] Lucullus Conſul cum Mithridate congreſſus ſupra ſexaginta hoſtium millia interfecit, ac Regem uſque in Armeniam fugavit.

33. *Extrema.*] Cùm Lucullus reliquit Mithridatem, nec fugientem eum inſequutus eſt, detrectantibus ducis imperium militibus, quod non culpâ ſuâ, ſed fortunæ caſu accidit, quæ vel præſtantiſſimis ducious non ſemper favit.

39. *Naviculatoribus.*] Naviculatores ſunt qui per mare merces tranſvehunt.

42. *Appellati ſuperbiùs.*] Corinthus urbs Achaiæ ad Iſthmum ſita eſt, Peloponneſum inter & Græciam, illis temporibus ditiſſima & potentiſſima, quæ à Leptine alter Græciæ oculus, & Athenæ alteræ appellata eſt: hæc anno ab urbe conditâ 607. poſt bellum Punicum tertium, & ante bellum Numantinum, à Ro-

ſtri, totius Græciæ lumen, extinctum eſſe voluerunt: vos eum Regem inultum eſſe patiemini, qui legatum populi Rom. Conſularem vinculis ac verberibus, atque omni ſupplicio excruciatum necavit? Illi libertatem civium Rom. imminutam non tulerunt: vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt: vos legatum populi Rom. omni ſupplicio interfectum, inultum relinquetis? Videte ne, ut illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperii gloriam relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit, illud quod accepiſtis, tueri & conſervare non poſſe.

à Romanis, duce Mummio, everſa eſt. Cauſa fuit Strabone teſte, lib. 3. quòd Corinthii ſordes è tectis in legatos pop. Rom. conjecerint: Livio & Aſconio, quòd pulſaverint eos & violaverint: Cicerone, quòd eos ſuperbius appellarint. Id dicit fortaſſe, ut factum imminuat, & invidiam augeat in Mithridatem, qui tam crudeliter in virum Conſularem deſæviit. Tam ſancta autem habebantur legatorum corpora, ut Sagmina ſeu Verbenas, quod herbæ ſacræ genus eſt, geſtarent, ne quis ea violare auderet.

45. *Legatum populi Rom.*] Legatus ille Manius Attilius fuit, qui & illius legationis & belli hujus auctor fuerat. De ejus ſupplicio jàm ſuperiùs, not. ad l. 3. Livius ſcribit Aquilium fuiſſe. Certe cùm Cicero Conſularem eum appellet, crediderim eum eſſe *M.* Aquilium, qui C. Marii collega in ſexto illius Conſulatu fuit, à quo ſervile bellum in Italiâ confectum eſt.

50. *Videte.*] Complexio ſeu concluſio argumentationis: igitur bellum ſuſcipiendum eſt in Aſiâ.

Primi Argumenti SECUNDA PARS.

Quia agitur ſalus ſociorum.

V. Quid, quòd ſalus ſociorum ſummum in periculum ac diſcrimen vocatur? regno expulſus eſt Ariobarzanes Rex, ſocius populi Romani atque amicus: imminent duo Reges toti Aſiæ non ſolùm vobis inimiciſſimi, ſed etiam veſtris ſociis atque amicis: civitates autem omnes, cuncta Aſia, atque Græcia veſtrum auxilium exſpectare propter periculi magnitudinem coguntur: Imperatorem à vobis certum depoſcere, cùm præſertim vos alium miſeritis, neque audent, neque ſe id facere ſummo ſine periculo poſſe arbitrantur: vident, & ſentiunt hoc idem, quod & vos, unum virum eſſe, in quo ſumma ſint omnia, & eum prope [a] eſſe (quo [b] etiam carent ægrius)

[a] *non abeſſe longè.* [b] *quem magis deſiderant cum ſummâ auctoritate.*

2. *Ariobarzanes.*] De quo jam in narratione.

1b. *Socius.*] Tanto in honore habebatur inita à Pop. Rom. cum exteris Regibus & populis ſocietas, ut bene meritis tantum de Repub. concederetur, in ſignum autem ſocietatis aurea corona cum aureâ paterâ, ſellâ curuli, quam proximam Imperatori Romano habere poterant & ſcipione eburneo, toga picta, & palmata cum equitum turmâ cuſtodiæ cauſâ mittebatur.

3. *Duo Reges.*] Mithridates & Tigranes.

6. *Imperatorum certum.*] Pompeium intelligit.

7. *Alium.*] Acilium Glabrionem.

1b. *Neque audent.*] Veriti ne qui populum Rom. offendant.

9. *Unum virum.*] Indicat quòd ab omnibus Pompeius Imperator expetatur.

cujus

cujus adventu ipſo, atque nomine, tametſi ille ad maritimum bellum venerit, tamen impetus hoſtium repreſſos eſſe intelligunt, ac retardatos. Hi vos, quoniam liberè loqui non licet, tacitè rogant, ut ſe quoque, ſicut cæterarum provinciarum ſocios dignos exiſtimetis, quorum ſalutem tali viro commendetis: atque hoc etiam magis quam cæteros, quòd ejuſmodi in provinciam homines cum imperio miſimus, ut, etiam ſi ab hoſte defendant, tamen ipſorum adventus in urbeis ſociorum non multum ab hoſtili expugnatione differant. Hunc audiebant antea, nunc præſentem vident, tantâ temperantiâ, tantâ manſuetudine, tantâ humanitate [c], ut ii beatiſſimi eſſe videantur, apud quos ille diutiſſimè commoratur. Quare ſi propter ſocios, nulla ipſi injuriâ laceſſiti, Majores veſtri cum Antiocho, cum Philippo, cum Ætolis, cum Pœnis bella geſſerunt: quanto vos ſtudio convenit injuriis provocatos, ſociorum ſalutem unà cum imperii veſtri dignitate defendere, præſertim cùm de veſtris maximis vectigalibus agatur?

[c] ſupple *præditum*.

11. *Ad maritimum bellum.*] Ingens piratarum multitudo effuſa per mare commerciúm omne prohibebat: lege Gabiniâ miſſus eſt contra eos Pompeius, quos omnes trigeſimo poſt bellum ſuſceptum die, toto mari perſecutus, nè unâ quidem ex ſuis navibus amiſsâ, expulit. De hoc bello Plutarchus in vita Pompeii.

12. *Repreſſos.*] Hoſtes in Aſia metu Pompeii repreſſi ſunt.

13. *Liberè loqui non licet.*] Propter metum Proconſulis Acilii.

18. *Hoſtili expugnatione differant.*] Avaritiam carpit aliorum qui miſſi ſunt, quia non tam provinciam illam defendêrunt, quàm expoliârunt.

23. *Cum Antiocho.*] Cum Antiochus Rex Syriæ feciſſet ſocietatem cum Ætolis, quibuſcum fœderatas Græciæ civitates bello perſequebatur, & maximè Lyſimachiam urbem, quam repetebat; populus Rom. contra eos Glabrionem miſit.

Ib. *Cum Philippo.*] Philippus ille Macedoniæ Rex fuit, non quidem Alexandri pater; ſed alter, qui multò poſt regnavit. Cauſa belli fuit, quòd Athenienſes ſocios obſideret.

Ib. *Cum Pœnis.*] Cum Pœni Meſſanam civitatem fœderatam, factâ cum Hierone Syracuſarum Tyranno ſocietate, oppugnarent, eis, Appio Claudio duce, bellum à Romanis illatum eſt; unde primùm bellum Punicum ortum duxit. Obſervabis autem quòd hic ordo temporum à Cicerone non ſervetur. 1. enim bellum geſtum fuit cum Pœnis, 2. cum Philippo, 3. cum Antiocho.

24. *Quanto vos.*] Complexio hujus ſecundæ partis, cum tranſitione ad tertiam.

TERTIA PARS Argumenti primi.

Quia aguntur vectigalia maxima.

VI. Nam cæterarum provinciarum vectigalia, Quirites! [a] tanta ſunt, ut iis, ad ipſas provincias tutandas, vix contenti eſſe poſ-

[a] *tam exigua ſunt.*

simus: Asia verò tam opima est & fertilis, ut & ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum quæ exportantur, facilè omnibus terris antecellat. Itaque hæc vobis provincia, Quirites, si ad belli utilitatem, & pacis dignitatem retinere vultis, non modò à calamitate, sed etiam à metu calamitatis est defendenda. Nam cæteris in rebus cum venit calamitas, tum detrimentum accipitur: at in vectigalibus non solùm adventus mali, sed etiam metus ipse affert calamitatem. Nam cùm hostium copiæ non longè absunt, etiamsi irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scripturâ vectigal conservari potest; quare sæpè totius anni fructus uno rumore periculi, atque uno belli terrore amittitur. Quo tandem animo esse existimatis, aut eos qui vectigalia vobis [b] pensitant, aut eos qui exercent atque exigunt, cùm duo Reges cum maximis copiis propè adsint? cùm una excursio equitatûs perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit? cùm publicani familias maximas, quas in salinis habent, quas in agris, quas in portubus atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur? Putatis-ne vos illis rebus frui [c] posse, nisi eos, qui vobis fructui sunt, conservaveritis, non solùm (ut antè dixi) calamitate, sed etiam calamitatis formidine liberatos?

[b] *qui solvunt.* [c] *fructum capere.*

3. *Ubertate agrorum.*] Tria sunt vectigalium genera, ex quibus magnas opes colligebant Romani.

Primum *decumæ*, *sive decimæ*; exigebantur autem illæ ab civibus Romanis, vel Latini nominis sociis, qui in Italiâ, aut extra Italiam, publicum agrum arabant, cum eo, ut frumenti decumas solverent, illæ verò potissimum colligebantur ex frumento, vino, oleo, & frugibus minutis.

Secundum *scripturæ*, & erat illud vectigal quod pendebatur ab iis qui sylvis & pascuis publicis fruebantur, inde autem scriptura vectigal illud dictum est, quòd de certo ære Publicanus conveniret cum Pastore, illudque describeret.

Tertium vectigal, *portoria*. Pecuniæ erant, quæ portitoribus pendebantur, id est, iis qui mercedes ex mercibus in portum devehendis exigebantur.

14. *Ex scriptura.*] Qui pascua publica locabant, pecuarii, eorumque rationes scripturæ dicebantur, unde scripturarius ager.

20. *In salinis habent.*] Multi dubitant de hac voce *salinis*; nam certum est quòd ab Anno Martio, ut Plinius refert lib. 31. cap. 7. salinæ Romæ institutæ fuerint. Sed illud vectigal, ejectis Regibus, Senatusconsulto sublatum est, quod tandem Romæ iterum Censor Marcus Livius retulit, qui ob id Salinator dictus est. Cæterùm nusquam legitur in Asiâ, aut ullâ aliâ provinciâ impositum esse; adde quod Cicero de tribus tantum Tributorum generibus loquitur, de salinis nusquam; itaque mallem, sicut in multis codicibus, legi, *saltibus*; cum saltus ad pascua possent pertinere, quæ plerumque salicibus contita sunt. [*Salinis* exhibent omnes libri MSS. tuetur etiam eandem lectionem *Cujacius* ad l. 17. D. de Verb. Signif. & meritò retinet *Grævius*.]

23. *Conservaveritis.*] Argumentationis brevis conclusio cum adhortatione ad eos conservandos.

QUAR-

QUARTA PARS Argumenti primi.

Quia aguntur fortunæ multorum civium.

VII. Ac ne illud quidem vobis negligendum eſt, quod mihi ego extremum propoſueram,, cùm eſſem de belli genere dicturus, quod ad multorum bona civium Romanorum pertinet: quorum vobis pro veſtrâ ſapientiâ, Quirites, habenda eſt ratio diligenter. Nam & publicani, homines & honeſtiſſimi & ornatiſſimi, ſuas [a] rationes & copias in illam provinciam contulêrunt: quorum ipſorum per ſe res & fortunæ curæ vobis eſſe debent: etenim ſi vectigalia nervos eſſe reipublicæ ſemper [b] duximus; eum certè ordinem, qui [c] exercet illa, firmamentum cæterorum ordinum rectè eſſe dicemus. Deinde cæteris ex ordinibus homines [d] navi & induſtrii partim ipſi in Aſiâ negotiantur, quibus vos abſentibus conſulere debetis; partim ſuas, & ſuorum in eâ provinciâ pecunias magnas collocatas habent. Erit igitur humanitatis veſtræ magnum eorum civium [e] numerum calamitate [f] prohibere; ſapientiæ, videre multorum civium calamitatem à [g] republicâ ſejunctam eſſe non poſſe. Etenim illud primum parvi refert, vos publicanis amiſſa vectigalia poſtea victoria recuperare; neque enim iiſdem redimendi facultas erit propter calamitatem, neque alii voluntas propter timorem. Deinde quod nos eadem Aſia, atque idem iſte Mithridates initio belli Aſiatici docuit, id quidem certè calamitate docti memoriâ retinere debemus. Nam tum, cùm in Aſiâ res magnas permulti amiſêrunt, ſcimus Romæ, ſolutione impeditâ, fidem [h] concidiſſe. Non enim poſſunt unâ in civitate multi [i] rem atque fortunas amittere, ut [k] non plureis ſecum in eandem

[a] *qui detulêrunt fortunas & pecunias.* [b] *exiſtimavimus.* [c] *colligit.* [d] *diligentes & laborioſi.* [e] *multitudinem.* [f] *liberare.* [g] *à calamitate Reipub.* [h] *periiſſe.* [i] *divitias.* [k] *quin.*

5. *Suas rationes.*] Id eſt, tanti vectigalia conducunt, ut omnes eorum fortunæ in vectigalibus collocatæ ſint: non enim intelligit literas & tabulas rationum, cum omnes eſſent Romæ, quò ad Magiſtrum ſocietatis mittebantur.

13. *Collocatas habent.*] Cives quamplurimi ſuas fortunas collocatas habebant in ratione negotiatorum, quibus malè cederet, ſi res ſuæ à negotiatoribus amitterentur. Scribit Plutarchus, in Lucullo, infinitam in Aſiâ Publicanorum ac negotiatorum multitudinem fuiſſe, qui miſerè provinciam illam vexârunt, eoſque, excepto Senatorio, ex omni ordinum genere, ſed potiſſimum equeſtri fuiſſe; ex eo enim decumani, aratores, publicani, pascuarii, aliique quamplurimi extitêre.

14. *Civium.*] Qui etiam Romæ degebant, ſuas rationes cum iiſdem negotiatoribus communicatas habebant.

18. *Redimendi facultas.*] Publicani dicuntur redimere vectigalia, cum ex pacto certæ pecuniæ ea à Cenſoribus conducunt, quæ poſtea ſuo, vel bono, vel incommodo ſunt exacturi; redimere enim & conducere idem ſunt.

20. *Initio belli.*] Tempus illud intelligit, quo Mithridates per ſummam crudelitatem annis ante viginti tribus, tot civium Romanorum millia trucidavit. Vide parag. 4. l. 4.

22. *Solutione impeditâ.*] Cum illi Publicani, qui occiſi ſunt in Aſia, ſolvere non po-

eandem calamitatem trahant. A quo periculo prohibete rempublicam; & mihi credite, id quod ipſi videtis, hæc fides, atque hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro verſatur, implicita eſt [l] cum illis pecuniis Aſiaticis, & cohæret; ruere illa non poſſunt, ut hæc non eodem labefactata motu concidant. Quare videte, num dubitandum vobis ſit omni ſtudio ad id bellum [m] incumbere, in quo gloria nominis veſtri, ſalus ſociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum civium cum republicâ defenduntur.

[l] *pecuniæ Aſiaticæ.* [m] *applicare totos animos veſtros.*

potuiſſent ſuis creditoribus, etiam viciſſim accidit ut illi Romæ, quibus pecuniam debebant, facere ſatis non potuerint: & ita fides periit, quæ nihil eſt aliud quàm dictorum conventorumque conſtantia, & veritas, quam Cicero lib. 2. de Offic. ait maximè in ſolutione rerum creditarum conſiſtere.

27. *In foro verſatur.*] Qui argentariam exercebant, ſuas circa forum tabernas habebant.

29. *Quare videte.*] Concluſio generalis primæ propoſitionis de genere belli per brevem argumentorum repetitionem.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Bellum Aſiaticum eſſe magnitudine periculoſum.

VIII. Quoniam de genere belli dixi, nunc de magnitudine pauca dicam. Poteſt enim hoc dici, belli genus eſſe ita neceſſarium, ut ſit gerendum; non eſſe ita magnum, ut ſit pertimeſcendum; in quo maximè laborandum eſt, ne fortè à vobis quæ diligentiſſimè providenda ſunt, contemnenda eſſe videantur. Atque, ut omnes intelligant, me L. Lucullo tantum [a] impertiri laudis, quantum forti viro, ſapientiſſimo homini, & magno Imperatori debeatur; dico ejus adventu maximas Mithridatis copias omnibus rebus ornatas, atque inſtructas fuiſſe, urbemque Aſiæ clariſſimam, nobiſque amiciſſimam, Cyzicenorum, obſeſſam eſſe ab ipſo Rege maximâ multitudine, & oppugnatam vehementiſſimè: quam L. Lucullus [b] virtute, [c] aſſiduitate, conſilio, ſummis obſidionis periculis liberavit: ab eodem Imperatore claſſem magnam, & ornatam, quæ ducibus

[a] *tribuere.* [b] *magnitudine animi.* [c] *perſeverantiâ.*

8. *Maximas Mithridatis copias.*] Habuit ille Rex in armis peditum centum viginti millia, equitum decem & ſex millia. Ita Plutarchus.

10. *Cyzicenorum.*] Cyzicum, urbs Aſiæ nobiliſſima, terrâ marique obſeſſa fuit à Mithridate cum variis machinamentis, tum ligneâ turri centum cubitorum altitudinis; ſed omni commeatu à Lucullo intercluſus, recedere ab obſidione coactus eſt.

13. *Claſſem magnam.*] Claſſem habuit quinquaginta navium, ut volunt alii, alii quadraginta, quam ad Lemnum Lucullus ſuperavit; ei præfuiſſe Varum Sertorii Legatum Appianus, Plutarchus Marium ſcribit cum Alexandro Paphlagonio, & Dionyſio Eunucho, quos ei comites Mithridates adjunxerat, neuter tamen illorum auctorum in Italiam miſſam eſſe ait.

Serto-

Sertorianis ad Italiam [d] ſtudio inflammato raperetur, ſuperatam eſſe, atque depreſſam: magnas hoſtium præterea copias multis prœliis eſſe deletas, patefactumque noſtris legionibus eſſe Pontum, qui antè populo Rom. ex omni aditu clauſus eſſet: Sinopen atque Amiſum, quibus in oppidis erant domicilia Regis, omnibus rebus ornata atque referta, cæteraſque urbeis Ponti, & Cappadociæ permultas uno aditu, atque adventu eſſe captas: Regem ſpoliatum regno patrio atque avito, ad alios ſe Reges, atque alias gentes ſupplicem contuliſſe: atque hæc omnia, ſalvis populi Romani ſociis, atque integris vectigalibus, eſſe geſta. Satis opinor hoc eſſe laudis, atque ita reputo, ut hoc vos intelligatis, è nullo iſtorum qui huic obtrectant legi atque cauſæ, L. Lucullum ſimiliter ex hoc loco eſſe laudatum. Requiretur fortaſſe nunc, quemadmodum, cùm hæc ita ſint, reliquum poſſit eſſe magnum bellum; cognoſcite, Quirites: non enim ſine cauſa quæri videtur. Primùm ex ſuo regno ſic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam

[d] *odio maximo.*

16. *Multis prœliis eſſe deletas.*] In pugna ad Rhyndacum fluvium, multis hoſtium trucidatis, ſex equitum, quindecim virorum millia cepit; in altera pugna ad Granicum flumen, captis plurimis, viginti hoſtium millia occidit. In tertiâ pugnâ navali multi Barbari cecidêrunt, & inter captivos Marius, qui miſſus fuerat à Sertorio, captus eſt, & poſtea necatus.

Ib. *Patefactum Pontum.*] Cum ſe in fugam Rex dediſſet, in Pontum ingreſſus eſt Lucullus, ubi, paucis exceptis, omnes urbes ſibi ſubjecit.

17. *Sinopen.*] Sinope urbs eſt ad Pontum Euxinum ſita, quæ Romanis primùm obſtitit, ſed cum ad anguſtias redacta eſſet, cives, navibus majoribus incenſis, in leviores conſcendêrunt, ut fugâ ſaluti conſulerent; ſed captam tandem Lucullus liberam civitatem fecit, quod per ſomnum, dum illam obſideret, viſus eſt ab Antigono vocari, qui comes olim Herculis contra Amazonas hanc ſibi delegerat.

18. *Amiſum.*] Amiſum oppidum in confinio Paphlagoniæ & Cappadociæ, diſtans à Sinope 130 m. paſſus. Prima hac devicta, ad iſtam caſtra poſuit: quâ, ſtatim fugientibus civibus, potitus eſt; hanc tamen ſuis legibus Lucullus vivere permiſit, quia olim Colonia ab Athenienſibus condita fuerat.

19. *Cappadociæ.*] Cappadociam, pulſo Nicomede, Mithridates occupavit.

21. *Regno patrio atque avito.*] Mithridates primus fuit ortus è regio Perſarum ſanguine, qui cum paucis Equitibus fugiens Antigonum Syriæ regem, à quo morti fuerat deſtinatus, venit in Cappadociam, ubi locum ſibi munivit: ad eum multis convenientibus, Cappadociam tandem & finitimas Ponto nationes occupavit, & ampliſſimum liberis ſuis Imperium reliquit, quod ad hunc Mithridatem qui ab primo ſextus fuit, conſervârunt.

Ib. *Ad alios Reges.*] Ad Tigranem generum ſuum: & eo victo, ad Regem Parthorum, ad quem legatos miſit auxilia petiturus, profugit.

22. *Salvis pop. Rom.*] Multis Regibus & populis pecuniam conferentibus Lucullo, nullâ, ex ærario publico ſumptâ ſuâ, ut Plutarchus refert, bellum gerebat.

25. *Qui obtrectant.*] Perſtringit Q. Hortenſium & Q. Catulum, qui hanc legem diſſuadebant, quam Manilius de mittendo Pompeio tulit.

29. *Medea illa.*] Medea Æetam patrem Colchorum Regem ob proditionem, & raptum vellus aureum fugiens, ut ejus iram devitaret, Abſyrti fratris, quem fugæ ſocium habebat, diſcerptum corpus & divulſa membra adventanti patri objecit, ejus perſequendi celeritatem, filii luctu, ac lacerati corporis aſpectu retardans. Vide Ovidii Eleg. 9. Triſt. lib. 3.

profugiſſe dicitur: quam prædicant in fugâ fratris ſui membra in iis locis, [e] qua ſe parens perſequeretur, diſſipaviſſe, ut eorum collectio diſperſa, mœrorque patrius celeritatem perſequendi retardaret; ſic Mithridates fugiens maximam vim auri atque argenti, pulcherrimarumque rerum omnium, quas à Majoribus acceperat, & ipſe bello ſuperiore ex totâ Aſiâ direptas in ſuum regnum congeſſerat, in Ponto omnem reliquit; hæc dum noſtri colligunt omnia diligentius, Rex ipſe è manibus effugit; ita illum in perſequendi ſtudio mœror, hos lætitia retardavit. Hunc in illo timore & fugâ Tigranes rex Armenius excepit; diffidentemque rebus ſuis confirmavit, afflictum erexit, perditumque recreavit; cujus in regnum poſteaquam L. Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes contra imperatorem noſtrum concitatæ ſunt. Erat enim metus injectus iis nationibus, quas nunquam populus Romanus neque laceſſendas bello, neque tentandas putavit. Erat etiam alia gravis, atque vehemens opinio, quæ per animos gentium barbararum pervaſerat, fani locupletiſſimi & religioſiſſimi diripiendi causâ, in eas oras noſtrum exercitum eſſe adductum. Ita nationes multæ, atque magnæ novo quodam terrore, ac metu concitabantur. Noſter autem exercitus, etſi urbem ex Tigranis regno ceperat, & præliis uſus erat ſecundis, tamen nimiâ longinquitate locorum, ac deſiderio ſuorum commovebatur. Hîc jam plura non dicam. Fuit enim illud extremum, ut ex iis locis à militibus noſtris reditus magis maturus, quam proceſſio longior quæreretur. Mithridates autem & ſuam manum jam confirmârat, & eorum, qui ſe ex ejus regno [f] collegerant, &

[e] *per quæ loca.* [f] *congregaverant.*

33. *Sic Mithridates.*] Similitudo, nam ſicut Medea patrem, ſic Mithridates Lucullum retardavit, dum theſauros ejus exercitui diripiendos objecit poſt cladem ad Cyzicum, ubi tanta hominum pecorumque ſtrages facta eſt, ut Granicus & Aſopus amnes cruenti ſanguine fluxerint.

46. *Fani locupletiſſimi.*] Fanum Cumanum ſignificat, quòd à Muræna ſpoliatum eſt, ſuadente quodam Archelao, qui à Mithridate defecerat, de quo Appianus in Mithrid. quid ſit fanum dictum eſt in Div. par. 4. l. 6.

49. *Urbem.*] Tigranocertam intelligit, quam Tigranes condidit, & ſuo nomine appellavit. Ejus muros quinquaginta cubitis altos fecit, in quam totius ſui Regni ditiſſimi quique, ut Regi gratificarentur, ſuos theſauros deportavêrunt. In hac, inquit Plutarchus, præter multas opes, talentorum octo millia Lucullus reperit; ad hanc urbem Mithridatis & Tigranis copias, in quibus erant ducenta quinquaginta peditum, & equitum quinquaginta millia, Lucullus parvo ſuorum numero ſuperavit. Poſt hanc cladem, duo illi Reges alium parârunt exercitum, in quo ſeptuaginta peditum millia, & equitum triginta quinque numerabantur, hunc iterum Lucullus profligavit. Quare Tigranes in Armeniam interiorem, Mithridates in Pontum fugit.

51. *Longinquitate.*] Occultat hic Luculli turpitudinem, qui hoſtem fugientem reliquit, & factum ejus excuſat longinquitate locorum, aut potius ſeditione militum. Nam Valerianæ legiones detrectârunt imperia; quod ſua ſtipendia impleviſſent. Plutarchus ait Luculli ſuperbiâ & avaritiâ offenſos fuiſſe milites, qui ad defectionem à Pub. Clodio ſolicitati ſunt.

magnis adventitiis multorum regum & nationum copiis juvabatur. Hoc jam ferè ſic fieri ſolere accepimus, ut regum afflictæ fortunæ facilè multorum opes alliciant ad miſericordiam, maximeque eorum, qui aut reges ſunt, aut vivunt in regno; quod regale iis nomen magnum & ſanctum eſſe videatur. Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis nunquam eſt auſus optare. Nam cum ſe in regnum recepiſſet ſuum, non fuit eò contentus, quod ei præter ſpem acciderat, ut eam, poſteaquam pulſus erat, terram unquam attingeret: ſed in exercitum veſtrum clarum atque victorem impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites (ſicut poëtæ ſolent, qui res Romanas ſcribunt) præterire me noſtram calamitatem: quæ tanta fuit, ut eam ad aures L. Luculli non ex prælio nuncius, ſed ex ſermone rumor afferret. Hic in ipſo illo malo, graviſſimâque belli offenſione L. Lucullus, qui tamen aliquâ ex parte iis incommodis mederi fortaſſe potuiſſet, veſtro juſſu coactus, quod imperii diuturnitati modum ſtatuendum, veteri exemplo, putaviſtis, partem militum, qui jam ſtipendiis confecti erant, dimiſit, partem Glabrioni

56. *Adventitiis.*] Mithridates novum in Ponto exercitum collegit.

Ib. *Regum & nationum.*] Medorum, Adiabenorum, Gordyenorum, Arabum, Albanorum, Iberorum auxilium ſibi comparavit.

60. *Sanctum.*] Ulpianus ſanctum illud eſſe dicit, quod non ſacrum eſt, nec profanum, ſed ſanctione quâdam confirmatum.

64. *In exercitum veſtrum.*] Mithridates cum rediiſſet in Pontum, Fabium ſuperavit, quem ibi Lucullus reliquerat. Deinde temeritate Triarii legati, ſupra ſeptem Romanorum millia, centuriones centum, & tribuni militum viginti quatuor occiſi ſunt.

65. *Sinite.*] Occupatione utitur, qua ſimulat nolle ſe dicere quæ acciderunt, quo majora videantur, quam ille efficere dicendo poſſit: nam ait calamitatem iſtam tantam eſſe, ut eam ad aures Luculli non ex prælio nuncius, ſed ex ſermone rumor afferret.

66. *Sicut poëtæ.*] Poëtæ res non quales geſtæ ſunt exponunt; ſed fingunt ad ingenii oſtentationem.

68. *Ex prælio nuncius.*] Elatè id dicit: nam ex prælio Triarius evaſit cum aliquot militibus, hanc tamen omnium cladem maximam in hoc bello Romani paſſi ſunt.

71. *Veſtro juſſu.*] Populus jubebat, cenſebat Senatus: nam non penès Senatum, ſed Populum ſumma erat auctoritas, unde hæc formula, *velitis, jubeatis Quirites.* Populus igitur imperium dabat aut adimebat; jubebat & abrogabat leges: bella denunciabat, aut diſſolvebat.

Ib. *Diuturnitati imperii.*] Lucullus Conſul provinciam Aſiam ſortitus, bellum contra Mithridatem gerendum ſuſcepit, quod omnino ſeptem annos continuavit.

72. *Veteri exemplo.*] Poſt ejectos Reges imperium Conſulum annuum erat; quo finito, ſemper novi Conſules creabantur; aliquando tamen ad tres annos, vel plures etiam pro rerum occaſione concedebatur. Unde Livius lib. 4. *Maximam libertatis pop. Rom. cuſtodiam eſſe, ſi magna imperia diuturna non eſſent, & temporis modus imponeretur, quibus juris imponi non poſſet.*

73. *Stipendia.*] Confeciſſe ſtipendia veterani cenſebantur, cum novem annos militaverant. Hoc autem tempus ponere in caſtris, ab anno decimo ſexto ad quadrageſimum quintum, ſi Reſpub. poſtulabat, tenebantur.

Ib. *Dimiſit.*] Lucullus Valerianos dimiſit, qui ſequi eum noluerunt, qui Fimbriani tunc dicebantur, quod duce Fimbria legato in ducem aſſumpto, Valerium Conſulem ob avaritiam inviſum occiderunt.

Ib. *Glabrioni tradidit.*] Glabrio Bithyniæ in provinciam redactæ præerat, & jubente populo, Lucullo ſucceſſit.

tradidit. Multa prætereo consultò: sed ea vos conjectura perspicite, quantum illud bellum futurum putetis, quod conjungant reges potentissimi, renovent agitatæ nationes, suscipiant integræ gentes, novus imperator vester accipiat, vetere [a] expulso exercitu. Satis mihi multa verba feciſſe videor, quare hoc bellum eſſet genere ipso neceſſarium, magnitudine periculosum. Reſtat ut de imperatore ad illud bellum deligendo, ac tantis rebus præficiendo, dicendum eſſe videatur.

[a] *dimiſſo.*

74. *Multa prætereo.*] Concluſio partis eſt, per repetitionem eorum quæ bellum illud grave, & periculosum reddunt. 1. quod Mithridates & Tigranes bellum conjunctim gerunt. 2. quod Ponti & Armeniæ nationes utrique Regi parent. 3. quod integræ gentes nondum à Romanis laceſſitæ bellum ſuſcipiunt, quibus juvari Reges poterunt.

77. *Novus imperator.*] Auget denique periculum à novo Imperatore, qui ad hoc bellum mittendus eſt; qui novum exercitum accepturus eſt; expulſo vetere, qui exercitus & ad parendum longè promptiſſimus eſt, & ad pugnandum fortiſſimus.

79. *Reſtat.*] Tranſitio ad aliam Orationis partem, in quâ de Imperatore dicendum eſt.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Cneius Pompeius eſt bonus Imperator, quia in eo ſunt quatuor virtutes, quæ bonum Imperatorem commendant, ſcientia rei militaris, virtus, auctoritas, felicitas.

PRIMA PARS.

IX. Utinam, Quirites, virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberetis, ut hæc vobis deliberatio difficilis eſſet, quemnam potiſſimùm tantis rebus ac tanto bello præficiendum putetis. Nunc vero cum ſit unus Cn. Pompeius qui non modo eorum hominum, qui nunc ſunt, gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam virtute ſuperârit; quæ res eſt, quæ cujuſquam animum in hac cauſâ dubium [a] facere poſſit? Ego enim ſic exiſtimo, in ſummo imperatore quatuor has res ineſſe oportere, ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis igitur hoc homine ſcientior unquam autem fuit, aut eſſe debuit? qui è [b] ludo atque puericiæ diſciplinâ, bello maximo, atque acerrimis hoſtibus, ad patris exer-

[a] *reddere.* [b] *ſchola.*

10. *E ludo.*] Per ludum ſcholas intelligit, quas communi nomine *ludum* Romani dixere, & *Ludi Magiſtros*, qui eas docebant. Statim à Scholis cauſas egit in foro de cujus eloquentia Cicero loquitur in lib. de Claris Oratoribus.

11. *Ad patris exercitum.*] Magni Pompeii pater Cn. Pompeius Strabo exercitum

exercitum, atque in militiæ diſciplinam profectus eſt: qui [e] extremâ pueritiâ miles fuit ſummi imperatoris, ineunte adoleſcentiâ maximi ipſe exercitûs imperator: qui ſæpiùs cum hoſte conflixit, quàm quiſquam cum inimico concertavit; plura bella geſſit, quàm cæteri legerunt; plureis [d] provincias confecit, quàm alii concupiverunt: cujus adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperiis; non [e] offenſionibus belli, ſed victoriis; non [f] ſtipendiis, ſed triumphis eſt traducta. Quod denique genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortuna reipublicæ? Civile Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, miſtum ex civitatibus atque

[e] *extremâ parte pueritiæ.* [d] *ſubjugavit plures nationes.* [e] *jacturis.* [f] *non annis quos poſuit in bello.*

citum contra Cinnam patriæ rebellantem duxit, quem filius in caſtra ſecutus eſt anno ætatis ſuæ decimo ſeptimo. Hic autem cùm Cinnam ab urbis mœnibus expelleret, cum pluribus aliis fulmine periit.

13. *Extremâ pueriti.â*] In tres partes ait A. Gellius lib. 10. ſic à Servio Tullio Romanorum rege ætatem diviſam eſſe, adeo ut pueri eſſent uſque ad annum decimum ſeptimum, ad quadrageſimum ſextum juvenes, & ætate reliquâ ſenes; hac prima ætate Syllæ imperatoris miles fuit Pompeius.

14. *Maximi exercitus.*] Cùm Cinna Conſul occiſus eſſet, qui bellum in Repub. concitaret, Carbo ejus collega contra Syllam profectus eſt, qui ex Aſia victorem exercitum reduxerat. Pompeius vix annos natus viginti tres privatus adhuc tres legiones in agro Piceno conſcripſit, tota ſibi addita nobilitate; itaque florentiſſimum exercitum ad Syllam adduxit, in itinere multas Italiæ civitates confirmavit, multos ad ſuas, qui inimicorum Scipionis & Carbonis partes ſecuti fuerant, adduxit, & utrumque prælio laceſſivit. Cùm ad Syllam Pompeius perveniſſet, equo deſiliens eum imperatorem ſalutavit, & à Sylla viciſſim Pompeius imperator ſalutatus eſt, antequam admiſſus eſſet in Senatum: eum Sylla mox in Celtiberiam miſit cum exercitu.

14. *Qui ſæpiùs, &c.*] Hoſtes proprie tantum dicebantur, quibus per Feciales à populo Romano bellum indicebatur: inimici vero, quibuſcum privatæ ſimultates habebantur; utitur autem his verbis eleganti hyperbolè ad extollendas Pompeii laudes.

16. *Plureis provincias confecit.*] Nationes plures, & populos ſubjecit, qui in Provincias pop. Rom. redacti ſunt.

17. *Quàm alii.*] Sive Imperatores, ſive alii Magiſtratus ſubjici Reip. concupiverunt.

18. *Suis imperiis.*] Pompeio nemo ferè ſæpius imperator fuit, ideoque non tam præceptis, & lectione bellorum ſcientiam militarem, quàm uſu proprio, & experientia aſſecutus eſt.

19. *Triumphis.*] Ter Pompeius triumphavit, nempe ut ait Velleius Paterculus, de Africa, Europa, & Aſia, propter victorias, quas in illis tribus orbis partibus retulit, de quibus infra.

21. *Civile.*] De civili bello loquitur quod in Republica cum Cinna & Carbone geſtum; de quo infra.

Ib. *Africanum.*] Africanum bellum cum Cn. Domitio, quem proſcripti plerique ex Italia ſecuti fuerant, & Hierica Numidiæ rege, qui & à Plutarcho Hiarba nominatur, geſtum eſt: quos omnes adverſus Syllam molientes uno prælio interemit. Hoc autem bellum intra dies quadraginta confecit, ac poſtea Romam rediit, ubi Magnus à Sylla ſalutatus eſt, ipſique contigit, quod nulli antea, ut annos viginti quatuor natus, & tantum eques Rom. victor triumpharet.

22. *Tranſalpinum.*] Quod geſſit contra Gallos qui tranſeunti in Hiſpaniam exercitui Rom. iter prohibebant.

Ib. *Hiſpanienſe.*] In quo Sertorium jam ab annis octo contra Rempub. bellum agentem ſuperavit.

Ib. *Miſtum.*] Dum bellum in Aſiâ gereretur, exortum eſt civile ex gladiatoribus conflatum, qui Capuæ è Ludo Lentuli

que ex bellicoſiſſimis nationibus ſervile, navale bellum. Varia & diverſa genera & bellorum, & hoſtium non ſolum geſta ab hoc uno, ſed etiam confecta, nullam rem eſſe declarant in uſu militari poſitam, quæ hujus viri ſcientiam [z] fugere poſſit.

[z] *quæ poſſit ignorari ab hoc viro.*

Lentuli 74. eruperant, ex ſervis & ergaſtulis tanto numero, ut ſexaginta millia numerarentur. Ducem illi Spartacum habuerunt cum Chryſo & Granico. Sedem belli fecerunt Veſuvium montem, Claudium Pulchrum Legatum, & P. Vatinium Prætorem prælio vicerunt, ſed demum à M. Craſſo ſuperati ſunt, cæſis hoſtium duodecim millibus & trecentis; tribus vero millibus, ut Florus ait, à Pompeio qui è pugna evaſerant. Idem bellum miſtum appellatur, quod è Gallis & Germanis bellicoſiſſimis nationibus plurimi ad hunc fugitivorum exercitum confluxerant, quos ducem habuiſſe Granicum T. Livius lib. 97. commemorat.

23. *Navale.*] Navale bellum cum Piratis geſtum eſt, & poſt quatuor menſes à Pompeio confectum.

Ib. *Varia genera.*] Alia terreſtria, alia maritima confecit.

24. *Et hoſtium.*] Geſſit bellum cum Regibus, cum exulibus, cum proſcriptis, cum piratis & ſervis.

SECUNDA PARS.

In quâ probatur Pomp. virtus militaris.

X. Jam vero virtuti Cn. Pompeii quæ poteſt par oratio inveniri? quid eſt, quod quiſquam aut illo dignum, aut vobis novum, aut cuiquam inauditum poſſit afferre? Non enim illæ ſunt ſolæ virtutes imperatoriæ, quæ vulgo exiſtimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, [a] induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo: quæ tanta ſunt in hoc uno, quanta in omnibus reliquis imperatoribus, quos aut vidimus, aut audivimus, non fuerunt. Teſtis eſt Italia, quam ille ipſe victor L. Sulla hujus virtute & conſilio confeſſus eſt liberatam: teſtis eſt Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, ſed celeritate conſilii [b] explicavit: teſtis eſt Africa, quæ magnis oppreſſa hoſtium copiis, eorum ipſorum ſanguine redundavit: teſtis eſt Gallia, per quam

[a] *perſeverantia, vel aſſiduitas.* [b] *liberavit.*

8. *Teſtis eſt Italia.*] Cùm Carbo & Perpenna multas clades accepiſſent à Sylla, & pulſi ex Italia in Siciliam confugiſſent, Senatuſconſulto Pompeius cum exercitu in eam miſſus eſt. Fugit ſtatim Perpenna, Carbo venit in Pompeii poteſtatem, à quo mori juſſus eſt. Inde omnes ab ipſis occupatas civitates amice recepit præter Meſſanam: de his vide T. Livium lib. 89. Plutarchum in Pomp. Flor. Appian.

11. *Teſtis eſt Africa.*] De qua jam ſuperius paragr. ix. l. 21. ibi autem viginti hominum millia delevit, quorum tria tantum millia Pompeium effugerunt, omnes reliqui cum Domitio interfecti ſunt, de quo Plutarchus in Pomp.

12. *Teſtis eſt Gallia.*] De itinere ſuo in Galliam ſic loquitur Pompeius, *&c.* in epiſtola ſua ad Senatum apud Salluſtium: *Equidem fateor, me ad hoc bellum majore ſtudio quàm conſilio præfectum, quippe qui nondum modo imperii à vobis accepto, diebus XL. exercitum para-*

quam legionibus noſtris in Hiſpaniam iter, Gallorum internecione, patefactum eſt: teſtis eſt Hiſpania, quæ ſæpiſſimè plurimos hoſteis ab hoc ſuperatos proſtratoſque conſpexit: teſtis eſt iterum & ſæpius Italia, quæ, cum ſervili bello tetro periculoſoque premeretur, ab hoc auxilium abſente expetivit: quod bellum expectatione Pompeii attenuatum atque imminutum eſt, adventu ſublatum ac ſepultum; teſtes vero jam omnes oræ, atque omnes exteræ gentes ac nationes: denique maria omnia, tum univerſa, tum in ſingulis oris omnes ſinus, atque portus. Quis enim toto mari locus per hos annos, aut tam firmum habuit præſidium, ut tutus eſſet? aut tam fuit abditus, ut lateret? quis navigavit, qui non ſe, aut mortis, aut ſervitutis periculo [c] committeret? cùm aut hieme, aut referto prædonum mari navigaretur. Hoc tantum bellum, tam turpe, tam vetus, tam latè diviſum, atque diſperſum, quis unquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici poſſe? Quam provinciam tenuiſtis à prædonibus liberam per hoſce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem ſocium defendiſtis? cui præſidio claſſibus veſtris fuiſtis? quàm multas exiſtimatis inſulas eſſe deſertas? quàm multas aut metu relictas, aut à prædonibus captas urbeis eſſe ſociorum? Sed quid ego longinqua commemoro? fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani, longè à domo bellare, & [d] propugnaculis imperii ſociorum fortunas, non ſua tecta defendere. Sociis veſtris ego mare clauſum

[c] *exponeret.* [d] *viribus.*

pavevi; boſteſque in cervicibus jam Italiæ agentes, ab Alpibus in Hiſpaniam ſubmovi, per eas iter aliud atque Annibal nobis opportunius patefeci; recepi Galliam, Pyrenæum (Facetaniam) indigetes; & primum impetum Sertorii Victoris, novis quidem militibus, & multò paucioribus ſuſtinui; hiememque in caſtris inter ſæviſſimos boſtes, non per oppida, neque ex ambitione meâ egi. Appianus iter ab eo patefactum in Alpibus inter Padi & Rhodani fontes fuiſſe ait. Unde Lucanus lib. 8.

Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella,
Armaque Sertorii revocato conſule victa.

14. *Teſtis eſt Hiſpania.*] Plinius lib. 3. de Pompeio victore in Hiſpania ſic loquitur: *Statim ad Solis occaſum compreſſus, excitatis in Pyrenæo trophæis, oppida Dccclxxvi. ab Alpibus ad fines Hiſpaniæ ulterioris in ditionem redacta victoriæ ſuæ adſcribit.*

19. *Teſtes omnes oræ.*] Mithridates naves quaſdam inſtituerat cum paucis hominibus in eis, ut Romanis navigantibus in Aſiam iter claudaret; his ita ſe prædones & piratæ cum exulibus, & ſervis fugitivis adjunxerunt, ut mare non ſolum & inſulas & urbes omnes maritimas, ſed etiam Italiam infeſtarent. Tanta autem facta eſt eorum multitudo, ut naves mille haberent. Cilices porro dicti ſunt, ſive Cilices illi fuerunt plerique, ſive quod ſe in Ciliciam reciperent. Contra eos miſſus Pompeius imperator lege Gabiniâ ſtatim bellum illud confecit; de hoc bello ſcripſêre Appianus, Florus, &c.

25. *Hoc tantum bellum, &c.*] Bello hoc infeſtabatur totum mare Mediterraneum, quod *turpe* appellat, quia in dedecus populi Rom. ſuſceptum eſt: *vetus*, quia annis viginti tribus duravit, ab Octavii ſcilicet & Cinnæ Conſulatu, ad Lepidi & Tullii Conſulatum.

28. *Omnibus annis.*] Florus tradit intra diem quadrageſimum confectum fuiſſe à Pompeio.

33. *Captas urbeis.*] Plutarchus numerat quadringentas.

per

per hoſce annos dicam fuiſſe, cum exercitus noſtri Brunduſio nunquam, niſi ſummâ hieme, [e] tranſmiſerint? Quid, ad nos cùm ab exteris nationibus venirent, captos querar, cum legati populi Romani redempti ſint? mercatoribus tutum mare non fuiſſe dicam, cum duodecim [f] ſecures in prædonum poteſtatem pervenerint? Quid aut Colophonem aut Samum nobiliſſimas urbeis, innumerabileſque alias captas eſſe commemorem, cum veſtros portus, atque eos portus, [g] quibus vitam & ſpiritum ducitis, in prædonum fuiſſe poteſtate ſciatis? An vero ignoratis, portum Caietæ celeberrimum, atque pleniſſimum navium, inſpectante Prætore, à prædonibus eſſe direptum? Ex Miſeno autem, ejus ipſius liberos, qui cum prædonibus antea ibi bellum geſſerat, à prædonibus eſſe ſublatos? Nam quid ego Oſtienſe [h] incommodum, atque illam labem, atque ignominiam reipublicæ querar, cum propè inſpectantibus vobis, claſſis ea, cui Conſul populi Romani præpoſitus eſſet, à prædonibus capta, atque oppreſſa eſt? Proh dii immortales! tantam-ne unius hominis incredibilis, ac divina virtus tam brevi tempore lucem afferre reipublicæ potuit, ut vos, qui modò ante [i] oſtium Tiberinum claſſem hoſtium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani oſtium prædonum navem eſſe audiatis? Atque hæc quâ celeritate geſta ſint quanquam videtis, tamen à me in

[e] *tranſierint mare.* [f] *duo Prætores cum inſignibus ſuis.* [g] *eas res quibus vita & ſpiritus continetur.* [h] *direptionem.* [i] *ante portum Oſtiæ, qui eſt in oſtio Tibris.*

37. *Brunduſio.*] Brunduſium civitas Italiæ in Calabriæ portu nobilis, unde in Græciam trajicitur, & unde ſolvit Pompeius contra piratas ductarus exercitum, hanc oram circa Brunduſium invaſerant piratæ.

41. *Duodecim ſecures.*] Inſignia dignitatis pro ipſis Prætoribus ponit; illi fuerunt Sextilius & Bilinus, qui cum ſuis inſignibus & lictoribus abducti ſunt à Piratis, ut ait Plutarchus; quilibet autem Prætor ſex Lictores habebat extra urbem qui præirent, in urbe vero tantum faſces præferebantur.

42. *Colophonem.*] Colophon urbs Ioniæ celeberrima ſuis equitibus.

Ib. *Aut Samum.*] Urbs ejuſdem provinciæ.

44. *Spiritum.*] Nulla jam frumenti ex Aſia, Africa, Sicilia, & Sardinia Romam afferebantur: ſicut & alia id genus quæ ad vitam pertinent conſervandam.

45. *Caietæ.*] Caieta portus eſt in Campania à nutrice Æneæ ſic dictus, quia ibi ſepulta eſt, de qua Virg. 7. Æneid.

Tu quoque littoribus noſtris, Æneia nutrix,
Æternam moriens famam Caieta dediſti.

46. *Inſpectante Prætore.*] Quis fuerit ille Prætor non conſtat ex auctoribus, niſi fortaſſe ſit M. Antonius, qui ante Pompeium ad hoc bellum miſſus, peſſimè rem geſſit, & ibidem periit. Certe Florus in Epiſt. ſcribit filiam ejus à prædonibus raptam fuiſſe.

47. *Miſene.*] Miſenum Italiæ promontorium eſt ab Æneæ Comite ſic appellatum Virg. 6. Æneid.

49. *Oſtienſe incommodum.*] Oſtia urbs fuit condita ab Anco Martio rege in Oſtiis Tiberinis. Tanta fuit piratarum audacia, ut ad eam urbem appulerint, ibique Romanorum naves incenderent, omniaque diripuerint, imo quaſi de reditu non cogitarent, ibi morabantur, & omnes quos non occiderant, prædamque univerſam tanquam in ſua civitate depoſuerunt; de his vide Dionem lib. 26.

51. *Conſul pop. Rom.*] Nihil de ille Conſule reperitur, ne nomen quidem.

55. *Ante oſtium.*] Oceani oſtium appellat,

in dicendo prætereunda non ſunt. Quis enim unquam, aut obeundi negotii, aut conſequendi quæſtûs ſtudio, tam brevi tempore tot loca adire, tantos [k] curſus conficere potuit, quàm celeriter, Cn. Pompeio duce, belli [l] impetus navigavit? qui, nondum tempeſtivo ad navigandum mari, Siciliam adîit, Africam exploravit, inde Sardiniam cum claſſe venit: atque hæc tria frumentaria ſubſidia reipublicæ firmiſſimis præſidiis claſſibuſque munivit. Inde ſe cùm in Italiam recepiſſet, duabus Hiſpaniis, & Gallia Ciſalpina præſidiis ac navibus confirmatâ, miſſis item in oram Illyrici maris & in Achaiam, omnemque Græciam navibus, Italiæ duo maria maximis claſſibus, firmiſſimiſque præſidiis adornavit: ipſe autem, ut à Brunduſio profectus eſt, unde quinquageſimo die totam ad imperium populi Romani Ciliciam adjunxit: omnes qui ubique prædones fuerunt, partim capti interfectique ſunt, partim unius hujus imperio ac poteſtati ſe dediderunt. Idem Cretenſibus, cùm ad eum uſque in Pamphyliam legatos [m] deprecatoreſque miſiſſent, ſpem deditionis non ademit, obſideſque [n] imperavit. Ita tantum bellum, tantum diuturnum, tam longè latèque diſperſum, quo bello omnes gentes ac nationes premebantur, Cn.

[k] *navigationes.* [l] *claſſis Pompeii.* [m] *interceſſores.* [n] *imperavit ut darent obſides.*

pellat, quâ Oceanus in mare, quod alii Interius, alii Mediterraneum vocant, inſtruit.

61. *Belli impetus.*] Pompeii claſſis, in qua totius belli impetus conſiſtebat.

62. *Siciliam adiit, &c.*] Siciliæ maximè prædones infeſti erant, & frumenta Romam ex eâ afferre prohibebant; unde porro illa provincia vulgo Reipub. horreum appellabatur teſte Livio.

65. *Inde cùm in Italiam ſe recepiſſet.*] Gabiniâ lege imperium exercitûs in piratas Pompeio datum eſt; quare nihil habuit prius quàm ut ſtatim eas ſuis legatis ſingulis maris partes aſſignaret, quas quique eorum defenderent.

Ib. *Duabus Hiſpaniis.*] Hiſpaniarum altera cis eſt, altera ultra Iberum flumen; mari autem Hiſpanico Tiberium Neronem, & Manilium Torquatum præfecit.

Ib. *Gallia Ciſalpina.*] Gallia Ciſalpina eſt pars Italiæ ab Alpibus ad Rubiconem fluvium, quæ ab iis Gallis dicta eſt, qui Alpes tranſgreſſi, dimidiam prope Italiam occupaverunt. Hæc à Romanis Ciſalpina, altera, unde venerant, Tranſalpina dicta eſt. Mari Gallico M. Pomponium præfecit.

67. *Illyrici maris.*] Illyricum mare ab Illyrico denominatum eſt: pars eſt autem Europæ Pannoniam inter & mare Adriaticum. Huic præfecit, ſicut & Tyrrheno, L. Gellium & Cn. Lentulum.

Ib. *Omnemque Græciam.*] Græciæ diverſis oris præfecit Cinnam, L. Gellium & Piſonem.

68. *Italiæ duo maria.*] Adriaticum & Tyrrhenum.

69. *Ipſe autem, à Brunduſio.*] Cum ſexaginta navibus profectus, piratas inſecutus eſt, quos in Ciliciam redire compulit, ſuis autem omnibus legatis juſſerat ſua in ſtatione remanere, nec hoſtes inſequi, ſed mutuis auxiliis ſe juvare, ut eos intercluderent.

73. *Idem Cretenſibus.*] Creta aliud fuit cum Cilicia piratarum receptaculum, quos ibi Metellus oppugnabat, quorum multos interemit.

Ib. *In Pamphyliam.*] Pamphylia regio minoris Aſiæ fuit, Ciliciam inter & Lyciam.

Ib. *Legatos deprecatoreſque.*] Territi Creteaſes ne reliquos interficeret Metellus, miſerant legatos ad Pompeium, ut ei ſe potius quàm Metello dederent, rati videlicet quod ab illo mitius ſecum ageretur; quare Pompeius, ut hanc laudem Metello præriperet, Octavium

Cn. Pompeius extremâ hieme [o] apparavit, ineunte vere ſuſcepit, mediâ æſtate confecit. Eſt hæc divina atque incredibilis virtus Imperatoris. Quid cæteræ, quas paulo ante commemorare cœperam, quantæ, atque quàm multæ ſunt? non enim ſolùm bellandi virtus in ſummo atque perfecto Imperatore quærenda eſt: ſed multæ ſunt [p] artes eximiæ, hujus adminiſtræ, comiteſque virtutis. Ac primum quantâ innocentiâ debent eſſe Imperatores? quantâ deinde omnibus in rebus temperantiâ? quantâ fide? quantâ facilitate? quanto ingenio? quantâ humanitate? Quæ breviter, qualia ſint in Cn. Pompeio conſideremus; ſumma enim omnia ſunt, Quirites! ſed ea magis ex aliorum [q] contentione, quàm ipſa per ſeſe cognoſci, atque intelligi poſſunt. Quem enim poſſumus Imperatorem aliquo [r] in numero putare, cujus in exercitu [s] veneant centuriatus, atque venierint? quid hunc hominem magnum aut amplum de republicâ cogitare, qui pecuniam ex ærario depromptam ad bellum [t] adminiſtrandum, aut propter cupiditatem provinciæ Magiſtratibus diviſerit, aut propter avaritiam Romæ in quæſtu reliquerit? Veſtra admurmuratio facit, Quirites, ut agnoſcere videamini, qui hæc fecerint. Ego

[o] *præparavit.* [p] *virtutes quæ ſunt famulæ & comites hujus virtutis militaris.* [q] *comparatione.* [r] *numerare in aliquo ordine Imperatorum.* [s] *vendantur.* [t] *gerendum.*

vium legatum ſuum Metello miſit, ut ab obſidione ceſſaret: ipſeque legatus præſidium contra Metellum Cretenſibus tulit, quos tamen ad deditionem compulit Metellus, ſumpto de iis ſupplicio; quod etſi turpe fuit Pompeio, tamen ejus laudi Cicero vertit.

77. *Ineunte vere.*] Docent hoc bellum intra quatuor menſes apparatum fuiſſe, ſuſceptum, & confectum. Livius lib. 99. prædones intra quadrageſimum diem toto mari pulſos fuiſſe: Plutarchus intra tres menſes, Appianus intra ſeptuaginta dies omnes Piratarum naves, id eſt, trecentas & amplius in Pompeii poteſtatem veniſſe: centum autem & viginti diebus cunctas illorum urbes, arces, perfugia & caſtella, pop. Rom. cæſis ipſorum decem millibus ſubjecta fuiſſe.

79. *Quid cæteræ.*] Illuſtris amplificatio per quam extollit egregiam & divinam Pompeii virtutem militarem, enumeratis aliis, quibus hæc prima maximè illuſtratur.

82. *Artes eximiæ.*] Bellicas virtutes intelligit, quas lib. 2. de Finibus, *maximas artes appellat.*

84. *Facilitate.*] Non *felicitate*, ut in pluribus codicibus legitur, nam poſtea aget de ejus felicitate; adde quod hæc facilitas maxime ad imperatoris humanitatem pertineat.

90. *Centuriatus.*] Centuriatûs munus eſt Centurionis, qui centum præeſt militibus; carpit autem hic Imperatorum avaritiam, qui officia militaria vendebant, quæ virtuti militum concedi debent.

92. *Ex ærario depromptam.*] Imperatoribus, qui mittebantur, concedebatur ex ærario publico pecunia, quæ vulgo attributa dicebatur, ut Varro probat.

93. *Propter cupiditatem provinciæ.*] Seligebantur provinciæ à Senatu, quæ Conſulibus, quæ Prætoribus darentur, quas poſtea vel ſortitione obtinebant, vel à Senatu, vel aliquando à Tribunis plebis, quas illi per vim pecuniâ corrupti concedebant, ut avaritiæ vel Conſulum, vel Prætorum ſatisfacerent.

94. *Admurmuratio.*] Præmunitio, quâ removet à ſe calumniæ ſuſpicionem, quam ingeniosè detorquet, aut in ipſos auditores, qui Lucullum notare, aut in eos ipſos, qui iraſci poterant. Conſuetudo autem populi erat, ut, cum, quod ſibi placeret, in concione audiviſſet ſummiſſâ voce, alius alii bene dictum inſuſurraret: quod admurmuratio dicebatur.

autem

autem neminem nomino; quare irasci mihi nemo poterit, nisi qui ante de se voluerit confiteri. Itaque propter hanc avaritiam Imperatorum quantas calamitates, quocumque ventum sit, nostri exercitus [u] ferant, quis ignorat? Itinera, quæ per hosce annos in Italiâ, per agros atque oppida civium Romanorum nostri Imperatores fecerunt, recordamini: tum facilius statuetis, quid apud exteras nationes fieri existimetis; utrùm plures arbitramini per hosce annos militum vestrorum armis hostium urbeis, an hibernis sociorum civitates esse deletas? neque enim potest exercitum is continere Imperator, qui se ipsum non continet: neque severus esse in judicando, qui alios in se severos esse judices non vult. Hîc miramur, hunc hominem tantum excellere cæteris, cujus legiones sic in Asiam pervenerunt, ut non modò manus tanti exercitûs, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur? Jam verò quemadmodum milites hibernent, quotidiè sermones ac literæ perferuntur; non modò ut sumptum faciat in militem, nemini vis affertur; sed ne cupienti quidem cuiquam permittitur; hiemis enim non avaritiæ perfugium Majores nostri in sociorum atque amicorum tectis esse voluerunt. Age verò, cæteris in rebus qualis sit temperantia, considerate; unde illam tantam celeritatem, & tam incredibilem cursum initum putatis? non enim illum eximia vis remigum, aut ars inaudita quædam gubernandi, aut venti aliqui novi tam celeriter in ultimas terras pertulerunt; sed hæ res, quæ cæteros remorari solent, non retardârunt: non avaritia ab instituto cursu ad prædam aliquam revocavit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non nobilitas urbis ad cognitionem, non denique labor ipse ad

[u] *afferant.*

99. *Per hosce annos.*] Tempus significat, quo ducti sunt exercitus contra Mithridatem, Piratas, Sertorium, & Spartacum.

103. *Hibernis.*] Hiberna dicuntur loca, ubi per hiemem exercitus manent.

108. *Manus tanti exercitûs.*] Ita pervenerunt in Asiam legiones Pompeii, ut non modò nihil rapuerint per viam; sed ne pedem quidem tulerint apud eum qui hostis non esset.

111. *Ut sumptum faciat.*] Nemini vis infertur ut sumptus fiant erga milites, subministrando v. g. vestes, pecuniam, &c. Sed ne permittitur quidem, ut eos sumptus vel ipsi Asiani sponte faciant.

113. *Majores nostri.*] Censuerunt socios in hibernis non esse gravandos sumptibus. Itaque cum innocentia virtus sit, quæ nulli nocet, colligere facile licet, quanta Pompeii fit, non modo quia nemini nocuit sua avaritia, sed ne nocere quidem vel leviter suis permisit.

114. *Age verò.*] Nunc de temperantia Pompeii; est autem temperantia virtus, quæ ex recta ratione libidini, voluptati, & aliis pravis affectionibus dominatur.

119. *Remorari solent.*] Avaritia Lucullum à persequendo Mithridate retardavit.

121. *Non libido.*] Ea continentia fuisse Pompeium narrat Plutarchus, ut captis Mithridatis pellicibus, omnes salvas ad parentes remiserit.

122. *Nobilitas urbis.*] Cùm solvisset Brundusio, multas urbes pulcherrimas prætermisit, tantùm Athenas lustravit, ubi sacra fecit, habita oratione ad populum.

quie-

quietem: poſtremò ſigna & tabulas, cæteraque ornamenta Græcorum oppidorum, quæ cæteri [x] tollenda eſſe arbitrantur, ea ſibi ille ne viſenda quidem exiſtimavit. Itaque omnes quidem nunc in his locis Cn. Pompeium, ſicut aliquem non ex hac urbe miſſum, ſed de cœlo delapſum intuentur: nunc denique incipiunt credere, fuiſſe homines Romanos hac quondam abſtinentiâ; quod jam nationibus exteris incredibile, ac falsò memoriæ proditum videbatur: nunc imperii noſtri ſplendor illis gentibus lucet: nunc intelligunt, non ſine cauſa Majores ſuos tum, cùm hac temperantia Magiſtratus habebamus, ſervire populo Romano, quàm imperare aliis maluiſſe. Jam verò ita faciles aditus ad eum privatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum injuriis eſſe dicuntur; ut is qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis eſſe videatur. Jam quantum conſilio, quantum dicendi gravitate, & copiâ valeat, in quo ipſo ineſt quædam dignitas imperatoris, vos, Quirites, hoc ipſo in loco ſæpe cognôſtis. Fidem verò ejus inter ſocios quantum exiſtimari putatis, quam hoſtes omnium gentium ſanctiſſimam eſſe judicârint? Humanitate jam tanta eſt, ut difficile dictu ſit, utrum hoſtes magis virtutem ejus pugnantes timuerint, an manſuetudinem victi dilexerint. Et quiſquam dubitavit, quin huic tantum bellum hoc [y] tranſmittendum ſit, qui ad omnia veſtræ memoriæ bella conficienda, divino quodam conſilio natus eſſe videatur?

[x] *auferenda.* [y] *decernendum.*

123. *Signa & tabulas.*] Si quæ ſtatuæ & picturæ eſſent in urbibus devictis, ab Imperatoribus aſſumebantur, quas Romam mittebant; eorum autem uſus immodicus fuit apud Romanos veteres, ex quo Aſia devicta fuit. Certe M. Scaurus Ædilis tria ſignorum millia in ſcenam produxit.

128. *Fuiſſe Romanos.*] Tantâ abſtinentiâ quondam apud veteres Romanos fuêre Curius Dentatus, Fabricius, ut oblata ſibi munera repudiarent. Vide Valerium Max. lib. 4. cap. 3.

135. *Facilitate.*] Facilitas virtus eſt, quâ quis aliis intempeſtive accedentibus, aut imprudenter interrogantibus obſequentem & blandum ſe exhibet.

142. *Et quiſquam.*] Concluſio quâ concludit locum de virtute Pompeii.

TERTIA PARS.

In quâ probatur Pompeii auctoritas in bellis adminiſtrandis.

XI. Et, quoniam auctoritas multùm in bellis quoque adminiſtrandis, atque imperio militari valet, certe nemini dubium eſt, quin eâ in re idem ille Imperator plurimum poſſit; vehementer autem pertinere ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocii de Imperatoribus veſtris exiſtiment, quis ignorat? cùm ſciamus homines in tantis rebus, [a] ut aut contemnant, aut metuant, aut oderint, aut a-

[a] *moveri opinione famæ, & certâ aliquâ ratione, ut aliquem contemnant aut metuant.*

ment,

ment, opinione non minus famæ, quàm aliquâ certâ ratione commoveri. Quod igitur nomen unquam in orbe terrarum clarius fuit? cujus res geſtæ pares? de quo homine vos, id quod maximè facit auctoritatem, tanta & tam præclara judicia feciſtis? An vero ullam uſquam eſſe oram tam deſertam putatis, quò non illius diei fama pervaſerit, cùm univerſus populus Romanus, referto foro, repletiſque omnibus templis, ex quibus hic locus conſpici poteſt, unum ſibi ad commune omnium gentium bellum Cn. Pompeium Imperatorem depoposcit? Itaque, ut plura non dicam, neque aliorum exemplis confirmem, quantum hujus auctoritas valeat in bello, ab eodem Cn. Pompeio omnium rerum egregiarum exempla ſumantur: qui, quo die à vobis maritimo bello præpoſitus eſt Imperator, tanta repente vilitas annonæ ex ſummâ inopiâ & caritate [b] rei frumentariæ conſecuta eſt, unius hominis ſpe & nomine, quantam vix ex ſummâ ubertate agrorum diuturna pax efficere potuiſſet. Jam vero acceptâ in Ponto calamitate ex eo prælio, de quo vos paulò antè invitus admonui, cùm ſocii pertimuiſſent; hoſtium opes animique creviſſent; cùm ſatis firmum præſidium provincia non haberet; amiſiſſetis Aſiam, Quirites, niſi ipſum [c] id temporis divinitùs Cn. Pompeium ad eas regiones fortuna populi Romani attuliſſet. Hujus adventus & Mithridatem inſolitâ inflammatum victoriâ continuit, & Tigranem magnis copiis minitantem Aſiæ retardavit. Et quiſquam dubitabit quid virtute perfecturus ſit, qui tantum auctoritate perfecerit? aut quàm facilè imperio atque exercitu ſocios & vectigalia conſervaturus ſit, qui ipſo nomine ac rumore defenderit? Age verò, illa res quantam declarat ejuſdem hominis apud hoſteis populi Romani auctoritatem, quod ex locis tam longinquis, tamque diverſis, tam brevi tempore omnes huic uni ſe dediderunt? quod Cretenſium legati, cùm in eorum inſula noſter Imperator exercituſque eſſet, ad

[b] *frumenti.* [c] *eo ipſo tempore.*

10. *Præclara judicia.*] Præclara judicia de Pompeio fecit populus Romanus, cum adhuc Equiti triumphus decretus eſt, & Quæſtor tantum, cum imperio Proconſulis contra Sertorium miſſus eſt, & ante omnes geſtos Magiſtratus, Conſul declaratus eſt.

12. *Referto foro.*] Locum Comitiorum pro foro ponit, quia ita foro propinquus erat, ut ſæpe pro eo nominetur.

13. *Repletiſque.*] Circa forum templa fuiſſe quamplurima Aſconius ſcribit.

14. *Commune gentium.*] Bellum illud contra piratas commune idcirco fuit gentium omnium, quia illi omnibus nationibus erant infeſti.

22. *Acceptâ calamitate.*] Cùm Triarius à Mithridate victus eſt, de quo ſupra.

26. *Ad eas regiones.*] Pamphyliam & Ciliciam Aſiæ minoris, aptiſſimas provincias ad bellum Piraticum gerendum, Pompeius adventu ſuo confirmavit.

29. *Inſolitâ.*] Vinci, non vincere ſolitus fuit Mithridates.

Ib. Tigranem.] Tigranes ſecutus eſt redeuntem in Pontum Mithridatem, adverſus quem, cum Lucullus duceret exercitum, à Senatu revocatus eſt in Italiam.

32. *Age verò.*] Comprobationem amplificat ab exemplis, ut certius Pompeii oſtendat auctoritatem.

36. *Noſter Imperator.*] Metellus intelligitur, qui contra Cretenſes bellum gerebat.

Cn. Pompeium in ultimas prope terras venerunt, eique ſe omnes Cretenſium civitates dedere velle dixerunt? Quid? idem ipſe Mithridates, nonne ad eundem Cn. Pompeium legatum uſque in Hiſpaniam miſit? eumque Pompeius legatum ſemper judicavit: ii quibus ſemper erat moleſtum, ad eum potiſſimùm eſſe miſſum, [d] ſpeculatorem quàm legatum judicare maluerunt. Poteſtis igitur jam conſtituere, Quirites, hanc auctoritatem multis poſtea rebus geſtis, magniſque veſtris judiciis amplificatam, quantum apud illos Reges, quantum apud exteras nationes valituram eſſe exiſtimetis.

[d] *exploratorem.*

37. *Eique omnes.*] Non ſolùm illi Piratæ qui obſidebantur à Metello; ſed omnes reliquæ totius inſulæ civitates dedere ſe venienti Pompeio voluerunt. Legimus enimvero apud Livium, lib. 100. quòd Cretenſes legatos miſerint ad Pompeium, ut eorum civitates deditione reciperet.

41. *Ii quibus erat moleſtum.*] Probabile eſt Metellum & Perpennam deſignari, quibus moleſtum erat, cum haberent exercitum in Hiſpaniâ, non ad ſe, ſed ad Pompeium legatos mitti.

42. *Speculatorem.*] Credibile admodum eſt, potius ſpeculatorem quàm legatum ad Metellum & Perpennam miſſe, quia fœdus cum Sertorio Mithridates inierat.

Ib. *Poteſtis conſtituere.*] Complexio, quâ concludit ad illud bellum mittendum eſſe Pompeium, cùm tanta ſit illius auctoritas.

QUARTA PARS.

In quâ probatur Felicitas Pompeii.

XII. Reliquum eſt, ut de felicitate, quam [a] præſtare de ſeipſo nemo poteſt, meminiſſe, & commemorare de altero poſſumus; ſicut æquum eſt homini de poteſtate deorum, timide & pauca dicamus. Ego enim ſic exiſtimo: Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis Imperatoribus, non ſolum propter virtutem, ſed etiam propter fortunam, ſæpius imperia mandata, atque exercitus eſſe commiſſos. Fuit enim profectò quibuſdam ſummis viris quædam ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas benè gerendas divinitùs adjuncta fortuna. De hujus autem hominis felicitate quo

[a] *prædicare certam fore.*

1. *Quam præſtare.*] Nihil humanâ felicitate inconſtantius eſt. Unde Seneca in Agamem. *Nulla longi temporis felicitas.*

4. *Maximo.*] Fabius Maximus cunctando Annibalem ſuperavit. Is Dictator, & quinquies Conſul fuit.

Ib. *Marcello.*] Marcellus quinquies Conſul fuit, Gallos vicit, Inſubres Reipub. ſubjecit, Annibalis exercitum ad Nolam fudit, Syracuſas expugnavit.

Ib. *Scipioni.*] Africanus annos natus viginti quatuor, in Hiſpaniam cum imperio Conſulari miſſus eſt. Africam vicit, & relatâ inſigni victoriâ, redire in Africam Annibalem coëgit; bis Conſul fuit.

Ib. *Mario.*] Marius Jugurtham Regem vicit, de quo triumphavit. Teutones, Ambrones, Cimbros funditus delevit, ſepties Conſul fuit.

de nunc agimus, hac utar moderatione dicendi, non ut in illius potestate fortunam positam esse dicam, sed ut præterita meminisse, reliqua sperare videamur: ne aut invisa diis immortalibus oratio nostra, aut ingrata esse videatur. Itaque non sum prædicaturus, Quirites, quantas ille res domi militiæque, terrâ marique, quantâque felicitate gesserit: ut ejus semper voluntatibus non modò cives assenserint, socii obtemperârint, hostes obedîerint, sed etiam venti, [b] tempestatesque [c] obsecundârint. Hoc brevissimè dicam, neminem unquam tam impudentem fuisse, qui à diis immortalibus tot & tantas res tacitus auderet optare, quot & quantas dii immortales ad Cn. Pompeium detulerunt. Quod ut illi proprium ac perpetuum sit, Quirites, cùm communis salutis atque Imperii, tum ipsius hominis causâ, sicuti facitis, velle & optare debetis. Quare cum & bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit; ita magnum, ut accuratissimè sit administrandum: & cum si Imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna; dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod vobis à diis immortalibus oblatum & datum est, in rempublicam conservandam atque amplificandam conferatis? Quod si Romæ Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore; tamen ad tantum bellum is erat deligendus, atque mittendus; nunc cum ad cæteras summas utilitates hæc quoque opportunitas adjungatur, ut in iis ipsis locis adsit, ut habeat exercitum, ut ab iis, qui habent, accipere statim possit: quid expectamus? aut cur non, ducibus diis immortalibus, eidem cui cætera summâ cum salute reipublicæ commissa sunt, hoc quoque bellum Regium committimus?

[b] *serenitates.* [c] *secundæ fuerint.*

12. *Aut invisa.*] Oratio invisa diis esset, si fortunam in potestate Pompeii fuisse diceretur.

13. *Ingrata.*] Si omitterentur beneficia quibus nos affecit.

17. *Venti.*] Tam facile Piratas non ejecisset Pompeius, nec tam pauco tempore, nisi ventos secundos habuisset.

Ib. *Tempestates.*] Sæpe pro serenitate tempestas usurpatur. Sic Virgilius, Æneid. 7.

Unde hæc tam clara repente Tempestas.

23. *Quare cum.*] Brevis velut peroratio, qua tum ex iis omnibus quæ attulit hactenus, tum ex Pompeii virtutibus concludit lege Manilia ad bellum Mithridaticum Imperatorem mittendum esse.

32. *In iis ipsis locis.*] Erat tum Pompeius in Asia contra prædones, ubi vicinus erat Mithridati.

Ib. *Ut habeat exercitum.*] Integrum & florentem exercitum habebat.

33. *Ut ab iis.*] Poterat habere exercitum, tum à Glabrione, cui Lucullus partem sui dederat, tum ab aliis Romanis qui in vicinis provinciis erant cum imperio.

CONFUTATIONIS

PRIMA PARS,

In quâ confutat Hortenſium, qui omnia tribuenda uni non conſebat.

XIII. At enim vir clariſſimus, amantiſſimus reipublicæ, veſtris beneficiis ampliſſimis affectus, Q. Catulus; itemque ſummis ornamentis honoris, fortunæ, virtutis, ingenii præditus, Q. Hortenſius, ab hac ratione diſſentiunt: quorum ego auctoritatem apud vos multis locis plurimum valuiſſe, & valere oportere confiteor: ſed in hac cauſa, tametſi cognoſcitis auctoritates contrarias fortiſſimorum virorum & clariſſimorum; tamen omiſſis auctoritatibus, ipſâ re & ratione exquirere poſſumus veritatem: atque hoc facilius, quod ea omnia, quæ adhuc à me dicta ſunt, iidem iſti vera eſſe concedunt, & neceſſarium bellum eſſe & magnum, & in uno Cn. Pompeio ſumma eſſe omnia. Quid igitur ait Hortenſius? ſi uni omnia tribuenda ſunt, unum digniſſimum eſſe Pompeium: ſed ad unum tamen omnia deferri non oportere. [a] Obſolevit jam iſta oratio, re multo magis, quam verbis refutata. Nam tu idem, Q. Hortenſi, multa pro tuâ ſummâ copiâ ac ſingulari facultate dicendi, & in ſenatu contra virum fortem A. Gabinium gravitèr ornatequè dixiſti, cum is de uno impera-

[a] *jam non valet.*

1. *At enim.*] Sic hanc refutationem aggreditur, ut incipiat à laude Hortenſii & Catuli, quorum auctoritatem & dignitatem amplificat, quo ſe facilius in animos audientium inſinuet, & cauſæ ſuæ probet æquitatem.

2. *Beneficiis ampliſſimis.*] Beneficiis ampliſſimis Catulus ornatus eſt, quia, populo ſuffragante, factus eſt Conſul cum M. Lepido.

Ib. *Summis ornamentis.*] Per ſumma ornamenta Conſulatûs dignitatem, quâ non major erat in urbe, intelligit. Hortenſius autem Conſul cum C. Cæcilio Metello Conſulatum geſſit.

13. *Ad unum omnia.*] Si Plutarcho credimus, Manilius legem ferebat, ut provincia tota, cui Lucullus præfuerat, omneque illius imperium Pompeio tranſmitteretur, adjungereturque etiam Bithynia, quæ Glabrioni obvenerat: totum bellum adverſus Reges Mithridatem & Tigranem adminiſtraret; claſſem quoque, & copias omnes navales haberet, quas initio belli maritimi habuerat cum Phrygiâ, Lycaoniâ, Galatiâ, Cappadociâ, Ciliciâ, Colchide ſuperiore, Armenia, unà cum exercitu cui Lucullus præerat.

15. *Summa copia.*] Idem Cicero ſcribit in Bruto Hortenſium magnâ eloquentiæ laude floruiſſe, atque Aſiaticæ dictionis ſtudio in primis fuiſſe delectatum, eoque factum, ut adoleſcens in cauſis agendis magis, quam ſenior videtur.

16. *Contra virum fortem.*] Cum Gabinius tribunus-plebis legem tulit de belli adminiſtratione Pompeio dandâ, L. Trebellius alter tribunus-plebis fortiter interceſſit, & ſenatui promiſit moriturum ſe potius, quàm illa lex ferretur: cum autem ſic perſeveraret, Gabinius tribus intro vocare cœpit, ut Trebellio Magiſtratum abrogaret. Aliquandiu Trebellius eâ re perterritus non adfuit; perſiſtebat tamen in interceſſione, ſed poſteaquam 7. & 10. tribus rogationem acceperunt, & una mens eſſet totius populi qui ſupererat, ut juſſum

peratore contra prædones conſtituendo legem promulgâſſet: & ex hoc ipſo loco permulta idem contra legem verba feciſti. Quid? tum, per deos immortaleis, ſi plus apud populum Romanum auctoritas tua, quam ipſius populi Romani ſalus, & [b] vera cauſa valuiſſet, hodie hanc gloriam, atque hoc orbis terræ imperium teneremus? an tibi tum imperium eſſe hoc videbatur, cum populi Romani legati, Prætores, Quæſtoreſque capiebantur? cum ex omnibus provinciis commeatu, & privato & publico prohibebamur? cum ita clauſa erant nobis omnia maria, ut neque privatam rem tranſmarinam, neque publicam jam obire poſſemus? Quæ civitas anteà unquam fuit, non dico Athenienſium, quæ ſatis latè quondam mare tenuiſſe dicitur: non Carthaginienſium, qui permultum claſſe, maritimiſque rebus valuerunt: non Rhodiorum, quorum uſque ad noſtram memoriam diſciplina navalis, & gloria remanſit: quæ civitas anteà unquam tam tenuis, quæ tam parva inſula fuit, quæ non portus ſuos & agros, & aliquam partem regionis, atque oræ maritimæ per ſe ipſa defenderet? At, hercle, aliquot annos continuos ante legem Gabiniam ille populus Roman. cujus uſque ad noſtram memoriam nomen invictum in navalibus pugnis permanſerat, magna, & multo maxima parte non modo utilitatis, ſed dignitatis atque imperii caruit. Nos quorum majores Antiochum regem claſſe, Perſenque ſupe-

[b] *bona.*

ſum conficeret, remiſit interceſſionem Trebellius, atque ita lex à Gabinio de piratis perſequendis lata eſt; ita Aſconius. Vocat autem virum fortem Gabinium, quia contra Senatûs voluntatem, & collegæ interceſſionem hanc legem tulit.

19. *Ex hoc ipſo loco.*] In roſtris tum orabat Cicero.

24. *Prætores.*] Jam de his ſuperius, paragr. iv. l. 43.

25. *Commeatu, & privato.*] Intelliguntur omnia cibaria, quæ ad victum ſive exercitûs, ſive populi neceſſaria ſunt. Appianus autem refert, antequam imperium belli piratici Pompeio decerneretur, ſummam fuiſſe rei frumentariæ caritatem, & inopiam.

26. *Clauſa maria.*] Clauſum mare dicitur, cum aut propter tempeſtates, & frigus ſæviens, aut propter Piratarum pericula tutò navigare non licet.

27. *Privatam rem, neque publicam.*] Neque mercatores navigare, neque Magiſtratus in provincias proficiſci audebant.

29. *Mare tenuiſſe.*] Dionyſius Hal. lib. 2. Antiquit. refert ita viribus navalibus valuiſſe Athenienſes, ut per annos duodeſeptuaginta maris imperium tenuerint.

Ib. *Carthaginienſium.*] Appianus de iis in Libyco ſcribit magnam ſibi maris partem ſubjeciſſe, & in Siciliâ, Sardiniâ, aliiſque inſulis, quæ in illo mari ſunt, ac in ipſâ Hiſpaniâ bellum geſſiſſe, multa in loca colonias miſiſſe, æquaviſſeque Græcorum potentiam.

30. *Non Rhodiorum.*] Strabo lib. xi. de Rhodiis refert, res maritimas in primis curaviſſe, quare diu maris imperium tenuerunt, Piratas profligando.

37. *In navalibus pugnis.*] Antiochi Regis legati à Romanis victi ſunt, Livii teſtimonio, lib. 36. Carthaginienſes in primo bello Punico, à Cneo Duellio, deinde ab Attilio Regulo.

38. *Utilitatis.*] Quia vectigalia interceptа ſunt.

Ib. *Dignitatis.*] Captis legatis & duodecim ſecuribus, de quibus tertiùm loquitur.

39. *Perſenque ſuperârunt.*] Patet de Antiocho, ut jam diximus, ſed non de Perſe, quod ſuperatus ſit: quare aut erra-

perârunt, omnibuſque navalibus pugnis Carthaginienſes, homines in maritimis rebus exercitatiſſimos paratiſſimoſque vicerunt, ſi nullo in loco jam prædonibus pares eſſe poteramus. Nos quoque, qui anteà non modò Italiam tutam habebamus, ſed omneis ſocios in ultimis oris auctoritate noſtri imperii ſalvos præſtare poteramus, tum, cùm inſula Delos tam procul à nobis in Ægeo mari [c] poſita, quo omnes undique cum mercibus atque oneribus commeabant, referta divitiis, parva, ſine muro nihil timebat: iidem non modo provinciis, atque oris Italiæ maritimis, ac portubus noſtris, ſed etiam Appia jam via carebamus: & his temporibus non pudebat magiſtratus populi Romani in hunc ipſum locum aſcendere, cum eum vobis majores veſtri exuviis nauticis & claſſium ſpoliis ornatum reliquiſſent. Bono te animo tum, Q. Hortenſi, populus Romanus, & cæteros, qui erant in eâdem ſententiâ, dicere exiſtimavit ea, quæ ſentiebatis: ſed tamen in ſalute communi idem populus Romanus dolori ſuo maluit, quam auctoritati veſtræ obtemperare. Itaque una lex, unus vir, unus annus non modò nos illâ miſeriâ, ac turpitudine liberavit; ſed etiam effecit ut aliquando verè videremur omnibus gentibus ac nationibus terrâ marique imperare. Quo mihi etiam indignius videtur [d] obtrectatum eſſe adhuc, Gabinio dicam, an-ne Pompeio, an utrique (id quod eſt verius) ne legaretur A. Gabinius Cn. Pompeio expetenti ac poſtulanti? Utrum ille qui poſtulat legatum ad tantum bellum, quem velit, idoneus non eſt qui impetret, cum cæteri ad expilandos ſocios, diripiendaſque provincias, quos voluerunt legatos eduxerint? an ipſe, cujus lege ſalus ac dignitas populo Romano atque omnibus gentibus conſtituta eſt, expers eſſe de-

[c] *ſita.* [d] *contradictum.*

erravit Cicero, aut de illâ victoriâ omiſerunt hiſtorici, apud quos nulla illius mentio fit. [Sic quidem *Hottomannus*] & alii cenſent; ſed *Cn. Octavium de rege Perſeo navalem triumphum egiſſe*, ſcribit Livius lib. 45. c. 42.]

40. *Omnibus navalibus pugnis.*] 1. Siculam Carthaginienſibus Romani ademerunt. 2. Sardiniam. 3. Secundo bello Punico Hiſpaniam, atque per id tempus, dum Annibal Italiam, P. Scipio Libyam populabatur, adeo ut Romani ſtipendium Carthaginienſibus imperârint; tandem poſt annos quinquaginta poſtremum bellum exortum eſt, in quo Scipio minor Carthaginem evertit.

45. *Delos.*] Delos mercibus celebris fuit, & commodo in Aſiam ex Italia & Græcia navigantibus, ut Strabo ſcribit lib. Georg. 10.

49. *Appia via.*] Appia via ab Appio Claudio Cenſore dicta eſt, qui Cæcus nuncupatus eſt, à porta autem Capena uſque ad urbem Capuam, ut ait Frontinus in libro de aquæ ductu, tum Brundiſium uſque lapidibus ſtrata eſt; hac autem caruiſſe pop. Rom. dicit, quia ea pars quæ ad mare vergebat prædonibus infeſtabatur.

50. *Hunc ipſum locum.*] Id eſt, in roſtra; de quibus jam in Exordio. Potrò Oratores ex roſtris illis navium dicebant ad populum. Livius lib. 8. docet ſub roſtris partem inferiorem fuiſſe, unde privatis loqui fas erat.

61. *Ne legaretur Gabinius.*] Poſtulavit ſibi legatum Gabinium Pompeius, qui ipſi denegatus eſt; mittebantur autem legati vel à Senatu, vel à populo; quia ſumptibus publicis mittebantur.

64. *Ad expilandos ſocios.*] Eos deſignat, qui dividunt Magiſtratibus pecuniam, ut idonei ſibi legati ſeligantur; niſi etiam Lucullum indicet, quem hìc ſæpe pungit.

bet gloriæ ejus Imperatoris, atque ejus exercitûs, qui consilio ipsius, atque periculo est constitutus? an Cn. Falcidius, Q. Metellus, Q. Cœlius Latinienſis, Cn. Lentulus, quos omneis honoris causâ nomino, cum Tribuni-pleb. fuissent, anno proximo legati esse potuerunt? in hoc uno Gabinio sunt tam diligentes, qui in hoc bello, quod lege Gabiniâ geritur, in hoc Imperatore, atque exercitu, quem per vos ipse constituit, etiam præcipuo jure esse deberet? de quo legando spero Consules ad Senatum relaturos: qui si dubitabunt, aut [e] gravabuntur, ego me profiteor relaturum: neque me impediet cujusquam, Quirites, inimicum edictum, quo minus, fretus vobis, vestrum jus, beneficiumque defendam; neque præter interceſſionem, quidquam audiam: de quâ (ut arbitror) isti ipsi qui minantur, etiam atque etiam [f] quî id liceat considerabunt. Meâ quidem sententiâ, Quirites, unus A. Gabinius belli maritimi, rerumque gestarum auctor, comes Cn. Pompeio adscribitur, propterea quod alter uni id bellum suscipiendum vestris suffragiis detulit; alter delatum, susceptumque confecit.

[e] *facient moleſta,* [f] *quomodo,*

70. *Anno proximo,*] Qui Tribuni fuerant, non poterant esse legati, nisi post annum iis Imperatoribus qui per eorum Tribunatum delecti fuerant. Probat tamen multorum exemplo, qui aliquando legati anno proximo iis Imperatoribus missi sunt, quos ipsi lege latâ mittendos esse censuerant.

75. *Ego me relaturum.*] Non cuilibet jus erat habendi Senatum; sed tantum Dictatoribus, Consulibus, Prætoribus, Tribunis-plebis, urbis Præfecto; quanquam nec fas fuit illis minoribus Magistratibus petere, quando in urbe Consules aderant. Vide A. Gellium, c. 7. l. 14.

77. *Vestrum jus, &c.*] Nam Tribuni-plebis, qui tulerant legem de imperio alicui committendo, postquam Magistratu suo defuncti erant, legati dari illi Imperatori solebant, qui populi beneficio ad hanc dignitatem evectus fuisset.

Ib. *Præter interceſſionem.*] Varro lib. 14. apud A. Gellium docet intercedendi, ne Senatusconsultum fieret, jus fuisse iis solis qui eâdem potestate, quâ ii qui Senatusconsultum facere vellent, aut majore essent.

CONFUTATIONIS SECUNDA PARS,

In quâ confutat jam Cicero Q. Catulum, qui 1. *dicebat nihil in Pompeio totam Reipub. spem.* 2. *esse contra instituta Majorum, ut uni omnia concederentur.*

XIV. Reliquum est, ut de Q. Catuli auctoritate & sententiâ dicendum esse videatur: qui cum ex vobis quæreret, si in uno Cn. Pompeio omnia poneretis, si [a] quid de eo factum esset, in quo spem esſetis

[a] *ſi contingeret eum mori,*

3. *Si quid de eo factum.*] Refert Plutarchus, cum Catulus multa honorificè de Pompeio apud populum, atque conſervandum, nec tempere periculis objiciendum esse talem virum diceret: quia neminem alium habebat quem mit-

ſetis habituri: cepit magnum ſuæ virtutis fructum, ac dignitatis, cum omnes prope unâ voce in eo ipſo vos ſpem habituros eſſe [b] dixiſtis. Etenim talis eſt vir, ut nulla res tanta ſit, ac tam difficilis, quam ille non & conſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere poſſit; ſed in hoc ipſo ab eo vehementiſſimè diſſentio, quod, quo minus certa eſt hominum ac minus diuturna vita, hoc magis reſpub. dum [c] per deos immortaleis licet, frui debet ſummi hominis vitâ atque virtute. At enim nihil novi fiat contra exempla, atque inſtituta Majorum. Non dico hoc loco Majores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello utilitati paruiſſe, ſemper ad novos caſus temporum, novorum conſiliorum rationes accommodâſſe: non dicam duo bella maxima, Punicum, & Hiſpanienſe ab uno Imperatore eſſe confecta: duas urbes potentiſſimas, quæ huic imperio maximè minabantur, Carthaginem atque Numantiam ab eodem Scipione eſſe deletas: non commemorabo, nuper ita vobis, patribuſque veſtris eſſe viſum, ut in uno C. Mario ſpes imperii poneretur: ut idem cum Jugurthâ, idem cum Cimbris, idem cum Theutonis bellum adminiſtraret; in ipſo Cn. Pompeio, in quo novi conſtitui nihil vult Q. Catulus, quàm multa ſint nova ſumma Q. Catuli voluntate conſtituta, recordamini. Quid enim tam novum, quàm adoleſcentulum privatum, [d] exercitum difficili reipublicæ tempore conficere? confecit: huic præeſſe? præfuit: rem optimè ductu ſuo gerere? geſſit. Quid tam præter conſuetudinem, quàm homini peradoleſcenti, cujus à Senatorio gradu ætas longè abeſſet, imperium atque exercitum dari? Sici-

[b] *reſpondiſtis.* [c] *dum immortales dii permittunt.* [d] *cogere exercitum tempore bellorum civilium Reipub.*

mitteret, ſi ſimul eſſet amiſſus, unâ voce reſpondiſſe, *teipſum*; quare deſtitiſſe Catulum.

13. *Semper in pace.*] Refert de Mario Valerius Max. quòd, &c. cum præter fœderis leges duas cohortes civitate donâſſet, atque propterea argueretur, reſponderet, ſe inter armorum ſtrepitum verba juris civilis audire non potuiſſe.

15. *Punicum & Hiſpan.*] Pub. Scipio Æmilianus, cum tantùm Ædilitatem peteret, & ante decem annos fieri Conſul non poſſet, extra leges Conſul factus eſt, & in Africam miſſus, ubi Carthaginem delevit: deinde à Senatu, populoque Rom. præter leges, quibus cautum erat, ne quis ante decem annos poſt geſtum Conſulatum fieret Conſul, iterùm vel invitus creatus eſt, & anno quarto decimo poſt exciſam Carthaginem, Numantiam cepit.

19. *Ut in uno Mario*] Mario per plures annos prorogatus eſt Conſulatus, nam ſeptimùm Conſul fuit.

20. *Cum Jugurtha.*] Jugurtham vicit Marius, & duxit in triumphum cum duobus filiis, qui omnes in carcere poſtèa necati ſunt.

Ib. *Cum Cimbris.*] Cimbri ſæpiſſimè Romanos exercitus viceruht, captis eorum ducibus; at illos Marius tandem duobus præliis fudit, in quibus cæſa ſunt hoſtium ducenta millia & capta nonaginta.

21. *Cum Theutonis.*] Theutonis poſt victoriam Cimbri ſe junxerunt; ſed tam glorioſè eos Marius ſuperavit, ut cæſa tradantur centum quadraginta millia, capta ſexaginta.

24. *Adoleſcentulum.*] Viginti tantum tres annos natus erat, cùm in agro Piceno tres comparavit legiones, de quo jam ſuprà.

28. *Ætas longe abeſſet.*] De eo ſcribit Plutarchus, facilè in Senatum potuiſſe

Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in eâ adminiſtrandum? Fuit in his provinciis ſingulari innocentiâ, gravitate, virtute: bellum in Africâ maximum confecit, victorem exercitum [e] deportavit. Quid verò tam inauditum, quàm equitem Rom. triumphare? at eam quoque rem populus Romanus non modò vidit, ſed etiam ſtudio omni viſendam putavit. Quid tam inuſitatum quàm ut, cùm duo Conſules clariſſimi fortiſſimique eſſent, Eques Rom. ad bellum maximum, formidoloſiſſimumque pro Conſule mitteretur? miſſus eſt. Quo quidem tempore, cùm eſſet non nemo in Senatu, qui diceret, Non oportere mitti hominem privatum pro Conſule: L. Philippus dixiſſe dicitur, Non ſe illum ſua ſententia pro Conſule, ſed pro Conſulibus mittere. Tanta in eo reipublicæ benè gerendæ ſpes conſtituebatur, ut duorum Conſulum munus unius adoleſcentis virtuti committeretur. Quid tam ſingulare, quàm ut ex Senatuſconſulto legibus [f] ſolutus, Conſul ante fieret, quam ullum alium Magiſtratum per leges [g] capere licuiſſet; quid tam incredibile, quàm ut iterùm Eques Rom. ex s. c. triumpharet? quæ in omnibus hominibus nova poſt hominum memoriam conſtituta ſunt, ea tam multa non ſunt, quàm hæc quæ in hoc uno homine vidimus. Atque hæc tot exempla, tanta ac tam nova profecta ſunt in eundem hominem à Q. Catulo, atque à cæterorum ejuſdem dignitatis ampliſſimorum hominum auctoritate. Quare videant, ne ſit periniquum, & non ferendum, illorum auctoritatem de Cn. Pompeii dignitate à vobis comprobatam ſemper eſſe: veſtrum ab illis de eodem homine judicium, populique Rom. auctoritatem improbari: præſertim cùm jam

[e] *deduxit.* [f] *diſpenſatus.* [g] *ſuſcipere Magiſtratum gerendum.*

tuiſſe adſcribi ante ætatem; ſed ſibi glorioſius duxiſſe, ſi tantum Eques triumpharet.

28. *Siciliam & Africam.*] De his jam ſuperius parag. x. l. 9.

33. *Triumphare.*] Triumphavit idcircò, ut ex Floro patet, quòd in Africa Domitium proſcriptum, & Hiericam Regem Numidarum victor interfecit.

Ib. *Non modò vidit.*] Vidit rem in Pompeio novam prorsùs, quod Eques eâ ætate triumpharet, cum id gloriæ tantum aut Conſuli, aut ſaltem Senatori deferretur.

35. *Duo Conſules.*] Appianus Lepidum & Catulum Conſules nominat.

39. *Pro Conſule.*] Proconſules non ii tantùm dicebantur, qui poſt geſtum Conſulatum in provincias ſummo cum imperio; ſed etiam ii qui pro Conſulibus mittebantur, unde illæ provinciæ Conſulares appellatæ ſunt, ſive Prætoriæ, quandò in eaſdem Prætores mittebantur.

Ib. *L. Philippus.*] Philippus Senator fuit magnæ auctoritatis.

44. *Ullum Magiſtratum.*] Primus Magiſtratus Quæſtura fuit; nam adoleſcentuli Quæſtores fiebant, quare Cic. in lib. 2. Epiſt. *Quæſtorem Cæcilium præpoſui provinciæ, puerum, inquis? at Quæſtorem,* &c.

45. *Iterum triumpharet.*] De Sertorio triumphavit, cum priùs jam de Domitio & Hiericâ triumphâſſet.

49. *A Q. Catulo.*] Catulus cum aliis Senatoribus Pompeium tantis his honoribus decorandum cenſuerat.

52. *A vobis comprobatam.*] Comprobavit populus Rom. Senatuſconſulta, quibus triumphus Pompeio decernebatur. Populus autem Rom. ſuos habebat Magiſtratus, nempe Tribunos, ad quos decreta Senatûs examinanda deferre

jam suo jure populus Romanus in hoc homine suam auctoritatem vel contra omneis qui dissentiunt possit defendere: propterea quod istis reclamantibus, vos unum illum ex omnibus delegistis, quem bello prædonum præponeretis. Hoc si vos temerè fecistis, & reipublicæ parùm consuluistis; rectè isti studia vestra suis consiliis regere conantur; sin autem vos plus tum in republica vidistis, vos, his repugnantibus, per vosmetipsos dignitatem huic imperio, salutem orbi terrarum attulistis: aliquando isti principes, & sibi, & cæteris, populi Romani universi auctoritate parendum esse fateantur. Atque in bello Asiatico, & Regio, non solùm militaris illa virtus quæ est in Cn. Pompeio singularis, sed aliæ quoque virtutes animi multæ & magnæ requiruntur. Difficile est in Asiâ, Ciliciâ, Syriâ, regnisque interiorum nationum ita versari vestrum Imperatorem, ut nihil aliud quàm de hoste ac de laude cogitet: deinde etiam si qui sunt pudore ac temperantiâ moderatiores, tamen eos esse taleis propter multitudinem cupidorum hominum nemo arbitratur. Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes propter eorum quos ad eas per hos annos cum imperio misimus injurias ac libidines. Quod enim fanum putatis in illis terris nostris Magistratibus religiosum, quam civitatem sanctam, quam domum satis clausam ac munitam fuisse? urbes jam locupletes ac copiosæ [h] requiruntur, quibus causa belli propter diripiendi cupiditatem inferatur. Libenter hæc coràm cum Q. Catulo & Hortensio disputarem, summis & clarissimis viris; noverunt enim sociorum vulnera, vident eorum calamitates, querimonias audiunt. Pro sociis vos contra hostes exercitum mittere putatis, an hostium simulatione contra socios atque amicos? quæ civitas est in Asia, quæ non modò unius Imperatoris, aut Legati, sed unius Tribuni militum animos ac spiritus [i] capere possit? Quare, etiamsi quem habetis, qui [k] collatis signis, exercitus Regios superare posse videatur; tamen nisi erit idem, qui se à pecuniis sociorum, qui ab eorum conjugibus ac liberis, qui ab auro gazâque regiâ manus, oculos, animum cohibere

[h] *inquiruntur.* [i] *continere & satiare.* [k] *pugnâ datâ.*

ferrebantur: quæ si improbâssent, rata non habebantur; sin autem aliter, admittebantur.

57. *Istis reclamantibus.*] Cum invito Senatu, lege Gabiniâ imperium belli contra prædones Pompeio delatum est, Hortensius, Catulus, aliique reclamârunt.

59. *Suis consiliis.*] Jus suffragii Senatores non habebant, sed tantùm orationes ad populum habere poterant, ut aliquid vel suaderent, vel dissuaderent; quare studia populi suis studiis regebant.

64. *Regio.*] Gestum cum Mithridate & Tigrane bellum *regium* appellat.

72. *Quos ad eas.*] Forte Glabrionem designat, qui Lucullo successit.

75. *Sanctam.*] Sacræ [illegible] Jurisconsultos dicuntur, quæ [illegible] Pontifices Deo consecratæ sunt, [illegible] sacræ, donaria templis dicat[illegible] portæ civitatis.

76. *Urbes jam lo*[illegible] rbes ab avaris Magistratibus [illegible]tur, ut belli occasionem ha[illegible] hostilitèr diriperent.

87. *Gazâ* [illegible]ridatis & Tigranis pecu[illegible], monetque Impe-



here poſſit, non erit idoneus qui ad bellum Aſiaticum Regiumque mittatur. Ecquam putatis civitatem pacatam fuiſſe, quæ locuples ſit? ecquam eſſe locupletem, quæ iſtis pacata eſſe videatur? Ora maritima, Quirites, Cn. Pompeium non ſolùm propter rei militaris gloriam, ſed etiam propter animi continentiam [l] requiſivit; videbat enim populus Romanus non locupletari quotannis pecuniâ publica, præter paucos: neque nos quidquam aliud aſſequi [m] claſſium nomine, niſi ut detrimentis accipiendis majore affici turpitudine videremur. Nunc quâ cupiditate homines in provincias, quibus jacturis, quibus conditionibus proficiſcantur, ignorant videlicet iſti qui ad unum deferenda eſſe omnia non arbitrantur; quaſi verò Cn. Pompeium non cùm ſuis virtutibus, tum etiam alienis vitiis magnum eſſe videamus. Quare nolite dubitare quin huic uni credatis omnia, qui [n] inter annos tot unus inventus ſit, quem ſocii in urbeis ſuas cum exercitu veniſſe gaudeant. Quod ſi auctoritatibus hanc cauſam, Quirites, confirmandam putatis, eſt vobis auctor, vir bellorum omnium maximarumque rerum peritiſſimus P. Servilius: cujus tantæ res geſtæ terrâ marique exſtiterunt, ut, cùm de bello deliberetis, auctor vobis gravior eſſe nemo debeat: eſt C. Curio ſummis veſtris beneficiis, maximiſque rebus geſtis, ſummo ingenio & prudentiâ præditus: eſt Cn. Lentulus, in quo omnes, pro ampliſſimis veſtris honoribus, ſummum conſilium, ſummam gravitatem eſſe cognoſcitis: eſt C. Caſſius integritate, virtute, conſtantiâ ſingulari. Quare videte, ut [o] horum auctoritatibus, illorum orationi qui diſſentiunt, reſpondere poſſe videamur.

[l] *quæſivit ſtudiosè.* [m] *quòd præfecti ſint exercitui navali.* [n] *à tot annis.* [o] *per auctoritates eorum.*

Imperatorem, qui ab iis animum avocare poſſit, ſeligendum eſſe qualis eſt Pompeius.

93. *Non locupletari.*] Pecunia ab hoſtibus detracta ab Imperatoribus in ærarium publicum deferebatur Romam: quare cum illis Quæſtores mittebantur, ut rem pecuniariam adminiſtrarent, & prædam in publicas rationes referrent.

94. *Præter paucos.*] Imperatores prædas illas & pecuniam ſibi per ſummam rapinam vindicabant, cum in illas exteras regiones mittebantur.

99. *Tum alienis vitiis.*] Summa laus Pompeii, qui continens eſt & innocens, ubi omnes alii, & avaritiæ, & incontinentiæ famoſi ſunt.

105. *P. Servilius.*] Servilius poſt Antonium ad bellum Piraticum miſſus eſt contra Prædones, quos non incruentâ victoriâ ſuperavit: ſed nec eos mari ſubmoviſſe contentus, validiſſimas urbes eorum, & diutinâ prædâ abundantes Phaſelim, & Olyropum, Iſauronque ipſam arcem Ciliciæ evertit. Conſcius ſibi tam magni laboris, *Iſaurici* cognomen adamavit. Vide Flor. in Epit. Juſtin. lib. 40.

106. *Eſt C. Curio.*] Curio fuit Conſul cum Cn. Octavio, quo Proconſul Dardanos ſuperavit.

109. *Cn. Lentulus.*] Lentulus Luculli Collega in Conſulatu cum Spartaco conflixit.

111. *Eſt C. Caſſius.*] Ad hunc Caſſium Ciceronis Epiſtolæ ſunt lib. 15.

PER-

PERORATIO.

XV. Quæ cum ita ſint, C. Manili, primùm iſtam tuam & legem, & voluntatem, & ſententiam laudo, vehementiſſimèque comprobo: deinde te hortor ut auctore populo Romano maneas in ſententiâ, neve cujuſvam vim, aut minas pertimeſcas. Primùm in te ſatis eſſe animi, conſtantiæque arbitror: deinde cum tantam multitudinem cum tanto ſtudio adeſſe videamus, quantam nunc iterùm in eodem homine præficiendo videmus; quid eſt, quod aut de re, aut de perficiendi facultate dubitemus? Ego autem, quidquid in me eſt ſtudii, conſilii, laboris, ingenii, quidquid hoc beneficio populi Romani, atque hâc poteſtate prætoriâ, quidquid auctoritate, fide, conſtantiâ poſſum, id omne ad hanc rem conficiendam tibi & populo Romano polliceor & defero; teſtorque omnes deos, & eos maximè, qui huic loco, temploque præſident, qui omnium menteis eorum, qui ad Rempubl. adeunt, maximè perſpiciunt, me hoc neque rogatu facere cujuſquam, neque quo Cn. Pompeii gratiam mihi per hanc cauſam conciliari putem, neque quo mihi ex cujuſquam amplitudine, aut præſidia periculis, aut adjumenta honoribus quæram; propterea quòd pericula facilè, [a] ut hominem præſtare oportet, innocentia tecti pellemus; honores autem, neque ab uno, neque ex hoc loco, ſed eâdem noſtrâ illâ laborioſiſſimâ ratione vitæ, ſi veſtra voluntas feret, conſequemur. Quamobrem quidquid in hac causâ mihi ſuſceptum eſt, Quirites, id omne me reipublicæ causâ ſuſcepiſſe [b] confirmo: tantumque abeſt ut aliquam bonam gratiam mihi quæſiſſe videar, ut multas etiam ſimultates partìm obſcuras, partìm apertas, intelligam mihi non neceſſarias, vobis non inutiles ſuſcepiſſe. Sed ego me hoc honore præditum, tantis veſtris beneficiis affectum, ſtatui, Quirites, veſtram voluntatem, & reipublicæ dignitatem, & ſalutem provinciarum, atque ſociorum, meis omnibus commodis & rationibus præferre oportere.

[a] *quatenus.* [b] *affirmo.*

1. *Manili.*] Lex illa non parùm diſplicuit viris bonis, tum quia publica libertas lædi videbatur, ſi uni totum imperium belli concederetur; tum quia Lucullus rerum geſtarum ſuarum gloriâ privabatur. Multi quidem obſiſtere huic legi conabantur, ſed plebis metu nemo præter Catulum interceſſit. Plutarch. in vita Pomp.

12. *Huic loco.*] Circa forum erant templa Jovis Caſtoris, & Concordiæ.

Ib. *Temploque.*] Quamvis templum ſæpe pro curia dicatur, tamen aliquando pro foro nominatur. Sic Livius lib. 8. *Roſtraque id templum appellatum.*

17. *Adjumenta honoribus.*] Teſtatur Cicero hac defenſione legis Maniliæ ſe non ad Conſulatum, qui inter maximos honores habebatur, adjumenta & gratiam: ſed Reipub. bonum quærere.

20. *Laborioſiſſimâ vitæ ratione.*] In defenſione privatorum multus labor inſumendus eſt.

24. *Mihi non neceſſarias.*] Facere ſibi invidiam facilè potuit apud Lucullum, & alios, qui ad hoc bellum Aſiaticum ſummo cum imperio miſſi fuerant.

25. *Vobis non inutiles.*] Tacite hic inſinuat, quod earum ſimultatum cauſâ, ſit aperturus plurimas res ab ipſo bonestè geſtas, quarum cognitio fortaſſe Reipub. utilis erit.

PRO

PRO

C. RABIRIO.

Perduellionis Reo,

AD QUIRITES.

ARGUMENTUM.

Apuleius Saturninus factus Tribunus plebis, Glauciam suum satellitem, ut Plinius refert in vita Saturnini, L. Prætorem; Consulem, ut narrat Livius lib. 69. facere volebat: C. Memmius ejus competitor obstabat; quare jubente & impellente Saturnino, Memmius in Comitiis Consularibus fustibus necatus est, & Comitia, non ferente tantum facinus populo, dissoluta sunt. Postridie, Senatusconsulto, Mario, & L. Val. Flacco Consulibus mandatum est, ut viderent Consules, nè quid detrimenti caperet Respub. Consules verò, qui salvam Rempub. esse vellent, arma capere, & se sequi jubent; obsidetur Capitolium, quò se Saturninus cum Glauciâ, Saufeio, Æquitio, & Labieno receperat. Illi aquâ defecti, in Marii fidem se dederunt, quos inclusit in curiâ, ubi furente multitudine, Saturninus lapidibus obrutus est, Glauciæ fracta cervix, Labienus interfectus. Dicitur Rabirius caput Saturnini in ludibrium per convivia circumtulisse.

PERSONÆ.

Accusator fuit T. Labienus, quem Cæsar subornavit, ut scribit Suetonius, ad Rabirium perduellionis accusandum, & cui sorte datus est judex, & à quo damnatus provocavit ad populum.

Reus Rabirius, qui perduellionis accusatur, quod summum est imminutæ Majestatis crimen.

Patroni, Q. Hortensius, qui contendit Saturninum ab Rabirio occisum non esse: Cicero Consul, qui legitimè sumpta esse arma à Rabirio, interficiendi Saturnini causâ, disputavit, cùm omnes boni cives id fecerint.

LOCUS.

Acta fuit hæc causa in Comitio, de quo jam in Oratione pro lege Maniliâ.

QUÆ-

QUÆSTIO.

Eſt in genere judiciali, an Rabirius, perduellionis reus, ſit abſolvendus.

PARTES.

Sunt quinque; Exordium, Diſtributio, Confutatio, Digreſſio, Confirmatio.

TEMPUS.

Quartam hanc Orationem Conſul Cicero anno urbis Conditæ 690. *habuit à morte Saturnini* 37, *ætatis ſuæ* 44.

EVENTUS.

Narrat Dio nihil abfuiſſe quin à populo Rabirius damnaretur; ſed Metellum Celerem Prætorem & Augurem militare ſignum de Janiculo protuliſſe; quod cùm fieret, diſſolvi Comitia antiquo more oportuiſſe: ac noluiſſe iterùm Labienum reſtaurari Comitia, atque ita Rabirium ſervatum fuiſſe.

EXORDIUM.

In quo proponit cauſas quibus adducitur ad Rabirium defendendum.

I. ETSI, Quirites, non eſt meæ conſuetudinis, initio dicendi rationem reddere, quâ de cauſâ quemque defendam, propterea quòd cum omnibus civibus in eorum periculis ſemper ſatis juſtam mihi cauſam neceſſitudinis eſſe duxi: tamen in hac defenſione [a] capitis, famæ, fortunarum omnium C. Rabirii, proponenda ratio videtur eſſe [b] officii mei: propterea quòd, quæ juſtiſſima mihi cauſa ad hunc defendendum eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſolvendum de-

INTERPRETATIO.

[a] *vitæ.* [b] *defenſionis hujus.*

NOTÆ.

1. *Quirites.*] Vide Orationem pro lege Manilià, ubi fusè de Quiritibus dictum eſt par 1. l. 3. Nota porro in Comitiis, ubi judex erat populus, Oratores hac appellatione uſos eſſe.

Ib. *Meæ conſuetudinis.*] Etſi dicat non eſſe conſuetudinis ſuæ rationem reddere cur aliquem defendat: tamen aliquando reddidit, ut patet in Oratione pro Syllâ & Archiâ Poëta.

4. *Neceſſitudinis.*] Tenetur neceſſitudine defendere Rabirium, quos enim æquius eſt defendere, quàm quos amicos habemus?

bet

bet videri. Nam me cùm amicitiæ vetuſtas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua conſuetudo, ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata: tum vero, ut id ſtudioſiſſimè facerem, ſalus reip., conſulare officium, conſulatus denique ipſe mihi unà vobiſcum cum ſalute reipubl. commendatus, coëgit. Non enim C. Rabirium culpa delicti, non invidia, vitæque turpitudo, non denique veteres, juſtæ, graveſque inimicitiæ civium in diſcrimen capitis vocaverunt: ſed ut illud ſummum auxilium Majeſtatis, atque imperii, quod nobis à Majoribus eſt traditum, de repub. tolleretur; ut nihil poſthàc auctoritas ſenatûs, nihil conſulare imperium, nihil conſenſio bonorum contra peſtem ac perniciem civitatis valeret: idcircò in his rebus evertendis unius hominis ſenectus, infirmitas, [c] ſolitudoque tentata eſt. Quamobrem, ſi eſt boni conſulis, cùm cuncta auxilia reipub. labefactari, convellique videat, ferre opem patriæ, ſuccurrere ſaluti fortuniſque communibus, implorare civium fidem, [d] ſuam ſalutem poſteriorem ſalute communi ducere; eſt etiam bonorum et fortium civium, quales vos omnibus reip. tem-

[c] *deſertio.* [d] *pluris facere ſalutem civium quàm ſuam.*

8. *Amicitiæ vetuſtas.*] Vetuſtâ amicitiâ nulla certior eſt, quam ipſe Cicero violaret, ſi periclitanti amico non adeſſet.

Ib. *Dignitas hominis.*] Auctore Dion. erat Rabirius Senator.

9. *Ratio humanitatis.*] Humanitate inſtituimur ad ſublevandam hominum calamitatem.

Ib. *Perpetua conſuetudo.*] Gloriatur ſæpè Cicero ſe quamplurimos defendiſſe, & accuſaviſſe neminem; quare Verrem accuſaturus profeſſus eſt id ſe feciſſe potius, ut Siculis ſubveniret, quam ut eum accuſaret.

11. *Salus Reipub.*] Agitur in hac cauſâ de Reipub. ſalute, quam convellere ſeditioſi cives conati ſunt olim in Saturnini tumultu, ut patet ex argumento Orationis.

Ib. *Conſulare officium.*] Cicero Conſul hanc habuit Orationem; illius autem eſt tueri conſulare imperium, quo Saturninus interfectus eſt.

Ib. *Conſulatus denique.*] Senatuſconſulto Ciceroni & Quiritibus mandatum fuerat ut Conſulatûs dignitatem in Rabirio defendendo tuerentur, quæ labefactaretur, ſi fas non eſſet Conſulibus in ſeditioſos cives animadvertere.

13. *Culpa delicti.*] Rabirius non ob crimina vocatur in judicium, ſed quod Conſuli paruerit, cùm ad arma cives vocaret, cui tum non obedire mali civis eſt.

16. *Summum auxilium.*] Per ſummum auxilium intelligit illud Senatuſconſultum, quòd periclitante Repub. fieri ſolebat cum exortâ aliquâ ſeditione aut tumultu mandabatur ut viderent Conſules *ne quid detrimenti caperet Reſpub.* tum enim penès eos erat ſummum imperium cogendi exercitus, bellum gerendi, &c.

Ib. *Majeſtatis.*] Majeſtas eſt amplitudo ac dignitas Reipub.

17. *Tolleretur.*] Innuit quod niſi ſummum illud imperium penès eſſet Conſules, brevi Reipubl. dignitas à ſeditioſis civibus tolleretur.

18. *Conſenſio bonorum.*] Per bonorum conſenſionem Senatum intelligit, & qui partes & juſſum Senatûs ſecuti ſunt, cum Saturninus egreſſus è Capitolio oppreſſus eſt.

19. *Contra peſtem.*] Scelerati & ſeditioſi cives Reipub. peſtes ſunt.

20. *Hominis ſenectus.*] Senex tum neceſſario Rabirius erat, cum à Cicerone defenſus eſt: nam annis abhinc triginta ſex Saturninum interfecerat, jam inter Senatores adſcriptus, ideoque trigeſimum annum agens.

Ib. *Solitudo.*] Solitudo proprie de iis dicebatur, qui ab omnibus deſerti erant, qualis ſanè non fuit Rabirius, cum à principibus civitatis defenderetur: ſed

Ora-

temporibus exſtitiſtis, intercludere omnes ſeditionum vias, munire præſidia reipubl., ſummum in conſulibus imperium, ſummum in ſenatu conſilium, putare; ea qui ſecutus ſit, laude potius & honore, quàm pœnâ & ſupplicio dignum judicare. Quamobrem labor in hoc defendendo præcipue meus eſt: ſtudium vero conſervandi hominis commune mihi vobiſcum eſſe debebit. Sic enim exiſtimare debetis, Quirites, [e] poſt hominum memoriam rem nullam majorem, magis periculoſam, magis ab omnibus vobis providendam, neque à tribuno pleb. ſuſceptam, neque à conſule defenſam, neque ad populum Rom. eſſe delatam. Agitur enim nihil aliud in hac causâ, Quirites, quàm ut nullum ſit poſthàc in repub. publicum conſilium, nulla bonorum conſenſio contra improborum furorem & audaciam; nullum extremis reip. temporibus perfugium & præſidium ſalutis. Quæ cum ita ſint, primum, quod in tantâ dimicatione capitis, famæ, fortunarumque omnium fieri neceſſe eſt, ab Jove Optimo Max. cæteriſque diis deabuſque immortalibus, quorum ope & auxilio multò magis hæc reſp. quàm ratione hominum & conſilio gubernatur, pacem ac veniam peto: precorque ab iis, ut hodiernum diem & ad hujus ſalutem conſervandam, & ad rempubl. [f] conſtituendam, illuxiſſe patiantur. Deinde vos, Quirites, quorum poteſtas proximè ad deorum immortalium numen accedit, oro atque obſecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii, hominis miſerrimi atque innocentiſſimi, ſalus reip. veſtris manibus ſuffragiiſque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam, in reip. ſalute ſapientiam, quam ſoletis.

[e] *unquam ullam rem.* [f] *ſtabiliendam.*

Oratoriè id dixit, ut commiſerationem in eum populi excitaret.

26. *Seditionum vias.*] Indicat ſeditionem quam Saturninus ante annos triginta ſex excitavit: & quibus viis, ſi quæ novæ excitarentur, toto conatu Senatus populuſque debet obſiſtere.

27. *Summum in Conſulibus imperium.*] Magna & quaſi regia fuit Conſulum auctoritas, ſi cum reliquis aliis magiſtratibus conferatur: at auctoritate populi inferior, penès quem ſumma fuit.

28. *In Senatu conſilium.*] Pertinebat ad Senatum deliberare de Repub. ſine cujus conſilio nulla ejus eſt auctoritas.

30. *Labor in defendendo.*] Ait ſæpe Cicero defendendi laborem, quàm accuſandi majorem eſſe.

34. *A Tribuno plebis.*] Loquitur de Labieno. Vide Orat. argum.

38. *Extremis Reipub. temporibus.*] Extrema ſunt Reipub. tempora, quibus periclitatur & conſulibus præſcribitur ut videant *ne quid detrimenti capiat Reſpub.*

41. *Ab Jove.*] Non ſolis Oratoribus Græcis, ſed Romanis etiam familiare fuit deorum numen initio dicendi implorare. Jupiter autem quaſi juvans pater dictus eſt; *maximus* propter ſummam rerum omnium poteſtatem; *optimus*, quia omnibus prodeſſe poteſt.

43. *Pacem ac veniam.*] Profitetur ſe deorum opem, & auxilium implorare. Propriè autem venia à diis petitur, cum iratos metuimus, & propitios nobis poſtulamus.

47. *Numen accedit.*] Per numen deorum, vulgò poteſtas intelligitur: unde in lib. de nat. Deor. *Omnes naturæ numini divino parent.*

49. *Suffragiiſque permittitur.*] Agebatur hæc cauſa apud Populum, de qua ſuis ſuffragiis ferre ſententiam decebat.

CON-

CONFUTATIO.

Quam inchoat per apoſtrophen ad Labienum, conquerendo de ſemihoræ tantum ſpatio ad Rabirium defendendum, ac objecta ipſi crimina breviter diluit.

Deinde duo ſibi ipſi objecta crimina diluit.

II. Nunc quoniam, T. Labiene, diligentiæ meæ, temporis anguſtiis obſtitiſti, meque ex comparato & conſtituto ſpatio defenſionis in ſemihoræ curriculum coegiſti, parebitur, &, quod iniquiſſimum eſt, accuſationis conditioni, & quod miſerrimum, inimici poteſtati. Quanquam in hac [a] præſcriptione ſemihoræ [b] patroni mihi parteis reliquiſti, conſulis, ademiſti: propterea quod ad defendendum propemodum ſatis erit hoc mihi temporis, verum ad conquerendum parum. Niſi fortè de locis religioſis, ac de lucis, quos ab hoc violatos eſſe dixiſti, pluribus verbis tibi reſpondendum putas. Quo in crimine nihil eſt unquam abs te dictum, niſi à C. Macro objectum eſſe crimen id C. Rabirio: in quo ego demiror, meminiſſe te, quid objecerit C. Rabirio Macer inimicus; oblitum eſſe, quid æqui, & jurati Judices judicarint. An de peculatu facto, an de tabulario incenſo longa oratio eſt expromenda? quo in crimine propinquus C. Rabirii judicio clariſſimo C. Curtius pro virtute ſua eſt honeſtiſſime liberatus: ipſe vero Rabirius non modò in judicium horum criminum, ſed ne in tenuiſſimam quidem ſuſpicionem verbo

[a] *definitione.* [b] *defenſoris.*

1. *T. Labiene.*] Tribunus-plebis erat Labienus, qui à Cæſare defecit ad Pompeium.

3. *Semihoræ.*] Vox illa ſemel hic apud Ciceronem reperitur. Queritur autem hic quod tam breve temporis ſpatium ſibi ad dicendum concedatur: cum accuſatori vulgo horæ duæ, defenſori tres permittantur.

8. *De locis religioſis.*] Loca religioſa habebantur quò mortui fuerant illati, ita Marianus Juriſconſ. lib. Digeſt. vel etiam luci in fundi, villæque conſpectu, in quibus lares certis diebus à dominis, & famulis colebantur.

9. *De lucis.*] Luci nemora erant religioſis locis, aut delubris vicina, quæ alicui numini conſecrabantur. Ita Virg. lib. 6. Æneid. *Unde etiam Triviæ templo, luciſque ſacratis Cornipedes arcentur equi*, poſſunt etiam intelligi arbores, quæ ad tumulos ſoliti fuerant ſerere, quæ pro lucis habebantur.

11. *A Macro.*] Macer in alia cauſa ejuſdem criminis Rabirium infimulaverat, à quo judicum ſententia liberatus eſt. Macer ille vir Prætorius fuit Calvi Oratoris pater: de eo meminit Cicero in Bruto.

13. *Jurati.*] Solebant judices, antequam ſententiam ferrent, ſe ſincere judicaturos jurare.

14. *An de peculatu.*] Peculatus furtum eſt pecuniæ publicæ aut ſacræ: cujus fur dicitur peculator.

Ib. *Tabulario incenſo.*] Tabularium locus eſt ubi tabulæ, & civitatis ſcripta reponuntur; tale fuit Saturni, ac Libertatis templum; cum autem objiceretur Rabirio ab eo fuiſſe tabularium incenſum, nondum id patebat; nam poſtea, id ſe feciſſe Q. Sofius Eques Rom. confeſſus eſt.

18. *Verbo.*] Id eſt, ne uno quidem verbo.

eſt unquam vocatus. An de ſororis filio diligentius reſponden-
dum eſt, quem ab hoc necatum eſſe dixiſti, cum ad judicii [c] mo-
ram familiaris funeris excuſatio quæreretur? Quid enim eſt tam
veriſimile, quam cariorem huic ſororis maritum, quam ſororis
filium fuiſſe? atque ita cariorem, ut alter vitâ crudeliſſime pri-
varetur, cum alteri ad prolationem judicii biduum quæreretur?
An de ſervis alienis contra legem Fabiam retentis, aut de civi-
bus Rom. contra legem Porciam verberatis, aut necatis, plura
dicenda ſunt, cum tanto ſtudio C. Rabirius totius Apuliæ, ſin-
gulari voluntate Campaniæ vicinitatis ornetur? cumque ad e-
jus propulſandum periculum non modo homines, ſed prope re-
giones ipſæ convenerint, aliquanto etiam latius excitatæ, quàm
ipſius vicinitatis nomen ac termini poſtulabant? Nam quid ego
ad id longam Orationem comparem, quod eſt in eadem multæ ir-
rogatione præſcriptum, hunc nec ſuæ, nec alienæ pudicitiæ peper-
ciſſe? Quinetiam ſuſpicor, eo mihi ſemi-horam à Labieno præſti-
tutam eſſe, ut ne plura de pudicitia dicerem. Ergo ad hæc cri-
mina, quæ patroni diligentiam deſiderant, intelligis mihi ſemi-
horam iſtam nimium longam fuiſſe. Illam alteram partem de nece
Saturnini nimis exiguam atque anguſtam eſſe voluiſti: quæ non
Orationis ingenium, ſed conſulis auxilium implorat & flagitat.
Nam de perduellionis judicio, quod à me ſublatum eſſe criminari
ſoles, meum crimen eſt, non Rabirii. Quod utinam, Quirites,
ego id aut primus, aut ſolus ex hac repub. ſuſtuliſſem! uti-

[c] *prolationem.*

21. *Familiaris funeris.*] Ulpianus Digeſt. lib. 2. ait non licuiſſe in jus eum vocari, qui funus duceret, aut juſta mortuis faceret.

25. *Legem Fabiam.*] Hac lege cavebatur, ne quis hominem liberum pro ſervo, aut ſervum alienum pro ſuo vendat. Putant aliqui legendum eſſe legem Flaviam; cum illa de Plagio agat: is autem qui ſervos alienos ſolicitat, vendit, emit, aut liberos pro ſervis, Plagiarius dicitur.

26. *Legem Porciam.*] Hæc lex à Porcio Catone Trib. pleb. lata eſt, Valerio & Apuleio Coſſ. anno urbis conditæ CDLIV. ne quis Magiſtratus civem Rom. virgis cæderet, necaretve: ſed damnato exilium permitteretur, cum antea nudorum cervix inſereretur furcæ, corpus virgis ad necem cæderetur.

27. *Totius Apuliæ.*] Credibile eſt ex Apulia fuiſſe Rabirium, aut in ea magiſtratum geſſiſſe. Veniebant enim ex provinciis vel urbibus legati, qui reum publica Oratione commendarent, cum periclitaretur in judicio.

28. *Campaniæ.*] Rabirius fundos habuit in Campania, & domum Neapoli, ut ex Ep. ad Attic. patet. Illic etiam homines liberos verberaſſe & occidiſſe ipſi objiciebatur.

32. *Multæ irrogatione.*] Irrogatio lex eſt in aliquem lata. Multa porro à Mulgeo mulctum dicta eſt, quod mulgeat, id eſt, exhauriat, in ea autem hæc obſervabantur: reo Magiſtratus diem dicebat: ter eum accuſabat, tum rogabat populum ut certa bonorum parte multaretur; hæc irrogatio per trinundinum durabat, tum reus accuſabatur.

40. *Nam de perduellionis judicio.*] Hic rejicit quædam crimina quæ in eum Labienus jecerat primum, quod ſumi ſupplicium de perduellionis condemnatis prohibuerat: alterum, Ciceronem crudelem eſſe, neque favere populo; perduelles vero dicebantur, qui nunc hoſtes à nobis appellantur.

nam, quod ille crimen eſſe vult, proprium teſtimonium meæ laudis eſſet! Quid enim optari poteſt, quod ego mallem, quam me in conſulatu meo carnificem de foro, crucem de campo ſuſtuliſſe! Sed iſta laus primum eſt majorum noſtrorum, Quirites, qui expulſis regibus, nullum in libero populo veſtigium crudelitatis regiæ retinuerunt: deinde multorum virorum fortium, qui veſtram libertatem non acerbitate ſuppliciorum [d] infeſtam, ſed lenitate legum munitam eſſe voluerunt. Quamobrem uter noſtrum tandem, Labiene, popularis eſt? tu-ne, qui civibus Roman. in concione ipſa carnificem, qui vincula adhiberi putas oportere? qui in campo Martio, comitiis centuriatis, auſpicato in loco, crucem ad civium ſupplicium defigi & conſtitui jubes? an ego, qui funeſtari concionem contagione carnificis veto? qui expiandum forum pop. Romani ab illis nefarii ſceleris veſtigiis eſſe dico; qui caſtam concionem, ſanctum campum, inviolatum corpus omnium civium Rom. integrum jus libertatis defendo ſervari oportere? Popularis vero tribunus-pleb. cuſtos, defenſorque juris, & libertatis. Porcia lex virgas ab omnium civium Rom. corpore amovit: hic miſericors flagella retulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit: Labienus, homo popularis, carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium Rom. injuſſu veſtro judicaretur: hic popularis à Duumviris in-

[d] *vexatam.*

45. *Carnificem de foro.*] Labienus carnificem in forum duxerat, cum Rabirii cauſa agebatur, ut damnatum eum inde in campum Martium abduceret, ut ibi in crucem paratam ageretur.

51. *Popularis eſt.*] Popularis dicitur qui & verbis, & factis placere populo ſtudet.

53. *In Campo Martio.*] Campus Martius ager fuit Tarquiniorum Marti conſecratus, quem Livius lib. 1. Martium appellatum fuiſſe narrat.

Ib. *Comitiis centuriatis.*] Comitia centuriata omnium maxima habebantur, tum quia fiebant ex cenſu & ætate per centurias, in quibus ſingulis centum cives erant; tum quia in eis Conſules & majores Magiſtratus creabantur; tum quia in his de maximis ſolum criminibus agebatur.

Ib. *Auſpicato in loco.*] Auſpicatus locus ille dicitur, qui auſpiciis Conſularibus conſecratur, neque enim illa comitia ſine auſpice, nec niſi in loco inaugurato haberi licuit.

54. *Funeſtari.*] Exiſtimabant pollui eum non modo qui attrectaſſet, ſed etiam qui vidiſſet cadaver hominis mortui.

55. *Contagione carnificis.*] Lex fuit, ne carnifex impurus in concione quemquam attingeret, ne civis verberaretur.

56. *Nefarii ſceleris.*] Nefarium ſcelus erat, ſi caperetur civis Romanus, & ad patibulum duceretur, quod tanquam funeſtum aliquod piaculum expiandum erat.

57. *Caſtam.*] Caſtum id dicitur quod purum eſt, nec violatum; violabatur autem campus Martius & carnificis & crucis contagione.

59. *Popularis vero tribunus.*] Ironice hîc ludit Labienum diſſimili collatione civium popularium, quorum meminerat in Oratione ſua Labienus.

64. *Injuſſu veſtro.*] Populus jubebat, cenſebat Senatus.

Ib. *A Duumviris.*] Suetonius in vita Cæſaris refert Duumviros à Tullo Hoſtilio rege in cauſa Horatiorum fuiſſe primùm conſtitutos, cum poteſtate tamen ad populum provocandi; acta vero primum hæc Rabirii cauſa apud Duumviros fuit, & ab iis condemnatus ad populum appellavit.

65 juſſu veſtro, non judicari de cive Rom. ſed indicta cauſa civem Roman. capitis condemnari coegit. Tu mihi etiam legis Porciæ, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cujuſquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modo ſuppliciis inuſitatis, ſed etiam verborum inaudita crudelitate violare liber-
70 tatem hujus populi, [e] tentare manſuetudinem, commutare diſciplinam conatus es? Namque hæc tua, quæ te hominem clementem popularemque delectant: I LICTOR, [f] COLLIGA MANUS: quæ non modo hujus libertatis, manſuetudiniſque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numæ Pompilii: ſed
75 Tarquinii ſuperbiſſimi atque crudeliſſimi regis iſta ſunt cruciatus carmina: quæ tu homo lenis, ac popularis, libentiſſimè commemoras, CAPUT OBNUBITO, ARBORI INFELICI SUSPENDITO. Quæ verba, Quirites, jam pridem inhac repub. non ſolum tenebris vetuſtatis, verum etiam luce libertatis oppreſſa
80 ſunt.

III. An vero, ſi actio iſta popularis eſſet, & ſi ullam partem æquitatis haberet aut juris, C. Gracchus eam reliquiſſet? ſcilicet tibi graviorem dolorem patrui tui mors attulit, quàm C. Graccho fratris: & tibi acerbior ejus patrui mors eſt, quem nunquam vidiſti,
5 quàm illi ejus fratris, quicum concordiſſimè vixerat: & ſimilis viri

[e] *tollere.* [f] *liga.*

65. *Indicta cauſa.*] Nulla eſt audita Rabirii defenſio: nam non dicunt cauſam qui contra leges damnantur.

72. *I, Lictor, &c.*] Formula fuit judicii, quod ferebatur à Duumviris in reos perduellionis.

74. *Romulus quidem, aut Numa.*] Hi primi omnium Regum Romanorum fuerunt, iique clementiſſimi Principes.

Ib. *Sed Tarquinii.*] Auctor illius ſententiæ fuit Tullus Hoſtilius in judicio Horatianorum, non Tarquinius; ſed eam ei attribuit, quod eam per ſummam tyrannidem erga cives Rom. ſæpe uſurparat.

75. *Cruciatus carmina.*] Id eſt, ſunt voces, formulæ & cantus. Carmen enim à canendo dictum eſt, imo leges & judicum ſententiæ quæ per præconem denunciabantur, carmen appellatæ ſunt. Vide Livium lib. 1.

77. *Caput obnubito.*] Id eſt vela, ne videlicet aſpectu patibuli reus terreretur, aut in voces irrumperet: vel ut ſignificarent luce indignum eſſe.

Ib. *Arbori infelici.*] Per arborem crucem intelligit, quæ ex aliquo ſigno vel arbore infelici componebatur; porro arbores infelices, auctore Plinio cap. 27. lib. 16. illæ cenſebantur, & damnatæ religione, quæ neque ſeruntur unquam, neque fructum ferunt, vel quæ Diis inferorum ſacratæ ſunt.

78. *Suſpendito.*] Funibus religabantur, qui in crucem ſuſpendebantur.

79. *Tenebris vetuſtatis, luce libertatis.*] Tranſlata verba, illud à nocte, iſtud à die; vult autem indicare illas duriſſimas perduellionis leges latis, novis & mitioribus, antiquitas eſſe.

1. *Actio iſta.*] Actionem intelligit quâ Rabirii civis Rom. mortem perſequitur Labienus.

4. *Fratris.*] Ex his verbis fas eſt conjicere Q. Labienum Titi patruum, tum Tribunum plebis fuiſſe, quando cum Saturnino occiſus eſt; duo autem Gracchi fuerunt fratres, Tiberius & Caius uterque ſeditioſus, uterque Tribunus-plebis, primus cùm iterum Tribunus creari vellet, Naſica auctore, alter à Lucio Opimio Conſule interfectus eſt.

5. *Et ſimilis.*] Vox iſta, *Et*, interrogativè ponitur. Sic apud Virg. *Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi?*

tu

tu ulciſceres patrui mortem, atque ille perſequeretur fratris ſui, ſi iſta ratione agere voluiſſet? & par deſiderium ſui reliquit apud populum Romanum Labienus iſte, patruus veſter, quiſquis fuit, ac Tib. Gracchus reliquerat? An pietas tua major, quàm Gracchi? an animus? an conſilium? an opes? an auctoritas? an eloquentia? quæ ſi in illo minima fuiſſent, tamen [a] præ tuis facultatibus maxima putarentur. Cum vero his rebus omnibus C. Gracchus omnes vicerit, quantum intervallum tandem inter te, atque illum interjectum putas? Sed moreretur priùs acerbiſſima morte millies Gracchus, quàm in ejus concione carnifex conſiſteret; quem non modo foro, ſed etiam [b] cœlo hoc ac ſpiritu cenſoriæ leges, atque urbis domicilio carere voluerunt. Hic ſe popularem dicere audet, me alienum à commodis veſtris: cum iſte omnes & ſuppliciorum, & verberum acerbitates, non ex memoria veſtra ac patrum veſtrorum, ſed ex annalium monumentis, atque ex regum commentariis conquiſierit: ego omnibus meis opibus, omnibus conſiliis, omnibus dictis atque factis repugnarim & reſtiterim crudelitati? Niſi forte hanc [c] conditionem vobis eſſe vultis, quam ſervi, ſi libertatis ſpem propoſitam non haberent, ferre nullo modo poſſent. Miſera eſt ignominia judiciorum publicorum, miſera [d] multatio bonorum, miſerum exilium: ſed tamen in omni calamitatate retinetur aliquod veſtigium libertatis; mors denique ſi proponitur, libertate moriamur; carnifex vero & obductio capitis, & nomen ipſum crucis, abſit, non modo à corpore civium Roman. ſed etiam à cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non ſolùm eventus, atque perpeſſio, ſed etiam conditio, expectatio, [e] mentio ipſa denique, indigna cive Romano atque homine libero eſt. An vero ſervos noſtros ho-

[a] *in comparatione facultatum tuarum.* [b] *aere.* [c] *hanc ſortem.* [d] *publicatio.* [e] *cogitatio.*

7. *Deſiderium.*] Tanto dolore affectus eſt de morte Gracchorum pop. Rom. ut Plutarchus aſſerat in eorum vita, erectas ipſis fuiſſe ſtatuas in eodem luco ubi interfecti ſunt.

11. *Eloquentia.*] Cicero in Claris Oratoribus ait, *C. Graccho pleniorem & uberiorem ad dicendum Oratorem ante eum nullum fuiſſe.* Laudat vero Gracchum, quia libenter ejus laudes populus audiebat.

16. *Cenſoriæ leges.*] Quibus cavebatur ne carnifex civis Rom. eſſet, ne in foro conſpiceretur, neve in urbe domicilium haberet.

20. *Annalium monumentis.*] Ex Cic. lib. 2. de Orat. erat aliud Hiſtoria nihil, niſi Annalium confectio, rei memoriæque publicæ retinendæ cauſâ, ab initio rerum Rom. uſque ad P. Mucium Pontificem Max. Pontifex enim Max. res omnes fingulorum annorum mandabat literis.

20. *Ex regum commentariis.*] Conſtat ex Livio, lib. 1. Reges Romanos de ſuis rebus geſtis, aut conſtitutis Commentarios ſcripſiſſe, in quo probabile eſt eos ſuiſſe imitatum Cæſarem.

25. *Judiciorum publicorum.*] In judiciis publicis de capite civium agebatur, & eorum executio cuique ex populo committebatur.

32. *Conditio.*] Miſera illa eſt conditio in qua aliquis ita vivit, ut in eum cadere ſupplicii ſervilis nota poſſit.

rum ſuppliciorum omnium metu, dominorum benignitas una vindicta liberabit: nos à verberibus, ab unco, à crucis denique terrore, neque res geſtæ, neque acta ætas, neque noſtri [f] honores vindicabunt? Quamobrem fateor, atque etiam, T. Labiene, profiteor & [g] præ me fero, te ex illa crudeli, importuna, non tribunitia actione, ſed Regia, meo conſilio, [h] virtute, auctoritate eſſe depulſum. Qua tu in actione, quanquam omnia exempla Majorum, omnes leges, omnem auctoritatem Senatûs, omnes religiones atque auſpiciorum publica jura neglexiſti: tamen à me hæc in hoc tam exiguo meo tempore non audies: liberum tempus nobis dabitur ad illam diſceptationem. Nunc de Saturnini crimine ac de clariſſimi patrui tui morte dicemus.

[f] *magiſtratus.* [g] *non diſſimulo.* [h] *fortitudine.*

34. *Una vindicta.*] Vindicta erat virga quam Prætor vel Lictor ſervi capiti imponens, eundem ſervum in libertatem, verba quædam ſolemnia proferens, vindicabat.

35. *Ab unco.*] Unco recurvo quorumdam criminum damnati ad ſupplicium trahebantur.

40. *Exempla Majorum.*] Majores nunquam carnifices & crucem adhibuerunt in contione.

41. *Omnes leges.*] Intelligit leges Cenſorias, quæ voluerunt carere foro carnifices.

Ib. *Omnes religiones.*] Cum in Campo Martio crucem defigi voluit, religiones & auſpicia neglexit, quia obſervatum erat de cœlo, & Labieno obnunciatum, quod mala erant auſpicia, non tamen ab actione deſtitit.

CONFIRMATIO.

In quâ duas affert rationes Cicero; primam, Rabirius non occidit Saturninum: ſecundam, Rabirius jure ſumpſit arma contra Saturninum.

IV. Arguis occiſum eſſe à C. Rabirio L. Saturninum: & id C. Rabirius multorum teſtimoniis, Q. Hortenſio copioſiſſimè defendente, antea falſum eſſe docuit. Ego autem, ſi mihi eſſet integrum, ſuſciperem hoc crimen, agnoſcerem, confiterer. Utinam hanc mihi facultatem cauſa concederet, ut poſſem hoc prædicare, C. Rabirii manu L. Saturninum hoſtem populi Romani interfectum. Nihil me clamor iſte commovet, ſed conſolatur; cum indicat eſſe quoſdam cives imperitos, ſed non multos. Nunquam, mihi credite, pop. Rom. hic, qui ſilet, Conſulem me feciſſet, ſi veſtro clamore perturbatum

4. *Suſciperem hoc crimen.*] Crimen hoc licet à Rabirio non ſit commiſſum, tamen ultrò commiſſum ab eo eſſe libenter ait ſe confeſſurum, & ſuum prædicaturum, quia crimen non eſt appellandum, quod reipublicæ cauſâ committitur.

5. *Cauſa.*] Rabirius nolebat interfector Saturnini appellari.

7. *Clamor iſte.*] Si quid in concionibus dictum eſſet, quod populo placeret, acclamabatur; ſi quid verò diſpliceret, admurmurabat & obſtrepebat.

iri arbitraretur. Quanto jam levior eſt acclamatio! quin continetis vocem, indicem ſtultitiæ veſtræ, teſtem paucitatis? Libenter, inquam, confiterer, ſi verè poſſem, aut etiam ſi mihi eſſet integrum, C. Rabirii manu L. Saturninum eſſe occiſum: & id facinus pulcherrimum eſſe arbitrarer: ſed quoniam id facere non poſſum, confitebor id, quod ad laudem minus valebit, ad crimen non minus. Confiteor interficiendi Saturnini cauſâ C. Rabirium arma cepiſſe, quid eſt, Labiene? quam à me graviorem confeſſionem, aut quod in hunc majus crimen expectas? niſi vero intereſſe aliquid putas inter eum qui hominem occidit, & eum qui cum telo occidendi hominis cauſa fuit. Si interfici Saturninum nefas fuit, arma ſumpta eſſe contra Saturninum ſine ſcelere non poſſunt; ſi arma jure ſumpta concedis, interfectum jure concedas neceſſe eſt.

Paucula quædam deeſſe videntur.

V. FIT S. C. ut C. Marius, L. Valerius Conſules adhiberent Tribunos-plebis & Prætores, [a] quos eis videretur: operamque darent, ut imperium populi Rom. majeſtaſque conſervaretur; adhibent omnes Tribunos-plebis, præter Saturninum, Prætores præter Glauciam: qui rempublicam ſalvam eſſe vellent, arma capere, & ſe ſequi jubent. Parent omnes; ex ædificiis armamentariiſque publicis arma populo Romano, C. Mario Conſule diſtribuente, dantur. Hic jam ut omittam cætera, de te ipſo, Labiene, quæro: cum Saturninus Capitolium teneret armatus, eſſet una C. Glaucia, C. Saufeius, etiam ille ex compedibus atque ergaſtulo, Gracchus: addam (quoniam ita vis) [b] eodem Q. Labienum patruum tuum: in foro autem C. Marius,

[a] *quos placeret ſibi.* [b] *ad hos.*

11. *Libenter inquam.*] Acclamatione & admurmuratione ſedata, repetit ſuam propoſitionem.

15. *Ad laudem minus valebit.*] Nam minor Rabirii laus eſt, quod arma ceperit Saturnini occidendi cauſâ, quàm fuiſſet, ſi eum occîdiſſet.

22. *Concedas neceſſe eſt.*] Deſiderantur hic omnia quæ de ſeditione Saturnini, & tumultu populi ad eam reprimendam dicta ſunt.

1. *Fit S. C.*] Loquitur de Senatuſconſulto, quo probat arma jure ſumota eſſe. Illud autem Senatuſconſultum fuit, ut Conſules viderent ne quid detrimenti caperet Reſpub.

2. *Tribunos-plebis.*] Decem tum erant Tribuni-plebis.

5. *Glauciam.*] Glaucia turpiſſimus vir fuit & leviſſimus, de quo Cicero lib. 3. de Oratore loquitur; & quem tum Prætorem fuiſſe Livius lib. 69. refert.

6. *Armamentariis.*] Armamentarium locus eſt, ubi omnia armorum genera; armarium vero, ubi libri reponuntur.

8. *De te, Labiene.*] Oſtendit Rabirium arma debuiſſe ſumere, non domi latere, non cum Saturnino Capitolium occupare: nam foro pulſus illud Saturninum occuparat.

10. *C. Saufeius.*] Is eſſe videtur Saufeius, quem C. Saffinium appellat Appianus. lib. 1. qui tum Cenſor fuit.

11. *Ergaſtulo.*] Ergaſtulum locus eſt, in quo vincti nequiores ſervi opus faciunt.

Ib. *Gracchus.*] Equitibus quidam ſe Gracchi filium finxit, ut ſibi populum demereretur, apud quem valebat plurimum Gracchorum familia. Is cum Saturnino, Glaucia.

rius, & L. Valerius Flaccus Coſſ. pòſt cunctus Senatus, atque ille Senatus, quem etiam vos ipſi, qui hos P. conſcriptos, qui nunc ſunt, in invidiam vocatis, quò faciliùs de hoc Senatu detrahere poſſitis, laudare conſueviſtis: cum equeſter ordo: at quorum equitum Roman. dii immortales! patrum noſtrorum atque ejus ætatis, quæ tum magnam partem reipub. atque omnem dignitatem judiciorum tenebat: cùm omnes omnium ordinum homines, qui in ſalute reipub. ſalutem ſuam repoſitam eſſe arbitrabantur, arma cepiſſent: quid tandem C. Rabirio faciendum fuit? De te ipſo, inquam, Labiene, quæro: cùm ad arma Conſules ex S. C. vocaviſſent: cùm armatus M. Æmilius, princeps Senatûs, in comitio conſtitiſſet, qui, cùm ingredi vix poſſet, non ad inſequendum ſibi tarditatem pedum, ſed ad fugiendum impedimento fore putabat: cùm denique Q. Scævola confectus ſenectute, præpeditus morbo, mancus & membris omnibus captus ac debilis, haſtili nixus, & animi vim & infirmitatem corporis oſtenderet: cùm L. Metellus, Ser. Galba, C. Serranus, P. Rutilius, C. Fimbria, Q. Catulus, omneſque qui tum erant Conſulares, pro ſalute communi arma cepiſſent; cùm omnes Prætores, cuncta nobilitas, ac juventus accurreret, Cn. & L. Domitius, L. Craſſus, Q. Mucius, C. Claudius, M. Druſus: cùm omnes Octavii,

Glaucia, & Saufeio arma cepit. Vide Valerium lib. 9.

18. *Omnem dignitatem judiciorum.*] Lege Gracchi Equeſter Ordo judicia adminiſtrabat, quorum auctoritas à Sylla devoluta eſt ad Senatores: ſed tandem legem tulit Aurelius Cotta, ut cum Senatoribus Equites & Tribuni Ærarii judicarent.

23. *M. Æmilius.*] M. Æmilius Scaurus, cujus conſtantiam & gravitatem ſæpe Cicero laudat, cum videret concitatum à Saturnino aliiſque populum, Marium Sextum Conſulem hortatus eſt, ut libertatem Reipub. tueretur, atque ipſe in ſumma ſenectute armatus, & innixus ſpiculo conſtitit ante Curiæ fores. Vide Val. lib. 3.

24. *In Comitio.*] Comitium erat Curiæ proximum.

Ib. *Ingredi.*] Ambulare propter ſummam ſenectutem vix poterat.

25. *Ad inſequendum.*] Putabat videlicet illam pedum tarditatem fore ſibi impedimento, non ut fugeret; ſed quominus ſeditioſos cives inſequeretur.

26. *Q. Scævola.*] Is Scævola cum L. Metello Dalmatico Conſul fuerat, nam alter quinquennio poſt Marium & Flaccum Conſules, qui Saturninum oppreſſerunt, Conſulatum geſſit.

27. *Præpeditus morbo.*] Morbo pedum, ſeu podagra laborabat.

29. *L. Metellus.*] Dalmaticus dictus eſt, & Conſulatu functus anno urbis 636. cenſura, & triumpho de Dalmatis illuſtris fuit.

Ib. *Galba.*] Galba Conſul fuit cum M. Æmilio Scauro, cujus ex familia ſex aut ſeptem Conſulares exſtitere.

Ib. *Serranus.*] Serranus cum Q. Cæpione, Rutilius cum Cn. Manlio, Fimbria cum C. Mario, Q. Catulus cum eodem Mario Conſulatum geſſerunt.

32. *Cn. & L. Domitius.*] Uterque Domitius Ænobarbus, ut opinor, fratres, quorum primus cum Caſſio Longino, alter cum Cœlio Caldo Conſul fuit.

Ib. *L. Craſſus.*] Craſſus orator fuit, Mucius verò Pontifex Max.

33. *Claudius.*] Claudius fuit Conſul cum Perpenna.

Ib. *M. Druſus.*] Druſus tribunus plebis domi ſuæ interfectus eſt.

Ib. *Octavii.*] Octavii tres Conſulatum geſſerunt,

Me-

Metelli, Julii, Caſſii, Catones, Pompeii: cùm L. Philippus, L. Scipio, cùm M. Lepidus, cùm D. Brutus, cùm hic ipſe P. Servilius quo tu imperatore, Labiene, [c] meruiſti; cum hic Q. Catulus admodum tum adoleſcens, cùm hic C. Curio, cùm denique omnes clariſſimi viri cum Conſulibus eſſent: quid tandem C. Rabirium facere convenit? utrum incluſum atque abditum latere in occulto, atque ignaviam ſuam tenebrarum ac parietum cuſtodiis tegere? an in Capitolium pergere, atque ibi ſe cum tuo patruo & cæteris ad mortem propter vitæ turpitudinem confugientibus congregare? an cum Mario, Scauro, Catulo, Metello, Scævola, cum bonis denique omnibus coire non modò ſalutis, verum etiam periculi ſocietatem? Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re ac tempore? cùm ignaviæ ratio te in fugam, atque in latebras impelleret: improbitas & furor Lucii Saturnini in Capitolium [d] arceſſeret: Conſules ad patriæ ſalutem ac libertatem vocarent: quam tandem auctoritatem, quam vocem, cujus ſectam ſequi, cujus imperio parare potiſſimùm velles? Patruus, inquit, meus cum Saturnino fuit. Quid? pater quicum? quid? propinqui veſtri, Equites Romani? quid? omnis præfectura, regio, vicinitas veſtra? quid? ager Picenus univerſus, utrùm Tribunitium furorem, an Conſularem auctoritatem ſecutus eſt?

VI. Equidem hoc affirmo, quod tu nunc de tuo patruo prædicas, neminem unquam adhuc de ſeſe confeſſum. Nemo eſt, inquam, inventus tam profligatus, tam perditus, tam ab omni non modò ho-

[c] *militâſti.* [d] *vocaret.*

34. *Metelli.*] Q. Metellus Nepos Conſul anno 655. fuit cum T. Didio; ob diſſipatam rem domeſticam, Nepos dictus eſt.

Ib. *Julii.*] Sex. Julius Cæſar Conſul cum Philippo, & L. Cæſar cum P. Rutilio Lupo.

Ib. *Caſſii.*] C. Caſſius Varus Conſul cum L. Gellio.

Ib. *Catones.*] L. Porcius Cato Conſul cum Cn. Pompeio Strabone.

Ib. *Pompeii.*] Cn. Strabo Pompeius Conſul fuit cum Porcio Catone, Q. Pompeius Rufus cum L. Sylla.

Ib. *Philippus.*] Conſul cum Sexto Julio Cæſare.

35. *L. Scipio.*] Conſul cum Norbano.

Ib. *M. Lepidus.*] Lepidus cum Q. Catulo, Brutus cum Æmilio Lepido Liviano.

36. *P. Servilius.*] Servilius, qui Iſauricus poſtea dictus eſt ab Iſauria urbe Ciliciæ capta, cum Appio Pulchro Conſul fuit.

Ib. *Imperatore.*] Cùm bellum gereret in Cilicia, is primus omnium in Iſauriam ingreſſus eſt; & triumphum, & Iſaurici nomen adeptus eſt.

37. *C. Curio.*] Curio pater ejus Curionis fuit, qui bello Civili, pro Cæſare pugnans, periit in Africa.

46. *Ac tempore.*] Quo Saturninus cum ſuis excitabat ſeditionem.

51. *Quid? pater.*] Videtur hic ſignificare Labieni patrem non cum ſeditioſis, ſed cum Conſulibus fuiſſe.

52. *Omnis præfectura.*] Præfecturæ in Italia eæ urbes dicebantur, quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur; in eas legibus Præfecti quotannis jus dictare mittebantur. De his Feſtus.

53. *Ager Picenus.*] Ager Picenus eſt Italiæ quinta regio trans Appeninum, ab ipſis montibus ad mare Adriaticum uſque extenſus. Vide Straboném lib. 5. Hodie Marchia Anconitana dicitur ab Ancona emporio celeberrimo.

1. *Patruo prædicas.*] Nemo eſt qui prædicet ſe cum Saturnino fuiſſe; & tamen ea eſt impudentia Labienus, ut id de patruo ſuo jactet.

neſtate,

neſtate, ſed etiam ſimulatione honeſtatis relictus, qui ſe in Capitolio fuiſſe cum Saturnino fateretur. At fuit veſter patruus, fuerit; & fuerit nullâ deſperatione rerum ſuarum, nullis domeſticis [a] vulneribus coactus: induxerit eum L. Saturnini familiaritas, ut amicitiam patriæ præponeret: idcirco-ne oportuit C. Rabirium deſciſcere à republica; non comparere in illa armata multitudine bonorum? Conſulum voci atque imperio non obedire? Atqui videmus, hæc in rerum natura tria fuiſſe, ut aut cum Saturnino eſſet, aut cum bonis, aut lateret. Latere, mortis erat [b] inſtar turpiſſimæ: cum Saturnino eſſe, furoris & ſceleris: virtus & honeſtas, & pudor cum Conſulibus eſſe cogebat. Hoc tu igitur in crimen vocas, quòd cum iis fuerit C. Rabirius, quos, amentiſſimus fuiſſet, ſi oppugnaſſet; turpiſſimus, ſi reliquiſſet? At C. Decianus, de quo tu ſæpe commemoras, quia, cùm hominem omnibus inſignem notis turpitudinis P. Furium accuſaret, ſummo ſtudio bonorum omnium, queri eſt auſus in concione de morte Saturnini, condemnatus eſt: & Sextus Titius quòd habuit imaginem L. Saturnini domi ſuæ, condemnatus eſt. Statuerunt Equites Romani illo [c] judicio, improbum civem eſſe, & non retinendum in civitate, qui hominis hoſtilem in modum ſeditioſi imagine aut mortem ejus honeſtaret, aut deſideria imperitorum miſericordia commoveret, aut ſuam ſignificaret imitandæ improbitatis voluntatem. Itaque mihi mirum videtur, unde hanc tu, Labiene, imaginem, quam habes, inveneris: nam Sex. Titio damnato, qui iſtam habere auderet, inventus eſt nemo. Quod tu ſi audiſſes, aut ſi per ætatem ſcire potuiſſes, nunquam profectò iſtam imaginem, quæ domi poſita [d] peſtem atque exilium Sex. Titio attuliſſet, in roſtra, atque in concionem attuliſſes, nec tuas unquam rationes ad eos ſcopulos appuliſſes, ad quos Sex. Titii afflictam navem, & in quibus C. Deciani naufragium fortunarum videres. Sed

[a] *incommodis.* [b] *imago.* [c] *conſenſu.* [d] *calamitatem & condemnationem.*

6. *Nullâ deſperatione rerum.*] Qui enim ære alieno tenebantur adſtricti, ut plurimum ſeditioſos cives ſequebantur.

16. *At C. Decianus.*] Hic oſtendit à præjudiciis ſive judicatis, Labienum potius quàm Rabirium perduellionis accuſandum eſſe. Nam Decianus tantum damnatus eſt, quia de Saturnino queſtus eſt. cum Furium defendebat. Vide Val. Max. lib. 8 cap. 1.

20. *Sextus Titius.*] Titius homo loquax & acutus, ut ait Cicero, licet innocens eſſet, & lege Agraria gratioſus populo, tamen condemnatus eſt, quia domi Saturnini imaginem habebat.

21. *Equites Rom.*] Qui ſoli tum judicabant.

24. *Imperitorum.*] Id eſt, imperitæ multitudinis, quæ facile rebus ejuſmodi ducitur.

29. *Iſtam imaginem.*] Labienus produxerat imaginem L. Saturnini in concione, aut quam apud ſe Titius habebat, aut aliam huic certe ſimilem.

31. *In roſtra.*] Ubi hæc cauſa acta eſt.

Ib. *Tuas rationes.*] Quibus voluiſti impellere pop. Rom. ad perdendum Rabirium.

32. *Afflictam navem.*] Per navem intelligit familiam & domum, metaphora à nave ſumpta, & naufragio.

in

in his rebus omnibus imprudentiâ [e] laberis: cauſam enim ſuſcepiſti antiquiorem memoriâ tuâ: quæ cauſa ante mortua eſt, quàm tu natus eſſes; qua in cauſa tute profectò fuiſſes, ſi per ætatem eſſe potuiſſes, eam cauſam in judicium vocas. An non intelligis, primùm quos homines, & quales viros mortuos ſummi ſceleris arguas? deinde quot ex iis qui vivunt, eodem crimine in ſummum capitis periculum arceſſas? Nam ſi C. Rabirius [f] fraudem capitalem admiſit, quòd arma contra L. Saturninum tulit: huic quidem afferret aliquam deprecationem periculi ætas illa, qua tum fuit: Q. verò Catulum patrem hujus, in quo ſumma ſapientia, eximia virtus, ſingularis humanitas fuit; M. Scaurum, illâ gravitate, illo conſilio, illâ prudentiâ, duos Mucios, L. Craſſum, M. Antonium, qui tum extra urbem cum præſidio fuit; quorum in hac civitate longe maxime conſilia atque ingenia fuerunt; cæteros pari dignitate præditos, cuſtodes, gubernatoreſque reipub. quemadmodum mortuos defendemus? Quid de illis honeſtiſſimis viris, atque optimis civibus, equitibus Rom. dicemus, qui tum una cum Senatu ſalutem reipub. defenderunt? quid de tribunis ærariis, cæterorumque ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperunt? Sed quid ego de iis omnibus, qui Conſulari imperio paruerunt, loquor? de ipſorum Coſſ. fama quid futurum eſt? L. Flaccum hominem cùm ſemper in repub. tum in Magiſtratibus gerendis, in ſacerdotio cæremoniiſque quibus præerat diligentiſſimum, nefarii ſceleris ac parricidii mortuum condemnabimus? adjungemus ad hanc labem ignominiamque mortis etiam C. Marii nomen? C. Marium, quem verè patrem patriæ, parentem, inquam, veſtræ libertatis atque hujuſce reip. poſſumus dicere, ſceleris ac parricidii nefarii mortuum condemnabimus? Etenim ſi C. Rabirio, quòd iit ad arma, crucem T. Labienus in campo Martio defigendam putavit; quod tandem excogitabitur in eum ſupplicium, qui vocavit? Ac, ſi fides Saturnino

[e] *cadis ſenſim.* [f] *crimen.*

35. *Antiquiorem memoriâ tuâ.*] Quia occiſus eſt Saturninus annis ſex & triginta ante hanc Rabirii accuſationem. Labienus autem juvenis erat: nam Tribunatus anno ætatis vigeſimo gerebatur.

42. *Ætas qua tum fuit.*] Tunc enim erat adoleſcens Rabirius.

45. *Duos Mucios.*] Scævolam utrumque Pontificem & Augurem.

Ib. *L. Craſſum & Antonium.*] Oratores, de quibus ſæpe in libris Oratoriis.

51. *Tribunis ærariis*] Tribunis ærariis pecunia militaris erat credita.

55. *L. Flaccum.*] Lib. 1. de Divinatione Flaccum Martialem Flaminem fuiſſe ait.

59. *Marium.*] Appellat Marium hanc popularem ſuum Cicero patrem patriæ propter relatam de Cimbris victoriam: Quam laudem Q. Catulus Ciceroni omnium primo detulit.

60. *Veſtræ libertatis.*] Ille Marius contra Syllam patriæ libertatem defendit.

64. *Qui vocavit.*] Ad arma.

Ib. *Si fides Saturnino.*] Cum in Capitolio Saturninus obſideretur, juſſit Marius aquæductus reſcindi: quare oppreſſus ſiti, coactus eſt ſe Mario in fidem dare, hunc occluſit in Curia, ubi irruptione facta, à multitudine cum ſociis occiſus eſt.

data

data eſt, quod abs te ſæpiſſimè dicitur; non eam C. Rabirius, ſed C. Marius dedit: idemque violavit, ſi in fide non ſtetit. Quæ fides, Labiene, quî potuit ſine Senatuſconſulto dari? adeo-ne hoſpes hujuſce urbis, adeo-ne ignarus es diſciplinæ conſuetudiniſque noſtræ, ut hæc neſcias? ut peregrinari in aliena civitate; non in tua Magiſtratum gerere videare? Quid jam iſta C. Mario, inquit, nocere poſſunt, quoniam ſenſu & vitâ caret? Itane verò? tantis in laboribus C. Marius, periculiſque vixiſſet, ſi nihil longius, quàm vitæ termini poſtulabant, ſpe atque animo de ſe & gloria ſua cogitaſſet? At credo, cum innumerabiles hoſtium copias in Italia fudiſſet, atque obſidione rempub. liberaſſet, omnia ſua ſecum una moritura arbitrabatur. Non eſt ita, Quirites; neque quiſquam noſtrûm in reipub. periculis cum laude ac virtute verſatur, quin [g] ſpe poſteritatis fructuque ducatur. Itaque cùm multis aliis de cauſis, virorum bonorum mentes divinæ mihi, atque æternæ videntur eſſe, tum maximè quòd optimi & ſapientiſſimi cujuſque animus ita præſentit in poſterum, ut nihil, niſi ſempiternum ſpectare videatur. Quapropter equidem & C. Marii, & cæterorum virorum ſapientiſſimorum, ac fortiſſimorum civium mentes, quæ mihi videntur ex hominum vita ad deorum [h] religionem & ſanctimoniam demigraſſe, teſtor, me pro illorum fama, gloria, memoria, non ſecus ac pro patriis fanis atque delubris propugnandum putare: ac, ſi pro illorum laude mihi arma capienda eſſent, non minus ſtrenuè caperem, quàm illi pro communi ſalute ceperunt. Etenim Quirites, exiguum nobis vitæ curriculum natura circumſcripſit, immenſum gloriæ. Quare ſi eos, qui jam de vita deceſſerunt, [i] ornabimus; juſtiorem nobis mortis conditionem relinquemus. Sed ſi illos, Labiene, quos jam videre non poſſumus, negligis; ne his quidem, quos vides, conſuli putas oportere? neminem eſſe dico ex iis omnibus qui illo die Romæ fuerint, quem tu diem in judicium vocas, pubeſque tum fuerit, quin

[g] *tangatur ſenſu poſteritatis.* [h] *acceſſiſſe ad numerum deorum.* [i] *laudabimus.*

67. *Sine Senatuſconſulto dare.*] Arguit Labienus Marium, quòd fidem Saturnino datam non ſervaverit. Reſpondet Cicero publicam non fuiſſe, nec valuiſſe ſine Senatûs auctoritate.

68. *Conſuetudiniſque noſtræ.*] Conſuetudo non patitur fidem publicam valere ſine Senatûs auctoritate.

70. *Magiſtratum gerere.*] Tribunatum plebis Magiſtratum appellat, quem Plutarchus non fuiſſe tradit, quia tribunis ejuſmodi nulla erant inſignia dignitatis.

74. *Innumerabiles.*] Refert Eutropius lib. 5. trecenta quadraginta millia Cimbrorum, Teutonum, & Ambronum occidiſſe Marium.

81. *Præſentit.*] Poſteritatis præſentione & ſpe ducitur animus.

84. *Ad deorum religionem.*] Colebant Romani non ſolum deos qui cœlites dicebantur, verum etiam eos quos virtus ad cœlum extulerat. Unde ait Cicero omnium animos immortales eſſe, ſed fortium bonorumque divinos.

91. *Mortis conditionem.*] Contendit, ſi à nobis vivis celebrentur ii, qui priores nobis mortui ſunt, quod, & qui vivent poſt mortem noſtram, nos etiam honoribus proſecuturi ſint; ſecus autem, ſi eorum memoriæ injuriam facimus.

95. *Pubes.*] Quando hoc verbum pubes ſubſtantive ſumitur, ſignificat propriè

quin arma ceperit, quin Conſules ſecutus ſit; omnes ii, quorum tu ex ætate conjecturam facere potes, quid tum fecerint, abs te rei capitis, C. Rabirii nomine citantur. At occîdit Saturninum Rabirius; utinam feciſſet; non[k] ſupplicium deprecarer, ſed præmium poſtularem. Etenim ſi Scævæ, ſervo Q. Crotonis qui occîdit L. Saturninum, libertas data eſt; quod Equiti Rom. præmium dari par fuiſſet? &, ſi C. Marius, quod fiſtulas, quibus aqua ſuppeditabatur Jovis Optimi Maximi templis ac ſedibus, præcidi imperarat, quod in clivo Capitolino improborum civium

— — — —

Deſunt, ut videtur, non pauca.

[k] *precarer ut parceretur ei.*

prìè lanuginem illam, quæ anno 14. genas veſtit; quando adjective, eum deſignat, qui hanc ætatem attigit, ita pro Milone *omnem Italiæ pubem commiſerat.*

102. *Fiſtulas.*] Per fiſtulas plumbeas aqua è fontibus in loca quælibet ducitur.

103. *Aqua ſuppeditabatur.*] Anio fons primo in Capitolium deductus eſt anno urbis conditæ 627. à Cneo Servilio Cæpione, & L. Caſſio Longino cenſoribus. Vide Frontinum de aquæductibus.

ORA-

ORATIO PRIMA IN *L. CATILINAM*, Habita in SENATU.

ARGUMENTUM.

CUM multa de hac conjuratione apud Salluſtium, Plutarchum in vita Ciceronis, Appianum in lib. 2. de bell. civil. & Florum lib. 4. legi poſſint: afferam duntaxat, quæ ad rem noſtram pertinent. Catilina & conjurati reliqui in domum M. Leccæ viii. Id. Novemb. nocte conſequente convenerant, qua conſtitutum eſt ut Catilina ex urbe exiret, alii remanerent cædis atque incendiorum causâ; moræ paululum ſibi Catilina depopoſcit, quòd Cicero Conſul viveret; ad quam C. Cornelium, & L. Vargunteium Equites Romanos paulo ante lucem præmiſit, qui ſimulata honoris ſalutatione, in lecto eum occiderent; hujus conſilii per Fulviam vilisſimum ſcortum factus certior, præſidiis domum munivit; quare ab ingreſſu prohibiti ſunt. Eodem ipſo die Cicero Conſul in Jovis Statoris ædem Senatum convocavit, ut ad eum de tota conjuratione, & imminenti Reipub. periculo referret. Adfuit ipſe Catilina, quem venientem nemo ſalutavit, cui nemo aſſedit, relictâ ſubſelliorum parte, quam occupaverat. Cicero verò ſeu Catilinæ præſentiâ, ſeu irâ commoveretur, hanc habuit Orationem quâ eum exhortatur vehementiſſimè, ut cum ſociis ex urbe exeat in exilium, cùm jam nihil eos in urbe delectare poſſit, quem omnes boni cives metuunt & oderunt.

TEMPUS.

Habita eſt hæc Oratio in Senatu 6 *Idus Novemb. in æde Jovis Statoris, anno urbis conditæ* 690. *ætatis ſuæ quadrageſimo quarto.*

PARTES.

PARTES.

Tres ſunt, Exordium, Contentio, & Peroratio.

EVENTUS.

Commovit totum Senatum, & Equites qui aderant; necnon Catilinam furioſum licet & audacem perterruit.

GENUS.

Aſſentior Mureto, qui contra alios bene multos Ciceronis Interpretes negat vel eſſe in genere judiciali, quia in Senatu judicia non exercebantur: vel in genere deliberativo; non enim deliberat Cicero, neque ſententiam dicit, aut ſuadet quicquam, aut diſſuadet; ſed Catilinam exagitat, eſtque potius increpatio vehemens, quàm deliberatio, aut accuſatio.

EXORDIUM.

Abruptum eſt & inflammatum à Catilinæ præſentia & audacia.

CONTENTIO.

Hanc facit quaſi propoſitionem. Catilina debet ex urbe diſcedere vel in exilium, vel in caſtra Manlii, non jam interfici: 1. quia patet conjuratio, & totius vitæ ratio: 2. quia Catilinæ optandum eſſe debet ad caſtra Manlii proficiſci: 3. quia Reipublicæ utile eſt eum non interfici.

I. QUOUSQUE tandem abutêre, Catilina, [a] patientiâ noſtrâ? quamdiu etiam furor iſte tuus nos eludet? [b] quem ad finem ſeſe effrenata jactabit audacia? nihilne te nocturnum præ-

INTERPRETATIO.

[a] *tolerantia.* [b] *quo uſque.*

NOTÆ.

1. *Quouſque.*] Incitatum & abruptum eſt hujus Orationis principium, ut ſuum in Rempub. amorem, & indignationem in Catilinam oſtendat, quod tam nefarie de patria cogitans auſus ſit præter ſpem venire in Senatum.

2. *Furor.*] Furor eſt in patriam conſpirare, quam vitæ periculo tueri debemus.

Ib. *Eludet.*] Id eſt, ludo finem impo-net, quæ vox proprie gladiatorum eſt, cùm vicerunt, ut notat Donatus in Eunuch. Terent. Dicuntur etiam *eludere* ii, qui per ridiculum alios contemnunt. Unde & perinde eſt ac ſi dicat, Furioſe nos contemnes, aut nobis quaſi proſtratis inſultabis.

3. *Effrenata.*] Tranſlatio ab equis, qui cum fine freno ſunt, retineri non poſſunt.

ſidium

ſidium palatii, nihil urbis vigiliæ, nihil timor populi, nihil conſenſus bonorum omnium, nihil hic munitiſſimus habendi ſenatûs locus, nihil horum ora vultuſque moverunt? patere tua conſilia non ſentis? conſtrictam jam omnium horum [c] conſcientiâ teneri conjurationem tuam non vides? quid proximâ, quid ſuperiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid conſilii ceperis, quem noſtrum ignorare arbitraris? O tempora! ô mores! Senatus hæc intelligit, conſul videt: hic tamen vivit. Vivit? imo verò etiam in Senatum venit: fit publici conſilii particeps: notat, & deſignat oculis ad cædem unumquemque noſtrum. Nos autem viri fortes ſatisfacere reipublicæ videmur, ſi iſtius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci juſſu conſulis jampridem oportebat: in te conferri peſtem iſtam, quam tu in nos omnes jamdiu machinaris. An verò

[c] *ſcientia.*

4. *Palatii.*] Palatium à Palatino monte dictum eſt, ubi Evander & Romulus habitârunt. Palatium autem erat quaſi arx civitatis, in qua, cum quis tumultus oriebatur, ſtatim præſidium collocabatur, quia inde facile erat toti urbi dominari.

Ib. *Urbis vigiliæ.*] Salluſtius refert, audita conjuratione, decreviſſe Senatum, ut tota civitate vigiliæ haberentur, quibus minores Magiſtratus præeſſent.

Ib. *Nihil conſenſus.*] In multis codicibus legitur *conventus.* Sed quoad ſenſum, eodem recidit utrumque verbum. Nam omnes boni & conſentiunt & conveniunt ad rempubl. contra Catilinæ furorem defendendam.

5. *Munitiſſimus.*] Munitiſſimus nempe ad habendum Senatum; quia in Capitolio, in æde Jovis Statoris, non in curia, habebatur.

6. *Horum ora vultuſque moverunt?*] Vereri debuerat Senatores, neque ſe tam temere in eorum conſpectum Senatorum, quos vereri debuerat, dare; tanta enim indignatione commoti ſunt in Catilinam, ut venientem in Senatum nemo ſalutaverit; imo omnia ſubſellia omnes deſeruerint, ne hoſti patriæ affiderent.

7. *Conſtrictam.*] Id eſt, tuam ab omnibus conjurationem ita cognoſci, ut neminem prorſus fugiat. Metaphora à belluis deprehenſis & in vincula conjectis.

8. *Quid proxima nocte.*] In domo M. Porcii Leccæ fuerat Catilina, cum aliis ſuæ conjurationis hominibus.

9. *Superiore nocte.*] Quæ proximam præcedebat.

Ib. *Convocaveris.*] Suæ ſeditionis participes & ſocios advocaverat, ut de interficiendo Conſule Cicerone, & bello patriæ inferendo deliberarent.

10. *O tempora.*] Teſte Priſc. lib. 16. ô, Particula ibi indignantis eſt.

12. *Vivit.*] Vivit Catilina cum ab eo jam repetere pœnas Reſpub. debuiſſet, ut qui hoſtis patriæ judicatus ſit.

12. *Fit publici conſilii particeps.*] Auget indignationem Cicero, quod non venerit in Senatum Catilina, ut rogaret & aliquid peteret, ut multi; ſed ut ipſe particeps eſſet conſiliorum, quæ à Senatu caperentur.

14. *Nos autem viri fortes.*] Ironia, nam jam à nobis interfici Catilina debuerat.

15. *Tela.*] Omne genus armorum intelligit, quibus meditabatur civitatem evertere.

Ib. *Ad mortem.*] Propoſitio, quia proponit interficiendum eſſe Catilinam, exemplo aliorum.

17. *Machinaris.*] Metaphora ab Architectis deſumpta.

Ib. *An verò vir.*] Argumentum à minore ad majus per comparationem.

vir

vir ampliſſimus, P. Scipio, pontifex maximus, Tib. Gracchum mediocriter labefactantem ſtatum reipublicæ privatus interfecit: Catilinam verò orbem terræ, cæde atque incendiis vaſtare cupientem nos conſules perferemus? nam illa nimis antiqua prætereo, quòd Q. Servilius Ahala Sp. Melium [a] novis rebus ſtudentem manu ſua occidit. Fuit, fuit iſta quondam in hac republica virtus, ut viri fortes acrioribus ſuppliciis civem pernicioſum, quàm acerbiſſimum hoſtem coërcerent. Habemus enim ſenatuſconſultum in te, Catilina, [b] vehemens & grave: non deeſt reipublicæ conſilium, neque auctoritas hujus ordinis: nos, nos, dico apertè, conſules deſumus. Decrevit quondam Senatus, ut L. Opimius Coſ. videret, ne quid reſpublica detrimenti caperet: [c] nox nulla intercеſſit; interfectus eſt propter quaſdam ſeditionum ſuſpiciones C. Gracchus, clariſſimo patre natus, avis, Majoribus: occiſus eſt cum liberis

[a] *affectantem regnum.* [b] *urgens & ſeverum.* [c] *eodem ipſo die.*

19. *P. Scipio.*] Scipio Naſica qui Livio referente, lib. 49. vir optimus à Senatu judicatus eſt; filius Scipionis cenſoris, qui porticum in Capitolio exſtruxit.

Ib. *Tib. Gracchum.*] Tiberius Gracchus largitione frumenti venit in regni affectati ſuſpicionem, & à Scipione interfectus eſt.

20. *Privatus.*] Privatus is dicitur, qui ſine imperio eſt, quales erant Sacerdotes, Præcones, aliique minimi Magiſtratus. Vide Ariſt. 4. Polit.

23. *Servilius Ahala.*] Cum pop. Rom. fame premeretur, & Sp. Melius frumentum daret, venit ille in ſuſpicionem regni affectandi. Servilius Magiſter equitum eum imperio Dictatoris non obtemperantem interfecit anno urbis conditæ 315. Vide Livium lib. 4.

26. *Coërcerent.*] Magiſtratuum eſt, & eorum qui ſunt in imperio, coërcere eos qui Reipub. pernicioſi ſunt.

27. *Senatuſconſultum.*] De hoc ita Salluſtius: *Hæc cum Ciceroni nunciarentur, conſtitutus in dubio neque expedire potuit quid eſſet faciendum Cicero, tamen ad Senatum retulit, qui decrevit ut Conſules viderent, ne quid Reſpub. detrimenti caperet,* ſcilicet C. Antonius & Cicero Conſules. *Permittitur cohibere milites, & ſocios, & ſummum jus tenere*; quæ poteſtas aliter à ſolo populo concedebatur. Plutarchus in vita Ciceronis ait, hoc Senatuſconſultum datum eſſe poſtquam C. Cornelius & L. Vargunteius opprimere Ciceronem Conſulem domi conati ſunt, ut ipſe poſtea declarabit.

28. *Reipub. conſilium.*] Quo conſilio hæc auctoritas Senatuſconſulti faciendi ſenatui data eſt.

29. *Nos, nos.*] Diſtinguit auctoritatem à perſona, quia ſi officio ſuo eſſet functus, juſſiſſet Catilinam ad mortem rapi; ſed noluit, tum ut fugâ Catilinæ pateret ejus conjuratio, tum ut urbs periculo liberaretur.

30. *L. Opimius.*] Conſul fuit L. Opimius cum Q. Fabio Maximo, urbis conditæ anno 633.

32. *C. Gracchus.*] C. Gracchus filius fuit T. Sempronii Gracchi, qui bis Conſul fuit, & de Celtiberis triumphavit.

33. *Avis, Majoribus.*] Gracchi multa rerum geſtarum gloria in Repub. claruerunt. Primus exſtitit ejus nominis cæterorum auctor Tiberius Gracchus, à quo prodiere Tiberii duo conſulatuum & victoriarum gloria illuſtres: quorum poſtremus ex Cornelia Africani majoris filia Tiberium & Caium ſuſcepit, in quibus ſummum fuit ingenium, & ſumma eloquentia; at cum uterque leges agrarias Tribunus-plebis promulgaſſet, interfectus eſt; Tiberius à Scipione Naſica in Capitolio, Caius ab Opimio in Aventino.

M. Fulvius, conſularis. Simili ſenatuſconſulto, C. Mario & L. Valerio Coſſ. permiſſa eſt reſpub. num unum diem poſtea L. Saturninum tribunum-pleb. & C. Servilium Prætorem [h] mors ac reipub. pœna remorata eſt? At nos vigeſimum jam diem patimur hebeſcere aciem horum auctoritatis; habemus enim hujuſmodi ſenatuſconſultum, verumtamen incluſum in tabulis, tanquam gladium in vagina reconditum: quo ex ſenatuſconſulto confeſtim interfectum te eſſe, Catilina, convenit. Vivis, & vivis non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam.

II. Cupio, P. C. me eſſe clementem: cupio in tantis reipublicæ periculis non [a] diſſolutum videri: ſed jam me ipſum inertiæ nequitiæque condemno. Caſtra ſunt in Italia contra rempubl. in Etruriæ [b] faucibus collocata: creſcit in dies ſingulos hoſtium numerus: eorum autem imperatorem caſtrorum ducemque hoſtium intra mœnia, atque adeo in Senatu videmus, inteſtinam aliquam quotidie perniciem reipublicæ [c] molientem. Si te jam, Catilina, comprehendi, ſi interfici juſſero, credo, erit verendum mihi, ne non hoc potius omnes boni ſerius à me, quàm quiſquam crudelius factum eſſe dicant. Verum ego hoc, quod jampridem factum eſſe oportuit, certâ de cauſâ nondum adducor, ut faciam; tum denique interficiere, cum jam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui ſimilis inveniri poterit, qui id non jure factum eſſe fateatur. Quamdiu quiſquam erit, qui te defendere audeat, vives: & vives ita, ut nunc vivis, multis meis & firmis præſidiis obſeſſus, ne

[h] *nunquid interfecti ſunt in eodem die?* [a] *negligentem.* [b] *aditu.* [c] *parantem.*

34. *M. Fulvius.*] M. Fulvius ſocius erat & particeps ſeditionis cum Caio Graccho, quare Senatûs ſententia ab Opimianis cum duobus filiis cæſus eſt, ejus domus everſa & publicata eſt, in qua porticum poſtea Catulus exſtruxit.

Ib. *Mario & Vario.*] Servilium Glauciam & Saturninum C. Marius ſextum Conſul in Curia Hoſtilia interfecit. Vide fuſius in oratione pro Rab. perduel. reo.

37. *Vigeſimum jam diem.*] Conqueritur Cicero, quod illi eodem ipſo die interfecti ſunt, quo Senatuſconſultum datum eſt, & jam à viginti diebus, ſimile contra Catilinam datum eſt, neque tamen contra Catilinam uſi ſunt.

38. *Hebeſcere.*] Metaphora à gladiis ſumpta, quorum ut acies hebeſcit, & rubiginem contrahit, ſi diutius recondantur, ita vim amittet illud Senatuſconſultum, niſi ſtatim contra Catilinam exeratur.

3. *Caſtra ſunt.*] Cn. Manilius habebat tum exercitum Fæſulis prope Florentiam, quem collegerat ex Veteranis Syllæ militibus, in cujus caſtris ille militaverat.

5. *Eorum imperatorem.*] Catalina imperator erat illius exercitûs, cujus Manlius Prætor fuit in caſtris.

8. *Credo, erit.*] Ironia eſt, & ſæpe illud verbum uſurpatur à Cicerone.

9. *Omnes boni.*] Per bonos deſignat, qui ſalutis Reipub. ſtudioſi ſunt. Itaque totius illius ſententiæ ſenſus eſt, ſi te interfici juſſero, nemo bonorum civium me id crudelius feciſſe dicet; ſed potius omnes dicent prius me id facere debuiſſe.

16. *Præſidiis obſeſſus.*] Id eſt, circumdatus; habebat enim Cicero multa cum ex Italiæ municipiis, tum ex urbe firmiſſima præſidia, quæ in ea erant contra Catilinæ impetus collocata.

commo-

commovere te contra rempublicam poſſis; multorum te etiam oculi & aures non [d] ſentientem, ſicut adhuc fecerunt, [e] ſpeculabuntur atque cuſtodient. Etenim quid eſt, Catilina, quod jam amplius expectes, ſi neque nox tenebris obſcurare cœtus nefarios, nec privata domus parietibus continere voces conjurationis tuæ poteſt? ſi [f] illuſtrantur, ſi erumpunt omnia? muta jam iſtam mentem: mihi crede: obliviſcere cædis, atque incendiorum; teneris undique: luce ſunt clariora nobis tua conſilia omnia, quæ etiam mecum licet recognoſcas. Meminiſti-ne, me ante diem XII. Kalend. Novemb. dicere in ſenatu, certo die fore in armis, qui dies futurus eſſet in ante diem Kal. Novembris, C. Manlium audaciæ ſatellitem atque adminiſtrum tuæ? num me fefellit, Catilina, non modò res tanta, tam atrox, tam incredibilis, verum id quod multo magis eſt admirandum, dies? Dixi ego idem in Senatu, cædem te optimatum [g] contuliſſe in ante diem V. Kal. Novembris, tum, cum multi principes civitatis Româ, non tam ſui conſervandi, quam tuorum conſiliorum reprimendorum cauſâ, profugerunt. Num inficiari potes, te illo ipſo die meis præſidiis, mea diligentia circumcluſum, commovere te contra rempublicam non potuiſſe, cum tu diſceſſu cæterorum, noſtra tamen, qui remanſiſſemus, cæde contentum te eſſe di-

[d] *cogitantem.* [e] *obſervabunt.* [f] *declarantur & patefiunt.* [g] *deſtinaſſe.*

17. *Commovere.*] Hyperbole, ſignificat enim Catilinam ita obſervari in Repub. ut nihil contra poſſit.

24. *Teneris undique.*] Declarat quod omnia conſilia Catilinæ patefacta ſint.

25. *Licet recognoſcas.*] Ait quod ſi ipſi è memoria exciderent, ea illi omnia revocabit.

Ib. *Ante diem* XII. *Kal.*] Ex Priſciano lib. 18. dicitur, tertium, & tertio Kal. vel Kalendarum; quod ad illum diem pertinet, primum ſciæ in hunc edicta fuiſſe comitia conſularia. Sed cum pridie ejus diei Cicero Catilinæ conſilia ad Senatum detuliſſet, factum eſt S. C. ne poſtremo die comitia haberentur, ut de iis rebus in Senatu agi poſſet. Nam aliter comitiali die Senatus haberi non poterat. Poſtridie igitur, id eſt, ut ait Plutarchus, ipſo comitiorum die, Cicero frequenti Senatu Catilinam excitavit. Tum Senatus decrevit, ut viderent Conſules, ne quid detrimenti Reſp. caperet. Cum igitur Aſconius dicat, diem quo hæc habita eſt Oratio, à commiſſa Conſulibus Repub. duodevigeſimum fuiſſe, videbit profecto habitam fuiſſe VI. Id. Novemb.

29. *Num me fefellit.*] Indicat Cicero Catilinæ, ſe ejus omnia acta reſcire. Reſcivit autem, teſte Salluſtio, ex Fulvia quam Curius quidam flagitioſus Senator conjurationis particeps adamabat, & cui ejuſdem conjurationis omnia conſilia patefecerat.

32. *In ante diem.*] Id eſt, in die qui eſſet ante diem, in quem dilata fuerant comitia; tamen ait Salluſtius *C. Mallium arma cepiſſe cum multitudine ante ſextum diem.*

34. *Reprimendorum cauſâ.*] Roma multi principes civitatis diſceſſerant, ne à Catilina optimates, ut ſtatuerat, cum Conſule occiderentur: ex his dicitur fuiſſe *M.* Craſſus, quem per literas Catilina monuerat ut abiret, ſed ille literas ad Ciceronem detulit.

Ib. *Illo ipſe die.*] Id eſt ante diem quintum Calend. Novemb.

37. *Remanſiſſemus.*] *Nam alios*, ait Salluſtius, *in alia loca Catilina miſit, qui initium faceront, ſeque ad exercitum profecturum, ſi Ciceronem oppreſſiſſent.*

cebas. Quid? cùm te Prænesțe Kalend. ipsis Novemb. occupaturum nocturno impetu esse confideres; sensisti-ne illam coloniam meo jussu, meis præsidiis, custodiis, vigiliisque esse munitam? nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod ego non modo audiam, sed etiam videam, planeque sentiam. Recognosce tandem mecum illam superiorem noctem; jam intelliges multo me vigilare acrius ad salutem, quàm te ad perniciem reipublicæ. Dico te priori nocte venisse inter Falcarios (non agam obscurè) in M. Leccæ domum: convenisse eodem complures ejusdem amentiæ sceleriscque socios; num negare audes? quid taces? convincam, si negas; video enim esse hîc in Senatu quosdam, qui tecum una fuere. O dii immortales! ubinam gentium sumus? quam rempub. habemus? in qua urbe vivimus? hic, hic sunt, in nostro numero, P. C. in hoc orbis terræ sanctissimo, gravissimoque concilio, qui de meo, nostrumque omnium interitu, qui de hujus urbis, atque adeo orbis terrarum exitio cogitent; hosce ego video Consul, & de rep. sententiam rogo: & quos ferro trucidari oportébat, eos nondum voce vulnero. Fuisti igitur apud Leccam ea nocte, Catilina: distribuisti partes Italiæ: statuisti quo quemque proficisci placeret: delegisti quos Romæ relinqueres, quo tecum educeres: descripsisti urbis partes ad incendia: [h] confirmasti te ipsum jam esse exiturum: dixisti [i] paululum tibi esse etiam tum moræ, quòd ego viverem. Reperti sunt duo equites Romani, qui te ista cura liberarent, & sese illa ipsa nocte

[h] *affirmasti.* [i] *nihil te morari, nisi.*

38. *Prænesțe.*] Oppidum fuit in Italia, quod occupare Catilina conatus est, unde imminere urbi commodius posset.

39. *Illam coloniam.*] Gellius lib. 16. cap. 13. refert Prænestinos à Tiberio imperatore petiisse, ut ex Colonia in municipii statum redigerentur; est autem Prænesțe urbs Latii 24. mil. Roma distans.

43. *Superiorem noctem.*] Noctem dicit, qua convenit iste in domum Porcii Leccæ Senatoris cum cæteris conjuratis.

45. *Priori nocte.*] Nempe superiore, ea videlicet, quæ illum diem cum nocte proxima antecesserat, quo die hæc habita est Oratio.

Ib. *Inter Falcarios.*] Falcarii milites fuerunt, qui falcibus erant armati. Vide Priscianum lib. 8. forte etiam hîc translate loquitur appellando participes conjurationis *Falcarios*, qui ferro & flamma demetere civitatem volebant, nisi forte vicus sit Romæ ita appellatus, in quo M. Leccæ domus ista erat.

46. *Complures.*] Sallustius nominat undecim Senatores.

51. *Gravissimo concilio.*] Per concilium Senatum intelligit, cujus dignitatem extollit.

53. *Urbis, atque adeo orbis.*] Agnominatio seu allusio, literæ unius mutatione.

55. *Voce vulnero.*] Translatio à telo.

56. *Distribuisti partes Italiæ.*] Sallustius narrat Cn. Manlium Fæsulas, Septimum in agrum Picenum, C. Julium in Apuliam dimisisse.

57. *Romæ relinqueres.*] Constituit Catilina, cum ab urbe discederet, ut Lentulus in urbe relinqueretur cum Cassio, qui incendiis, & Cethego, qui cædibus præesset.

58. *Urbis partes.*] In duodecim partes urbs dividebatur, quorum incendiis Statilius & Gabinius præfecti erant.

60. *Duo equites.*] Ex Sallustio C. Cornelius

nocte paulo ante lucem me in meo lectulo interfecturos pollicerentur. Hæc ego omnia, vix dum etiam cœtu vestro dimisso, comperi: domum meam majoribus præsidiis munivi, atque firmavi; excluſi eos, quos tu mane ad me ſalutatum miseras, cum illi ipſi veniſſent, quos ego jam multis viris ad me venturos id temporis eſſe prædixeram. Quæ cum ita ſint, Catilina, perge quo cœpisti: egredere aliquando ex urbe: patent portæ, proficiſcere: nimium diu te imperatorem illa tua Manliana caſtra deſiderant; educ tecum etiam omnes tuos; ſi minus, quamplurimos: purga urbem: magno me metu liberabis, dummodo inter me atque te murus interſit: nobiſcum verſari jam diutius non potes: non feram, non patiar, non ſinam. Magna diis immortalibus habenda eſt gratia, atque huic ipſi Jovi Statori, antiquiſſimo cuſtodi hujus urbis, quod hanc tam tetram, tam horribilem, tamque inſeſtam reipublicæ peſtem toties jam effugimus. Non eſt ſæpius in uno homine ſalus ſumma periclitanda reipublicæ. Quamdiu mihi, Conſuli deſignato, Catilina, inſidiatus es, non publico me præſidio, ſed privatâ diligentiâ defendi; cum proximis Comitiis Conſularibus me Conſulem in campo, & competitores tuos interficere voluiſti, compreſſi tuos nefarios conatus amicorum præſidio & copiis, nullo tumultu publicè concitato: denique quotieſcumque me petiſti, per me tibi obſtiti: quanquam videbam, perniciem meam cum magna calamitate reipublicæ eſſe conjunctam. Nunc jam apertè rempublicam univerſam petis; tem-

nelius & L. Varguntejus fuere: at Varguntejum Senatorem nominat: Dio quidem duos affirmat, ſed ut Cicero, nullum nominat.

63. *Comperi.*] Per Fulviam vile ſcortum omnium certior factus fuerat Cicero.

65. *Excluſi.*] Eos equites, qui ſalutationis causâ Ciceronem convenire debebant, domum ſuam non recepit; illi autem excluſi ita clamaverunt, ut rem prope proderent, ut ait Plutarchus.

72. *Murus interſit.*] Muri & mœnia publica ſunt, parietes privati.

74. *Jovi Statori.*] In Jovis Statoris templo Senatus habebatur. Stator autem dictus eſt, quod precibus Romuli fœdam Romanorum à Sabinis profligatorum fugam ſtetiſſet. Vide Livium lib. 1.

75. *Tam infeſtam reip. peſtem.*] Peſtis vulgò à Cicerone appellatur quodcumque damnum maximum infert.

77. *In uno homine.*] Id eſt, non eſt ferendus diutius ille homo, qui ſæpius Rempub. perdere volult; aliam enim jam conjurationem Catilina molitus fuerat.

79. *Privatâ diligentiâ.*] Cum toties Ciceroni deſignato Conſuli Catilina pararet inſidias, noluit unquam publico ſe præſidio Cicero defendere, ne tyrannidem affectare in Repub. videretur.

Ib. *Proximis Comitiis.*] Quibus, Cicerone Conſule, D. Silanus & L. Muræna Conſules deſignati ſunt: anno ſuperiore repulſam paſſus Catilina in hunc annum Conſulatum petebat cum L. Antonio; quærebat autem Catilina Ciceronem ad necem, quia conſiliis ſuis obſiſtebat.

80. *In campo.*] Martio in campo, ubi Comitia habebantur.

81. *Amicorum præſidio.*] Venit in campum ſtipatus amicorum præſidio, & loricâ tectus, ut boni videntes Conſulis periculum, ad ejus defenſionem excitarentur.

82. *Nullo tumultu.*] Sine ullo belliço apparatu.

83. *Me petiſti.*] Metaphora à Gladiatoribus, quorum impetus petitiones dicebantur.

pla deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam, ad exitium & vastitatem vocas.

III. Quare, quoniam id, quod primum, atque hujus imperii disciplinæque Majorum proprium est, facere non audeo; faciam id quod est ad [a] severitatem lenius, & ad communem salutem utilius; nam si te interfici jussero, residebit in republica reliqua conjuratorum manus: sin tu, quod te jamdudum hortor, exieris; exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna & pernicioſa ſentina reipublicæ. Quid est, Catilina? num dubitas id, me imperante, facere, quod jam tuâ sponte faciebas? exire ex urbe Consul hostem jubet; interrogas me, num in exilium? non jubeo: sed, si me consulis, suadeo. Quid enim, Catilina, est, quod te jam in hac urbe delectare possit, in qua nemo est [b] extra istam conjurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo qui te non oderit? quæ nota domesticæ turpitudinis non [c] insuſta vitæ tuæ est? quod privatarum rerum dedecus non [d] hæret infamiæ; quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus unquam tuis, quod flagitium à toto corpore abfuit? cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris [e] irretiviſſes, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem prætuliſti? quid vero? nuper, cum morte [f] superioris uxoris, novis nuptiis domum vacuam feciſſes, non-ne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego prætermitto, & facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut extitiſſe, aut non vindicata esse videatur. Prætermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties; ad illa venio, quæ

[a] *minus severum.* [b] *exceptis tuis conjuratis.* [c] *infixa.* [d] *manet.* [e] *illexiſſes.* [f] *prioris.*

6. *Sentina.*] Metaphora à navi ex quâ quidquid aquæ & sordium est, in sentinam influit, ita quotquot improbi & scelerati fuerunt in civitate ad Catilinam profecti sunt. Quint. lib. 8. laudat hanc Ciceronis metaphoram ad fœditatem hominum significandum.

9. *Non jubeo.*] Non jubet ut abeat Catilina in exilium, sed suadet tantùm; id autem dicit, ut removeat à se invidiam; nam regium imperium præ se ferret, si juberet ire in exilium.

13. *Domesticæ turpitudinis.*] Si Sallustio, Plutarcho, & Asconio credamus, Catilina fratrem occidit, & filium, ut Aureliam Orestillam uxorem duceret; & filiam deinde suam violavit.

17. *Ad audaciam ferrum.*] Id est, quos corruperat nefariè Catilina, eos vel ad arma, vel ad vim faciendam excitabat.

18. *Ad libidinem.*] Scribit de eo Sallustius, quòd juvenes sibi devinciebat, quos, secundum cujusque studium, accendebat ad vitia.

20. *Vacuam feciſſes.*] Domum vacuam fecit, necando filium quem ex superiore uxore habuerat.

Ib. *Incredibili scelere.*] Filiam quam ex adulterio susceperat, uxorem duxit.

24. *Proximis Idibus.*] Idus Novembris notat, quo tempore usuram creditæ pecuniæ fœneratori solvere oportebat; unde Horatius, *Fœnerator Alphius, &c. omnem relegit Idibus pecuniam, quærit Kalendis ponere.* Cùm autem eodem illo tempore multi ære alieno tenerentur, & in primis Catilina, & nemo debita solveret, eorum bona proscribenda censuit Cicero, ut Creditoribus fieret satis; quare Catilina sibi fortunarum ruinam impendere sentiebat.

non

non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesti-
cam tuam difficultatem ac turpitudinem; sed ad summam Rem-
pub. atque omnium nostrûm vitam salutemque pertinent. Po-
test-ne tibi hæc lux, Catilina, aut hujus [g] cœli spiritus esse ju-
cundus, cùm scias horum esse neminem, qui nesciat te pridie
Kalendas Januar. Lepido & Tullo Coss. stetisse in Comitio cum
telo? [h] manum, Consulum & principum civitatis interficiendo-
rum causâ, paravisse? sceleri, ac furori tuo non mentem ali-
quam, aut timorem tuum, sed fortunam Reipublicæ obstitisse?
Ac jam illa omitto: neque enim sunt aut obscura, aut non multa
postea commissa; quoties tu me designatum, quoties Consulem in-
terficere conatus es? quot ego tuas [i] petitiones ita conjectas, ut
vitari posse non viderentur, parvâ quâdam declinatione, &, ut
aiunt, corpore effugi? nihil agis, nihil assequeris, nihil mo-
liris, quod mihi [k] latere valeat in tempore: neque tamen co-
nari, ac velle desistis. Quoties jam tibi extorta est sica ista de
manibus? quoties verò excidit casu aliquo, & elapsa est?
tamen ea carere diutiùs non potes: quæ quidem quibus abs
te [l] initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse pu-
tas esse Consulis in corpore defigere. Nunc verò, quæ tua est
ista vita? sic enim jam tecum loquar, non ut odio permotus
esse videar, quo debeo; sed ut misericordia, quæ tibi nulla debe-
tur. Venisti paulò antè in Senatum; quis te ex hac tanta fre-
quentia, ex tot tuis amicis ac necessariis salutavit? si hoc post

[g] *respiratio aëris.* [h] *turbam* hominum. [i] *ictus.* [k] *incognitum esse.* [l] *dicata.*

30. *Lepido & Tullo Coss.*] Anno urbis conditæ 607. Catilina repetundarum reus factus à Clodio, à Consulatu petendo prohibitus est, quare odio incensus, de novis Consulibus interficiendis cogitavit.

Ib. *In Comitio cum telo.*] Neque in Comitium, neque Forum, neque in Curiam ferre telum fas fuit.

31. *Manum.*] Socios conspirationis sibi Syllam & Antonium cum Crasso & Julio Cæsare adjunxerat.

32. *Non mentem.*] Mens aliqua divina hoc consilium deterruit: neque enim Crassus adfuit, neque ipse Catilina signum, quod convenerat, dedit, quare res effecta non est, sed in Nonas Februarias dilata.

34. *Non multa postea.*] Cùm Antonius & Cornelius Sylla, Consules designati, ambitus pœnas dedissent; Consules Torquatus & Cotta in eum locum suffecti sunt, quos interficere conatus est Catilina. Post hos facti sunt L. Cæsar & C. Figulus, eis verò Coss. designati sunt Antonius & Cicero.

36. *Ego tuas petitiones.*] Metaphora à Gladiatoribus qui gladio corpus hominis petunt, ut illud vulnerent.

37. *Ut aiunt.*] Proverbium tunc temporis usitatum; totâ hâc metaphorâ significat se petitum fuisse sæpe à Catilina, & vitasse semper ejus insidias.

39. *In tempore.*] Quo illud scire mihi utile fuit.

40. *Sica ista.*] Sica à secando; genus est gladii parvi, quod facilè occultari potest.

43. *Initiata sacris.*] Id est, dicata, nam cultri quibus utebantur ad victimas jugulandas, sacri habebantur; neque iis uti in re profana fas erat. Vide Servium in lib. 6. Æneid. Objicit Catilinæ, ita se gerere illam solere, ut videatur divis voviſſe se sica Consules interfecturum.

hominum memoriam contigit nemini, vocis expectas contume-
liam, cùm ſis graviſſimo judicio taciturnitatis oppreſſus? Quid,
quòd adventu tuo iſta ſubſellia vacua facta ſunt? quid, quòd om-
nes conſulares, qui [n] tibi perſæpe ad cædem conſtituti fuerunt,
ſimulatque aſſediſti, partem iſtam ſubſelliorum nudam, atque ina-
nem reliquerunt? Quo tandem animo hoc tibi ferendum putas?
ſervi, mehercule, mei, ſi me iſto pacto metuerent, ut te metuunt
omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi
urbem non arbitraris? &, ſi me meis civibus injuriâ ſuſpectum
tam graviter atque infenſum viderem; carere me aſpectu civium,
quam infeſtis oculis omnium conſpici mallem: tu cùm conſcien-
tia ſcelerum tuorum agnoſcas odium omnium juſtum, & jam tibi
diu debitum, dubitas, quorum mentes, ſenſuſque vulneras, eorum
aſpectum præſentiamque vitare? Si te parentes timerent, atque
odiſſent tui, neque eos ullâ ratione placare poſſes; ut opinor, ab
eorum oculis aliquo concederes: nunc te patria, quæ communis
eſt omnium noſtrûm parens, odit ac metuit; & jamdiu de te ni-
hil judicat, niſi de [o] parricidio ſuo, cogitare: hujus tu neque
auctoritatem verebere, neque judicium ſequere, neque vim perti-
meſces? quæ tecum, Catilina, ſic [p] agit, & quodammodo tacita
loquitur: Nullum jam tot annos facinus exſtitit, niſi per te: nul-
lum flagitium ſine te: tibi uni multorum civium neces, tibi vexa-
tio direptioque ſociorum impunita fuit, ac libera; tu non ſolùm
ad negligendas leges & [q] quæſtiones, verum etiam ad evertendas,
perfringendaſque valuiſti. Superiora illa, quanquam ferenda
non fuerunt, tamen, ut potui, tuli: nunc vero, me totam eſſe
in metu propter te unum: quidquid increpuerit, Catilinam
timeri: nullum videri contra me conſilium iniri poſſe, quod

[n] *à te.* [o] *interitu.* [p] *loquitur.* [q] *judicia.*

50. *Judicio taciturnitatis.*] Silentium omnium, cum nemo Catilinam venientem in Senatum ſalutavit, tacitum quoddam fuit indicium, quantum ab illo abhorrerent univerſi.

52. *Conſulares.*] Conſulares, ut cæteris honoratiores ætate & dignitate, ſubſellia ſua vacua reliquerunt, ne huic ſceleruto & conjurato aſſiderent.

57. *Urbem.*] Ait quòd, ſi ſervi ſui tanto ſe odio perſequerentur, quanto cives Catilinam, domum ſuum ſtatim relinqueret; quare infert ab eo ſibi relinquendam eſſe patriam.

67. *Auctoritatem verebere.*] Penes Magiſtratum eſt auctoritas, videlicet, qui leges ferre poteſt, & cujus ſanctitatem vereri quiſque debet.

ib. *Judicium ſequere.*] Magiſtratui obedire par eſt, jubet ut abeat è patria Catilina.

67. *Neque vim pertimeſces.*] Magiſtratum, qui gladium poteſt adhibere in rebelles & ſceleratos cives, pertimeſcere debet Catilina, ſi in urbe remaneat.

69. *Nullum jam tot annos.*] Illuſtris Proſopopœia patriæ alloquentis & objurgantis Catilinam.

70. *Nullum flagitium ſine te.*] Syllam in crudeli illa proſcriptione ſecutus eſt, in qua multos cives interfecit, ut Dio lib. 37. teſtatur.

71. *Direptio.*] Catilina Prætor Africam obtinuerat, à qua cum Romam rediiſſet, Coſſ. Cotta & Torquato, à P. Clodio repetundarum accuſatus eſt, & abſolutus à judicibus, quos pecuniâ corruperat.

à tuo

à tuo ſcelere abhorreat, non eſt ferendum. Quamobrem diſcede, atque hunc mihi timorem eripe: ſi eſt verus, ne opprimar; ſin falſus, ut tandem aliquando timere deſinam. Hæc ſi tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiamſi vim adhibere non poſſit? Quid, quòd tu te & ipſe in cuſtodiam dediſti? quid, quòd vitandæ ſuſpicionis causâ, apud M. Lepidum te habitare velle dixiſti? à quo non receptus, etiam ad me venire auſus es; atque, ut domi meæ te aſſervarem, rogaſti? Cùm à me quoque id reſponſum [r] tuliſſes, me nullo modo poſſe iiſdem parietibus tuto eſſe tecum, qui magno in periculo eſſem, quod iiſdem mœnibus contineremur; ad Q. Metellum Prætorem veniſti: à quo repudiatus, ad ſodalem tuum, virum optimum, M. Marcellum, demigraſti: quem tu videlicet & ad cuſtodiendum te diligentiſſimum, & ad ſuſpicandum ſagaciſſimum, & ad vindicandum fortiſſimum fore putaſti. Sed quàm longè videtur à carcere atque à vinculis abeſſe debere, qui ſeipſum jam dignum cuſtodia judicaverit?

IV. Quæ cùm ita ſint, Catilina; dubitas, ſi hic emori [a] æquo animo non potes, abire in aliquas terras, & vitam iſtam multis ſuppliciis juſtis debitiſque ereptam, fugæ ſolitudinique mandare? Refer, inquis, ad Senatum (id enim poſtulas) &, ſi hic ordo ſibi placere decreverit, te ire in exilium, optemperaturum te eſſe dicis. Non referam id quod abhorret à meis moribus: & tamen faciam, ut intelligas quid hi de te ſentiant. Egredere ex urbe, Catilina, libera rempub. metu: in exilium, ſi hanc vocem expectas, proficiſcere. Quid eſt, Catilina? ecquid attendis, ecquid animadvertis horum ſilentium? patiuntur, tacent. Quid expectas [b] auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perſpicis? At ſi hoc idem huic adoleſcenti optimo, P. Sextio, ſi fortiſſimo viro M. Marcello

[r] *accepiſſes.* [a] *quieto.* [b] *ſententiam.*

88. *Sodalem tuum.*] Sodalitates Romæ fuerunt, quæ legibus concedebantur; hinc autem ſodales dicti ſunt, teſte Feſto, *quòd una federent, eſſentque:* Marcus autem Marcellus unus ex ſociis Catilinæ fuit, pro quo Cicero poſtea apud Cæſarem dixit.

3. *Fugæ ſolitudinique mandare.*] Mandare ſe fugæ, id eſt, profugere: *& mandare ſe ſolitudini* eſt ſe occultare, & fugere hominum ſocietatem.

4. *Refer, inquis, ad Senatum.*] Nullum unquam fiebat Senatuſconſultum, quin priùs à Conſule referretur.

6. *Abhorret à meis moribus.*] Cùm ab omni ſeveritate & duritia Cicero alienus eſſet, videbatur contra ſuam naturam agere, ſi de Catilina referret ad Senatum, à quo proculdubio damnandus erat, quare nihil de eo retulit: igitur falſum eſt quod ait Dio, Senatuſconſulto ex urbe abiiſſe Catilinam, quia nullum ferri potuit, niſi referente Cicerone Conſule.

11. *Patiuntur.*] Catilinam ire in exilium patientur facilè Senatores.

Ib. *Tacent.*] Tacendo approbant ejus profectionem.

12. *Tacitorum.*] Id eſt, etſi taceant, tamen hoc ſuo ſilentio voluntatem illi ſuam ſatis aperiunt.

13. *Pub. Sextio.*] Sextius hoc anno Quæſtor Antonii Conſulis erat, pro quo Cicero orationem habuit.

Ib. *M. Marcello*] Is M. Marcellus fuit, quem Cicero defendit.

dixiſ-

dixiſſem, jam mihi conſuli hoc ipſo in templo, jure optimo, Senatus vim & manus intuliſſet; de te autem, Catilina, cum quieſcunt, probant: cum patiuntur, decernunt: cum tacent, clamant; neque hi ſolùm, quorum tibi auctoritas eſt videlicet chara, vita viliſſima; ſed etiam illi equites Rom. honeſtiſſimi, atque optimi viri, cæterique fortiſſimi cives, qui circumſtant Senatum: quorum tu & frequentiam videre, & ſtudia perſpicere, & voces paulo antè exaudire potuiſti; quorum ego vix abs te jamdiu manus ac tela contineo; eoſdem facile adducam, ut te hæc, quæ jampridem vaſtare ſtudes, relinquentem uſque ad portas proſequantur. Quanquam quid loquor? te ut ulla res frangat? tu ut unquam te corrigas? tu ut ullam fugam [c] meditere? tu ullum ut exilium cogites? utinam tibi iſtam mentem dii immortales darent! tametſi video, ſi meâ voce perterritus ire in exilium animum induxeris, quanta tempeſtas invidiæ nobis, ſi minùs in præſens tempus, recenti memoriâ ſcelerum tuorum, at in [d] poſteritatem impendeat. [e] Sed eſt mihi tanti, dummodo iſta tua privata ſit calamitas, & à reipub. periculis ſejungatur. Sed tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum pœnas pertimeſcas, ut temporibus reipub. [f] cedas, non eſt poſtulandum; neque enim, Catilina, is es, ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocarit. Quamobrem, ut ſæpe jam dixi, proficiſcere: ac ſi mihi inimico, ut prædicas, tuo conflare vis invidiam, rectà perge in exilium: vix feram [g] ſermones hominum, ſi id feceris: vix [h] molem iſtius invidiæ, ſi in exilium ieris juſſu Conſulis, ſuſtinebo; ſin autem ſervire meæ laudi & gloriæ mavis, egredere cum [i] importuna ſceleratorum manu: confer te ad Manlium, concita perditos cives; ſecerne te à bonis; infer patriæ bellum; exulta impio latrocinio; ut à me non ejectus ad alienos, ſed

[c] *cogites.* [d] *in futurum.* [e] *ſed non tanti facio* eam. [f] *accommodes te.* [g] *famam.* [h] *onus.* [i] *crudeli.*

15. *Cum quieſcunt.*] Diſtributio elegans, ubi tribuitur unicuique quod proprium eſt.

17. *Videlicet chara.*] Ironia: nam de morte eorum cogitaverat.

20. *Voces.*] Quibus favebant Ciceroni contra Catilinam.

22. *Quæ jampridem vaſtare ſtudes.*] Rempublicam & totam Italiam vaſtare cupiebat Catilina.

26. *Iſtam mentem.*] Ut eundi in exilium mentem immittant dii. Cicero apprecatur: arbitrabantur enimvero illi veteres omnium conſiliorum auctores deos exiſtere.

28. *Tempeſtas invidiæ.*] Tranſlatio, nam invidia ſæpius homines, non ſecus ac tempeſtate, ac vi ventorum ingruente obruuntur.

28. *In præſens tempus.*] Id eſt, in præſenti tempore: nam, ut notavit Priſcianus lib. 18. Latini præpoſitionem *in* Accuſativo ſæpè adjungunt, loco Ablativi.

Ib. *Recenti memoriâ ſcelerum.*] Id eſt, cùm adhuc erit recens ſcelerum memoria, quæ à Catilinâ patrata ſunt.

30. *Eſt mihi tanti.*] Id eſt, tanti Reipub. intereſſe duco, te ex urbe exire, ut dum id fiat, non recuſem omnem invidiam.

33. *Ut te pudor, &c.*] Figura quæ adjunctio dicitur.

42. *Latrocinio.*] Bellum contra patriam ſuſceptum latrocinium vocat.

invitatus ad tuos iſſe videaris. Quanquam quid ego te invitem, à quo jam ſciam eſſe promiſſos, qui tibi ad Forum Aurelium præſtolarentur armati? cum ſciam pactam & conſtitutam eſſe cum Manlio diem? à quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus pernicioſam eſſe confido & funeſtam futuram, cui domi tuæ ſacrarium ſcelerum tuorum conſtitutum fuit, ſciam eſſe præmiſſam? Tu [l] ut illa diutius carere poſſis, quam venerari ad cædem proficiſcens ſolebas? à cujus altaribus ſæpe iſtam dextram impiam ad necem civium tranſtuliſti? Ibis tandem aliquando, quo te jampridem tua iſta cupiditas effrenata ac furioſa rapiebat; neque enim tibi hæc res affert dolorem, ſed quandam incredibilem voluptatem: ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna ſervavit; nunquam tu non modò otium; ſed ne bellum quidem, niſi nefarium, concupiſti; nactus es ex perditis atque ab omni non modò fortuna, verum etiam ſpe derelictis, conflatam improborum [m] manum; hîc tu quâ lætitiâ perfruere? quibus gaudiis exultabis? quanta in voluptate bacchabere, cùm in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam, neque videbis? Ad hujus vitæ ſtudium [n] meditati illi ſunt, [o] qui feruntur, labores tui: jacere humi non modò ad obſidendum ſtuprum, verum etiam ad facinus obeundum: vigilare non ſolùm ad inſidiandum ſomno maritorum, verum etiam bonis occiſorum. Habes ubi oſtentes illam præclaram tuam patientiam famis, frigoris, inopiæ rerum omnium; quibus te brevi tempore confectum eſſe ſenties. Tantum profeci tum, cum te à Conſulatu repuli, ut exul potius [p] tentare, quam Conſul vexare

[l] *quomodo.* [m] *multitudinem.* [n] *exercitati.* [o] *dicuntur* vulgo. [p] *laceſſere.*

44. *Ad Forum Aurelium.*] Tribunal fuit Romæ, ubi milites conſcribebantur; fuit etiam oppidum haud procul ab urbe, unde Aurelia via dicta eſt: quâ profectus eſt Catilina in caſtra Manlii.

46. *Aquilam argenteam.*] Aquila argentea ſignum fuit legionis, quod Marius bello Cimbrico in exercitu habuit. Vegetius autem refert Aquilam proprium ſignum fuiſſe Romanorum: cùm autem legio quælibet in decem divideretur cohortes, primam cujuſque legionis cohortem pro ſigno ſumpſiſſe Aquilam.

48. *Sacrarium.*] Sacrarium ſeu ſacellum idem eſt; erat autem Aquila illa parvum quiddam ſacellum, ſeu ſacrarium, in quo inerat Aquilæ effigies aurea vel argentea, quæ haſtæ erat impoſita, quam qui portabat Aquilifer dicebatur.

49. *Tu ut illa diutius carere poſſis.*] Facilè accidit, ut qui ſpes ſuas in aliquâ re collocarunt, ab eâ difficilè dimoveantur.

52. *Cupiditas effrenata.*] Metaphora ab equis indomitis.

54. *Natura peperit.*] Compar ſeu diſſolutum affert, cùm membra paria ſunt, nec juncta conjunctionibus.

59. *Bacchabere.*] Bacchari verbum eſt voluptatis longè graviſſimum, & eſt *furere.*

63. *Obſidendum ſtuprum.*] Obſidere ſtuprum eſt expectare ut mariti dormiant, ne uxoribus eorum quis potiatur: quod tam familiare fuit Catilinæ, quam inſidiari divitum vitæ, ut eos occiſos ſpoliaret.

68. *A Conſulatu repuli.*] Cicero Catilinam ambitûs accuſavit, & effecit ne Conſul eſſet; ejus quidem accuſationis Oratio defideratur: at in eam tamen aliqui Aſconii Commentarii ſunt.

rem-

rempub. poſſes: atque ut id, quod eſſet a te ſceleratè ſuſceptum, latrocinium potiùs quam bellum nominaretur.

V. Nunc ut à me, P. C. quandam prope juſtam patriæ querimoniam deteſter ac [a] deprecer; percipite, quæſo, diligenter quæ dicam, & ea penitus animis veſtris mentibuſque mandate. Etenim ſi mecum patria, quæ mihi vitâ meâ multo eſt charior, ſi cuncta Italia, ſi omnis reſpub. loquatur: M. Tulli, quid agis? tu-ne eum, quem eſſe hoſtem comperiſti, quem ducem belli futuri vides, quem expectari Imperatorem in caſtris hoſtium ſentis, auctorem ſceleris, principem conjurationis, evocatorem ſervorum & civium perditorum, exire patieris, ut abs te non emiſſus ex urbe, ſed immiſſus in urbem eſſe videatur? non-ne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non ſummo ſupplicio mactari imperabis? Quid tandem impedit te? mos-ne Majorum? at perſæpe etiam privati in hac repub. pernicioſos cives morte multarunt; an leges, quæ de civium Romanorum ſupplicio rogatæ ſunt? at nunquam in hac urbe ii, qui à repub. defecerunt, civium jura tenuerunt. An invidiam poſteritatis times? præclaram verò populo Rom. refers gratiam, qui te hominem per te cognitum, nullâ commendatione Majorum, tam maturè ad ſummum imperium per omnes honorum gradus extulit, ſi propter invidiam, aut alicujus periculi metum, ſalutem civium tuorum negligis. Sed ſi quis eſt invidiæ metus, num eſt vehementiùs ſeverita-

[a] *depellam,*

70. *Latrocinium potiùs quam bellum.*] Pertinet bellum ad Magiſtratus denunciare, non ad privatum; quare nominari debet, cum à privato declaratur, latrocinium; quia invadit in poteſtatem Magiſtratuum populi Rom.

3. *Etenim ſi mecum patria.*] Elegans patriæ Proſopopœia, cum frequentatione & agnominatione.

8. *Evocatorem.*] Is dicitur evocator, qui ad militiam per conquiſitores ſervos advocat apertis ergaſtulis ut iis contra patriam utatur, quos idcirco pileo ſeu libertate donat; quod tantum Spartiatis & ſeditioſis civibus uſitatum legitur.

9. *Non emiſſus, ſed immiſſus.*] Annominatio quæ fit vel literæ diminutione, vel tranſpoſitione.

12. *Mactari.*] Mactare verbum eſt ſacrificiorum, cum ſacrificatur pro avertendis malis; ſignificat ergo ſacrum hominem Catilinam, id eſt, execrabilem, in quem totius urbis maledicta conjici debent.

Ib. *Mos-ne Majorum.*] Majores nolebant civem interfici ſine juſſu pop. Rom.

13. *Etiam privati.*] Sæpe privati de malis civibus vindictam ſumpſêre, ſic P. Scipio Naſica Gracchum novis rebus ſtudentem interfecit.

14. *An leges, &c.*] Lex Sempronia tulit, ne de civis capite injuſſu populi judicaretur: qui indictâ causâ in civem Rom. animadvertiſſet, de eo populi quæſtio conſtitueretur.

17. *Hominem per te cognitum.*] Id eſt, novum hominem qui Majores tuos illuſtraſti; in quo majus eluxit pop. Rom. beneficium in Ciceronem, pro quo jam invidiam improborum civium timere non debet.

18. *Tam maturè.*] Eodem anno quo per ætatem licitum erat Conſulatum gerere, hunc obtinuit; quod novo homini nunquam antè contigerat.

19. *Per omnes honorum gradus.*] Per Quæſturam, Ædilitatem, Præturam, quos omnes Magiſtratus Cicero geſſerat cum laude, ad Conſulatum pervenit.

21. *Invidiæ metus.*] In 4. Tuſcul. Quæſt.

ritatis ac fortitudinis invidia, quàm inertiæ, ac nequitiæ pertimeſcenda? at cùm bello vaſtabitur Italia, vexabuntur urbes, tectæ ardebunt; tum te non exiſtimas invidiæ incendio conflagraturum? His ergo ſanctiſſimis reipub. vocibus, & eorum hominum, qui idem ſentiunt, mentibus pauca reſpondebo. Ego ſi hoc optimum factu judicarem, P. C. Catilinam morte multari, unius [b] uſuram horæ gladiatori iſti ad vivendum non dediſſem; etenim ſi ſummi viri, & clariſſimi cives, Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & ſuperiorum complurium ſanguine non modò ſe non contaminarunt, ſed etiam honeſtarunt; certè verendum mihi non erat, ne quid, hoc parricidâ civium interfecto, invidiæ mihi in poſteritatem redundaret. Quod ſi ea mihi maximè impenderet, tamen hoc animo ſemper fui, ut invidiam [c] virtute partam, gloriam, non invidiam putarem. Quanquam nonnulli ſunt in hoc ordine, qui aut ea, quæ imminent, non videant; aut ea, quæ vident, diſſimulent: qui ſpem Catilinæ mollibus ſententiis aluerunt, conjurationemque naſcentem non credendo corroboraverunt: quorum auctoritatem ſecuti multi, non ſolùm improbi, verum etiam imperiti, ſi in hunc animadvertiſſem, crudeliter & rëgiè factum eſſe dicerent. Nunc intelligo, ſi iſte, quo intendit, in Manliana caſtra pervenerit, neminem tam ſtultum fore, qui non videat conjurationem eſſe factam: neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto, intelligo hanc reip. peſtem pauliſper reprimi, non in perpetuum comprimi poſſe. Quod ſi ſe ejecerit, ſecumque ſuos eduxerit, & eodem cæteros undique collectos naufragos aggregaverit; extinguetur, atque delebitur, non modo hæc tam [d] adulta reipubl. peſtis, verum

[b] *tempus.* [c] *fortitudine.* [d] *matura.*

Quæſt. lib. ſic deſcribit invidiam, *eam eſſe dicunt ægritudinem ſuſceptam propter alterius res ſecundas, quæ nihil nocent invidenti.*

28. *Gladiatori.*] Gladiator ſeu ficarius hîc dicitur, qui audax eſt, & aſſuefactus ad cædem hominum.

29. *Saturnini, Gracchorum, &c.*] Vide Orat. pro Rabirio.

32. *Hoc parricidâ.*] Cum patria ſit communis omnium parens, fratres cives habendi ſunt; quare qui unum interficit, parricida dicendus eſt. Inde Feſtus Pompeius ait, quod priſci Latini interfectorem quemlibet, parricidam vocabant.

33. *Redundaret.*] Tranſlatio à fluminibus, quæ aquis & imbribus redundant.

35. *In hoc ordine.*] De Senatorio ordine loquitur.

37. *Qui ſpem Catilinæ.*] De occupando Conſulatu ſemper cogitaverat Catilina.

Ib. *Mollibus ſententiis.*] Blandiebantur Catilinæ quidam Senatores; dicebant enim fortaſſe veram non eſſe conjurationem iſtam, expectanda eſſe certiora illius ſigna.

45. *Reprimi, non comprimi.*] Quintilianus lib. 9. hoc inter utrumque verbum diſcrimen ponit, quod *reprimi* dicitur ad tempus: *comprimi* verò, omninò & in perpetuum.

46. *Quod ſi ſe ejecerit.*] Id eſt, ſuâ ſponte abierit ad caſtra Manliana; verbum tranſlatum à naufragiis.

47. *Collectos naufragos.*] Per naufragos eos notat, qui ſcelera & flagitia quaſi in altum navigantes, ſua omnia decoxerunt, &, quaſi patriâ amiſsâ, ejecti ſunt ad littus. Egregia tranſlatio.

Ib. *Extinguetur, atque delebitur.*] Crebras

PARTES.

Non tam habet Exordium hæc Oratio, quam propoſitionem, à quâ ſtatim incipit, tum Confirmationem, & Perorationem.

PROPOSITIO.

Sic incipit Cicero: Abiit Catilina, liberati ſumus. Hanc Propoſitionem amplificat à ſcelere Catilinæ, & periculi magnitudine, quo liberata eſt Reſpub. Parag. 1.

CONFIRMATIO.

Propoſitio totius confirmationis hæc eſt: Utile eſt non interfici Catilinam, & ejus ſocios diſcedere: *Quia magis in urbe timendi ſunt, quàm foris.*

I. TANDEM aliquando, Quirites, L. Catilinam furentem audacia, ſcelus anhelantem, peſtem patriæ nefariè molientem, vobis atque huic urbi [a] ferrum flammamque minitantem, ex urbe vel ejecimus, vel emiſimus, vel ipſum egredientem verbis proſecuti ſumus. Abiit, exceſſit, evaſit, erupit; nulla jam pernicies à monſtro illo atque prodigio mœnibus ipſis intra mœnia comparabitur. Atque hunc quidem unum hujus belli domeſtici ducem

INTERPRETATIO.

[a] *Cædem & incendium.*

NOTÆ.

1. *Tandem.*] Particula eſt tarditatem ſignificans, cum aliquid tardius dicitur, quod jam factum eſſe oportuit.

2. *Scelus anhelantem.*] Scelus anhelat Catilina, quia cupit conjurationem ſuam per ſcelera perficere, & omnes perdere.

4. *Ejecimus.*] Ejicitur Catilina imperio Conſulis, & minis ejus reſiſtere non potuit, quem opprimere volebat.

Ib. *Vel emiſimus.*] Emittitur, quia jam fugam ſuam meditans exire permittitur.

Ib. *Egredientem proſecuti.*] Nulla vi adhibita volens exivit; cum nihil haberet optatius, quam ut eſſet in Manlii caſtris.

5. *Abiit, exceſſit, evaſit, erupit.*] Verborum congregatione creſcit velut per gradus Oratio: *abiit & exceſſit* ejectus, *evaſit* emiſſus quaſi ex loco, ubi non erat in *tuto*; *erupit* ita coactus, ut, cum impetu quodam, & alacritate animi geſtientis ad Manlium abiret.

6. *A monſtro illo.*] Monſtrum ſeu moſtroſum civem appellat, qui cum naturâ eſſet homo, & ortu civis Romanus, bellua erat animo, & revera hoſtis patriæ, & parricida, ut dixit ſuperiori Oratione; talis figura appellatur Hypallage.

fine

ſine [b] controverſia vicimus; non jam inter latera noſtra ſica illa verſabitur: non in campo, non in foro, non in curia, non denique intra domeſticos parietes pertimeſcemus; loco ille motus eſt, cùm eſt ex urbe depulſus; palam jam cum hoſte, nullo impediente, bellum juſtum geremus. Sine dubio perdidimus hominem, magnificeque vicimus, cum illum ex occultis inſidiis in apertum latrocinium conjecimus. Quòd vero non cruentum mucronem, ut voluit, extulit, quòd vivis nobis egreſſus eſt, quòd ei ferrum de manibus extorſimus, quòd incolumes cives, quòd ſtantem urbem reliquit, quanto tandem illum mœrore afflictum eſſe & proſtigatum putatis? Jacet ille nunc, proſtratuſque eſt, Quirites, & ſe perculſum, atque abjectum eſſe ſentit; & retorquet oculos profectò ſæpe ad hanc urbem, quam ex ſuis faucibus ereptam eſſe luget: quæ quidem lætari mihi videtur, quod tantam peſtem evomuerit, foraſque projecerit.

II. At ſi quis eſt talis, quales eſſe omnes oportebat, qui hoc in ipſo, in quo exultat & triumphat oratio mea, me vehementer accuſet, quòd tam capitalem hoſtem non comprehenderim potius, quam emiſerim: non eſt iſta mea culpa, Quirites, ſed temporum. Interemptum eſſe L. Catilinam, & graviſſimo ſupplicio affectum jampridem oportebat: idque à me & mos Majorum, & hujus imperii ſeveritas, & reſpub. poſtulabat. Sed quam multos fuiſſe putatis, qui,

[b] *dubio.*

8. *Sica illa.*] De hac ſuperiori Oratione, Parag. III. not. ad lin. 39.

9. *In campo.*] In campum Martium in Conſularibus comitiis venit loricâ tectus Cicero, quia ſibi à Catilina timebat.

Ib. *In foro.*] Catilinâ præſente, non tuto exerceri judicia & quæſtiones potuerunt.

Ib. *In curia.*] Cùm ipſo veniente vacua ſubſellia facta ſunt, nemoque ei aſſidere voluit.

10. *Intra domeſticos parietes.*] Intra domeſticos parietes voluit Conſulem Ciceronem interficere in lectulo, præmiſſis ad cædem duobus ficariis.

Ib. *Loco motus.*] Metaphora à bello, ubi hoſtis loco motus facilius ſuperatur.

12. *Bellum juſtum.*] Bellum juſtum cum hoſte & patriæ proditore Catilina geretur.

13. *Ex occultis inſidiis.*] Nocturno tempore de ſua proditione agebat cum conjuratis, quorum conſilia Cicero in lucem protulit.

14. *Non cruentum mucronem.*] Indicat ſe non interfectum fuiſſe à Catilina; ut habebat in animo.

15. *Vivis nobis.*] Dixerat in Leccæ domo ſe non prius ad exercitum profecturum, quam Ciceronem interfeciſſet.

16. *Quòd ſtantem urbem.*] Urbem ferro & flamma perdere ſtatuerat.

19. *Perculſum.*] Percellere eſt ad humum dejicere.

20. *Suis faucibus.*] Metaphora à belluis immanibus.

22. *Evomuerit.*] Metaphora ab ægrotis, qui ſæpe vomitu recreantur.

1. *Quales eſſe omnes oportebat.*] Omnes interficiendum eſſe Catilinam debebant judicare.

2. *Triumphat oratio.*] Metaphora à triumphis, in quibus omnes lætantur, hoſte devicto.

6. *Hujus imperii ſeveritas.*] Tanta autem fuit ſeveritas Conſularis imperii, ut eo ipſo die, quo decretum fuerat à Senatu, ut viderent Conſules, ne quid detrimenti caperet Reſpub. interempti ſint C. Gracchus, M. Fulvius, L. Saturninus ſeditioſi cives.

7. *Sed quam multos.*] Multi non credebant Ciceroni, cùm de illa conjura-

qui, quæ ego deferrem, non crederent? quam multos, qui propter [a] ſtultitiam non putarent? quam multos, qui etiam defenderent? quam multos, qui propter improbitatem faverent? At ſi, ſublato illo, depelli à vobis omne periculum judicarem, jampridem ego L. Catilinam non modo invidiæ meæ, verum etiam vitæ periculo ſuſtuliſſem; ſed cum viderem, ne vobis quidem omnibus re etiam tum probata, ſi illum, ut erat meritus, morte multaſſem, fore, ut ejus ſocios invidia oppreſſus perſequi non poſſem; rem huc deduxi, ut tum palàm pugnare poſſetis, cùm hoſtem apertè videretis. Quem quidem ego hoſtem, Quirites, quàm vehementer foris eſſe timendum putem, licet hinc intelligatis, quòd illum etiam moleſtè fero, quòd ex urbe parum comitatus exierit. Utinam ille omnes ſecum ſuas copias eduxiſſet. Tongillum mihi eduxit, quem amare in prætexta cœperat: Publicium & Munatium, quorum æs alienum contractum in popina nullum reip. motum afferre poterat. Reliquit quos viros? quanto alieno ære? quam valentes? quam nobiles? Itaque ego illum exercitum, & Gallicanis legionibus, & hoc de-

[a] *ſimplicitatem.*

tione referret. 1. Quia putabant eum inimicum Catilinæ, quia Competitorem eum habuerat in petendo Conſulatu. 2. Quia alii pericula non proſpiciebant imminentia. 3. Quia multi Catilinæ favebant, quare illa pericula diſſimulabant. Unde multi Ciceronem crudelitatis accuſaſſent, ſi eum interfeciſſet.

13. *Ne vobis quidem omnibus.*] Id eſt, ſed cum viderem ex vobis omnibus non paucos, qui non crederent, tota conjuratione patefacta, & illum interficerem, ut meritus erat, fore ut non poſſem perſequi alios ejuſdem conjurationis participes, propter invidiam quæ mihi ſubeunda erat, & cui mihi fuiſſet cedendum.

19. *Parum comitatus.*] Trecenti duntaxat ſatellites eum ad Manlii caſtra ſecuti ſunt.

21. *Tongillum mihi eduxit.*] Iſta vox *mihi* ad ſenſum nihil, ſed plurimum ad orationis venuſtatem facit, quæ dicendi ratio ſatis Ciceroni familiaris eſt. Tongillus, Publicius, & Munatius, abjecti homines, ſecuti ſunt Catilinam, nobiles cum illo conjurati in urbe manſerunt.

Ib. *In prætexta.*] Pueri prætexta utebantur ad annum ætatis 17.

22. *Æs alienum.*] Mutuam acceperat à Publicio & Munatio pecuniam, ſed eam Catilina in popina & ganeis conſumpſit. Nota autem, quod ſubauditur iterum *eduxit* Publicium & Munatium. Quare ex ea pecunia nihil mali Reipub. impendere poteſt.

23. *Reliquit quos viros?*] Oſtendit longè magis eſſe ab eis pertimeſcendum, quos in civitate reliquit: quia nobiles ſunt, quia ære alieno gravantur, & prompti manu ſunt & audaces; putat hic aliquid omiſſum eſſe Muretus; crediderim vero enumerationem bonorum civium deſiderari, qui opponere ſe Catilinariis poſſunt; quod ex ſequenti oratione facile cognoſcitur, ubi comparat utrumque exercitum.

25. *Itaque ego illum exercitum.*] Oſtendit contemnendum eſſe exercitum Catilinæ. 1. Quia Reſp. habet in ſuo legiones Gallicas quas quotidie comparat. 2. Delectum, quem Metellus habuit in Piceno agro & Gallico. 3. Copias quæ quotidie colliguntur per Italiam.

Ib. *Et Gallicanis legionibus.*] Legunt aliqui *Præ*; illæ vero ſunt legiones quæ in Gallia Tranſalpina comparatæ ſunt, ubi tum erant Boii.

lectu

lectu quem in agro Piceno & Gallico Q. Metellus habuit, & his copiis quæ à nobis quotidie comparantur, [a] magnopere contemno, collectum ex senibus desperatis, ex [b] agresti luxuria, ex rusticis mendiculis, ex decoctoribus: ex iis qui vadimonia deserere, quam illum exercitum, maluerunt: quibus ego non modo si [c] aciem exercitûs nostri, verum etiam si edictum Prætoris ostendero, concident. Hos, quos video volitare in foro, quos stare ad curiam, quos etiam in Senatum venire; qui nitent unguentis, qui fulgent purpura, mallem secum suos milites eduxisset; qui si hic permanent, mementote non tam exercitum illum esse nobis, quam hos, qui exercitum deseruerunt, pertimescendos.

III. Atque hoc etiam magis sunt timendi, quod, quid cogitent, me scire sentiunt, neque tamen permoventur. Video, cui Apulia sit [a] attributa, qui habeat Etruriam, qui agrum Picenum, qui Gallicum, qui sibi has urbanas insidias cædis atque incendiorum depoposcerit: omnia superioris noctis consilia ad me perlata esse sentiunt; patefeci in Senatu hesterno die: Catilina ipse pertimuit, profugit; hi quid expectant? næ illi vehementer errant, si illam meam pristinam lenitatem perpetuam sperant futuram. Quod expecta-

[a] *nihil metuo.* [b] *agrestibus luxuriosis.* [c] *arma.* [a] *assignata.*

26. *Agro Piceno.*] Picenum agrum vulgò nominant Marchiam Anconitanam ab urbe Ancona.

Ib. *Et Gallico.*] Ager Gallicus is est, quem Lombardiam vulgò dicimus.

Ib. *Et his copiis quæ à nobis.*] Decretum fuerat à Senatu, ut delectum haberent Consules.

28. *Senibus desperatis.*] Desperati senes sunt à quibus nihil sperari potest propter debilem ætatem, quam luxus & voluptas corrupit.

29. *Decoctoribus.*] Decoctores ii dicuntur, qui in libidinibus & ganeis patrimonia consumunt.

Ib. *Vadimonia deserere.*] Vadimonium sponsio est sistendi se, comparendique in judicio: qui porro vadimonium deserebat, infamis habebatur, & in ejus bona creditores à Prætore mittebantur.

31. *Edictum Prætoris.*] Ex edicto Prætoris cognoscent se periclitari de fortunis omnibus amittendis ob deserta à se vadimonia.

32. *Concident.*] Id est, metu perterriti animum amittent.

Ib. *Volitare in foro.*] Hîc volitare in foro intelliguntur qui nihil aliud cogitant, quam ut acquirant pecuniam, quam in popinis consumant.

32. *Stare ad curiam.*] Stant videlicet, ut cognoscant, quid agatur novi.

33. *In Senatum venire.*] Senatores undecim inter conjuratos reperti sunt.

Ib. *Nitent unguentis.*] Parabant sibi certa medicamenta ad leniendam cutem, & faciem cohonestandam, quæ ab eis *unguenta* nominabantur.

34. *Fulgent purpura.*] Solis Senatoribus purpurea tunica uti fas fuit.

2. *Cui Apulia.*] Catilina distribuerat urbis partes & provincias, Apuliam C. Julio, Etruriam Manlio, agrum Picenum Septimio.

5. *Superioris noctis.*] Non ait ultimam superiorem, sed illam noctem quæ superiorem illam antecessit, quod probant verba quæ proxime sequuntur, *patefeci hesterno die.*

7. *Hi.*] Conjuratos indicat, qui in urbe remanserunt.

8. *Lenitatem perpetuam.*] Cum vehemens & grave Senatusconsultum contra conjuratos habuisset, tamen usus est erga Catilinam lenitate, ei fugam suadendo, non ipsum interficiendo.

Ib. *Quod expectavi.*] Expectabat ut fugeret, & sic omnibus pateret conjuratio.

vi, jam ſum aſſecutus, ut vos omnes factam eſſe aperte conjura-
tionem contra rempub. videretis: niſi [b] vero ſi quis eſt, qui
Catilinæ ſimiles cum Catilina ſentire non putet. Non eſt jam le-
nitati locus, ſeveritatem res ipſa flagitat; unum etiam nunc con-
cedam: exeant, proficiſcantur, ne patiantur deſiderio ſui Catili-
nam miſerum tabeſcere: demonſtrabo iter: Aureliâ viâ profec-
tus eſt: ſi accelerare volunt, ad veſperam conſequentur. O for-
tunatam remp. ſi quidem hanc ſentinam hujus urbis ejecerit! uno
mehercule Catilina exhauſto, relevata mihi & recreata reſp. vi-
detur. Quid enim mali aut ſceleris fingi aut excogitari poteſt,
quod non ille [c] conceperit? quis tota Italia veneficus, quis gladi-
ator, quis latro, quis ſicarius, quis parricida, quis teſtamento-
rum ſubjector, quis [d] circumſcriptor, quis ganeo, quis nepos,
quis adulter, quæ mulier infamis, quis corruptor juventutis, quis
corruptus, quis perditus inveniri poteſt, qui ſe cum Catilina non
familiariſſime vixiſſe fateatur? quæ cædes per hoſce annos
ſine illo facta eſt? quod nefarium ſtuprum non per illum?
Jam vero quæ tanta in ullo unquam homine juventutis illece-
bra fuit, quanta in illo? qui alios ipſe amabat turpiſſime, a-
liorum amori flagitioſiſſimè ſerviebat: aliis fructum libidinum,
aliis mortem parentum, non modo impellendo, verùm etiam ad-
juvando pollicebatur. Nunc verò quàm ſubito non ſolum ex
urbe, verum etiam ex agris ingentem numerum perditorum ho-
minum collegerat? nemo, non modo Romæ, ſed nec ullo in an-
gulo totius Italiæ oppreſſus ære alieno fuit, quem non ad hoc
incredibile ſceleris fœdus adſciverit. Atque ut ejus diverſa ſtu-
dia in diſſimili ratione perſpicere poſſitis, nemo eſt in ludo gla-
diatorio paulo ad facinus audacior, qui ſe non intimum Catilinæ

[b] *niſi quis eſt.* [c] *commiſerit.* [d] *deceptor.*

14. *Tabeſcere.*] Metaphora à tabidis, qui, cum phthiſi conſumuntur, proprie dicuntur tabeſcere.

Ib. *Aureliâ viâ.*] Vide primam Orat. Parag. iv. not. ad l. 42.

17. *Relevata mihi & recreata.*] Hæret in ſentinæ metaphora, qua navis premitur, quæ cum exhauritur, recreatur.

19. *Veneficus.*] Qui veneno homines tollit, veneficus dicitur.

Ib. *Gladiator.*] Gladiator exhibet pugnæ ſimulacrum, & alios gladiatoriam docet.

20. *Parricida.*] Non hic ſumitur parricida pro eo qui parentem interficit, ſed qui adoleſcentes inducit ad interficiendos parentes.

Ib. *Teſtamentorum ſubjector.*] Subjector teſtamentorum eſt ſive teſtamentarius, qui pro veris falſa teſtamenta ſubjicit.

21. *Circumſcriptor.*] Circumſcriptor dicitur qui inducendi aut circumveniendi homines artem docet.

Ib. *Quis ganeo.*] Ganeo à ganeis dictus. Ganeæ vero loca ſunt rei vinariæ & libidinibus apta.

Ib. *Quis nepos.*] Nepos luxurioſus & prodigus eſt, qui abliguriendo patrimonium diſſipat. Vide Salluſtium, à quo enumerantur omnes flagitioſi quos ſocios habebat.

26. *Jam vero quæ.*] Enumerat omnia vitia, quæ ſingularia fuerunt in Catilina.

35. *In ludo gladiatorio.*] Ludus gladiatorius ubi ſe exercent gladiatores.

eſſe

esse fateatur: nemo in scena levior & nequior, qui se non ejusdem prope sodalem fuisse commemoret. Atque idem tamen stuprorum & scelerum exercitatione assuefactus, frigore & fame, & siti ac vigiliis perferendis, fortis ab istis suis sociis prædicabatur, eum industriæ subsidia, atque instrumenta * virtutis in libidine audaciaque consumeret. Hunc vero si sui fuerint comites secuti, si ex urbe exierint desperatorum hominum flagitiosi greges, ô nos beatos! ô rempubl. fortunatam! ô præclaram laudem consulatûs mei! Non enim jam sunt mediocres hominum libidines, non humanæ audaciæ, ac tolerandæ: nihil cogitant, nisi cædem, nisi incendia, nisi rapinas: patrimonia sua profuderunt, fortunas suas obligurierunt: res eos jampridem, fides deficere nuper cœpit; eadem tamen illa, quæ erat in abundantia, libido permanet. Quod si in vino & alea comissationes solùm, & scorta quærerent, essent illi quidem desperandi, sed tamen essent ferendi: hoc vero quis ferre possit, inertes homines fortissimis viris insidiari, stultissimos prudentissimis, ebriosos sobriis, dormientes vigilantibus? qui mihi accubantes in conviviis, complexi mulieres impudicas, vino languidi, † confecti cibo, sertis redimiti, unguentis obliti, debilitati stupris, eructant sermonibus suis cædem bonorum, atque urbis incendia; quibus ego confido impendere fatum aliquod: & pœnas jamdiu improbitati, nequitiæ, sceleri, libidini debitas, aut instare jam pla-

* *fortitudinis.* † *conferti.*

37. *Levior.*] Gellius dicit hoc verbum non differre à nepote, & nequam.

38. *Sodalem.*] Sodalis hic dici videtur pro socio in rebus levioribus & voluptuariis.

40. *Fortis ab istis suis sociis.*] Interdum abusione nomina commutantur, ita ut fortis audax: crudelis severus vocetur.

41. *Industriæ subsidia.*] Habebat multa virtutis instrumenta, nobilitatem videlicet, vim corporis & animi: sed his omnibus ad libidines & audaciam abusus est.

42. *Audacia.*] Ad facinus obeundum, ad insidiandum occisorum bonis, & ad obsidenda stupra audax fuit.

43. *Obligurierunt.*] Lingunt aliqui *obligurierunt*, quæ vox frequentius reperitur; id est, bona sua suavibus mensis & cupediis consumpserunt.

Ib. *Fides deficere.*] Id est, fefellerunt creditores, quare nemo eis amplius pecuniam credit.

49. *Libido permanet.*] Hæc libido omnium pessima est, quæ eadem post dilapidata bona permanet.

50. *Comissationes.*] Ante prandium jentacula, post cœnam comissationes dicebantur.

52. *Inertes homines.*] Contentio elegantissima. Per inertes exprimit molles & languidos.

53. *Ebriosos.*] Ebrioli sunt qui ad ebrietatem proclives sunt, ebrii vero qui vino madent.

54. *Qui mihi accubantes.*] Subjectionis exemplum nobilissimum.

55. *Vino languidi.*] Metaphora ab herbis, quas languere dicimus, cum flavescere incipiunt.

56. *Sertis redimiti.*] In conviviis maxime luxuriosis coronas & unguenta adhibere soliti erant veteres: ut videre fæpius est apud Horatium.

Ib. *Eructant sermonibus.*] Translatum verbum ab hominibus vino languidis, & cibo confectis.

58. *Fatum aliquod.*] Fatum prosperum & adversum generaliter dicitur.

59. *Instare.*] Instat quod quasi præsens est,

ne, aut certe jam appropinquare. Quos ſi meus conſulatus, quoniam ſanare non poteſt, ſuſtulerit; non breve neſcio quod tempus, ſed multa ſæcula propagarit reipublicæ; nulla eſt enim natio, quam pertimeſcamus: nullus rex, qui bellum populo Romano inferre poſſit; omnia ſunt externa, unius virtute, terra marique pacata; domeſticum bellum manet: intus inſidiæ ſunt: intus incluſum periculum eſt: intus eſt hoſtis; cum luxuria nobis, cum amentia, cum ſcelere certandum eſt. Huic ego me bello ducem profiteor, Quirites: ſuſcipio inimicitias hominum perditorum; quæ ſanari poterunt, quacunque ratione ſanabo: quæ reſecanda erunt, non patiar ad perniciem civitatis manare. Proinde aut exeant, aut quieſcant: aut, ſi & in urbe, & in eadem mente permanent; ea quæ merentur expectent. At etiam ſunt, Quirites, qui dicant à me in exilium ejectum eſſe Catilinam: quod ego ſi verbo aſſequi poſſem, iſtos ipſos ejicerem, qui hæc loquuntur; homo enim videlicet timidus, & permodeſtus, vocem conſulis ferre non potuit: ſimul atque ire in exilium juſſus eſt, paruit. Quid, quòd heſterno die cum domi meæ pene interfectus eſſem, Senatum in ædem Jovis Statoris convocavi? rem omnem ad patres conſcriptos detuli? quò cùm Catilina veniſſet, quis eum Senator appellavit? quis ſalutavit? quis denique ita aſpexit, ut perditum civem, ac non potius, ut [s] importuniſſimum hoſtem? quin etiam principes ejus ordinis partem illam ſubſelliorum, ad quam ille acceſſerat, nudam, atque inanem reliquerunt.

IV. Hic ego, vehemens ille Conſul, qui verbo cives in exilium ejicio, quæſivi à Catilina, an nocturno conventu apud M. Leccam

[s] *pernicioſiſſimum.*

60. *Appropinquare.*] Appropinquat id, quod ſi non præſens eſt, at paulo poſt aderit. Vide igitur diſcrimen inter utrumque verbum, *inſtare* & *appropinquare.*

64. *Omnia ſunt externa.*] Nulla in Europa tunc temporis bella gerebat populus Rom.

Ib. *Terra marique.*] Ubique vicit Pompeius: nam ejus virtute terrâ Mithridates victus eſt: & mari bellum piraticum confectum. Vide pro lege Man.

69. *Quæ ſanari poterunt, &c.*] Sumpta tranſlatio à Medicis, & Chirurgis, qui quæ membra ſanari non poſſunt, reſecant, ne reliqua inficiantur.

71. *In eadem mente.*] Id eſt, in eodem animo conjurationis.

72. *Expectent.*] Debitas ſuis ſceleribus pœnas expectent.

73. *Quod ego ſi verbo aſſequi poſſem.*] Quod ſi verbo tantum valerem, ut eo poſſem civem ejicere, eos ipſos ejicerem, qui hæc de me loquuntur.

75. *Homo videlicet timidus.*] Ironice Catilinam timidum vocat, quem jam toties ad omne ſcelus patrandum audaciſſimum, appellavit.

77. *Heſterno.*] Id eſt, tertio ab hinc die.

78. *Convocavi.*] Pertinebat tantum ad Conſules Senatum convocare.

79. *Catilina veniſſet.*] Senator erat Catilina, ideoque venit in Senatum, licet contra patriam conjuraret. Vide ſuper. Orat.

82. *Principes ejus ordinis.*] Per principes viros Conſulares intelligit, qui primi omnium ſententiam rogabantur.

1. *Vehemens ille Conſul.*] Se vehementem Conſulem appellat, quemadmodum à conjuratis appellabatur.

2. *Apud M. Leccam.*] De Lecca ſuperiori Oratione dixit Paragr. II. l. 43.

fuiſſet,

fuiſſet, necne; cum ille homo audaciſſimus, conſcientia convictus, primo reticuiſſet; patefeci cætera: quid ea nocte egiſſet, ubi fuiſſet, quid in proximam conſtituiſſet, quemadmodum eſſet ei ratio totius belli deſcripta, edocui; cum hæſitaret, cum teneretur; quæſivi quid dubitaret eo proficiſci, quo jam pridem pararat: cum arma, cum ſecures, cum faſces, cum tubas, cum ſigna militaria, cum aquilam illam argenteam, cui ille etiam ſacrarium ſcelerum domi ſuæ fecerat, ſcirem eſſe præmiſſam. In exilium ejiciebam, quem jam ingreſſum eſſe in bellum videbam? Etenim, credo, Manlius iſte, centurio, qui in agro Feſulano caſtra poſuit, bellum populo Romano ſuo nomine indixit: & illa caſtra nunc non Catilinam ducem expectant: & ille ejectus in exilium, ſe Maſſiliam, ut aiunt, non in hæc caſtra conferet. O conditionem miſeram non modo adminiſtrandæ, verum etiam conſervandæ reipublicæ! nunc ſi L. Catilina conſiliis, laboribus, periculis meis circumcluſus ac debilitatus ſubito pertimuerit, ſententiam mutaverit, deſeruerit ſuos, conſilium bellum faciundi abjecerit, ex hoc curſu ſceleris & belli iter ad fugam atque exilium converterit; non ille à me ſpoliatus armis audaciæ, non obſtupefactus ac perterritus mea diligentia, non de ſpe conatuque depulſus, ſed indemnatus, innocens in exilium ejectus à conſule, vi & minis eſſe dicetur: & erunt, qui illum, ſi hoc fecerit, non improbum, ſed miſerum; me non diligentiſſimum conſulem, ſed crudeliſſimum tyrannum exiſtimari velint. [a] Eſt mihi tanti, Quirites, hujus invidiæ falſæ atque iniquæ tempeſtatem ſubire, dummodo à vobis hujus horribilis belli ac nefarii periculum depellatur. Dicatur ſane ejectus eſſe à me, dummodo eat in exilium; ſed mihi credite, non eſt iturus. Nunquam ego à Diis immortalibus optabo, Quirites, invidiæ meæ levandæ cauſa, ut L. Catilinam ducere exercitum hoſtium, atque in armis [b] volitare au-

[a] *non recuſo.* [b] *exultare.*

5. *Quid in proximam.*] Legit *proximam* Muretus, eam nempe, qua exire conſtituerat Catilina.

6. *Deſcripta.*] Sic deſcripſerat totam belli rationem, ut alios cædibus, alios incendiis, alios variis urbis partibus præfecerit.

10. *Cum tenueretur.*] Sic convictus eſt manifeſtis ſignis, quæ à Cicerone prolata ſunt, ut nihil contra proferre auſus ſit Catilina.

8. *Secures, cum faſces.*] Secures & faſces inſignia ſunt Conſulum, quæ ſibi ſumpſit Catilina ad caſtra Manlii proficiſcens.

9. *Aquilam argenteam.*] Vide ſuperiorem Orationem, parag. iv. l. 44.

10. *In exilium ejiciebam.*] Purgat ſe Cicero, quod ejecerit in exilium Catilinam, ut vulgò à fautoribus conjuratorum dicebatur cum in patriam bellum ſuſcepturus, ad caſtra profectus eſſet.

12. *Etenim, credo.*] Ironia.

15. *Maſſiliam, ut aiunt.*] Salluſtius refert, optimo cuique literas dediſſe Catilinam, ſe falſis criminibus circumventum, quoniam eorum factionibus reſiſtere non potuerat, Maſſiliam in exilium proficiſci; non quòd ſe tanti ſceleris conſcium reputaret, ſed ne qua ex ſua contentione ſeditio oriretur. Eſt autem Maſſilia Galliæ Narbonenſis urbs præclara & nobilis, in qua cives literis & moribus præcellebant, de quorum fidelitate lege Cic. lib. 2. de Officiis.

diatis: ſed [c] triduo tamen audietis: multoque magis illud timeo, ne mihi ſit invidioſum aliquando, quod illum emiſerim potius, quam quod ejecerim. Sed cum ſint homines, qui illum, cum profectus ſit, ejectum eſſe dicant; iidem, ſi interfectus eſſet, quid dicerent? Quanquam iſti, qui Catilinam Maſſiliam ire dictitant, non tam hoc queruntur, quam verentur. Nemo eſt iſtorum tam miſericors, qui illum non ad Manlium, quam ad Maſſilienſes ire malit. Ille autem, ſi, mehercule, hoc, quod agit, nunquam ante cogitaſſet, tamen latrocinantem ſe interfici mallet, quam exulem vivere; nunc vero, cum ei nihil adhuc [d] præter ipſius voluntatem cogitationemque acciderit, niſi quod vivis nobis Roma profectus eſt; optemus potius, ut eat in exilium, quam queramur. Sed cur tamdiu de uno hoſte loquimur, & de eo hoſte qui jam fatetur ſe eſſe hoſtem, & quem, quia, quod ſemper volui, murus intereſt, non timeo: de his qui diſſimulant, qui Romæ remanent, qui nobiſcum ſunt, nihil dicimus? quos quidem ego, ſi ullo modo fieri poſſet, non tam [e] ulciſci ſtudeo, quam ſanare, & ipſos placare reipub. neque, id quare fieri non poſſit, ſi me audire voluerint, intelligo. Exponam enim vobis, Quirites, ex quibus generibus hominum iſtæ copiæ comparentur: deinde ſingulis medicinam conſilii, atque orationis meæ, ſi quam potero, afferam. Unum genus eſt eorum, qui [f] magno in ære alieno majores etiam poſſeſſiones habent, quarum amore adducti diſſolvi nullo modo poſſunt. Horum hominum ſpecies eſt honeſtiſſima: ſunt enim locupletes: voluntas vero, & cauſa impudentiſſima. Tu agris, tu ædificiis, tu argento, tu familia, tu rebus omnibus ornatus & copioſus ſis, & dubites aliquid de poſſeſſione detrahere, ac fidem acquirere? quid enim expectas? bellum? quid? ergo in vaſtatione omnium, tuas poſſeſſiones ſacroſanctas futuras putas? an tabulas novas? errant qui iſtas à Catilina expectant; meo beneficio tabulæ novæ proferentur, verum auctionariæ.

[c] intra *tres dies.* [d] *contra.* [e] *punire.* [f] *debentes multa.*

40. *Hoc, quod agit.*] Nempe patriæ bellum inferre.

41. *Latrocinantem.*] Id eſt, patriæ bellum inferentem.

55. *Diſſolvi.*] Diſſolvitur æs alienum, cum creditoribus fit ſatis.

59. *Detrahere.*] Detrahitur aliquid de poſſeſſionibus, cum quis vendit aliquid ex eis, ut ære alieno liberetur.

60. *Fidem acquirere.*] Fidem amittit debitor, qui æs alienum non diſſolvit.

61. *Sacroſanctas.*] Sacroſanctum eſt quod nemo violare audet. Sic ſacroſancti Tribuni plebis dicebantur. Vide Livium, lib. 2.

62. *Tabulas novas.*] Cum quis ære alieno oppreſſus erat, aut Senatuſconſulto, aut Imperatoris decreto, tabulæ novæ in foro proponebantur, quibus credita debitoribus pecunia condonabatur; pollicebatur autem Catilina ſe publice inceſurum omnes argentariorum tabulas, ita ut nemo, quod veris alienis antea contraxiſſet, perſolvere cogeretur. Salluſt.

63. *Auctionariæ.*] Tabulæ auctionariæ ſunt; quæ in auctione proferuntur, cum nempe publica bonorum venditio fit, & res ei addicitur, qui majus pretium obtulerit.

Neque

Neque enim iſti qui poſſeſſiones habent, alia ratione ulla ſalvi eſſe poſſunt. Quod ſi [s] maturius facere voluiſſent, neque (id quod ſtultiſſimum eſt) certare cum uſuris fructibus prædiorum; locupletioribus his, & melioribus civibus uteremur. Sed hoſce homines minime puto pertimeſcendos, quod aut deduci de ſententia poſſunt, aut, ſi permanebunt, magis mihi videntur vota facturi contra remp. quam arma laturi. Alterum genus eſt eorum, qui, quanquam premuntur ære alieno, dominationem tamen expectant: rerum potiri volunt: honores, quos, quieta repub. deſperant, perturbata conſequi ſe poſſe arbitrantur. Quibus hoc præcipiendum videtur, unum ſcilicet & idem, quod cæteris omnibus, ut deſperent ſe id, quod conantur, conſequi poſſe: primum omnium me ipſum vigilare, adeſſe, providere reipub. deinde magnos animos eſſe in bonis viris, magnam concordiam, maximam multitudinem: magnas præterea copias militum: deos denique immortales huic invicto populo, clariſſimo imperio, pulcherrimæ urbi, contra tantam vim ſceleris, præſentes auxilium eſſe laturos. Quod ſi jam fiat id, quod cum ſummo furore cupiunt, adepti; num illi in cinere urbis, & ſanguine civium, quæ mente conſcelerata ac nefaria concupierunt, ſe conſules ac dictatores, aut etiam reges ſperant futuros? non vident id ſe cupere, quod ſi adepti fuerint, fugitivo alicui, aut gladiatori concedi ſit neceſſe?

V. Tertium genus eſt ætate jam confectum, exercitatione robuſtum: quo ex genere eſt ipſe Manlius, cui nunc Catilina ſucceſſit. Hi ſunt homines ex his coloniis, quas Feſulis Sylla conſtituit: quas ego univerſas civium eſſe optimorum, & fortiſſimorum virorum ſentio: ſed tamen hi ſunt coloni, qui ſe inſperatis repentiniſque pecuniis ſumptuoſius inſolentiuſque jactarunt; hi dum ædificant tanquam beati, dum prædiis, lectiſcis, familiis magnis, conviviis, ap-

[s] *citius.*

64. *Salvi.*] Non poſſunt aliter ære alieno liberari.

66. *Certare cum uſuris fructibus.*] Id eſt, putare fructus prædiorum uſuris majores eſſe.

72. *Rerum potiri volunt.*] Diſcrimen eſt inter illa verba, *potiri rebus, & rerum potiri. Potiri rerum* de iis dicitur, qui dominantur, & principatum tenent: *potiri rebus* de iis qui fruuntur voluptate, pecunia, &c.

1. *Ætate confectum.*] In conjuratione Catilinæ multi erant Syllani milites fugitivi per Italiam, & bellicoſi, quos ſpe prædæ & rapinarum ad ſe Catilina adduxerat.

2. *Ipſe Manlius.*] Manlius in caſtris Syllæ militaverat.

3. *Ex his coloniis.*] 47 Colonias deduxit Sylla poſt victoriam, ſuiſque militibus civium domos & agros largitus eſt.

Ib. *Feſulis.*] Politianus lib. 1. epiſt. ait Feſulas ab Atlante conditas, eaſque Feſulas à filia ſua Feſula appellaſſe.

6. *Jactarunt.*] Hi milites deducti in Colonias, divitias ſuas oſtentabant, ſumptuoſe eas profundendo.

7. *Lectiſcis.*] Lectiſcis utebantur ægroti & ſenes, mulieres, & homines delicatuli.

paratibus

paratibus delectantur, in tantum æs alienum [a] inciderunt, ut, si salvi esse velint, Sylla sit iis [b] ab inferis excitandus, qui etiam nonnullos agrestes homines tenues atque [c] egentes in eandem istam spem rapinarum veterum impulerunt. Quos ego utrosque, Quirites, in eodem genere prædatorum direptorumque pono. Sed eos hoc moneo, desinant furere, & proscriptiones, & dictaturas cogitare. Tantus enim illorum temporum dolor [d] inustus est civitati, ut jam ista non modo homines, sed ne pecudes quidem mihi passuræ esse videantur. Quartum genus est sane varium & mistum, & turbulentum; qui jampridem premuntur; qui nunquam emergent: qui partim inertia, partim male gerendo negotio, partim etiam sumptibus, in vetere ære alieno vacillant: qui vadimoniis, judiciis, proscriptionibus bonorum defatigati, permulti & ex urbe, & ex agris se in illa castra conferre dicuntur. Hosce ego non tam milites acres, quàm insidiatores lentos esse arbitror; qui homines primum, si stare non possunt, corruant: sed ita, ut non modo civitas, sed ne vicini quidem proximi sentiant; nam illud non intelligo, quamobrem, si vivere honeste non possunt, perire turpiter velint: aut cur minore dolore perituros se cum multis, quàm si soli pereant, arbitrentur? Quintum genus est parricidarum, sicariorum, denique omnium facinorosorum: quos ego à Catilina non revoco; nam neque divelli ab eo possunt: & pereant sane in latrocinio, quoniam sunt ita multi, ut eos capere carcer non possit. Postremum autem genus est, non solum numero, verum etiam genere ipso, atque vitâ, quod proprium est Catilinæ, de ejus delectu, immo verò de [e] complexu ejus ac sinu: quos

[a] *contraxerunt tantum æs alienum.* [b] *revocandus ad vitam.* [c] *mendiculos.* [d] *allatus.* [e] *de familiarissimis ipsi & intimis.*

11. *Rapinarum veterum.*] Spe rapinarum attraxerunt, quales factæ sunt temporibus Syllæ.

13. *Proscriptiones.*] Homines ejusmodi tenues & egeni non debent sperare fore ut Dictatorem se constituat Catilina, & similis sit Syllæ, qui eorum omnium bona proscripsit, quos suis partibus contrarios habuit.

17. *Et turbulentum.*] Aliud hominis genus, qui Catilinam sequuntur, turbulentum est & seditiosum, ex turba & multitudine, & veluti colluvione hominum conflatum.

Ib. *Nunquam emergent.*] Translatio sumpta ab aquis, ex quibus dicitur quis emergere tanquam ex naufragio. Significat verò homines ejusmodi nunquam liberabuntur.

19. *Vadimoniis.*] Vadimonia sunt sponsiones sistendi se in judicio, quibus si quis deest, adversus eum judicium datur, & creditor in ejus possessiones mittitur.

21. *In illa castra.*] Fæx illa hominum ad castra Manlii confluebat.

22. *Insidiatores lentos.*] Multi legunt *inficiatores*, id est, homines exercitatos ad negandum quibus debent. Ita *Muretus.*

23. *Corruant.*] Si in suis bonis stare illi non possunt, semetipsos interficiant; nam ipsis honestius est pacifice, quam tumultuose, & cum Reipublicæ periculo mori.

30. *In latrocinio.*] Bellum id contra patriam latrocinium semper nominavit, quia conjuratis non indictum fuerat.

nexo

pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videtis; manicatis & talaribus tunicis; velis amictos, non togis: quorum omnis induſtria vitæ, & vigilandi labor, in antelucanis cœnis expromitur. In his gregibus omnes aleatores, omnes adulteri, omnes [f] impuri, impudicique verſantur. Hi pueri tam lepidi ac delicati, non ſolum amare, & amari, neque cantare, & ſaltare, ſed etiam ſicas vibrare, & ſpargere venena didicerunt: qui niſi exeunt, niſi pereunt, etiam ſi Catilina perierit, ſcitote hoc in repub. ſeminarium Catilinarium futurum. Verumtamen quid ſibi iſti miſeri volunt? num ſuas ſecum mulierculas ſunt in caſtra ducturi? quemadmodum autem illis carere poterunt, his præſertim jam noctibus? quo autem pacto illi Apenninum, atque illas pruinas ac nives perferent? niſi idcirco ſe facilius hiemem toleraturos putant, quod nudi in conviviis ſaltare didicerunt. O bellum magnopere pertimeſcendum, cum hanc ſit habiturus Catilina ſcortatorum cohortem prætoriam! Inſtruite nunc, Quirites, contra has tam præclaras Catilinæ copias veſtra præſidia, veſtroſque exercitus: & primum gladiatori illi confecto & ſaucio, conſules, imperatoreſque veſtros opponite: deinde contra illam naufragorum ejectam ac debilitatam

[f] *improbi.*

34. *Pexo capillo.*] Jam eorum mollitiem deſcribit, qui Catilinam ſequuntur.

Ib. *Aut imberbes.*] Imberbes, vel pueri & adoleſcentes, vel molles & effeminati ſunt.

Ib. *Aut bene barbatos.*] Bene barbati ſunt qui comptam & delibutam unguentis barbulam fovent. Romanis mos fuit, ut barbam alerent; ſed anno urbis conditæ quadringenteſimo quinquageſimo quarto, adductis è Sicilia à P. Lucino Mena in urbem tonſoribus, radi barba cœpta eſt. Vide Plinium, lib. 8.

35. *Manicatis.*] Tunica veſtis Romanorum interior fuit: quam habere talarem ac manicatam, flagitium veteres exiſtimabant, ſolis enim mulieribus permiſſum id erat.

Ib. *Velis amictos.*] Vel tenuitatem togarum, vel laxitatem arguit.

36. *Antelucanis.*] Cœnas eorum arguit, quæ à prima nocte uſque ad auroram producebantur.

38. *Tam lepidi.*] Ironia.

40. *Sicas vibrare.*] Sciunt ſicas in civium corpore adigere.

Ib. *Spargere venena.*] Veneno homines tollere.

42. *Seminarium.*] Seminarium eſt locus ſubactus, in quo cum ſemina fruticum arborumve excreverunt, in viretum aut arbuſtum transferuntur. Eſt autem tranſlatum quod pro principio & origine ſumitur.

45. *His noctibus.*] Cum ad Sextum Idus Novembris hanc Orationem haberet, frigidiores jam & longiores nocte erant.

Ib. *Apenninum.*] Mons Apenninus mediam Italiam dividit, quem Livius ait vento & frigore biduum Annibali obſtitiſſe.

48. *O bellum magnopere.*] Ironia egregia, & comparatio exercitus Catilinarii cum præſidiis pop. Rom.

49. *Cohortem Prætoriam.*] Dicitur Prætoria cohors, quæ nunquam diſcedit à Prætore vel Conſule; hanc primum inſtituit Scipio Africanus, in eam autem aſſumpſit ex toto exercitu fortiſſimum quemque militem.

51. *Gladiatori confecto.*] Gladiator confectus idem eſt ac graviter vulneratus. Sic lib. Tuſcul. 3. confectos vocat graviſſime vulneratos Gladiatores, ad quos maxime videtur verbum *conficere* pertinere.

53. *Naufragorum.*] Naufragos conjuratos

tam manum, florem totius Italiæ ac robur educite. Jam vero urbes coloniarum ac municipiorum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſilveſtribus; neque vero cæteras copias, ornamenta, præſidia veſtra, cum illius latronis inopia atque egeſtate conferre debeo. Sed ſi, omiſſis his rebus omnibus, quibus nos ſuppeditamus, eget ille Senatu, equitibus Romanis, populo, urbe, ærario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus, exteris nationibus; ſi, inquam, his rebus omiſſis, ipſas cauſas, quæ inter ſe confligunt, [s] contendere velimus, ex eo ipſo, quàm valde illi jaceant, intelligere poſſumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc ſtuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc ſcelus: hinc conſtantia, illinc furor: hinc honeſtas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: hinc denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, virtutes omnes certant cum iniquitate, cum luxuria, cum ignavia, cum temeritate, cum vitiis omnibus: poſtremo copia cum egeſtate, bona ratio cum perdita, mens ſana cum amentia, bona denique ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit. In hujuſmodi certamine ac prælio, nonne, etiamſi hominum ſtudia deficiant, dii ipſi immortales cogent ab his præclariſſimis virtutibus tot & tanta vitia ſuperari?

[s] *comparare.*

tos vocat, quia cum fortunarum omnium naufragium feciſſent, & everſi funditus eſſent, ad Manlii caſtra confugerunt. Tranſlatio à naufragantibus.

55. *Urbes coloniarum, &c.*] Id eſt, Coloni & municipes reſiſtent multitudini ruſticorum & ſylveſtrium hominum, à quibus ordo nullus in pugna ſervatur.

56. *Cæteras copias, ornamenta.*] Per copias & ornamenta intelligit Senatum, Equites Rom. ærarium, eaque omnia quibus munitur, ornatur, & corroboratur Reſpublica.

58. *Suppeditamus.*] Abundamus. *Manut.*

73. *Dii ipſi.*] Dii juſtis cauſis favere ſolent.

PERORATIO.

VI. Quæ cum ita ſint, Quirites, vos, quemadmodum jam antea dixi, [a] veſtra tecta cuſtodiis vigiliiſque defendite: mihi, ut urbi ſine veſtro motu ac ſine ullo tumultu, ſatis eſſet præſidii, conſultum ac proviſum eſt. Coloni, omnes, municipeſque veſtri, certiores à me facti de hac nocturna excurſione Catilinæ, facile urbes ſuas, fineſque defendent: gladiatores, quam ſibi ille maximam manum, & certiſſimam fore putavit, quanquam meliore animo ſunt,

[a] *veſtras domos.*

quam

quam pars Patriciorum, poteſtate tamen noſtra continebuntur. Q. Metellus, quem ego proſpiciens hoc, in agrum Gallicanum Picenumque præmiſi, aut opprimet hominem, aut omnes ejus motus conatuſque prohibebit; reliquis autem de rebus conſtituendis, [b] maturandis, agendis, jam ad Senatum referemus; quem vocari videtis. Nunc illos qui in urbe remanſerunt; atque adeo qui contra urbis ſalutem, omniumque veſtrum, in urbe à Catilina relicti ſunt, quanquam ſunt hoſtes, tamen quia nati ſunt cives, monitos etiam atque etiam volo. Mea lenitas adhuc ſi cui [c] ſolutior viſa eſt, hoc expectavit, ut id, quod latebat, erumperet. Quod reliquum eſt, jam non poſſum oblivisci, meam hanc eſſe patriam, me horum eſſe conſulem: mihi aut cum his vivendum, aut pro his eſſe moriendum; nullus eſt portæ cuſtos, nullus inſidiator viæ: ſi qui exire volunt, conſulere ſibi poſſunt: qui vero in urbe ſe commoverit, cujus ego non modo factum, ſed inceptum ullum conatumve contra patriam deprehendero, ſentiet in hac urbe eſſe conſules vigilantes, eſſe egregios magiſtratus, eſſe fortem Senatum, eſſe arma, eſſe carcerem: quem vindicem nefariorum, ac manifeſtorum ſcelerum majores noſtri eſſe voluerunt. Atque hæc omnia ſic agentur, Quirites, ut res maximæ minimo motu, pericula ſumma nullo tumultu, bellum inteſtinum ac domeſticum, poſt hominum memoriam crudeliſſimum ac maximum, me uno togato duce & imperatore, ſedetur; quod ego ſic adminiſtrabo, Quirites, ut, ſi ullo modo fieri poterit, ne improbus quidem quiſquam in hac urbe pœnam ſui ſceleris ſufferat. Sed ſi vis manifeſtæ audaciæ, ſi impendens patriæ periculum me neceſſariò de hac animi lenitate deduxerint, illud profecto perficiam, quod in tanto & tam inſidioſo bello vix optandum videtur, ut ne quis bonus intereat, paucorumque pœna vos omnes jam ſalvi eſſe poſſitis. Quæ quidem ego neque mea prudentia, neque humanis conſiliis fretus polliceor vobis, Quirites; ſed multis, & non dubiis

[b] *accelerandis.* [c] *major.*

8. *Quam pars.*] E patricio genere quidam ſecuti ſunt Catilinam. Certe multos è Senatoribus Salluſtius nominat, qui in conjuratione fuerunt.

9. *Q. Metellus.*] Is Metellus Celer fuit, cui ſe dare voluit in cuſtodiam Catilina, ſed quem repudiavit.

16. *Nati ſunt cives.*] Inter conjuratos alii erant nati cives, alii civitate donati.

18. *Latebat.*] Conjuratio latebat, ſed à Cicerone aperta eſt.

21. *Inſidiator.*] Nullus eſt, qui in via illos, qui ad Catilinam proficiſcuntur, ad mortem rapiat.

25. *Carcerem.*] Ulpianus ait, carcerem ædificatum fuiſſe non ad plectendos cives improbos, ſed reprimendos: tamen hic Cicero manifeſte indicat ad eos etiam puniendos fuiſſe inſtitutum, refert autem Livius, lib. 1. media in urbe foro imminentem fuiſſe.

30. *Togato.*] Toga Romani in pace, in bello ſagis: ſed togâ ſemper Conſules utebantur.

deorum

deorum immortalium [d] significationibus, quibus ego ducibus in hanc spem sententiamque sum ingressus: qui jam non procul, ut quondam solebant, ab extero hoste atque longinquo, sed hîc præsentes suo numine atque auxilio sua templa, atque urbis tecta defendunt: quos vos, Quirites, precari, venerari, atque implorare debetis: ut quam urbem pulcherrimam, florentissimam, potentissimamque esse voluerunt, hanc omnibus hostium copiis terra marique superatis à perditissimorum civium nefario scelere defendant.

[d] *indiciis.*

40. *Deorum immortalium significationibus.*] Plutarchus narrat in vita Ciceronis, eâm in ejus domo Virgines Vestales pro salute populi sacra facerent, ex ara flammam erupisse.

42. *Ut quondam.*] Abesse quondam dii videbantur à Romanis, cum videlicet bello Senonico, & bello Punico secundo superati sunt.

ORA-

ORATIO TERTIA

IN

L. CATILINAM,

AD QUIRITES.

ARGUMENTUM.

Etectâ totâ conjuratione, comprehenſis conjuratis, & convictis in Senatu, quem ad ædem Concordiæ Cicero D. Conſul convocaverat, prodit eodem ipſo die in concionem, & populum Rom. docet ea, quæ acta & comperta ſunt: excitatque omnes ad celebrandam cum uxoribus & liberis ſupplicationem; deinde declarat in quanto urbs periculo fuerit: ac tandem conſervatæ à ſe Reipub. memoriam poſtulat ſempiternam.

TEMPUS.

Conſtat hanc habitam Orationem fuiſſe III. *Non. Decemb. anno Urbis conditæ* 690.

PARTES.

Tres habet, quarum prima non tam Exordium quam Propoſitio dicenda eſt: ſecunda eſt Narratio, tertia Peroratio.

PROPOSITIO.

Continet beneficii commemorationem, & diei conſecrationem, quia hodiè Cicero Rempub. ſervavit parag. 1.

REMPUBLICAM, Quirites, vitamque omnium veſtrûm, bona, fortunas, conjuges, liberoſque veſtros, atque hoc domicilium clariſſimi imperii, fortunatiſſimam pulcherrimamque

NOTÆ.

2. *Bona.*] Bona ſunt genera rerum, *fortunæ* verò pecuniæ ſunt.

3. *Domicilium imperii.*] Roma domicilium imperii dicitur, quia dominabatur toti imperio, quod ab ea Romanum dictum eſt,

urbem

urbem, hodierno die, deorum immortalium ſummo erga vos amore, laboribus, conſiliis periculiſque meis, ex flamma atque ferro, ac pene ex faucibus fati ereptam, & vobis conſervatam, ac reſtitutam videtis. [a] Et, ſi non minus nobis jucundi atque illuſtres ſunt ii dies, quibus conſervamur, quam illi, quibus naſcimur; quod ſalutis certa lætitia eſt, naſcendi incerta conditio; & quod ſine ſenſu naſcimur, cum voluptate conſervamur: profecto, quoniam illum, qui hanc urbem condidit, Romulum ad deos immortales benevolentia, famaque ſuſtulimus; eſſe apud vos, poſteroſque veſtros in honore debebit is, qui eandem hanc urbem conditam amplificatamque ſervavit; nam toti urbi, templis, delubris, tectis ac mœnibus ſubjectos prope jam ignes, circundatoſque reſtinximus: iidemque gladios in rempub. diſtrictos retudimus, mucroneſque eorum à jugulis veſtris dejecimus. Quæ quoniam in Senatu illuſtrata, patefacta, compertaque ſunt per me, vobis jam exponam breviter, Quirites, ut & quanta, & quam manifeſta, & qua ratione inveſtigata & comprehenſa ſint, vos, qui & ignoratis, & expectatis, ſcire poſſitis.

[a] *quod ſi.*

6. *Ex faucibus fati.*] Metaphora à belluis ferocibus. Fatum ſumebatur à Stoicis pro ſerie quadam immutabili rerum omnium, quæ homini cuilibet evenire ita neceſſario debebant, ut ne quidem à Deo poſſent immutari. Quod autem fatum pro interitu ſæpe ab iis ſumeretur, hinc factum eſt, ut crederent illi veteres, quo temporis momento quis naſceretur, eo ipſo fataliter de illius morte, atque de interitu conſtitui. Quod Seneca ſatis indicat his verbis, *Primuſque Dies dedit extremum.*

8. *Quibus naſcimur.*] Celebrabant Romani diem ſuum natalem, & amicorum.

9. *Quod ſalutis certa lætitia eſt.*] Cum conſervamur, de ſalute noſtra dubitare non poſſumus, ideoque dies ille nobis felix eſt & lætus; at cum naſcimur, incertum eſt an bona, malane ſit futura vitæ noſtræ conditio. Etenim quotocuique vita miſera & infelix contingit? certe exſtitêre populi, qui, cum quis naſceretur, miſeram illius conditionem lamentabantur.

11. *Romulum ad deos.*] Sic refert de eo Aurelius Victor. cap. 2. de Viris Illuſt. *Cum ad Capreæ paludem exercitum luſtraret, nuſquam comparuit, unde inter patres & populum ſeditione orta, Julius Proculus, vir nobilis, in concionem proceſſit, & jurejurando firmavit, Romulum à ſe in colle Quirinali viſum auguſtiore forma, cum ad deos abiret; eundemque præcipere ut ſeditionibus abſtinerent, virtutem colerent; futurum ut omnium gentium domini exiſterent. Hujus auctoritati creditum eſt, ædes in colle Quirinali Romulo conſtituta, ipſe pro deo cultus, & Quirinus eſt appellatus.*

13. *Debebit is.*] Significat ſe tum apud cives, tum apud poſteros in honore debere eſſe, quod Conſul hanc urbem ab incendio ſervavit: unde ſe tacite cum Romulo confert.

14. *Templis, delubris.*] *Templa dicuntur ſingulorum locorum diis attributorum. Delubra vero multarum ædium ſub uno tecto, à diluvio pluviæ munitarum, &c.* Ita Feſtus.

NARRATIO.

Narratio hæc, ſeu expoſitio, duas veluti partes complectitur, quarum eſt

est hæc prima: Consilio ac diligentia mea Catilinæ conjurationem comperi & extinxi.

Secunda. Non sine singulari mea prudentia, ac Deorum beneficio sine civium sanguine extinxi.

II. Principio, ut Catilina paucis ante diebus erupit ex urbe, cùm sceleris sui socios, & hujusce nefarii belli acerrimos duces Romæ reliquisset; semper vigilavi, & providi, Quirites, quemadmodum in tantis & tam absconditis insidiis salvi esse possemus. Nam tum, cum ex urbe Catilinam ejiciebam (non enim jam vereor hujus verbi invidiam, cum illa magis sit timenda, quòd vivus exierit) sed tum, cum illum exterminari volebam; aut reliquam conjuratorum [a] manum simul exituram, aut eos qui restitissent, infirmos sine illo, ac debiles fore putabam. Atque ego, ut vidi, quos maximo furore & scelere esse inflammatos sciebam, eos nobiscum esse, & Romæ remansisse: in eo omnes dies noctesque consumpsi, ut quid agerent, quid molirentur, sentirem ac viderem: ut, quoniam auribus vestris, propter incredibilem magnitudinem sceleris, minorem fidem faceret oratio mea, rem ita comprehenderem, ut tum demum animis salvti vestræ providereti, cùm oculis [b] maleficium ipsum videretis. Itaque ut comperi legatos Allobrogum, belli Transalpini, & tumultus Gallici excitandi causa, a P. Lentulo esse solicitatos, eosque in Galliam ad suos cives, eodem itinere cum literis mandatisque ad Catilinam esse missos, comitemque iis adjunctum Vulturcium, atque huic datas esse ad Catilinam literas: [c] facultatem mihi oblatam putavi, ut, quod erat difficillimum, quodque ego semper optabam à diis immortalibus, tota res non solum à me, sed etiam à Senatu, & à vobis manifestè deprehenderetur. I-

[a] *turbam.* [b] *conjurationem.* [c] *occasionem.*

17. *Comperi.*] Per Sangam amicum Allobrogum totam conjurationem comperit.

Ib. *Allobrogum.*] Allobroges populi Galliæ fuerunt juxta Rhodanum, nunc Sabaudi & Delphinates, tunc autem socii pop. Rom. populi fortes & generosi, qui à conjuratis vocati sunt.

Ib. *Transalpini.*] In ulteriore Gallia bellum dicebatur, & tumultus in citeriore: in eo verò differt tumultus à bello, quòd bellum latius nomen, nec tam grave quam tumultus. Tumultus enim perturbatio tanta est, ut timorem longe maximum excitet, quia vel in Italiæ finu, vel in Gallilis Italiæ proximis excitabatur. De utroque Cicero in Philippica 8. *Potest enim esse bellum sine tumultu, tumultus esse sine bello non potest. Quid est enim aliud tumultus, nisi perturbatio tanta ut major timor oriatur? unde etiam nomen dictum est tumultus; itaque majores nostri tumultum Italicum, quod erat domesticus: tumultum Gallicum, quod erat Italiæ finitimus: præterea nullum tumultum nominabant,* &c.

19. *Cum literis mandatisque.* Legati Allobrogum ad Catilinam cum literis & mandatis missi sunt, quibus videlicet significabatur, ut fidea eis haberetur; Gallicè dicimus *des lettres de creance.*

taque heſterno die L. Flaccum, & C. Pomtinum Prætores, fortiſſimos, atque amantiſſimos reipublicæ viros ad me vocavi: rem omnem expoſui: quid fieri placeret, oſtendi. Illi autem qui omnia de republ. præclara atque egregia ſentirent, ſine recuſatione, ac ſine ulla mora negotium ſuſceperunt, & cum adveſperaſceret, occulte ad pontem Milvium pervenerunt: atque ibi in proximis villis ita bipartiti fuerunt, ut Tiberis inter eos, & pons intereſſet; [d] eodem autem & ipſi, ſine cujuſquam ſuſpicione, multos fortes viros eduxerunt; & ego de præfectura Reatina complures delectos adoleſcentes, quorum opera utor aſſiduè in reipublicæ præſidio, cum gladiis miſeram. Interim tertiâ fere vigiliâ exactâ, cùm jam pontem cum magno comitatu legati Allobrogum ingredi inciperent, unaque Vulturcius; fit in eos impetus: educuntur & ab illis gladii, & à noſtris: res erat Prætoribus nota ſolis: ignorabatur à cæteris. Tum interventu Pomtini, atque Flacci, pugna, quæ erat commiſſa, ſedatur: literæ quæcunque erant in eo comitatu, [e] integris ſignis, Prætoribus traduntur: ipſi comprehenſi, ad me, cum jam diluceſceret, deducuntur. Atque horum omnium ſcelerum improbiſſimum [f] machinatorem Cimbrum Gabinium, ſtatim ad me, nihil dum ſuſpicantem vocavi. Deinde item arceſſitur P. Statilius, & poſt eum Cethegus: tardiſſime autem Lentulus venit, credo, quod literis dandis præter conſuetudinem proxima nocte vigilârat. Cùm vero ſummis ac clariſſimis hujus civitatis viris, qui, audita re, frequenter ad me mane convenerant, literas à me prius aperiri, quam ad Senatum referri placeret, ne, ſi nihil eſſet inventum, [g] temere à me tantus tumultus injectus civitati videretur, negavi me eſſe facturum, ut de periculo publico non ad concilium publicum rem integram deferrem. Etenim, Quirites, ſi ea, quæ erant ad me delata, reperta non eſſent; tamen ego non arbitrabar in tantis reip. periculis eſſe mihi nimiam diligentiam pertimeſcendam. Senatum frequentem celeriter, ut vidiſtis, coëgi: atque interea ſtatim, admonitu Allobrogum, C. Sulpicium Prætorem, fortem virum miſi, qui ex ædibus Cethegi, ſi quid telorum eſſet, afferret: ex quibus ille maximum ſicarum numerum, & gladiorum extulit. Introduxi Vul-

[d] *huc.* [e] *non apertis.* [f] *auctorem.* [g] *imprudenter.*

25. *L. Flaccum.*] L. Flaccum poſtea Cicero repetundarum reum in judicio defendit.

30. *Pontem Milvium.*] Pons Milvius extra urbem eſt, verſus Hetruriam, ſupra Tiberim, ſexdecim ſtadiis ab urbe Roma.

33. *Præfectura Reatina.*] Reate Sabinorum eſt oppidum, Varronis patria; hîc nundinæ habebantur, & ibi Magiſtratus Rom. jus dicebat.

35. *Tertia vigilia.*] Nox in quatuor vigilias diviſa erat, & vigilia quælibet in tres horas.

46. *Lentulus venit.*] Is erat Prætor, vir pinguis, & obeſus, & ſomnolentus.

56. *Admonitu Allobrogum.*] Ex hoc loco patet Allobrogum legatos conſcios fuiſſe conjurationis.

59. *Sicarum.*] De his 1. Orat. Parag. III. l. 39.

turcium

Turcium ſine Gallis: fidem ei publicam juſſu Senatûs dedi: hortatus ſum, ut ea quæ ſciret ſine timore indicaret. Tùm ille dixit, cùm vix ſe ex magno timore recreâſſet, à P. Lentulo ſe habere ad Catilinam mandata & literas, ut ſervorum præſidio uteretur, & ad urbem quamprimum cum exercitu accederet: id autem eo conſilio, ut, cum urbem omnibus ex partibus, quemadmodum [h] deſcriptum diſtributumque erat, incendiſſent, cædemque infinitam civium feciſſent, præſto eſſet ille, qui & fugientes [i] exciperet, & ſe cum his urbanis ducibus conjungeret. Introducti autem Galli jusjurandum ſibi & literas à P. Lentulo, Cethego, Statilio ad ſuam gentem datas eſſe dixerunt: atque ita ſibi ab his & à L. Caſſio eſſe præſcriptum, ut equitatum in Italium quamprimum mitterent, pedeſtres ſibi copias non defuturas: Lentulum autem ſibi confirmaſſe ex fatis Sibyllinis, haruſpicumque reſponſis, ſe eſſe tertium illum Cornelium, ad quem regnum urbis hujus atque imperium pervenire eſſet neceſſe: Cinnam ante ſe, & Syllam fuiſſe: eundemque dixiſſe, fatalem hunc eſſe annum ad interitum hujus urbis atque imperii, qui eſſet decimus annus poſt virginum abſolutionem, poſt Capitolii autem incenſionem viceſimus; hanc autem Cethego cum cæteris controverſiam fuiſſe dixerunt, quòd, cùm Lentulo & cæteris Satur-

[h] *partitum & diviſum.* [i] *reciperet &* occideret.

60. *Fidem publicam.*] Id eſt, impunitatem ex fide publica pollicitus eſt Vulturcio, nam ſine auctoritate Senatûs, etiam à Conſule data non valebat.

63. *Mandata.*] Vulturcius habebat mandata, quæ à P. Lentulo ore proferret ad Catilinam.

68. *Ducibus.*] Conjuratos, qui in urbe relicti fuerant a Catilina, duces urbanos nominat.

Ib. *Introducti Galli.*] Profert jam Allobrogum indicium, quod actis & ſcriptis primum exponit

73. *Ex fatis Sibyllinis.*] Fata Sibyllina vaticinia ſunt Sibyllarum, quæ, quia fata comprehendunt, fata, & caſus, & interitus fatales vulgo vocabantur.

Ib. *Haruſpicumque reſponſis.*] Haruſpex, ſeu Aruſpex, hinc dici putatur, quia in ara exta animalium inſpicit. Aliter cenſet Donatus, quod nempe *Haruſpex ab haruga nominatur; nam Haruga dicitur boſtia ab hara, in qua concluditur & ſervatur. Hara autem eſt, in qua pecora includuntur.*

74. *Tertium Cornelium.*] Dicebat Lentulus ex libris Sibyllinis tertium ſe eſſe Cornelium cui regnum portendebatur. Scriptum enim erat in illis carminibus, tria K. K. K. peſſima; quod Græci ad Cappadoces, Cilices, & Cretenſes referebant; Romani vero ad tres Cornelios, Cinnam, Syllam, & Lentulum.

76. *Fatalem hunc.*] Ut ipſe accepiſſe ſe dicebat ab Haruſpicibus, hunc fatalem annum adveniſſe, qui eruentus Reipub. portendebatur.

78. *Poſt virginum abſolutionem.*] Fabia Veſtalis virgo non multo ante hanc conjurationem incesti cauſam dixit: ei Catilina objectus eſt. Fuit autem abſoluta, quia ſoror erat Terentiæ Ciceronis uxoris, ut ſcribit Aſconius.

Ib. *Capitolii incenſionem.*] L. Scipione & C. Narbona Coſſ. cuſtodum negligentiâ Capitolium conflagravit, paulo ante Syllæ tempora, quod à Q. Catulo poſtea, Hortenſio & Metello Coſſ. reſtitutum eſt.

80. *Saturnalibus.*] Diem Saturnaliorum qui in diem decimum quartum Februarii incidebat, feligere volebant, ad eædem faciendam; quo tempore tota civitas omni generi lætitiæ & voluptatibus dedita erat.

nalibus cædem fieri, atque urbem incendi, placeret, Cethego nimium id longum videretur. Ac, ne longum sit, Quirites, [l] tabellas proferri jussimus, quæ à quoque dicebantur datæ: primum ostendimus Cethego signum; cognovit; nos linum incidimus: legimus; erat scriptum ipsius manu, Allobrogum Senatui & populo, sese, quæ eorum legatis confirmasset, esse facturum; orare, ut item illi facerent, quæ sibi legati eorum [m] præcepissent. Tum Cethegus, qui paulo antè aliquid tamen de gladiis ac sicis, quæ apud ipsum erant deprehensæ, respondisset dixissetque se semper bonorum ferramentorum studiosum fuisse, recitatis literis debilitatus atque abjectus, conscientia convictus repente conticuit. Introductus Statilius, cognovit & signum & manum suam; recitatæ sunt tabellæ in eandem fere sententiam: confessus est; tum ostendi tabellas Lentulo, & quæsivi cognosceretne [n] signum; annuit; est vero, inquam, signum quidem notum, imago avi tui, clarissimi viri, qui amavit unice patriam, & cives suos; quæ quidem te à tanto scelere etiam muta revocare debuit.

III. Leguntur eadem ratione ad Senatum Allobrogum populumque literæ; si quid de his rebus dicere vellet, feci potestatem. Atque ille quidem primo negavit: post autem aliquanto, toto indicio expositio atque edito, surrexit: quæsivit à Gallis, quid sibi esset cum iis, quamobrem domum suam venissent: itemque à Vulturcio; qui cùm illi breviter constanterque respondissent, per quem ad eum, quotiesque venissent; quæsissentque ab eo, nihilne secum esset de fatis Sibyllinis locutus: tum ille subitò, scelere [o] demens, quanta vis conscientiæ esset, ostendit; nam cum id posset inficiari, repente præter opinionem omnium confessus est: ita cum non modo ingenium illud, & dicendi exercitatio, qua semper valuit, sed

[l] *literas.* [m] *exposuissent.* [n] *imaginem.* [o] *attonitus.*

84. *Cethego signum.*] Antequam literæ referarentur, cum quis ex eis convincendus erat, signum quo signatæ erant cognoscere jubebatur.

Ib. *Cognovit.*] Id est, agnovit signum suum, sive sigillum, & confessus est.

Ib. *Linum incidimus.*] Lineo filo literæ vinciebantur, ne apertæ essent omnibus.

85. *Legimus.*] Præsente Senatu & Cethego lectæ sunt illæ literæ.

90. *Ferramentorum.*] Ferramenta dicuntur ferrea instrumenta. Posuit hic per Metonymiam *ferramenta* pro quolibet armorum genere.

93. *In eandem fere sententiam.*] Id est, quæ fere conveniebat cum illis rebus, quæ in Cethegi tabulis continebantur.

96. *Avi.*] Avus illius fuit P. Lentulus qui Gracchum seditiosum interfecit, & grave vulnus accepit, ne quid de summa Reipub. dignitate minueretur. Nota autem quod sæpe in annulis sculpta clarorum virorum capita haberent.

4. *Surrexit.*] Lentulus sedebat, quia Senator.

Ib. *Quæsivit à Gallis.*] Ab Allobrogibus quæsivit, quos non credebat fore se proditores.

7. *Respondissent.*] Semper asserendo Allobroges responsum dedere, Vulturcium cum eis egisse.

Ib. *Per quem.*] Per P. Umbrenum.

8. *Ab eo.*] A Lentulo scilicet.

12. *Ingenium illud.*] Acutum & excellens fuit ejus ingenium, sed statim defecit.

etiam

etiam propter vim ſceleris manifeſti atque deprehenſi, impudentia, qua ſuperabat omnes, improbitaſque defecit. Vulturcius vero ſubitò proferri literas, atque aperiri juſſit, quas ſibi à Lentulo ad Catilinam datas eſſe dicebat. Atque ibi vehementiſſime perturbatus Lentulus, tamen & ſignum & manum ſuam cognovit; erant autem ſcriptæ ſine nomine, ſed ita: QUI SIM, EX EO, QUEM AD TE MISI, COGNOSCES. CURA UT VIR SIS, ET COGITA, QUEM IN LOCUM SIS PROGRESSUS: ET VIDE, QUID JAM TIBI SIT NECESSE. CURA UT OMNIUM TIBI AUXILIA ADJUNGAS, ETIAM [b] INFIMORUM. Gabinius deinde introductus, cùm primò impudenter reſpondere cœpiſſet, ad extremum nihil ex iis, quæ Galli inſimulabant, negavit. Ac mihi quidem, Quirites, cum illa certiſſima ſunt viſa argumenta atque indicia ſceleris, tabellæ, ſigna, manus, denique, uniuſcujuſque confeſſio: tum multo illa certiora, color, oculi, vultus, taciturnitas; ſic enim obſtupuerant, ſic terram intuebantur, ſic furtim nonnunquam [c] inter ſe aſpiciebant, ut non jam ad alios indicari, ſed indicare ſe ipſi viderentur. Indiciis expoſitis atque editis, Quirites, Senatum conſului de ſumma reipub. quid fieri placeret; dictæ ſunt à principibus acerrimæ ac fortiſſimæ ſententiæ, quas Senatus ſine ulla varietate eſt conſecutus. Et quoniam nondum eſt perſcriptum S. C. ex memoria vobis, Quirites, quid Senatus cenſuerit, exponam. Primum mihi gratiæ verbis ampliſſimis aguntur, quod virtute, conſilio, prudentia mea reſpub. periculis ſit maximis liberata: deinde L. Flaccus & C. Pomtinus Prætores, quod eorum opera forti fidelique uſus eſſem, merito ac jure laudantur: atque etiam viro forti, collegæ meo, C. Antonio laus impertitur, quòd eos, qui hujus conjurationis participes fuiſſent, à ſuis & à reipub. conſiliis removiſſet; atque ita cenſuerunt, ut P. Lentulus, cum ſe Prætura abdicâſſet, tum in cuſtodiam traderetur: itemque uti C. Cethegus, L. Statilius, P. Gabinius, qui omnes præſentes erant, in cuſtodiam tradē-

[b] *ſervorum.* [c] *aſpiciebant ſe mutuo.*

25. *Aperiri juſſit.*] Nihil renuit ille Vulturcius, quia impunitas ei promiſſa erat.

32. *A principibus.*] Primus dicebat ſententiam, quem Cenſores Senatus principem legerant; tum ſequebantur viri Conſulares, denique reliqui Senatores. Vide lib. 14. cap. 7. quid de ea re ſcripſerit Gellius auctore Varrone.

34. *Ex memoria.*] Id eſt, exponam, quantum meminiſſe potero.

40. *C. Antonio.*] Is Antonius collega fuit in Conſulatu Ciceronis, ſive Conſul ſecundus, qui primo quidem Catilinæ fuerat, ſed per Ciceronem à conjuratione revocatus eſt. Vide Salluſt.

42. *Se Prætura abdicaſſet.*] Privabantur ſuis honoribus ſcelerati cives, antequam Reipub. pœnas darent, quia ſacroſancti habebantur Magiſtratus.

44. *In cuſtodiam.*] Non in publicam cuſtodiam dati ſunt, ſed apud aliquos è civibus; ubi laterent incogniti detenti, ne aliquo plebis tumultu educerentur.

rentur: atque idem hoc decretum eſt in L. Caſſium, qui ſibi procurationem incendendæ urbis depopoſcerat: in M. Cæparium, cui ad ſolicitandos paſtores Apuliam eſſe attributam erat indicatum: in P. Furium, qui eſt ex his colonis quos Feſulas L. Sylla deduxit: in Q. Magium Chilonem, qui unà cum hoc Furio ſemper erat in hac Allobrogum ſolicitatione verſatus: in P. Umbrenum libertinum hominem, à quo primum Gallos ad Gabinium perductos eſſe conſtabat. Atque ea lenitate Senatus eſt uſus, Quirites, ut ex tanta conjuratione, tantaque vi ac multitudine domeſticorum hoſtium novem hominum perditiſſimorum pœnâ, repubi. conſervata, reliquorum mentes ſanari poſſe arbitrarctur. Atque etiam ſupplicatio diis immortalibus pro ſingulari eorum merito, meo nomine decreta eſt, Quirites: quod mihi primum poſt hanc urbem conditam togato contigit: & his decreta verbis eſt, QUOD URBEM INCENDIIS, CÆDE CIVES, ITALIAM BELLO LIBERASSEM. Quæ ſupplicatio ſi cum cæteris conferatur, Quirites, hoc intereſt, quod cætera bene geſta, hæc una conſervata repub. conſtituta eſt. Atque illud, quod faciendum primum fuit, factum atque tranſactum eſt; nam P. Lentulus, quanquam patefactus indiciis, & confeſſionibus ſuis, judicio Senatûs, non modo Prætoris jus, verum etiam civis amiſerat; tamen magiſtratu ſe abdicavit: ut quæ religio C. Mario, clariſſimo viro, non fuerat, quo minus C. Glauciam, de quo nihil nominatim erat decretum, Prætorem occideret, ea nos religione, in privato P. Lentulo puniendo liberaremur.

IV. Nunc, quoniam, Quirites, ſceleratiſſimi periculoſiſſimique belli nefarios duces captos jam, & comprehenſos tenetis; exiſtima-

56. *Supplicatio.*] Supplicatio ex Senatûs decreto tum decernebatur, cum quis imperator rem feliciter in bello geſſerat; ibant ad templa, & ad omnia deorum pulvinaria gratias acturi.

59. *Togato contigit.*] Hic honos maximus habebatur, & nulli antea *togato* & in urbe manenti decretus erat.

62. *Quod cætera bene geſta.*] Id eſt, cæteris ſupplicatio decernebatur, qui feliciter pugnaverant in bello: at Ciceroni, quod ſua induſtria à Repub. bellum propulſarit, & hoſtes fine armis expulerit. Cotta vir ſummo ingenio, & bene de Repub. meritus, aſſentientibus omnibus hujus decernendæ ſupplicationis auctor fuit.

67. *Magiſtratu ſe abdicavit.*] Plutarchus de eo ait, poſuiſſe veſtem purpuream in medio Senatu qua indutus erat, & aſſumpſiſſe ſuæ fortunæ congruam.

Ib. *Quæ religio.*] Commendat ſuum illud factum comparatione illius quod à Mario factum eſt. nam nihil moratus eſt ille, quo minus Glauciam interficeret, qui Saturninum tribunum plebis contra Remp. molientem ſecutus fuerat. Nulla autem religione tenebatur ſic agere: at ipſe Cicero religione obſtringebatur; quia decretum non ſolum fuit à Senatu, ut viderent Conſules, nequid Reſpub. detrimenti caperet, verum etiam, ut Lentulum in cuſtodiam traderent. At Marius tantum juſſus eſt à Senatu Rempub. conſervare, neque ei quicquam de Glaucia demandatum fuerat.

70. *In privato Lentulo.*] Cum Magiſtratum depoſuiſſet, privatus cenſebatur; eſt autem argumentum à minore ad majus.

re debetis, omnes Catilinæ copias, omnes ſpes, atque opes, his depulſis urbis periculis, concidiſſe. Quem quidem ego cum ex urbe pellebam, hoc providebam animo, Quirites, remoto Catilina, nec mihi eſſe P. Lentuli ſomnum, nec L. Caſſii adipem, nec C. Cethegi furioſam temeritatem pertimeſcendam. Ille erat unus timendus ex his omnibus, ſed tamdiu, dum mœnibus urbis continebatur; omnia norât: omnium aditus tenebat: [a] appellare, tentare, ſolicitare poterat, audebat: erat ei conſilium ad facinus aptum: conſilio autem neque lingua, neque manus deerat; jam ad cæteras res conficiendas certos homines delectos ac [b] deſcriptos habebat: neque vero cum aliquid mandaverat, confectum putabat: nihil erat, quod non ipſe obiret, occurreret, vigilaret, laboraret: frigus, ſitim, famem ferre poterat. Hunc ego hominem tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum, tam in ſcelere vigilantem, tam in perditis rebus diligentem, niſi ex domeſticis inſidiis in [c] caſtrenſe latrocinium compuliſſem (dicam id, quod ſentio, Quirites) non facile hanc tantam [d] molem mali à cervicibus veſtris depuliſſem; non ille vobis Saturnalia conſtituiſſet, neque tanto antè exitium, ac fati diem reipubl. denunciaſſet; neque commiſiſſet, ut ſignum, ut literæ ſuæ, teſtes denique manifeſti ſceleris deprehenderentur; quæ nunc, illo abſente, ſic geſta ſunt, ut nullum in privata domo furtum unquam ſit tam palam inventum, quàm hæc tanta in repub. conjuratio manifeſto inventa atque deprehenſa eſt. Quòd ſi Catilina in urbe ad hanc diem remanſiſſet: quanquam, quoad fuit, omnibus ejus conſiliis occurri atque obſtiti, tamen, ut leviſſime dicam, dimicandum nobis cum illo fuiſſet: neque nos unquam, dum ille in urbe hoſtis fuiſſet, tantis periculis rempublicam tanta pace, tanto otio, tanto ſilentio liberâſſemus. Quanquam hæc omnia, Quirites, ita ſunt à me adminiſtrata, ut deorum immortalium nutu atque conſilio & geſta & proviſa eſſe videantur; idque cum conjectura conſequi poſſumus, quòd vix videtur humani conſilii tantarum rerum gubernatio eſſe potuiſſe: tum vero ita præſentes his temporibus opem

[a] *ſalutare.* [b] *diſpoſitos.* [c] *bellum & caſtra.* [d] *magnitudinem.*

5. *Lentuli ſomnum.*] Adducit in contemptum conjurationis ſocios. De Lentulo paulo ante dictum eſt.

Ib. *Caſſii adipem.*] Caſſius erat obeſo corpore, ac animo ſtolido.

7. *Cethegi furioſam temeritatem.*] Cethegus cædi præpoſitus fuerat, & dammarat ſæpe ſociorum ignaviam, & tarditatem ad facinus obeundum.

Ib. *Ille erat.*] Catilina maxime omnium formidandus erat, utpote qui norat rationem alloquendi omnes, & ſolicitandi.

10. *Tentare.*] Tentabat & explorabat Catilina, qui cujuſque eſſet animus, vel pro Republ. vel contra Rempub.

Ib. *Ad facinus.*] Seu bonum, ſeu malum obeundum.

20. *Saturnalia conſtituiſſet.*] Saturnaliorum diebus urbem incendere, & occidere cives ſtatuerat.

28. *Ut leviſſime dicam.*] Id eſt, ne gravioribus & atrocioribus verbis utar; nam bellum civile cum ipſo gerendum fuiſſet.

& auxilium nobis tulerunt, ut eos pene oculis videre poſſemus. Nam ut illa omittam, viſas nocturno tempore ab Occidente faces, ardoremque cœli, ut fulminum jactus, ut terræ motus, cæteraque, quæ tam multa, nobis conſulibus, facta ſunt, ut hæc, quæ nunc fiunt, [e] canere dii immortales viderentur; hoc certe, Quirites, quod ſum dicturus, neque prætermittendum, neque relinquendum eſt. Nam profectò memoria tenetis, Cotta & Torquato COSS. complures in Capitolio turres de cœlo eſſe percuſſas, cum & ſimulacra deorum immortalium depulſa ſunt, & ſtatuæ veterum hominum dejectæ, & legum æra liquefacta. Tactus eſt etiam ille qui hanc urbem condidit, Romulus; quem inauratum in Capitolio parvum atque lactantem, uberibus lupinis inhiantem fuiſſe meminiſtis. Quo quidem tempore, cum haruſpices ex tota Etruria convenissent, cædes atque incendia, & legum interitum, & bellum civile ac domeſticum, & totius urbis atque imperii occaſum appropinquare dixerunt, niſi dii immortales omni ratione placati [f] ſuo numine propè fata ipſa flexiſſent. Itaque ex illorum reſponſis tunc & ludi decem per dies facti ſunt, neque res ulla quæ ad placandum deos pertineret, prætermiſſa eſt; iidemque juſſerunt ſimulacrum Jovis ſacere majus, & in excelſo collocare, & contra atque ante fuerat, ad Orientem convertere: ac ſe ſpera-

[e] *prænunciare.* [f] *ſua poteſtate.*

36. *Ut eos.*] Id eſt, deos videre poſſemus, licet videri non poſſint. Id dixit propter prodigia quæ his diebus viſa ſunt, quæ portendere aliquid Reipub. videbantur.

37. *Ab Occidente faces.*] Apparuerunt ſtellæ crinitæ, quæ cometæ vulgò dicuntur; ſtellæ autem ejuſmodi aliud nihil ſunt quam aër accenſus, qui varias figuras exhibet.

38. *Fulminum jactus.*] Varguntеius Pompeius de cœlo exanimatus eſt.

Ib. *Terræ motus.*] Terræ motu Spoletum totum concuſſum eſt, & quædam ædificia corruerunt. Vide lib. 1. de Divinatione ubi omnia hæc prodigia verſibus Cicero perſecutus eſt.

43. *Cotta & Torquato Coſſ.*] Anno urbis conditæ 688. quo tempore prior conjuratio facta eſt; de qua Salluſtius.

Ib. *Complures in Capitolio.*] Arx munitiſſima erat in ſaxo Tarpeio, in qua arce plures erant turres.

45. *Statuæ.*] Statuæ olim ad æternam poſteritatis memoriam ibi erectæ fuerant.

45. *Legum æra.*] Legum æra ſignificant duodecim tabularum leges, quas in ære deſcriptas fuiſſe narrat T. Livius lib. 3.

47. *Romulus.*] Per Romulum, Romuli ſtatuam intellige.

Ib. *Lactantem.*] Romulus fugens lac Lupæ, & aperto ore captans repræſentabatur.

49. *Haruſpices ex tota Etruria.*] Aruſpicinæ præcæteris dediti fuerunt Hetruſci, apud quos Tages ejus diſciplinæ inventor exſtitit; imo ex Senatus auctoritate quondam decretum eſt, ut ſex filii principum ſingulis Etruriæ populis hac diſciplinâ inſtituendi traderentur, ne ars illa vileſceret.

53. *Prope fata.*] Decreta divina, ſeu fata, immutari non poſſunt: at ſecundum Tagem, tantum decem annos differri potuerunt.

54. *Ludi decem per dies.*] O cæcitatem hominum! quaſi ludis ejuſmodi dii placarentur.

re

re dixerunt, si illud signum quod videtis, solis ortum, & forum curiamque conspiceret, fore, ut ea consilia quæ clàm essent inita contra salutem urbis atque imperii, illustrarentur, ut à S. P. Q. R. perspici possent. Atque illud ita collocandum Consules illi statuerunt: sed tanta fuit operis tarditas, ut neque à superioribus consulibus, neque à nobis ante hodiernum diem collocaretur. Hic quis potest esse, Quirites, tam [g] aversus à vero, tam præceps, tam mente captus, qui neget hæc omnia quæ videmus, præcipueque hanc urbem, deorum immortalium nutu atque potestate administrari? Etenim cum esset ita responsum, cædes, incendia, interitumque reipublicæ comparari, & ea à perditis civibus; quæ tum propter magnitudinem scelerum nonnullis incredibilia videbantur, ea non modo cogitata à nefariis civibus, verùm etiam suscepta esse sensistis. Illud vero nonne ita præsens est, ut nutu Jovis Optimi Maximi factum esse videatur, ut, cùm hodierno die manè per forum meo jussu & conjurati, & eorum indices in ædem Concordiæ ducerentur, eo ipso tempore signum statueretur? quo collocato, atque ad vos Senatumque converso, omnia & Senatus, & vos, quæ erant contra salutem omnium cogitata, illustrata & patefacta vidistis. Quo etiam majore sunt isti odio supplicioque digni, qui non solùm vestris domiciliis atque tectis, sed etiam deorum templis atque delubris sunt funestos ac nefarios ignes inferre conati: quibus ego si me restitisse dicam, nimium mihi [h] sumam, & non sim ferendus: ille, ille Jupiter restitit; ille Capitolium, ille hæc templa, ille hanc urbem, ille vos omnes salvos esse voluit. Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque suscepi, atque ad hæc tanta indicia perveni. Jam vero illa Allobrogum solicitatio, sic à Lentulo cæteriisque domesticis hostibus, tanta res, tam dementer credita & ignotis & barbaris, commissæque literæ nunquam essent profectò, nisi à diis immortalibus [i] huic tantæ audaciæ con-

[g] *perversus.* [h] *arrogabo.* [i] *tam audacibus.*

62. *Consules illi.*] Cotta & Torquatus.

63. *Superioribus consulibus.*] L. Cæsar & C. Figulus Consules ante Ciceronem fuêre.

75. *In ædem Concordiæ.*] In æde Concordiæ Cicero Senatum habiturus erat. Tria fuerunt Romæ templa Concordiæ; unum in area Vulcani, aliud in arce, tertium in foro.

Ib. *Signum statueretur.*] Jovis simulacrum.

82. *Non sim ferendus.*] Prædicat summum deorum beneficium, quo ab incendio templa & urbs liberata est, quod sibi arrogare sine summa impietate non posset.

88. *Tanta res, tam dementer.*] Tanta conjuratio & bellum tam perniciosum excogitatum, sine summa dementia non potuit committi ignotis & barbaris hominibus, id est, Allobrogibus; nota autem quòd *Barbaros* externos omnes appellabant Romani.

silium

filium esset eruptum. Quid vero? ut homines Galli ex civitate male pacatâ, quæ gens una restat quæ populo Rom. bellum facere & posse, & non nolle videatur, spem imperii, & rerum ampliſſimarum ultro sibi à patriciis hominibus oblatam negligerent, vestramque salutem suis opibus anteponerent: id nonne divinitus factum esse putatis? præsertim qui nos non pugnando, sed tacendo superare potuerunt.

91. *Ex civitate male pacata.*] Videntur habuisse civitatem, quæ Allobrogum diceretur; quæ male pacata appellatur, quòd moleſtiſſime ferrent imperium pop. Rom. ex quo victi sunt à Q. Fabio, qui Allobrogicus dictus est.

94. *A patriciis.*] Quidam erant è conjuratis patricii.

PERORATIO.

V. Quamobrem, Quirites, quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est, celebratote illos dies cum conjugibus ac liberis vestris. Nam multi sæpe honores diis immortalibus justi habiti sunt ac debiti, sed profectò justiores nunquam. Erepti enim estis ex crudeliſſimo ac miserrimo interitu, & erepti sine cæde, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione: togati me uno togato duce & imperatore vicistis. Etenim recordamini, Quirites, omnes civiles dissensiones, neque solùm eas quas audistis, sed & has, quas vosmetipsi meministis & vidistis. L. Sylla P. Sulpicium oppressit; ex urbe ejecit C. Marium custodem hujus urbis; multosque fortes viros partim ejecit ex civitate, partim interemit; Cn. Octavius Cos. armis ex urbe collegam suum expulit: omnis hic locus

1. *Ad omnia pulvinaria.*] Pulvinaria erant lecti qui sternebantur in templis, cum diis convivium apponebatur, quod sacrificii genus lectisternium dicebatur, aut epulum.

2. *Celebratote illos dies.*] Ibant per urbem redimiti pueri, matronæ, virgines, canebantque hymnos compositos in laudem deorum.

4. *Justi.*] Justi sunt honores qui rependuntur diis immortalibus, pro acceptis ab ipsis beneficiis.

10. *Sulpicium oppressit.*] Cum Syllæ decretum esset à Senatu bellum Mithridaticum, egit Marius cum Sulpicio Tribuno plebis, ut ea sibi provincia pop. Rom. suffragiis decerneretur. Sylla interim simulans profectionem ad bellum, exercitum Romam convertit; pugnat in urbe cum Mario & Sulpicio; Sulpicius occiditur, & Marius fugit in Africam. Appianus lib. 1. bell. civil.

11. *Custodem hujus urbis.*] Vere Marius urbis Romæ custos fuit, propter confectum à se bellum Cimbricum. Is Arpinas & Ciceronis popularis fuit, quem semper laudat.

12. *Cn. Octavius.*] Cn. Octavius habuit collegam Cornelium Cinnam, Octavius partes Syllæ secutus est. Expulit autem Cinnam propter leges quasdam Reipub. perniciosas, quas Octavius ferri noluit. Sic expulsus, consulatu abdicatus est, & hostis patriæ judicatus. Marius rediens ex Africa, cum Cinna se conjungit: Romam obsident, capiunt, eamque civium nobiliſſimorum sanguine & cædibus replent.

acervis

acervis corporum & civium ſanguine redundavit. Superavit poſtea Cinna cum Mario, tum vero clariſſimis viris interfectis, lumina civitatis extincta ſunt. Ultus eſt hujus victoriæ crudelitatem poſtea Sylla: ne dici quidem opus eſt, quanta diminutione civium, & quanta calamitate reipub. Diſſenſit M. Lepidus à clariſſimo & fortiſſimo viro Q. Catulo; attulit non tam ipſius interitus reipub. luctum, quam cæterorum. Atque illæ diſſenſiones erant hujuſmodi, Quirites, quæ non ad delendam, ſed ad commutandam rempub. pertinerent; non illi nullam eſſe rempub. ſed in ea quæ eſſet, ſe eſſe principes; neque hanc urbem conflagrare, ſed ſe in hac urbe florere, voluerunt. Atque illæ tamen omnes diſſenſiones, quarum nulla exitium reipub. quæſivit, ejuſmodi fuerunt, ut non reconciliatione concordiæ, ſed internecione civium [a] dijudicatæ ſint. In hoc autem uno poſt hominum memoriam maximo crudeliſſimoque bello (quale bellum nulla unquam barbaria cum ſua gente geſſit; quo in bello lex hæc fuit à Lentulo, Catilina, Caſſio, Cethego conſtituta, ut omnes qui ſalva urbe ſalvi eſſe poſſent, in hoſtium numero [b] ducerentur) ita me geſſi, Quirites, ut omnes ſalvi conſervaremini: & cùm hoſtes veſtri tantum civium ſuperfuturum putâſſent, [c] quantum infinitæ cædi reſtitiſſet: tantum autem urbis, quantum flamma [d] obire non potuiſſet: & urbem & cives integros incolumeſque ſervavi. Quibus pro tantis rebus, Quirites, nullum ego à vobis præmium virtutis, nullum [e] inſigne honoris, nullum monumentum laudis poſtulo, præterquam hujus diei memoriam ſempiternam. In animis ego veſtris omnes triumphos me-

[a] *terminatæ.* [b] *haberentur.* [c] *reliquum fuiſſet facta cæde infinita.* [d] *attingere.* [e] *nullum triumphum.*

16. *Lumina.*] Interfecti ſunt Q. Catulus, Merula, Craſſus, Scævola, M. Antonius, & C. Cæſar, præſtantiſſimi Oratores, Vide Livium lib. 79.

17. *Quanta diminutione civium.*] Appianus refert, ex equeſtri ordine duo millia & ſexcentos, Senatores nonaginta, Conſulares quindecim occidiſſe; & Tit. Livius lib. 88. Italiam univerſam cædibus repleviſſe; unde à Furfidio admonitus dicitur, ut aliquos vivere fineret, ut eſſent quibus imperaret.

18. *Diſſenſit M. Lepidus.*] Diſſenſit in eo M. Lepidus, tum quia impediebat ne Syllæ demortui corpus in campo Martio ſepeliretur, qui hones antea tantum Regibus conceſſus fuit, tum quia ejus acta reſcindere conabatur.

19. *Q. Catulo.*] Hic Catulus Ciceronem patrem patriæ nominavit.

1b. *Ipſius interitus.*] Pugnavit Lepidus cum Catulo in campo Martio, ubi multa ſuorum clade victus, fugit in Sardiniam, ibique morbo periit.

20. *Cæterorum.*] Multi cum eo cæſi ſunt.

23. *Neque hanc urbem conflagrare.*] Ii omnes, quibus dixit, volebant aut commutare Reipub. ſtatum, aut in ea dominari tantum; ſed Catilina funditus flammis illam delere voluit.

38. *Nullum monumentum.*] Hominibus de patria bene meritis ſtatuæ in roſtris collocabantur.

os, omnia ornamenta honoris, monumenta gloriæ, laudis insignia, condi & collocari volo; nihil me mutum potest delectare, nihil tacitum, nihil denique hujusmodi, quod etiam minus digni assequi possint. Memoriâ vestrâ, Quirites, nostræ res alentur, sermonibus crescent, [f] literarum monumentis inveterascent & corroborabuntur: eandemque diem intelligo, quam spero æternam fore, & ad salutem urbis, & ad memoriam consulatûs mei propagatam: unoque tempore in hac republica duos cives exstitisse, quorum alter fines vestri imperii, non terræ, sed cœli regionibus terminaret; alter ejusdem imperii domicilium sedemque servaret. Sed quoniam earum rerum quas ego gessi, non est eadem fortuna atque conditio, quæ illorum qui externa bella gesserunt: quod mihi vivendum sit cum illis, quos vici ac subegi: isti hostes aut interfectos, aut oppressos reliquerunt: vestrûm est, Quirites, si cæteris recta sua facta prosunt, mihi mea ne quando obsint, providere; mentes enim hominum audacissimorum sceleratæ ac nefariæ ne vobis nocere possent, ego providi: ne mihi noceant, vestrûm est providere. Quanquam, Quirites, mihi quidem ipsi nihil jam ab istis noceri potest; magnum enim est in bonis præsidium, quod mihi in perpetuum comparatum est: magna in republica dignitas, quæ me semper tacita defendet; magna vis est conscientiæ, quam qui negligent, cum me violare volent, se ipsi indicabunt. Est etiam in nobis is animus, Quirites, ut non modo nullius audaciæ cedamus, sed etiam omnes improbos ultro semper lacessamus. Quòd si omnis impetus domesticorum hostium depulsus à vobis se in me unum converterit; vobis erit providendum, Quirites, qua conditione posthac eos esse velitis, qui se pro salute vestra obtulerint invidiæ, periculisque omnibus. Mihi quidem ipsi quid est quod jam ad vitæ fructum possit acquiri, præsertim cum neque in honore vestro, neque in gloria virtutis quidquam videam altius, quò quidem mihi libeat ascendere? Illud perficiam profectò, Quirites, ut ea quæ gessi in consulatu privatus tuear, atque ornem: ut, siqua est invidia in conservandâ republica suscepta, lædat invidos, mihi valeat ad gloriam. Denique ita me in republica [g] tractabo; ut me-

[f] *historiis.* [g] *geram.*

42. *Me mutum.*] Testatur se rebus mutis non delectari, quales sunt statuæ; nec tacitis, quales sunt triumphi.

49. *Duos cives.*] Se & Pompeium notat: Pompeius enim eodem fere tempore piraticum bellum & Mithridaticum confecit: ipse vero civitatem incendio, cives cæde liberavit.

56. *Mea obsint.*] Poterat obesse Ciceroni invidia, quam subibat à conjuratis qui supererant.

62. *Magna vis est conscientiæ.*] Locus communis de conscientia, qua nulla major vis est.

72. *Videam altius.*] Populi beneficio Consul erat, qua dignitate nulla fuit illustrior in Repub.

mine-

minerim ſemper quæ geſſerim, curemque ut ea virtute, non caſu geſta eſſe videantur. Vos, Quirites, quoniam jam nox eſt, veneramini illum Jovem, cuſtodem hujus urbis ac veſtrûm; atque in veſtra tecta diſcedite; & ea, quanquam jam periculum eſt depulſum, tamen, æque ac priori nocte, cuſtodiis vigiliiſque defendite. Id ne vobis diutius faciendum ſit, atque ut in perpetua pace eſſe poſſitis, providebo, Quirites.

78. *Jam nox eſt.*] Patet ſub noctem habitam hanc fuiſſe orationem: quod & Plutarchus teſtatur.

79. *Illum Jovem.*] Hortatur ad venerationem Jovis Statoris, cujus in templo primam Orationem in Catilinam habuit.

83. *Providebo.*] De ſenatuſconſulto pro puniendis conjuratis habendo, proviſurum ſe ac executurum quamprimum pollicetur.

ORATIO QUARTA

IN

L. CATILINAM,

IN SENATU.

ARGUMENTUM.

CUM Cicero audiviſſet opifices, alioſque è fæce populi à conjuratorum clientibus & amicis ſolicitari, ad eos per vim ex carcere extrahendos, diſpoſitis undequaque præſidiis, Nonis Decembris Senatum in curiam convocavit, retulitque, quid fieri de iis placeret, qui traditi erant in carcerem. Silanus Conſul deſignatus, prior rogatus ſententiam, morte eos multandos eſſe pronunciavit. Cæſar verò, remota mortis ſententia, cæteras omnium ſuppliciorum acerbitates amplexus eſt. Cicero in utramque ſententiam ita diſſeruit, ut inclinaret potius in Silani ſeveriorem. Itaque totam hujus Orationis argumentum in duabus illis excutiendis ſententiis verſatur: quare ad genus deliberativum

rativum pertinet hæc Oratio; ſuadet enim ut Silani potius quam Cæſaris ſententiam Patres Conſcripti ſequantur.

PARTES.

Sunt quatuor, Exordium, Propoſitio, Contentio, & Peroratio.

TEMPUS.

Habita eſt hæc Oratio Nonis Decembribus ut ipſe lib. 2. ad Atticum ſcribit.

EVENTUS.

Morte puniti ſunt in carcere Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinius, & Cæparius conjurati.

EXORDIUM.

Sic hortatur Senatum Cicero de conjuratorum pœna ferre ſententiam fortiter, ut tacite eos occidendos eſſe ſuadant.

I. VIDEO, P. C. in me omnium veſtrûm [a] ora atque oculos eſſe converſos: video vos non ſolùm de veſtro ac reipublicæ, verùm etiam, ſi id depulſum ſit, de meo periculo eſſe ſolicitos. Eſt mihi jucunda in [b] malis, & grata in dolore, veſtra erga me voluntas: ſed eam, per deos immortales, quæſo, deponite; atque obliti ſalutis meæ, de vobis ac de liberis veſtris cogitate. Mihi quidem ſi hæc conditio conſulatûs data eſt, ut omnes acerbitates, omnes dolores cruciatuſque perferrem; feram non ſolùm fortiter, ſed etiam libenter, dummodo meis laboribus vobis populoque Romano dignitas ſaluſque pariatur. Ego ſum ille Conſul, P. C. cui non forum, in quo omnis æquitas continetur; non campus conſularibus auſpi-

INTERPRETATIO.

[a] *vultus.* [b] *periculis.*

NOTÆ.

8. *Data eſt.*] Quaſi fato & deorum decreto, datum ſibi eſſe conſulatum dicit, ut multa perferat.

11. *Non forum.*] In foro creatum eſt ei periculum à Catilina.

Ib. *In quo omnis æquitas.*] In foro judicia exercebantur, ubi regnare debet æquitas.

12. *Non campus.*] In campo Martio, captatis auguriis, Magiſtratus creabantur, nam huc ſe conferre debuit lorica tectus, uti priore oratione dictum eſt.

cilis

ciis conſecratus; non curia, ſummum auxilium omnium gentium; non domus, commune perfugium; non lectus, ad quietem datus: non denique hæc ſedes honoris, ſella curulis, unquam vacua mortis periculo, atque inſidiis fuit. Ego multa tacui, multa pertuli, multa conceſſi, multa meo quodam dolore in veſtro timore ſanavi. Nunc ſi hunc exitum Conſulatûs mei dii immortales eſſe voluerunt, ut vos, P. C. populumque Romanum ex cæde miſera, conjuges liberoſque veſtros, virgineſque Veſtales ex acerbiſſima vexatione; templa atque delubra, hanc pulcherrimam patriam omnium noſtrûm ex fœdiſſima flamma; totam Italiam ex bello & vaſtitate eriperem; quæcunque mihi uni proponetur fortuna, ſubeatur. Etenim ſi P. Lentulus ſuum nomen, inductus à vatibus, fatale ad perniciem reipublicæ fore putavit; cur ego non læter, meum conſulatum ad ſalutem reipublicæ prope fatalem exſtitiſſe. Quare, P. C. conſulite vobis, proſpicite patriæ; conſervate vos, conjuges, liberos, fortunaſque veſtras: populi Romani nomen ſalutemque defendite: [c] mihi parcere ac de me cogitare deſinite. Nam primum debeo ſperare, omnes de-

[c] *miſeri mei.*

13. *Non curia.*] In curia Ciceroni minatus eſt Catilina: refert enim Plutarchus tum dixiſſe Catilinam, duo eſſe in Repub. corpora, quorum alterum caput haberet, ſed ægrum; alterum ſine capite, ſed potens & validum, cui ſe ipſe caput adjungeret.

14. *Commune perfugium.*] Plutarchus in vita Gracchorum refert, quod apud Romanos veteres, ne in capitali quidem cauſa reum domi licebat facere, ſed ante domum conſiſtens præco, tuba eum citabat.

Ib. *Non lectus ad quietem.*] Equites duo præmiſſi fuerant à conjuratis, ut mane Ciceronem in lecto ſuo interficerent, quare ne in lecto quidem quietus fuit.

15. *Sella curulis.*] Curules Magiſtratus erant Conſules, Cenſores, Prætores, & Ædiles; hinc autem appellati, ut Feſtus ait, quia curru vehebantur, in quo erat ſella eburnea, vel ſaltem ebore tecta, pedibus incurvis, cui inſidebant illi Magiſtratus.

18. *Exitum Conſulatûs.*] Quia Nonis Decembri. hanc habuit Orationem Cicero, & Calendis Januariis deſignati Conſules Magiſtratum inire debebant, exitus ejus Conſulatûs imminebat.

20. *Veſtales.*] Veſtales inde dictæ ſunt quod Veſtæ ſacra, & ignem ejus perpetuum curarent. Longe ante Romam conditam earum fuit inſtitutio, ſi quidem Æneas condito Lavinio, ibi Veſtæ ædem exſtruxerit. Dionyſius ait Numam Pompilium primum omnium Veſtales virgines Romæ inſtituiſſe.

21. *Templa atque delubra.*] Templa (ex Donato) loca ſunt nota ab auguie, & diis conſecrata: delubra vero, ubi ſimulacra Deorum ponuntur.

24. *Subeatur.*] Proponit ſibi omnia perferenda ſortiser & generoſe, quæ erunt pro patriæ defenſione ſubeunda.

Ib. *Suum nomen.*] Nomen nempe Cornelii, de quo ſuperiori orat. Paragr. ii. not. ad l. 71. Hic autem locus eſt à diſſentaneis. Lentulus enim velut hoſtis patriæ, Ciceroni patriæ ſervatori opponitur.

25. *A vatibus.*] Per vates, aruſpices & verſus Sibyllarum intelligit. De quibus vide ſuperiorem orationem Paragr. ii. not. ad l. 71.

27. *Fatalem exſtitiſſe.*] Stoicorum more loquitur, qui omnia fato advenire volebant; quaſi in fatis eſſet, ut per ipſum Reſpub. conſervaretur.

os,

os, qui huic urbi præſident, pro eo mihi ac mereor, relaturos gratiam eſſe; deinde ſi quid obtigerit, æquo animo paratoque moriar; neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere, neque immatura conſulari, nec miſera ſapienti. Nec tamen ego ſum ille ferreus, qui fratris cariſſimi atque amantiſſimi præſentis mœrore non moveär, horumque omnium lacrymis à quibus me [d] circumſeſſum videtis: neque meam mentem non domum ſæpe revocat exanimata uxor, abjecta metu filia, & parvulus filius, quem mihi videtur amplecti reſpublica tanquam obſidem conſulatûs mei; neque ille, qui expectans hujus exitum dici adſtat in conſpectu meo gener; moveor his rebus omnibus, ſed in eam partem, ut ſalvi ſint vobiſcum omnes, etiam [e] ſi vis aliqua me oppreſſerit, potius quam ut & illi, & nos una reipub. peſte pereamus. Quare, P. C. incumbite ad reipub. ſalutem: circumſpicite omnes procellas, quæ impendent, niſi providetis; non Tib. Gracchus, qui iterum tribunus-plebis fieri voluit: non C. Gracchus, qui agrarios concitare conatus eſt: non L. Sa-

[d] *circumdatum.* [e] *pereundum ſit mihi.*

31. *Urbi præſident.*] Credebant illi veteres urbem quamlibet ſuos habere Deos tutelares. Vide Macrobium lib. 1. Saturn. Unde Romani urbem obſeſſuri, prius Deos ejus tutelares ſibi propitios invocabant.

Ib. *Relaturos gratiam.*] Referre gratiam dicuntur, cum ſuis cultoribus bene faciunt.

33. *Turpis mors.*] Turpis mors ea dicitur, quæ ob turpem cauſam accidit; at gloriosa erit Ciceroni, ſi in defendenda patria moriatur.

34. *Immatura conſulari.*] Immatura mors eſt, quæ ante curſum gloriæ peractum accidit; cum igitur ad conſulatum, maximam omnium dignitatem, pervenerit Cicero, jam ei mors evenire immatura nequit.

Ib. *Miſera ſapienti.*] Stoici etiam in tormentis certum eſſe cenſebant ſapientem.

35. *Fratris cariſſimi.*] Frater ipſius Quintus, cognati reliqui, ac propinqui aderant, ut viderent quem exitum res habitura eſſet, & an morte multarentur conjurati; refert Plutarchus Quintum non mediocriter Ciceronem impuliſſe ad ſumendum de conjuratis ſupplicium.

38. *Exanimata uxor.*] Terentiam uxorem metu & pavore conſternatam eſſe ait.

38. *Filia.*] Tullia Ciceronis filia nominabatur, quæ forma, moribus, & doctrina excellens fuiſſe dicitur.

Ib. *Parvulus filius.*] Filius Ciceronis à patre Marco Marcus dictus eſt; is poſt mortem patris, Auguſti Cæſaris in Conſulatu collega fuit, ut Plutarchus refert.

39. *Tanquam obſidem.*] Obſides quidem ii dicuntur, qui à victis victori dantur: ſed hic obſes ponitur pro ſponſore Conſulatûs Ciceronis. Nam cum unice à Ciceroné filius diligeretur, confirmabat nihil ſuſceſturum patrem, niſi quod ſaluti Reipub. foret; quia ſalus liberorum & incolumitas à ſalute & incolumitate Reipub. dependet.

41. *Gener.*] Tullia filia Ciceronis tres habuit maritos, ex primo matrimonio Piſonem, ut ex lib. 1. Epiſt. famil. patet; ex ſecundo Craſſipedem, ex tertio Dolabellam; hîc de Calp. Piſone agitur.

45. *Omnes procellas.*] Per procellas intelligit omnia pericula, tranſlatio à maris tempeſtate.

46. *Tiberius Gracchus.*] Tiberius cum fieri vellet Tribunus-plebis, occiſus eſt à Scipione Naſica, ut refert Livius lib. 58.

47. *Agrarios.*] Seditioſos illos notat qui legi Agrariæ favebant, nempe ut agri ſibi diſtribuerentur.

turtii-

turninus, qui C. Memmium occidit, in discrimen aliquod, atque in vestræ severitatis judicium adducitur. Tenentur ii, qui ad urbis incendium, ad vestram omnium cædem, ad Catilinam accipiendum Romæ [f] restiterunt; tenentur literæ, signa, manus, denique uniuscujusque confessio: solicitantur Allobroges: [g] servitia excitantur: Catilina arcessitur: id est, initum consilium, ut, interfectis omnibus, nemo ne ad deplorandum quidem reip. nomen, atque ad lamentandam tanti imperii calamitatem relinquatur. Hæc omnia indices detulerunt, rei confessi sunt, vos multis jam judiciis judicavistis: primùm, quòd mihi gratias egistis singularibus verbis, & mea virtute atque diligentia perditorum hominum patefactam esse conjurationem decrevistis: deinde, quod P. Lentulum, ut se abdicaret prætura, coëgistis: tum, quod eum, & cæteros, de quibus judicavistis, in custodiam dandos censuistis: maximeque, quod meo nomine supplicationem decrevistis, qui honos togato habitus ante me est nemini: postremò, hesterno die præmia legatis Allobrogum, Titoque Vulturcio dedistis ampliſſima: quæ sunt omnia ejusmodi, ut ii, qui in custodiam nominatim dati sunt, sine ulla dubitatione à vobis damnati esse videantur.

[f] *remanserunt.* [g] *servi.*

48. *Memmium occidit.*] Saturninus Tribunus-pleb. Memmium candidatum consulatûs ac suum competitorem, quem suis actionibus adversarium timebat, interfecit.

52. *Solicitantur Allobroges.*] Solicitabantur Allobroges à Catilinariis, ut ex eorum patet literis, quas ad Allobrogum Senatum dederant. Vide superiorem orationem, ubi fuse de his, & aliis sequentibus dictum est.

66. *Damnati videantur.*] Ex Sallustio habemus, Senatum judicavisse hos conjuratos fecisse contra rempub.

PROPOSITIO.

Proponit conjuratos morte multandos esse; primùm ambiguè; & celeriter, propter imminens periculum.

II. Sed ego institui referre ad vos, P. C. tanquam integrum, & de facto, quid judicetis; & de pœna, quid censeatis; illa [a] prædicam, quæ sunt consulis. Ego magnum in republica versari furorem, nova quædam misceri & concitari mala jampridem videbam: sed hanc tantam, tam exitiosam haberi conjurationem à civibus nunquam putavi. Nunc quicquid est, quocunque vestræ mentes inclinant, atque sententiæ, statuendum vobis ante noctem est. Quantum facinus ad nos delatum sit, videtis: huic si paucos putatis [b] affines

[a] *præmonebo.* [b] *conscios.*

esse, vehementer erratis. Latiùs opinione dissēminatum est hoc malum: manavit non solùm per Italiam, verùm etiam transcendit Alpes, & [c] obscurè serpens multas jam provincias occupavit. Id opprimi [d] sustentando ac prolatando nullo pacto potest; quacunque ratione placet, celeriter vobis vindicandum est.

[c] *latenter.* [d] *ferendo & differendo.*

PARTITIO & CONTENTIO.

Proponit utramque sententiam, ac ita discutit, ut Cæsaris quasi popularem laudet, sed Silani, in quam inclinat, latius explicet.

III. Video duas adhuc esse sententias: unam D. Silani, qui censet eos, qui hæc delere conati sunt, morte esse multandos: alteram C. Cæsaris, qui mortis pœnam removet, cæterorum supplīciorum omnes acerbitates amplectitur. Uterque & pro sua dignitate, & pro rerum magnitudine in summa severitate versatur. Alter eos, qui nos omnes, qui populum Romanum vitâ privare conati sunt, qui delere imperium, qui populi Romani nomen extinguere, punctum temporis frui vita & hoc communi [a] spiritu non putat oportere: atque hoc genus pœnæ sæpe in improbos cives in hac republ. esse usurpatum recordatur. Alter intelligit, mortem à diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam, sed aut necessitatem naturæ, aut laborum ac miseriarum quietem esse; itaque eam sapientes nunquam inviti, fortes etiam sæpe libenter oppetiverunt; [b] vincula vero, & ea sempiterna, certe ad singularem pœnam nefarii sceleris inventa sunt; itaque municipiis dispertiri jubet. Habere videtur ista res iniquitatem, si imperare velis: difficultatem, si rogare; decernatur tamen, si placet. Ego enim [c] suscipiam, &, ut spero, reperiam, qui id, quod salutis omnium causa statueritis, non putet suæ dignitatis recusare. Adjungit gravem pœnam municipibus, si quis eorum vin-

[a] *aëre.* [b] *perpetuus carcer.* [c] *recipiam* in me.

1. *Silani.*] Silanus Consul designatus, & C. Cæsar, primi suas sententias protulerunt, quas passim reliqui secuti sunt.

12. *Necessitatem naturæ.*] Cum quis extrema senectute, aut morbo periit, dicitur necessitate naturæ mori, quia omnia occidant necesse est.

13. *Quietem esse.*] Cum quis sibi mortem inferebat, tunc mors ab illis quies dicebatur; quare enim mori vult, nisi ut quietem ab aliquo incommodo sibi quærat?

16. *Municipiis.*] Municipia liberæ erant civitates.

1b. *Habere videtur, &c.*] Dilemma hic facit Cicero, ut illa municipia rogare, aut iis imperare oportet, ut accipiant illos conjuratos: quod utrumque refellit.

17. *Decernatur.*] Id est, decernatur à Senatu ut per municipia distribuantur, nemoque audeat eos sublevare.

cula

cula ruperit: horribiles cuſtodias circundat, & digna ſcelere hominum perditorum ſancit; ne quis eorum pœnam, quos condemnat, aut per Senatum, aut per populum levare poſſit: eripit etiam ſpem, quæ ſola hominem in miſeriis conſolari ſolet; bona præterea publicari jubet: vitam ſolam relinquit nefariis hominibus: quam ſi eripuiſſet, multas uno dolore animi ac corporis, & omnes ſcelerum pœnas ademiſſet. Itaque ut aliqua in vita formido improbis eſſet poſita, apud inferos ejuſmodi quædam illi antiqui ſupplicia impiis conſtituta eſſe voluerunt; quod videlicet intelligebant, his remotis, non eſſe mortem ipſam pertimeſcendam. Nunc, P. C. ego [d] mea video quid interſit; ſi eritis ſecuti ſententiam C. Cæſaris, quoniam hanc is in republica viam, quæ popularis habetur, ſecutus eſt, fortaſſe minùs erunt, hoc auctore & cognitore hujuſce ſententiæ, mihi [e] populares impetus pertimeſcendi: ſin illam alteram ſecuti eritis; neſcio an amplius mihi negotii contrahatur? ſed tamen meorum periculorum rationes utilitas reipublicæ vincat. Habemus enim à C. Cæſare, ſicut ipſius dignitas, & majorum ejus amplitudo poſtulabat, ſententiam, tanquam obſidem perpetuæ in rempublicam voluntatis; intellectum eſt, quid interſit inter lenitatem concionatorum, & animum vere popularem, ſaluti populi conſulentem. Video de iſtis, qui ſe populares haberi volunt, abeſſe non neminem, ne de capite videlicet civium Romanorum ſententiam ferat; is & nudiuſtertius in cuſtodiam cives Romanos Cethegum, & P. Lentulum dedit, & ſupplicationem mihi decrevit, & indices heſterno die maximis præmiis affecit. Jam hoc nemini dubium eſt, qui reo cuſtodiam, quæſitori gratulationem, indici præmium decrevit, quid de tota re

[d] *video quam utile ſit mihi.* [e] *populi.*

23. *Levare poſſit.*] Niſi velit ſe hoſtem patriæ profiteri.

26. *Uno dolore animi ac corporis.*] Si vita conjuratis adempta eſſet, ab omni corporis & animi dolore vacui eſſent; loquitur autem ex ſententia Cæſaris, qui cenſebat animam cum corpore extingui.

28. *Apud inferos.*] Inferos negat eſſe Cicero lib. 1. Tuſcul. quæſt. quos nos Chriſtiani & credimus, & formidamus.

33. *Hoc auctore.*] Cæſare.

35. *Illam alteram.*] De Silani Conſulis deſignati ſententia loquitor.

36. *Negotii contrahatur.*] Non minus periculi ſibi incumbere declarat, ſi Silani, quam ſi Cæſaris ſententiam ſequantur.

38. *Tanquam obſidem.*] Laudat Cæſaris ſententiam, tanquam is bene de Repub. ſentiret: nam revera multi eum favere conjuratis ſuſpicabantur: alii molliore hac pœna, ſibi apud populum dominatum affectare.

40. *Concionatorum.*] Per concionatores vel illos tribunos-plebis, qui conciones apud populum ſeditioſas habebant, vel eos, qui omnes concionum ventos colligebant, indicat.

42. *Non neminem.*] Carpit aliquem incognitum, è Senatorum numero, qui ut popularis haberetur, eo die venire noluit in Senatum. Huic anteponit Cæſarem, qui revera popularis eſt, & ſalutis publicæ ſtudioſus.

46. *Quæſitori.*] Se quæſitorem vocat, quia conjurationem detexit.

47. *Gratulationem.*] Loquitur de ſupplicatione, quæ decreta fuit à Senatu, vide Orat. ſuperiorem Paragr. III. not. ad l. 53.

& cauſâ judicârit. At verò C. Cæſar intelligit, legem Semproniam eſſe de civibus Romanis conſtitutam: qui autem reipub. ſit hoſtis, eum civem eſſe nullo modo poſſe: denique ipſum latorem legis Semproniæ, juſſu populi pœnas reip. dependiſſe; idem etiam ipſum Lentulum largitorem & prodigum non putat, cùm de pernicie reip. & exitio hujus urbis tam acerbe tamque crudeliter cogitârit, appellari poſſe popularem. Itaque homo mitiſſimus, atque leniſſimus non dubitat P. Lentulum [f] æternis tenebris vinculiſque mandare, & ſancit in poſterum, ne quis hujus ſupplicio [g] levando ſe jactare, & in pernicie reipub. poſthac popularis eſſe poſſit; adjungit etiam publicationem bonorum, ut omnes animi cruciatus, & corporis, etiam egeſtas, ac mendicitas conſequatur. Quamobrem ſive hoc ſtatueritis; dederitis mihi comitem ad concionem populo Romano carum atque jucundum: ſive illam Silani ſententiam ſequi malueritis; facilè me, atque vos à crudelitatis vituperatione defendetis: atque obtinebo, eam multo leviorem fuiſſe. Quanquam, P. C. quæ poteſt eſſe in tanti ſceleris immanitate punienda crudelitas? Ego enim de meo ſenſu judico. Nam ita mihi ſalvâ rep. vobiſcum perfrui liceat, ut ego, quod in hac cauſa vehementior ſum, non atrocitate animi moveor (quis enim eſt me mitior?) ſed ſingulari quadam humanitate, & miſericordia. Videor enim mihi hanc urbem videre, lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium, ſubito uno incendio concidentem: cerno animo ſepulta in patria miſeros, atque inſepultos acervos civium: verſatur mihi ante oculos aſpectus Cethegi, & furor in veſtra cæde bacchantis. Cum verò mihi propoſui regnantem Lentulum, ſicut ipſe ſe ex fatis ſperâſſe confeſſus eſt; purpuratum eſſe hunc Gabinium; cum exercitu veniſſe Catilinam: tum lamentationem matrumfamiliâs, tum fugam virginum, atque puerorum, ac vexationem virginum Veſtalium perhorreſco: & quia mihi vehementer hæc videntur miſera atque miſeranda, idcir-

[f] *detrudere in perpetuum carcerem.* [g] *minuendo.*

48. *Legem Semproniam.*] Lege lata à C. Graccho cautum eſt, ne injuſſu pop. Rom. quiſquam civis Rom. morte plectatur, at lex hæc non favet conjuratis, nam hoſtes illi judicati non jure civium gaudent amp ius.

51. *Dependiſſe.*] Interfectus eſt Gracchus ab Opimio Conſule, tanquam perniciosæ legis auctor, atque ita Reipub. pœnas dedit.

52. *Largitorem & prodigum.*] Largitor is dicitur, qui ſpe dignitatis largitur & effundit pecunias in populum: *prodigus* vero qui in ſocietatibus ſua bona profundit.

69. *Videor enim mihi.*] Mirifica deſcriptio ſeu ſubjectio malorum impendentium à conjuratis.

70. *Arcem omnium gentium.*] Romam arcem omnium gentium appellat, quia ad eam omnes nationes confugiunt: alludit autem ad Aſylum Romuli, de quo Livius lib. 1.

74. *Purpuratum Gabinium.*] Purpura ſignum fuit regiæ poteſtatis: quare Conſules Rom. gerebant faſciam quandam purpuream in togis, qua Magiſtratûs ſui auctoritatem oſtenderent.

78. *Miſera atque miſeranda.*] Cœlius ſic ait duo illa verba inter ſe differre quod *miſer* ſit qui meritis pœnis afficitur, *miſerandus* vero qui immeritis patitur.

co in eos, qui ea perficere voluerunt, me ſeverum vehementemque præbeo.

IV. Etenim quæro, ſi quis paterfamiliâs, liberis ſuis à ſervo interfectis, uxore occiſa, incenſa domo, ſupplicium de ſervis quam acerbiſſimum ſumpſerit, utrum is clemens ac miſericors, an inhumanus & crudeliſſimus eſſe videatur; mihi vero [a] importunus, ac ferreus, qui non dolore ac cruciatu nocentis, ſuum dolorem cruciatumque lenierit. Sic nos in his hominibus, qui nos, qui conjuges, qui liberos noſtros trucidare voluerunt; qui ſingulas uniuſcujuſque noſtrûm domos, & hoc univerſum reipublicæ domicilium delere conati ſunt; qui id egerunt ut gentem Allobrogum in veſtigiis hujus urbis, atque in cinere deflagrati imperii collocarent: ſi vehementiſſimi fuerimus, miſericordes habebimur: ſin remiſſiores eſſe voluerimus, ſummæ nobis crudelitatis in patriæ civiumque pernicie fama ſubeunda eſt. Niſi vero cuipiam L. Cæſar, vir fortiſſimus, & amantiſſimus reipub. crudelior nudiuſtertius eſt viſus, cùm ſororis ſuæ, fœminæ lectiſſimæ, virum præſentem, & audientem, vita privandum eſſe dixit; cùm avum juſſu Coſſ. interfectum, filiumque ejus impuberem legatum à patre miſſum, in carcere necatum eſſe dixit. Quorum quod ſimile fuit factum? quod initum delendæ reip. conſilium? Largitionis voluntas tum in republica verſata eſt, & par-

[a] *crudelis.*

1. *Etenim quæro.*] Argumentum affert ab exemplo ficto, ſic autem illud profert; non eſt crudelitas interfici ſervum à patre familias, qui uxorem ejus & liberos interfecit; ergo neque conjuratos, qui ſervi patriæ, eam perdere voluerunt.

6. *Dolorem.*] Dolorem conceptum videlicet ex uxore & liberis interfectis, & incenſa domo.

9. *Gentem.*] Gens Allobrogum ſemper infenſiſſima fuit pop. Rom.

11. *Si vehementiſſimi.*] Ait quod ſumma ſit miſericordia in patriam ſi plectantur conjurati, at ſumma inhumanitas ſi ipſis parcatur.

13. *Niſi vero.*] Probat ab exemplo L. Cæſaris, crudeliter non agi cum conjuratis, ſi interficiantur; ſiquidem dixit Lentulum principem conjurationis, & ſororis ſuæ virum, quem præſentem & audientem videbat in Senatu, ſibi morte dignum videri.

15. *Sororis ſuæ.*] Lucii Cæſaris ſoror, & uxor Lentuli Julia vocabatur, & ex priori matrimonio illius M. Antonii mater, qui poſtea triumvir fuit. Ex hoc autem Lentuli ſupplicio, ut refert Plutarch. in vita Ant. fons inimicitiarum, quæ Ciceronem inter & Antonium interceſſerunt, redundavit.

17. *Cum avum.*] Jam confirmat quod dixit Cæſar, videlicet Lentulum morte afficiendum eſſe; quod avus ejus longe minore ſcelere infectus, tamen juſſu Opimii Conſulis interfectus fuiſſet; avus porro maternus L. Cæſaris fuerat M. Fulvius Flaccus; ejus filiam L. Cæſar hujus Lucii pater in matrimonio habuerat.

Ib. *Filiumque ejus impuberem.*] Habebat filium vix annos natum viginti, quem mittebat ut pacis tantum conditiones proponeret adoleſcentem ornatiſſimum, cujus frater major in acie perierat, qui tamen in carcere necatus eſt.

19. *Quorum quod ſimile factum.*], Nullum tantum illi facinus conceperant, quantum Lentulus ille ſeditioſorum princeps; ergo longe acerbiore morte dignus eſt.

20. *Largitionis voluntas.*] Volebat Gracchus tenuioribus civibus agros largiri,

partium quædam contentio. Atque illo tempore hujus avus Lentuli, clariſſimus vir, armatus Gracchum eſt perſecutus, & grave tum vulnus accepit, ne quid de ſumma dignitate reipub. minueretur: hic ad evertenda fundamenta reip. Gallos arceſſivit, ſervitia concitavit, Catilinam evocavit, attribuit nos trucidandos Cethego, cæteros cives interficiendos Gabinio, urbem inflammandam Caſſio, totam Italiam vaſtandam diripiendamque Catilinæ. Vereamini, cenſeo, ne in hoc ſcelere tam immani ac nefario, nimis aliquid ſevere ſtatuiſſe videamini: cum multo magis ſit verendum, ne remiſſione pœnæ crudeles magis in patriam, quàm ne ſeveritate animadverſionis nimis vehementes in acerbiſſimos hoſtes fuiſſe videamini. Sed quæ exaudio, P. C. diſſimulare non poſſum; jactantur enim voces, quæ perveniunt ad aures meas, eorum, qui vereri videntur, ut habeam ſatis præſidii ad ea, quæ vos ſtatueritis hodierno die [b] tranſigenda. Omnia proviſa, parata, & conſtituta ſunt, P. C. cum mea ſumma cura atque diligentia, tum multo etiam majores populi Romani ad ſummum imperium retinendum, & ad communes fortunas conſervandas voluntate. Omnes adſunt omnium ordinum homines, omnium denique ætatum: plenum eſt forum, plena templa circa forum, pleni omnes aditus hujus loci ac templi. Cauſa enim eſt, poſt urbem conditam hæc inventa ſola, in qua omnes ſentirent unum atque idem, præter eos, qui,

[b] *exequenda.*

giri, dare veſtimenta militibus ſine ſtipendiorum diminutione, &c. his largitionibus veniebat tantum in ſuſpicionem imperii affectandi.

21. *Partium quædam contentio.*] Contendebant inter ſe tantum populus, & Senatus ſive patricii.

Ib. *Hujus avus Lentuli.*] In illa ſeditione, ut his verbis refert Valer. Max. lib. 5. cap. 3. *P. Lentuli* hujus ſeditioſi Lentuli avus, *clariſſimus & amantiſſimus civis Reipub. in Aventino C. Gracchi nefarios conatus & aciem pia ac forti pugna magnis vulneribus exceptis* fugavit.

24. *Hic ad evertenda fundamenta.*] Argumentatur jam à minori ad majus; nam ſi mor[illegible] di[illegible]nus pro[illegible]ter ſuſpicionem Gracchus jud[illegible]catus eſt, aut quia viſus ſolum eſt m[illegible]nuere dig[illegible]itatem p[illegible]puli; graviori morte dignus judicari debet, qui fundamenta Reipub. evertere [illegible]luit; quod probat amplificatione per diſtributionem.

Ib. *Gallos arceſſivit.*] Allobroges ſunt, qu[illegible] nomine Gallorum exprimit & invidiam conciliandam, quia Galli infenſiſſimi erant Romanis.

25. *Attribuit nos.*] Cuique conjuratorum ſuum munus attributum erat, ut ſæpe jam in iſtis orationibus dictum eſt; at Cethego ut Ciceronem & Senatores interficeret.

28. *Vereamini, cenſeo.*] Ironia; non enim dubitandum eſt de morte ipſis inferenda.

32. *Sed quæ exaudio.*] Occupatione utitur, ut eos præveniat, qui ſatis non eſſe præſidii Ciceroni dicere potuiſſent ad eos morte afficiendos, ſi ita de iis Senatus decerneret.

40. *Plenum eſt forum.*] Habebatur hæc oratio in foro Romano, quod erat in Capitolio, quod omnium nobiliſſimum fuit.

41. *Hujus loci a[illegible]pli.*] Varia templa fuerunt circa for[illegible] quæ in cauſa Milonis præſidia P[illegible] diſpoſuit; vel templum eſt, [illegible]duco ſacro ſemper Senatus habe[illegible]

42. *In qua [illegible]ntirent.*] In aliis contentionibus [illegible]iſque partes ſequebatur: ut in [illegible] civilibus, nobiles Syl[illegible] [illegible]llarebant, at in hoc [illegible] paucos Catilina[illegible]

cùm ſibi viderent eſſe pereundum, cum omnibus potius, quam ſoli perire voluerunt; hoſce ego homines excipio, & ſecerno libenter; neque enim in improborum civium, ſed in acerbiſſimorum hoſtium numero habendos puto. Cæteri vero, dii immortales! qua [c] frequentia, quo ſtudio, qua virtute ad communem dignitatem, ſalutemque conſentiunt? Quid ego hîc equites Romanos commemorem? qui vobis ita ſummam ordinis conſiliique concedunt, ut vobiſcum de amore reip. certent: quos ex multorum annorum diſſenſione ad hujus ordinis ſocietatem concordiamque revocatos, hodiernus dies vobiſcum atque hæc cauſa conjungit; quam conjunctionem ſi in conſulatu confirmatam meo, perpetuam in republica tenuerimus, [d] confirmo vobis, nullum poſthac malum civile ac domeſticum ad ullam reipub. partem eſſe venturum. Pari ſtudio defendendæ reipub. conveniſſe video tribunos ærarios, fortiſſimos viros; ſcribas item univerſos; quos cùm caſu hic dies ad ærarium frequentaſſet, video ab expectatione ſortis ad communem ſalutem eſſe converſos. Omnis ingenuorum adeſt multitudo, etiam [e] tenuiſſimorum. Quis eſt enim cui non hæc templa, aſpectus urbis, poſſeſſio libertatis, lux denique hæc ipſa, & hoc commune patriæ ſolum, cùm ſit carum, tum vero dulce atque jucundum? [f] Operæ pretium eſt, P. C. libertinorum hominum ſtudia cognoſcere, qui ſua virtute fortunam civitatis

[c] *multitudine, deſiderio, fortitudine.* [d] *promitto.* [e] *pauperrimorum.* [f] *eſt res digna.*

44. *Hoſce homines.*] Secernit conjuratos viros impios & infames à cæteris civibus.

47. *Ad communem dignitatem.*] Per communem dignitatem, libertatem intelligit, qua nihil homini melius eſt.

49. *Summam ordinis.*] Per ſummam ordinis, ſummum imperium ſeu primas reipub. partes accipit, quas ita proprias ſenatui eſſe concedit, ut tamen nullis concedant equites amore in rempub.

50. *Multorum annorum diſſenſione.*] Tulerat Sempronius Tribunus pleb. Q. Cæcilio, T. Quinctio Coſſ. anno urbis ſexcenteſimo triceſimo, ut judicia quæ penes Senatum fuerant, ad ſolos equites transferrentur. Hinc ſemper diſſenſerunt Senatores ab equitibus. Poſtea à Sylla ab equitibus ad Senatores tranſlata ſunt anno ſexcenteſimo ſeptuageſimo tertio; denique anno ſexcenteſimo octogeſimo tertio, à Cotta ſenatoribus, equitibus & tribunis ærariis communicata ſunt: atque ita omnes ordines ad concordiam revocati ſunt.

56. *Tribunos ærarios.*] Tribunos ærarios dicimus *receptores generales* quibus etiam cum Senatu in equeſtri ordine Aurelius Cotta Præ or, lege lata, judicandi poteſtatem fecit.

57. *Scribas.*] Scribarum ordo honeſtus erat, eorum erat munus acta publica ſcribere. Vide actionem quintam in Verrem, ubi fuſe de iis loquitur Cicero.

58. *Expectatione ſortis.*] Sorte miniſteria ad ærarium præſtabant Scribæ: imo eorum ſortitio fiebat, qui in provincias ſequerentur magiſtratus.

59. *Ingenuorum.*] Ingenui dicuntur, qui ſtatim ac naſcuntur liberi ſunt. Vide Cic. lib. 1. de Inventione, ubi de iis agit.

63. *Libertinorum hominum.*] Libertini dicuntur, qui ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt; & qui probitate & fortitudine ſuâ bene merendo de dominis, libertate & civitate donati ſunt.

consecuti, hanc vere suam patriam esse judicant: quam quidam hinc nati, & summo nati loco, non patriam suam, sed urbem hostium esse judicaverunt. Sed quid ego hujusce ordinis homines commemorem, quos privatæ fortunæ, quos communis respublica, quos denique libertas ea, quæ dulcissima est, ad salutem patriæ defendendam excitavit? servus est nemo, qui modò tolerabili conditione sit servitutis, qui non audaciam civium perditorum perhorrescat; qui non obstare cupiat; qui non tantum, quantum audet, & quantum potest, conferat ad communem salutem, voluntatis. Quare si quem vestrûm forte commovet hoc quod auditum est, lenonem quendam Lentuli concursare circum tabernas, pretio sperantem solicitari posse animos egentium atque imperitorum: est id quidem cœptum atque tentatum: sed nulli sunt inventi tam aut fortuna miseri, aut voluntate perditi, qui non ipsum illum sellæ atque operis, & quæstûs quotidiani locum, qui non cubile ac lectulum suum, qui denique non [g] cursum hunc otiosum vitæ suæ salvum esse velint. Multo verò maxima pars eorum qui in tabernis sunt, immo vero (id enim potius est dicendum) genus hoc universum amantissimum est [h] otii. Etenim omne eorum instrumentum, omnis opera, ac quæstus, frequentia civium sustinetur, alitur otio: quorum si quæstus, occlusis tabernis, minui solet, quid tandem incensis futurum est?

[g] *hanc brevitatem vitæ pacatam.* [h] *pacis.*

66. *Hinc nati.*] Lentulum & Cethegum intelligit, qui nati Romæ, eam quasi urbem hostium ferro flammaque delere voluerunt.

70. *Tolerabili conditione.*] Tolerabili conditione servus esse dicitur, qui dominos crudeles & duros non habet.

72. *Obstare cupiat.*] Illorum conjuratorum civium audaciæ nemo non resistere vult.

75. *Concursare.*] Sallustius refert quod Lentuli clientes & liberti diversis itineribus per urbem opifices & servitia concitare conati sunt, ut vi eum ex carcere extraherent.

79. *Sellæ atque operis.*] Sella seu officina locus est, ubi opifices suas operas faciunt. A Sella vero Sellularii illi dicti sunt.

80. *Cubile ac lectulum.*] Utrumque videtur distinguere Cicero; fortè vilius fuit cubile quam lectus, cum illud talpis & corvis à Virgilio, lib. Georg. 1. assignetur.

82. *In tabernis sunt.*] In tabernis res vendendæ proponuntur, à Propolis. Sumitur etiam *taberna* pro *caupona*, ubi pretium hospitii solvitur.

PERORATIO.

In hac peroratione postulat, & hortatur Senatum, ut Silani sententiam sequatur, cui se obtemperaturum profitetur.

1 V. Quæ cum ita sint, P. C. vobis populi Rom. præsidia non desunt: vos ne populo Rom. decesse videamini, providete. Habetis

tis conſulem ex plurimis periculis & inſidiis, atque ex media morte, [a] non ad vitam ſuam, ſed ad ſalutem veſtram reſervatum: omnes ordines ad conſervandam rempub. mente, voluntate, ſtudio, virtute, voce conſentiunt: obſeſſa facibus & telis impiæ conjurationis, vobis ſupplex [b] manus tendit patria communis: vobis ſe, vobis vitam omnium civium, vobis [c] arcem, & Capitolium, vobis aras Penatium, vobis illum ignem Veſtæ perpetuum ac ſempiternum, vobis omnia deorum templa atque delubra, vobis muros atque urbis tecta commendat. Præterea de veſtra vita, de conjugum veſtrarum ac liberorum anima, de fortunis omnium, de ſedibus, de focis veſtris hodierno die vobis judicandum eſt. Habetis ducem memorem veſtri, oblitum ſui; quæ non ſemper facultas datur: habetis omnes ordines, omnes homines, univerſum populum Romanum (id quod in civili cauſa hodierno die primùm videmus) unum atque idem ſentientem. Cogitate quantis laboribus fundatum imperium, quanta virtute ſtabilitam libertatem, quanta deorum benignitate auctas exaggerataſque fortunas una nox pene delerit. Id ne unquam poſthac non modo confici, ſed ne cogitari quidem poſſit, vobis hodierno die providendum eſt. Atque hæc, non ut vos, qui mihi ſtudio pene [d] præcurritis, excitarem, locutus ſum, ſed ut mea vox, quæ debet eſſe in repub. [e] princeps, officio functa conſulari videretur. Nunc antequam, P. C. ad ſententiam redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta [f] manus eſt conjuratorum, quam videtis eſſe permagnam, tantam me inimicorum multitudinem ſuſcepiſſe video: ſed eam eſſe judico turpem & infirmam, contemptam & abjectam. Quòd ſi aliquando alicujus furore & ſcelere concitata manus iſta plus [g] valuerit quam veſtra ac reipublicæ dignitas, me tamen meorum factorum atque conſiliorum nunquam, P. C. pœnitebit. Etenim mors, quam illi mihi fortaſſe minitantur, omnibus eſt parata: vitæ tantam laudem, quanta vos me veſtris decretis honeſtaſtis, nemo eſt aſſecutus. Cæteris enim ſemper bene geſtæ, mihi uni conſervatæ reipublicæ gratulationem decreviſtis. Sit Scipio clarus, ille, cujus conſilio atque virtute Hannibal in

[a] *non ut vivat ſibi.* [b] *precatur.* [c] *arcem Capitolinam.* [d] *prævenit.* [e] *prima.* [f] *multitudo.* [g] *potuerit.*

9. *Penatium.*] Penates dii ſelecti ſunt duodecim, qui & dii patrii dicebantur, ſeu domeſtici, quod penes nos nati ſunt, ſive penitus infident, vel per quos ſpiramus.

Ib. *Ignem Veſtæ.*] Ignis erat in ara perpetuus, quem curabant Virgines Veſtales.

10. *Delubra.*] Delubra ſacella ſunt in templis.

13. *De focis.*] Focus locus eſt, ubi ignis fovetur, & ubi putabant deos Penates & domeſticos Lares reſidere.

19. *Una nox.*] Saturnalium nocte cædem facere cogitabant conjurati.

27. *Sed eam.*] Multitudinem eam dicit conflatam è vili plebecula, à qua nihil formidandum.

34. *Bene geſtæ.*] Bene geſta Reſpub. tum dicebatur, cum hoſtes devicti erant.

35. *Sit Scipio clarus.*] Scipio Africanus

Africam redire, atque ex Italia decedere coactus eſt: ornetur alter eximia laude Africanus, qui duas urbes huic imperio infeſtiſſimas, Carthaginem Numantiamque delevit: habeatur vir egregius, L. Paullus ille, cujus currum rex potentiſſimus quondam & nobiliſſimus Perſes honeſtavit: ſit in æterna gloria Marius, qui bis Italiam obſidione & metu ſervitutis liberavit: anteponatur omnibus Pompeius, cujus res geſtæ atque virtutes iiſdem, quibus Solis curſus, regionibus ac terminis continentur; erit profecto inter horum laudes aliquid loci noſtræ gloriæ: niſi fortè majus eſt, pateſacere nobis provincias, quò exire poſſimus, quam curare, ut etiam illi qui abſunt, habeant quò victores revertantur; quanquam eſt uno loco conditio melior externæ victoriæ, quam domeſticæ: quòd hoſtes [h] alienigenæ aut oppreſſi ſerviunt, aut recepti beneficio ſe obligatos putant: qui autem ex numero civium dementia aliqua depravati, hoſtes patriæ ſemel eſſe cœperunt, eos, cùm à pernicie reipublicæ repuleris, neque vi coercere, neque beneficio placare poſſis. Quare mihi cum perditis civibus æternum bellum ſuſceptum eſſe video: quod ego veſtro bonorumque omnium auxilio, memoriaque tantorum periculorum, quæ non modo in hoc populo, qui ſervatus eſt, ſed etiam in omnium gentium ſermonibus ac mentibus ſemper hærebit, à me, atque a meis facilè propulſari poſſe confido. Neque ulla profecto tanta vis reperietur, quæ conjunctionem veſtram equitumque Romanorum, & tantam conſpirationem bonorum omnium perfringere & labefactare poſſit. Quæ cum ita ſint, patres conſcripti,

[h] *externi.*

nus major anno 15. ſecundi belli Punici, traduxit exercitum in Africam: quare Annibal decedere ex Italia, & ſubvenire patriæ coactus eſt. Vide Livium, lib. 30.

37. *Ornetur alter.*] Minor Africanus, filius Paulli adoptatus eſt à ſuperioris Africani filio. Vide Flor. lib. 2. cap. 1. & 18.

39. *Carthaginem.*] Carthago fuit urbs Africæ celeberrima & Romæ æmula, à Didone condita ſeptuageſimo poſt Romam anno: à S. Ipione deleta fuit cum Carthagine nova in Hiſpania Bætica.

Ib. *Numantiam.*] Numantia urbs fuit Hiſpaniæ Tarraconenſis, à Romanis obſeſſa & victa.

40. *Paullus ille.*] Hujus vitam ſcripſit Plutarchus.

Ib. *Cujus currum.*] Cum triumphabant victores, ante eorum currum victi duces duci ſolebant in pompam.

41. *Marius.*] Marius Teutones & Ambrones duobus prælliis ad Aquas Sextias in Provincia, & Cimbros eorum ſocios in agro Claudio ſuperavit, cæſis eorum ducentis millibus, & captis nonaginta. Vide Plutarchum in vita Marii.

43. *Pompeius.*] De eo fuſe in Oratione pro lege Manil.

47. *Quò victores revertantur.*] Debent habere victores urbem quo revertantur ut ibi debitum ſuæ virtuti triumphum referant, unde lib. 1. Offic. refert ipſe Cicero de Pompeio, quod ſibi dixerit, *fruſtra ſe triumphum tertium deportaturum fuiſſe, niſi meo in Rempub. beneficio, ubi triumpharet, habiturus eſſet.* Cum autem arderet hæc conjuratio, tum in Aſia Pompeius cum Mithridate bellum gerebat.

50. *Recepti.*] Qui ſe dedunt, recipiuntur in populi Rom. amicitiam.

pro

pro imperio, pro exercitu, pro provincia quam neglexi, pro triumpho cæteriſque laudis inſignibus, quæ ſunt à me propter urbis veſtræque ſalutis cuſtodiam repudiata, pro clientelis hoſpitiiſque provincialibus, quæ tamen urbanis opibus non minore labore tueor, quàm comparo; pro his igitur omnibus rebus, & pro meis in vos ſingularibus ſtudiis, proque hac, quam conſpicitis, ad conſervandam rempublicam diligentia, nihil aliud à vobis, niſi hujus temporis, totiuſque mei conſulatûs memoriam poſtulo: quæ dum erit veſtris mentibus infixa, firmiſſimo me muro ſeptum eſſe arbitrabor. Quod ſi meam ſpem vis improborum fefellerit atque ſuperaverit, commendo vobis parvum meum filium; cui profectò ſatis erit præſidii non ſolum ad ſalutem, verum etiam ad dignitatem, ſi ejus, qui hæc omnia ſuo ſolius periculo conſervaverit, illum eſſe filium memineritis. Quapropter de ſumma ſalute veſtra, populique Romani, P. C. de veſtris conjugibus ac liberis; de aris ac focis; de fanis ac templis; de totius urbis tectis ac ſedibus; de imperio, de libertate, de ſalute Italiæ, deque univerſa rep. decernite diligenter, ut inſtituiſtis, ac fortiter. Habetis enim conſulem, qui & parere veſtris decretis non dubitet, & ea quæ ſtatueritis, quoad vivet, defendere, & per ſe ipſum præſtare poſſit.

64. *Pro imperio.*] Conſulibus provinciæ adminiſtrandæ decernebantur, dabantur exercitus, & re bene geſta triumphus decernebatur, quo nihil apud Romanos ad gloriam fuit illuſtrius.

66. *Pro clientelis.*] Clientes dicebantur qui patronos honorabant; nam Romulus, cum patres plebeioſque decreviſſet, ne qua inter eos eſſet diſſenſio, permiſit unicuique plebeio, ut quemcunque è patribus vellet, patronum ſibi compararet; hunc autem, honoris cauſa, domo deducebant in Senatum, &c. Vide Sigonium. lib. 1. cap. 7.

Ib. *Hoſpitiiſque provincialibus.*] Hoſpitia multa ſibi in provincia Siciliæ comparavit Cicero.

74. *Meum filium.*] M. Ciceronem filium Senatui commendat, cui poſtea ſcripſit libros de Officiis, & qui legitima ætate collega Octavii Auguſti Cæſaris in conſulatu, Antonii ſtatuas dejecit, qui interficiendum Ciceronem patrem curaverat.

82. *Parere veſtris decretis.*] Pollicetur ſe obtemperaturum eſſe Senatus decretis, ſi velit conjuratos morte multare.

83. *Per ſe ipſum præſtare.*] Pollicetur iterum ſe ſtatuta à Senatu, ſine cujuſquam alterius ope à periculo præſtiturum.

PRO

L. MURÆNA.

ARGUMENTUM.

Icinius Muræna plebeio genere natus, patrem habuit L. Murænam, qui in prætura cum adoleſcente filio de L. Mithridate triumphavit. Acta ſub patre adoleſcentia, mox Quæſtor unà cum Ser. Sulpicio factus eſt; deinde legatus L. Lucullo in Aſiam contra Mithridatem, ubi ſingulari fide ac diligentia, induſtriam ſuam Imperatori probavit. Ædilitatem deinde & Præturam obtinuit, quam primùm Romæ in jure dicendo, deinde & in Gallia Ciſalpina geſſit. Inde petiit Conſulatum cum Silano, L. Catilina, & Servio Sulpicio. Is cum Silano Conſul deſignatus, à Sulpicio de ambitu accuſatus eſt. Tria fuerunt accuſationis capita; unum in mores Murænæ, quod in Aſia fuerit, quodque ſaltaverit; alterum in genus, quia Sulpicius dignitate Muræna ſuperior eſt, quod Patricius, quod juris civilis peritus, quod in quæſtura, quod in prætura prior renunciatus: Muræna vero, quod plebeio, aut equeſtri ſaltem genere natus eſt, & in exercitu fere ſemper fuit. Tertium ambitus fuit, quod contra legem Calpurniam & Senatuſconſultum, multi candidato Murænæ obviam veniſſent; quod multi ſectati ſint; quod ad ſpectandos gladiatores tributim locum dederit; quod ad prandia vulgo invitarit.

PERSONÆ.

Tres fuerunt accuſatores Murænæ; Sulpicius, qui competitor illius fuerat, & repulſam tulerat; Cn. Poſthumius adoleſcens, M. Porcius Cato, quem, in ejus vita, ſcripſit Plutarchus, juraſſe ſe eum accuſaturum quem pecuniam populo dare cognoviſſet. Defenderunt vero Muræna Q. Hortenſius, M. Craſſus, & M. Cicero, qui, cum Hortenſium eloquentiæ laude tum florentem ſuperare contenderet, nullam partem noctis conquievit, uſque eo, ut nimiis curis & vigiliis afflictus, inferior quàm ille in actione viſus fuerit.

TEM-

TEMPUS.

Acta fuit hæc causa sub finem anni urbis conditæ 690. *ipso Cicerone & Antonio Coss. antequam Muræna magistratum iniret.*

EVENTUS.

Felix fuit Ciceroni & Muræna, quandoquidem anno proxime sequenti Consulatum gessit.

PARTES.

Sunt Exordium, Propositio cum distributione, Contentio, Peroratio.

EXORDIUM.

Exordium duas partes habet. Primum precationem continet, quam fecit de more pro felici Muræna consulatu, qua eidem sibique judicium benevolentiam conciliat, eorum extollendo potentiam, quam à diis translatam habent.

Secunda pars continet excusationem apud Catonem & Sulpicium, duos Muræna accusatores.

I. QUÆ precatus sum à diis immortalibus, Judices, more in- 1
stitutoque majorum, illo die quo auspicato comitiis centuriatis L. Murænam consulem [a] renunciavi, ut ea res mihi [b] magistra-

INTERPRETATIO.

[a] *declaravi.* [b] *consulatui.*

NOTÆ.

1. *More.*] Julius Festus, lib. 13. de verborum significatione, *Mos est*, inquit, *institutum patrium pertinens ad religiones, cæremoniasque majorum.*] Sic Macrob.

Ib. *Institutoque.*] Ex Macrobio, lib. 3. cap. 8. Saturn. *institutum certi auctoris est*, quod vulgus laudabilem consuetudinem appellat.

2. *Auspicato.*] Id est, captatis auspiciis, sine quibus nihil prorsus vel publice, vel privatim apud Romanos agebatur.

Ib. *Comitiis.*] Comitia fuerunt populi cœtus, quem Magistratus legitime convocabat, ut aliquid suo suffragio vel juberet vel prohiberet. Eorum vero tria genera exstiterunt, Curiata, Centuriata, & Tributa. *Curiata* Romulus, *Centuriata* Ser. Tullius, *Tributa* Tribuni-plebis in Remp. intulerunt. *Curiata* dicta sunt, cùm populus in Curias, *Centuriata* cum in Centurias, *Tributa* cum in Tribus descriptus suffragium tulit. Curiæ porrò triginta fuerunt illæ partes, in quas Romulus populum Rom. distribuit; Centuriæ verò sunt illi Conventus populi ad Concilia per Centenas turbas ex censu & ætate divisi: Tribus denique sunt tres illæ partes, in quas primum populus Rom. descriptus est à Romulo (inquit Dionysius) ubi primum ab agresti illa Albanorum, Convenarumque multitudine Rex declaratus est.

Ib. *Centuriatis.*] Centuriata omnia fuerunt maxima & justa, in quibus Consul & majores magistratus creabantur à populo ex singulis centuriis secundum censum ordinis & ætatis descripto. Curiata verò minora fuêre, quibus ex generibus omnium ætatum, ordinum promiscua multitudine populus

de

giſtratuique meo, populo, plebique Romanæ bene atque felici-
ter eveniret: eadem precor ab iiſdem diis immortalibus ob
ejuſdem hominis conſulatum unà cum [c] ſalute obtinendum,
& ut veſtræ mentes atque ſententiæ cum populi Rom. volun-
tate ſuffragiiſque conſentiant, eaque res vobis populoque Rom.
pacem, tranquillitatem, otium, concordiamque afferat. Quòd
ſi illa ſolemnis comitiorum precatio conſularibus auſpiciis
conſecrata, tantam habet in ſe vim & religionem, quantam
reipublicæ dignitas poſtulat: idem ego ſum precatus, ut eis
quoque hominibus, quibus hic conſulatus, me rogante, datus
eſſet, ea res fauſte, feliciter, proſpereque eveniret. Quæ cum
ita ſint, Judices, & cum omnis deorum immortalium poteſtas,
aut tranſlata ſit ad vos, aut [d] certe communicata vobiſcum:
idem conſul eum veſtræ fidei commendat, qui antea diis immor-
talibus commendavit: ut ejuſdem hominis voce & declaratus
conſul, & defenſus, beneficium populi Rom. cum veſtrâ atque
omnium civium ſalute tueatur. Et quoniam in hoc officio ſtu-
dium meæ defenſionis ab accuſatoribus, atque etiam ipſa ſuſceptio
cauſæ reprehenſa eſt; antequam pro L. Murænâ dicere inſti-

[c] *abſolutione.* [d] *ſaltem.*

de minoribus magiſtratibus, & rebus militaribus ſuffragium ferebat. Tributis etiam minores Magiſtratus creabantur, atque in iis etiam agebatur de legibus ferendis, quas plebs, Magiſtratu publico rogante, conſtituebat. Nota autem, quòd etiam Comitia Calata nominantur, non autem proprium & peculiare genus efficiunt; nam omnia primum Calata Comitia dicta ſunt, quia per præcones Patres vocabantur, plebeii vero per cornicines; hâc autem voce *Calare*, id eſt, vocare, dicta ſunt. Cùm vero verbum hoc deſiiſſet in uſu eſſe, retentum eſt nomen Calatorum Comitiorum in his tantum quæ pro Collegio Pontificum, aut Regis ſacrorum, aut Flaminum inaugurandorum, vel Teſtamentorum condendorum cauſâ fiebant. De his omnibus Comitiis fuſè tractat Roſinus, lib. 6. hunc conſule.

4. *Populo, plebique.*] Plebs à populo eo differt, quo ſpecies à genere; nam appellatione populi univerſi cives ſignificantur, connumeratis etiam Patriciis & Senatoribus. Plebis autem appellatione, ſine Patriciis & Senatoribus, cæteri cives ſignificantur. Hinc plebiſcitum definitur lex quam plebs, non populus accipit. Ad plebem autem pertinere cenſebantur opifices, ruſtici qui agros colebant, & denique hominum genus abjectum quod vitam laboribus propter inopiam tolerabat.

8. *Suffragiis.*] Populi ſuffragiis conſules eligebantur, iiſque conſul Muræna factus eſt.

9. *Quod ſi illa ſolemnis.*] Auget illam ipſam ſententiam: ſi qua vis eſt in precatione, quod ad publicum jus attinet, eandem eſſe ait in privato; cum igitur facta ſit pro toto pop. Rom. etiam facta eſt pro Muræna.

12. *Eis quoque hominibus.*] Silano & Murænæ fauſta precatus eſt, cum pro toto populo preces fecit.

13. *Me rogante.*] Vel ait ſe præfuiſſe comitiis centuriatis, in quibus Muræna creatus eſt, vel ſe populum rogaviſſe, ut Murænam conſulem eligeret. Sic autem Conſul rogabat, *Velitis, jubeatis, Quirites, hunc aut illum Conſulem fieri?*

19. *Beneficium pop. Rom.*] Conſulatum beneficium populi vocat, quia à populo Romano ſuffragiis Murænæ & conſuli cuivis concedebatur.

20. *Et quoniam.*] Altera pars Exordii, in qua objectis ſibi criminibus reſpondet.

tuo,

tuo, pro me ipſo pauca dicam: non quo mihi potior hoc quidem in tempore ſit officii mei, quam hujuſce ſalutis defenſio: ſed ut meo facto vobis probato, majore auctoritate ab hujus honore, fama, fortuniſque omnibus, inimicorum impetus propulſare poſſim. Et primum M. Catoni, vitam ad certam rationis normam dirigenti, & diligentiſſimè perpendenti momenta officiorum omnium, de officio meo reſpondebo. Negat fuiſſe [e] rectum Cato, me & conſulem, & legis ambitûs latorem, & tam ſevere geſto conſulatu, cauſam L. Murænæ attingere; cujus reprehenſio me vehementer movet, non ſolum ut vobis, Judices, quibus maxime debeo, verùm etiam ut ipſi Catoni, graviſſimo atque integerrimo viro, rationem facti mei probem. A quo tandem, M. Cato, eſt æquius conſulem defendi, quam à conſule? Quis mihi in repub. poteſt aut debet eſſe conjunctior, quam is cui reſpub. à me uno traditur ſuſtinenda, magnis meis laboribus & periculis ſuſtentata? Quòd ſi in iis rebus repetundis, quæ mancipî ſunt, is periculum judicii præſtare debet, qui ſe nexu obligavit: profecto etiam rectius in judicio conſulis deſignati, is potiſſimum conſul, qui conſulem declaravit, [f] auctor beneficii populi Rom. defenſorque periculi eſſe debebit. At

[e] *juſtum.* [f] *teſtis.*

27. *M. Catoni.*] Sic & Philoſophum Catonem, & Stoicum ſignificat. Ut Stoicus omnia ad certam rationis normam dirigebat; eſt autem inſignis tranſlatio proverbialem figuram complectens, quali & Græci uti ſolent, cum maximam curam & exquiſitiorem ſignificare volunt. Norma enim eſt, quam veteres Κανόνα dixêre, quæ conſtituit rectum angulum. Ut philoſophus, omnia officiorum genera & veluti particulas perpendebat, ne quid inſidioſè, ſimulatè aut fallaciter diceretur.

30. *Legis ambitus latorem.*] Ambitus & ambitio differunt hoc, quòd prior appellatio ſit criminis, poſterior cupiditatis. Ambitus autem committebatur, cum benigne quis per Tribus appellabat populum, ſuffragia corrogabat. Verùm cum profuſione & largitionibus corrumpebat populum, & ſuffragia mercede comparabat, reus ambitus dicebatur, & lege lata puniebatur. Refert Dio hujus legis auctorem, & ſuaſorem Ciceronem fuiſſe.

31. *Severe geſto.*] Conſulatum ſevere geſſit, præcipue in Catilinam, & alios ejuſdem conjurationis ſocios & partiçipes, qui morte multati ſunt.

33. *Ipſi Catoni.*] Laudat Catonem, ne virum tantæ virtutis apud Rom. ſibique amicum lædere videatur, cujus conſilio ipſe Conſul Rempub. adminiſtravit, & reliquâ vitâ ſemper obſervavit, ut notat in Cat. Plutar.

34. *A quo tandem.*] Affert rationes quibus honeſte adductus eſt ad Murænam defendendum.

37. *A me uno.*] Suas vices imperii habebant conſules in comitiis; iis igitur præerat Cicero, cum Muræna conſul deſignatus.

39. *Quæ mancipi ſunt.*] Omnes res quæ abalienari poſſunt, id eſt, quæ à noſtro ad alterius tranſire dominium poſſunt, mancipi dictæ ſunt; eſt autem vocabulum factum à manus capione, ne quid is, qui emit, damni patiatur.

Ib. *Qui ſe nexu obligavit.*] Id eſt, qui vendidit, efficere debet, ut venditio rata ſit; nexu autem ſolennitas quædam juris fuit, ut adhibitis quinque teſtibus, & libripende, homo, ſeu res ei daretur mancipio; hoc eſt, poteſtati illius traderetur, qui ſuum emptione coram iis teſtibus fecisſet.

si, ut nonnullis in civitatibus fieri solet, patronus huic causæ publice constitueretur, is potissime [g] honore affecto defensor daretur, qui eodem honore præditus non minus afferret ad dicendum auctoritatis quam facultatis. Quod si è portu solventibus ii qui jam in portum ex [h] alto invehuntur, præcipere summo studio solent & tempestatum rationem, & prædonum, & locorum; quòd natura affert ut eis faveamus, qui eadem pericula, quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur: quo tandem me animo esse oportet prope jam ex magna jactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas reip. tempestates esse subeundas? Quare, si est boni consulis non solùm videre quid agatur, verùm etiam providere quid futurum sit: ostendam alio loco, quantum salutis communis interfit, duos Consules in republica Calendis Januariis esse. Quod si ita est; non tam me officium debuit ad hominis amici fortunas, quàm respublica consulem ad communem salutem defendendam vocare. Nam quòd legem de ambitu tuli, certe ita tuli, ut eam, quam mihimetipsi jampridem tulerim de civium periculis defendendis, non abrogarem. Etenim si largitionem factam esse confiterer, idque recte factum esse defenderem; facerem improbe, etiam si alius legem tulisset; cum vero nihil commissum contra legem esse defendam, quid est quod meam defensionem latio legis impediat?

II. Negat esse ejusdem severitatis, Catilinam, exitium reipub. intra mœnia molientem, verbis, & pene imperio urbe expulisse; & nunc pro L. Muræna dicere. Ego autem has partes lenitatis & misericordiæ, quas me natura ipsa docuit, semper egi libenter: illam vero gravitatis severitatisque personam non appetivi, sed ab repub. mihi impositam sustinui, sicut hujus imperii dignitas in summo periculo civium postulabat. Quod si tum, cum respub. vim & severitatem desiderabat, vici naturam, & tam vehemens fui, quàm cogebar, non quàm volebam: nunc, cùm omnes me causæ ad misericordiam, atque ad humanitatem vocent, quanto tandem studio debeo naturæ meæ consuetudinique [i] servire? Ac de officio

[g] *gerenti Magistratum.* [h] *mari.* [i] *obedire.*

51. *Ex magna jactatione terram videntem.*] Allegorice loquitur de Consulatu suo, qui Calendis Januariis proximis finiri debebat, quem variis agitatum fuisse tempestatibus ait propter Catilinæ conjurationem.

55. *Duos consules.*] D. Silanus & Muræna, Ciceroni & Antonio in Consulatum successerunt.

Ib. *Calendis Januariis esse.*] Calendis Januariis jam designati Magistratum inibant.

58. *Legem de ambitu.*] Tulit Cicero Consul legem, ut Senatoribus ambitus damnatus aqua & igni interdiceretur ad annos decem, & ut in plebem pœna gravior esset, quàm lege Calpurnia fuisset. Itaque respondet Catoni, quod priorem hac ambitus lege impoſuerit, cives videlicet defendere; 2. huic posteriori priorem non obstare in hac causa, quia nulla largitio à Muræna facta est.

1. *Negat esse ejusdem severitatis.*] Tertia Catonis objectio, qua Cato inconstantiæ arguere Ciceronem videbatur;

officio defenſionis meæ, & de ratione accuſationis tuæ, fortaſſe etiam alia in parte orationis dicendum nobis erit. Sed me, Judices, non minus hominis ſapientiſſimi atque ornatiſſimi Ser. Sulpicii conqueſtio, quàm Catonis accuſatio commovebat: qui graviſſime & acerbiſſime ſe ferre dixit, me familiaritatis neceſſitudiniſque oblitum, cauſam L. Murænæ contra ſe defendere. Huic ego, Judices, ſatisfacere cupio, voſque adhibere arbitros. Nam cùm grave eſt vere accuſari in amicitia, tum etiam, ſi falſo accuſeris, non eſt negligendum. Ego, Ser. Sulpici, me in petitione tua tibi omnia ſtudia, atque officia pro noſtra neceſſitudine, & debuiſſe confiteor, & præſtitiſſe arbitror; nihil tibi conſulatum petenti à me defuit, quod eſſet aut ab amico, aut à gratioſo, aut à conſule poſtulandum; abiit illud tempus: mutata ratio eſt: ſic exiſtimo, ſic mihi perſuadeo, me tibi contra honorem L. Murænæ, quantum tu à me poſtulare auſus ſis, tantum debuiſſe; contra ſalutem nihil debere. Neque enim ſi tibi tum, cum peteres conſulatum, affui, idcirco nunc, cum Murænam ipſum petas, adjutor eodem pacto eſſe debeo. Atque hoc non modo non laudari, ſed ne concedi quidem poteſt, ut amicis noſtris accuſantibus, non etiam alieniſſimos defendamus. Mihi autem cum Muræna, Judices, & vetus, & magna amicitia eſt, quæ in capitis dimicatione à Ser. Sulpicio non idcirco obruetur, quòd ab eodem [b] in honoris contentione ſuperata eſt. Quæ ſi cauſa non eſſet; tamen vel dignitas hominis, vel honoris ejus, quem adeptus eſt, amplitudo ſummam mihi ſuperbiæ crudelitatiſque [c] famam inuſſiſſet, ſi hominis & ſuis, & pop. Rom. ornamentis ampliſſimi cauſam tanti periculi repudiaſſem. Neque enim jam mihi licet, neque eſt integrum, ut meum laborem [d] hominum periculis ſublevandis

[b] *in petitione conſulatus.* [c] *attuliſſet infamiam.* [d] *defendendis reis.*

batur, quod ſeverus antea in Catilinæ cauſa, jam lenis ſit in Murænæ defenſione.

21. *In petitione.*] Sulpicius cum Muræna petebat Conſulatum.

22. *Studia.*] Teſtatur Cicero ſe ſtuduiſſe & faviſſe Sulpicio Conſulatum petenti; per illud ſuum ſtudium propenſionem in illum, per officium voluntatem ſignificat.

24. *Gratioſo.*] Gratioſus eſt, qui multa gratia valet apud multos potentes.

26. *Me tibi contra honorem.*] Oſtendit ſibi fas eſſe Muræ.am defendere, quia non de petendo honore ſeu Conſulatu, ſed de perdendo illo Sulpicius meditatur: at amicis ſubvenire in periculo par eſt.

32. *Alieniſſimos.*] Qui nullo modo ſunt amici, alieniſſimi ſunt.

33. *In capitis dimicatione.*] Dimicatio capitis ſumitur pro cauſa capitali. Capitis autem cauſa eſt, cum reo capitis pœna infertur, ad quam pœnam non tantum ultimum ſupplicium, ſed etiam exilium pertinet, quo civis eximitur à numero civium.

35. *Quæ ſi cauſa non eſſet*] Hujus Murænæ defenſionis cauſa eſt amicitia, quæ jubet præſto nos eſſe amicis.

38. *Ornamentis ampliſſimi.*] Habet domeſtica ornamenta Muræna, nobilitatem generis, & familiæ Quæſtoriæ & Prætoriæ, virtutem, ſcientiam rei militaris: populi vero Rom. geſtos honores Ædilitatis, Prætoræ, & nunc renunciati Conſulatus.

non impertiam. Nam cum præmia mihi tanta pro hac induſtria ſint data, quanta antea nemini: labores, per quos ea ceperis, cum adeptus ſis, deponere, eſſet hominis & aſtuti, & ingrati. Quòd ſi licet deſinere, ſi te auctore poſſum, ſi nulla inertiæ, nulla ſuperbiæ turpitudo, nulla inhumanitatis culpa ſuſcipitur, ego vero libenter deſino. Sin autem fuga laboris, deſidiam; repudiatio ſupplicum, ſuperbiam; amicorum neglectio, improbitatem coarguit: nimirum hæc cauſa eſt ejuſmodi, quam nec induſtrius, nec miſericors, nec officioſus deſerere poſſit. Atque hujuſce rei conjecturam de tuo ipſius ſtudio, Servi, facillime ceperis. Nam ſi tibi neceſſe putas etiam adverſariis amicorum tuorum de jure conſulentibus reſpondere; &, ſi turpe exiſtimas, te advocato, illum ipſum, quem contra veneris, [e] cauſa cadere: noli tam eſſe injuſtus, ut, cum tui fontes vel inimicis tuis pateant, noſtros rivulos etiam amicis putes clauſos eſſe oportere. Etenim ſi me tua familiaritas ab hac cauſa removiſſet, & ſi hoc idem Q. Hortenſio, M. Craſſo clariſſimis viris, ſi item cæteris, à quibus intelligo tuam gratiam magni æſtimari, accidiſſet: in ea civitate conſul deſignatus defenſorem non haberet, in qua nemini unquam infimo majores noſtri patronum deeſſe voluerunt. Ego vero, judices, ipſe me exiſtimarem nefarium, ſi amico: crudelem, ſi miſero; ſuperbum, ſi conſuli defuiſſem. Quare, quod dandum eſt amicitiæ, large dabitur à me; ut tecum agam, Servi, non ſeçùs, ac ſi meus eſſes frater, qui mihi eſt cariſſimus: iſto in loco quod tribuendum eſt officio, fidei, religioni, id ita moderabor, ut meminerim me contra amici ſtudium, pro amici periculo dicere.

[e] *perdere litem.*

41. *Præmia tanta.*] Videtur hic indicare Cicero propter defendendi ſtudium & labores ſe factum Conſulem fuiſſe.

43. *Aſtuti, & ingrati.*] Aſtutus & ingratus eſt, qui fruſtratur populum Rom. & tantum ad tempus illi inſervit commodi ſui cauſa: affertque ipſius Sulpicii exemplum ad excuſandam defenſionem ſuam, qui juriſconſultus ſæpe reſpondere inimicis ſuis tenetur de jure, cur igitur etiam orator amicos non defendet?

52. *Te advocato.*] Advocatus dicitur, aut qui in judicio jus ſuggerit, aut amico ſuam præſentiam commodat; hic priori ſignificatione ſumitur.

53. *Quem contra veneris.*] Nempe adverſarium amici tui, contra quem alio tempore, in alio judicio veneris.

54. *Fontes vel inimicis tuis pateant.*] Tam ſancta fuit apud illos veteres juris profeſſio, ut ne quidem inimicis juriſconſulti reſponſum negarent.

PARTITIO.

Tres habet partes. 1ª *Muræna non eſt reprehendendus.* 2ª *Non eſt inferior Sulpicio dignitate.* 3ª *Non eſt ambitus reus.*

CON-

CONTENTIO.

Tres partes continet: 1ª *vitæ reprehenſionem.* 2ª *Contentionem dignitatis.* 3ª *Crimen ambitus.*

PRIMA PARS.

De vitæ reprehenſione.

III. Intelligo, Judices, tres totius accuſationis partes fuiſſe, & earum unam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitûs eſſe verſatam.

IV. Atque harum trium partium prima illa, quæ graviſſima eſſe debebat, ita fuit infirma & levis, ut illos [a] lex magis quædam accuſatoria, quàm vera maledicendi facultas de vita L. Murænæ dicere aliquid coëgerit. Objecta eſt enim Aſia, quæ ab hoc non ad voluptatem & luxuriam expetita eſt, ſed in militari labore peragrata; qui ſi adoleſcens, patre ſuo imperatore, non [b] meruiſſet; aut hoſtem, aut patris imperium timuiſſe, aut à parente repudiatus videretur; an, cum ſedere in equis triumphantium prætextati potiſſimum filii ſoleant, huic donis militaribus patris triumphum decorare fugiendum fuit, ut rebus communiter geſtis pene ſimul cum patre triumpharet? Hic vero, Judices, & fuit in Aſia, & viro fortiſſimo, parenti ſuo, magno adjumento in periculis, ſolatio in laboribus, gratulationi in victoria fuit. Et ſi habet Aſia ſuſpicionem luxuriæ quandam, non Aſiam nunquam vidiſſe, ſed in A-

[a] *conſuetudo.* [b] *militaſſet.*

5. *Aſia.*] T. Livius lib. 34. Aſiam ait omnibus libidinum illecebris repletam fuiſſe, & inde Romanam luxuriam ortam fuiſſe, & lib. 39. Luxuriæ peregrinæ originem ab exercitu Aſiatico invectam in urbem fuiſſe.

6. *Patre ſuo imperatore.*] L. Murænæ illius parens in Aſia in bello Mithridatico Syllæ legatus fuit; is, cùm Sylla icto fœdere cum Mithridate civilium contentionum cauſa Romam revertiſſet, cum Mithridate bellum renovavit. Nam ut reliquam Aſiam componeret cum duabus legionibus relictus eſt.

9. *Prætextati potiſſimum filii.*] Primus omnium Tarquinius Priſcus de Sabinis triumphans filium annos 14. natum, quòd hoſtem in eo bello percuſſerat, & pro concione laudavit, & bulla aurea, prætextaque donavit. Prætextati autem à prætexta dicti ſunt. Fuit autem illa toga quidem alba, ſed quæ in ora habebat purpuram. Hac utebantur pueri, Magiſtratus, Sacerdotes, & ii, qui publicum munus curabant. Hinc, & qui in ætate eſſent prætextata, id eſt, puerili, & qui in Magiſtratu, prætextati ſunt.

10. *Donis militaribus.*] Dona militaria dicebantur, quæ virtutis ergò ab imperatore triumphaturo militibus dabantur, ut Coronæ, Torques, Armillæ, Haſtæ puræ, Phaleræ, Cornicula, &c.

Ib. *Fugiendum fuit.*] Ironia; quaſi proper vitam in Aſia turpiter actam fugiendum fuiſſet Murænæ, ne parentis triumphum decoraret; pater enim ejus poſt Syllam de Mithridate triumphavit.

ſia continenter vixiſſe, laudandum eſt. Quamobrem non Aſiæ nomen objiciendum Murænæ fuit, ex qua laus familiæ, memoria generi, honos & gloria nomini conſtituta eſt: ſed aliquod aut in Aſia ſuſceptum, aut ex Aſia deportatum flagitium ac dedecus. Meruiſſe vero ſtipendia in eo bello, quod tum populus Romanus non modo maximum, ſed etiam ſolum gerebat, [c] virtutis: patre imperatore libentiſſime meruiſſe, pietatis: finem ſtipendiorum patris victoriam ac triumphum fuiſſe, felicitatis fuit. Maledicto quidem idcirco nihil in hiſce rebus loci eſt, quod omnia laus occupavit. Saltatorem appellat L. Murænam Cato; maledictum eſt, ſi vere objicitur, vehementis accuſatoris: ſin falſò, maledici conviciatoris. Quare, cùm iſta ſis auctoritate, non debes, M. Cato, arripere maledictum ex trivio, aut ex ſcurrarum aliquo convicio, neque temere conſulem populi Romani ſaltatorem vocare: ſed conſpicere, quibus præterea vitiis affectum eſſe neceſſe ſit eum, cui verè iſtud objici poſſit. Nemo enim fere ſaltat ſobrius niſi forte inſanit; neque in ſolitudine, neque in convivio moderato atque honeſto. [d] Tempeſtivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema, ſaltatio. Tu mihi arripis id, quod neceſſe eſt omnium vitiorum eſſe poſtremum: relinquis illa, quibus remotis, hoc vitium omnino eſſe non poteſt; nullum turpe convivium, non amor, non comiſſatio, non libido, non ſumptus oſtenditur. Et cùm ea non reperiantur, quæ voluptatis nomen habent, quæque vitioſa ſunt; in quo ipſam luxuriam reperire non potes, in eo te umbram luxuriæ reperturum putas? Nihil igitur in vitam L. Murænæ dici poteſt? nihil, inquam, omnino, Judices; ſic à me conſul deſignatus defenditur, ut ejus nulla fraus, nulla avaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullum petulans dictum in vita proferatur. Bene habet; jacta ſunt fundamenta defenſionis; nondum enim noſtris laudibus, quibus utar poſtea, ſed prope inimicorum confeſſione, virum bonum, atque integrum hominem defendimus. Quo conſtituto facilior eſt mihi aditus ad contentionem dignitatis; quæ pars altera fuit accuſationis.

[c] *fortitudinis.* [d] *in longum protracti.*

21. *Non modo maximum.*] Bellum Mithridaticum, quod etiam in Orat. pro Lege Manil. maximum vocat, ubi fuſe de eo dictum eſt.

Ib. *Sed etiam ſolum.*] Nondum bellum Sertorii exarſerat in Hiſpania, quod ante fuit exortum, quam Lucullus contra Mithridatem proficiſceretur.

23. *Maledicto.*] Maledictum nihil habet propoſiti præter contumeliam; quæ ſi petulantibus jactatur, convicium; ſi facetius, urbanitas vocatur.

25. *Saltatorem.*] Turpe fuit & indecorum apud Romanos ſaltare.

28. *Ex trivio.*] Maledictum ex trivio ſeu fæce populi, cujus mos eſt, ut cum quis cui conviciatur, eum ſaltatorem vocet.

Ib. *Scurrarum.*] Moriones à Græcis ſcurræ dicuntur, leve hominum genus & ridiculum.

35. *Vitiorum eſſe poſtremum.*] Reprehendit Catonem, quod cum mores Murænæ reliqui honeſti ſint, quos non reprehendit, extremum convicium & omnium turpiſſimum arripiat.

SECUN-

SECUNDA PARS.

De contentione dignitatis.

Hæc pars tres complectitur alias. 1am *Murænam esse parem genere* 1
Sulpicio. 2am *Parem Quæstura.* 3am *Arte superiorem.*

V. Summam videò esse in te, Ser. Sulpici, [a] dignitatem generis, integritatis, industriæ, cæterorumque ornamentorum omnium, quibus fretum ad consulatûs petitionem aggredi par est. Paria cognosco esse ista in L. Muræna, atque ita paria, ut neque ipse dignitate vinci potuerit, neque te dignitate superârit. 5 Contempsisti L. Murænæ genus; extulisti tuum. Quo loco si tibi hoc [b] sumis, nisi qui patricius sit, neminem bono esse genere natum; facis ut rursus plebs in Aventinum sevocanda esse videatur. Sin autem sunt amplæ & honestæ familiæ plebeiæ: & proavus L. Murænæ & avus Prætores fuerunt; & pater, 10 cùm ampliſſime atque honestissime ex prætura triumphâsset, hoc faciliorem huic gradum consulatûs adipiscendi reliquit, quòd is jam patri debitus, à filio petebatur. Tua vero nobilitas, Ser. Sulpici, tametsi summa est, tamen hominibus literatis, & historicis est notior, populo verò, & suffragatoribus obscurior. Pater 15 enim fuit equestri loco, avus nulla illustri laude celebratus: itaque non ex sermone hominum recenti, sed ex annalium vetustate eruenda est memoria nobilitatis tuæ. Quare ego te semper in nostrum numerum aggregare soleo, qui virtute, industria-

[a] *nobilitatem.* [b] *arrogas.*

7. *Patricius.*] Patricii dicebantur, qui ex primis illis Senatoribus, quos Romulus instituit, genus ducebant.

8 *In Aventinem.*] Romæ factæ sunt tres plebis secessiones; una in Montem sacrum; altera in Aventinum; tertia in Janiculum. Libido App. Claudii Decem viri, qui in Virginii filiam exarserat, secessionem hanc in Aventinum excitavit, propter quam Decemviri Magistratu abdicare se coacti sunt. Vide Liv. lib. 3.

11. *Ex Prætura.*] Murænæ pater in Prætura Asiæ multa præclare gessit: nam in ea Mithridate debellato triumphum obtinuit: ut ipse Cicero dixit in Orat. pro Lege Manilia.

13. *Patri debitus.*] Ob triumphum debitus fuerat Murænæ patri consulatus; ideoque petenti filio facilius fuit eum obtinere.

15. *Populo & suffragatoribus obscurior.*] Etiamsi nobiliori ex genere natus sit Sulpicius, tamen ejus non tam fuit nota populo, quam Murænæ nobilitas; cujus patrem proxime viderat triumphantem.

Ib. *Pater fuit equestri loco.*] Dixi mox ante Sulpicium Patricium fuisse; ex quo licet conjicere, nonnullos equestri genere natos, esse Patricios. Patriciis autem proprie sunt illi nobiles, qui à Senatoribus à Romulo constitutis oriundi sunt.

17. *Ex annalium vetustate.*] Cicero lib. de clar. Orat. anno decimo post exactos reges Ser. Sulpicium cum M. Tullo Consulem fuisse scribit, adeoque Sulpiciorum familia antiquissima fuit; videtur autem indicare Cicero ab illo tempore neminem ex illa Sulpiciorum familia rebus gestis illustrem extitisse.

que perfeciſti, ut, cùm equitis Rom. eſſes filius, ſumma tamen [c] amplitudine dignus putarere; nec mihi unquam minus in Q. Pompeio novo homine, & fortiſſimo viro, virtutis eſſe viſum eſt, quam in homine nobiliſſimo M. Æmilio. Etenim ejuſdem animi atque ingenii eſt, poſteris ſuis, quod Pompeius fecit, amplitudinem nominis, quam non acceperit, tradere; &, ut Scaurus, memoriam prope intermortuam generis ſui, virtute renovare. Quanquam ego jam putabam, Judices, multis viris fortibus ne ignobilitas objiceretur generis, meo labore eſſe perfectum: qui non modò Curiis, Catonibus, Pompeiis, antiquis illis, fortiſſimis viris, novis hominibus, ſed his recentibus, Mariis, & Didiis, & Cœliis commemorandis jacebant. Cum ego verò tanto intervallo clauſtra iſta nobilitatis refregiſſem, ut aditus ad conſulatum poſthac, ſicut apud majores noſtros fuit, non magis nobilitati, quam virtuti, pateret: non arbitrabar, cùm ex familia vetere & illuſtri conſul deſignatus ab equitis Romani filio, conſule, defenderetur, de generis novitate accuſatores eſſe dicturos. Etenim mihi ipſi accidit, ut cum duobus Patriciis, altero improbiſſimo atque audaciſſimo, altero modeſtiſſimo atque optimo viro peterem: ſuperavi tamen dignitate Catilinam, gratiâ Galbam. Quòd ſi id crimen homini novo eſſe deberet, profecto mihi neque

[c] *conſulatu.*

21. *In Quinto Pompeio.*] Q. Pompeius cum L. Cornelio Sylla Conſul fuit anno ab urbe condita 666, & altero poſt Conſulatum anno, cum Italicis copiis præfectus eſſet, odio & invidia interfectus eſt.

23. *M. Æmilio.*] Æmilius Scaurus humili vita & genere ad ſummos honores elatus eſt, de quo ita Aſconius ſcribit: *M. Scaurus ita fuit Patricius, ut tribus ſupra ætatibus jacuerit domus ejus fortuna, nam neque pater, neque avus, neque etiam proavus, ut puto, propter tenues opes & nullam vitæ induſtriam, honores adepti ſunt. Itaque M. Scauro æque ac novo homini laborandum fuit.* Cicero pro Deiot. *M. Scaurum principem civitatis appellat.*

29. *Curiis.*] M. Curius Dentatus ter triumphavit, 1. de Samnitibus, deinde de Sabinis, poſtremo de Pyrrho.

Ib. *Catonibus.*] M. Porcius Cato, referente Plutarcho, ſe quidem hominem novum, quo ad honores & æſtimationem attingeret, rebus autem geſtis, & majorum virtute, perantiquum dicebat.

30. *Mariis.*] Marius Arpina e ex humili loco natus, multas victorias retulit, & ſepties conſulatum adeptus eſt.

Ib. *Didiis.*] Didius Prætor fuit poſt Cimbricum, & Teutonicum bellum, ſub quo Tribunus militum Sertorius fuit. Vide Plut. in Sert.

31. *Cœliis.*] T. Livius lib. 73. ſcribit in Gallia Salvios à Cœlio victos eſſe.

Ib. *Jacebant.*] Hominum eorum Majores ad honores, & Conſulatum non evehebantur, quibus poſteri eorum potiti ſunt.

Ib. *Tanto intervallo.*] Indicat Cicero ſe novum hominem primum poſt C. Cœlium factum eſſe Conſulem.

32. *Clauſtra nobilitatis.*] Clauſtrum à claudo dicitur; ſignificat autem penes ſe quaſi incluſum Conſulatum habuiſſe nobiles, & eum locum, quem nobilitas firmarum præſidiis & omni ratione vallatum erebat, ſe ducem reſcidiſſe.

37. *Ut cum duobus Patriciis.*] Cum Catilina & Galba à Patricio genere, Cicero C nſulatum petebat.

40. *Homini novo.*] Se novum hominem Cicero dicit, quia ex ejus familia nemo Conſul factus erat, quamvis ex eadem aliqui jam Prætores exſtitiſſent.

inimici,

ànimici, neque invidi defuiſſent. Omittamus igitur de genere dicere, cujus eſt magna in utroque dignitas: videamus cætera. Quæſturam unà petiit, & ſum ego factus prior; non eſt reſpondendum ad omnia; neque enim quemquam veſtrûm fugit, cum multi pares dignitate fiant, unus autem primùm ſolus poſſit obtinere, non eundem eſſe ordinem dignitatis & renunciationis; propterea quod renunciatio gradus habeat, dignitas autem ſit perſæpe eadem omnium. Sed Quæſtura utriuſque propemodum pari momento ſortis fuit; habuit hic lege Titia provinciam [d] tacitam & quietam: tu illum, cui, cum Quæſtores ſortiuntur, etiam acclamari ſolet, Oſtienſem, non tam gratioſam & illuſtrem, quàm negotioſam & moleſtam; [e] conſedit utriuſque nomen in Quæſtura; nullum enim vobis ſors campum dedit, in quo excurrere virtus, cognoſcique poſſet. Reliqui temporis ſpatium, quod in contentionem vocatur, ab utroque diſſimillima ratione tractatum eſt. Servius hic nobiſcum hanc urbanam militiam reſpondendi, ſcribendi, cavendi, plenam ſolicitudinis ac [f] ſtomachi, ſecutus eſt: jus civile didicit: multum vigilavit: laboravit: præſtò multis fuit: multorum ſtultitiam perpeſſus eſt; arrogantiam pertulit: difficultatem [g] exſorbuit: vixit ad aliorum arbitrium, non ad ſuum. Magna laus, & grata hominibus, unum homi-

[d] *pacatam.* [e] *jacuit.* [f] *moleſtiæ.* [g] *exhauſit.*

43. *Quæſturam unà petiit.*] Affert contentionem dignitatis ex paribus honoribus, quam Cicero per Proſoponœiam Sulpicii gloriantis exprimit. Primum de Quæſtura loquitur, in qua ita Competitores Sulpicius & Muræna fuerunt, ut Sulpicius priori loco renunciatus ſit, unde Sulpicius præſtantiam dignitatis ſuæ demonſtrabat.

47. *Renunciatio.*] Jam contendit Cicero in appellatione ſeu nominatione eorum, qui alicujus ſunt dignitatis, non poſſe omnes eſſe primos, quare neceſſe eſt ut hic ſit primus, ille ſecundus, &c.

48. *Sed Quæſtura.*] Quæſtura primus omnium magiſtratus gerebatur, deinde ædilitas, tum prætura, ac tandem conſulatus.

49. *Pari momento ſortis fuit.*] Id eſt, eodem fere temporis puncto facto eſt Quæſturarum ſortitio, utra utri provincia obveniret. Nam ſolebant, qui Quæſtores deſignati erant, ſortiri provincias in quas proficiſcerentur.

Ib. *Lege Titia.*] De iſta lege Titia nihil reperitur, nec quo tempore lata ſit. Credunt aliqui ſenatuſconſultum aliquod fuiſſe à Porcio & Decio coſſ. quo latum eſt, ut Quæſtores, ſicuti alii magiſtratus, provincias ſortirentur.

Ib. *Provinciam tacitam.*] Provincia tacita & quieta eſt, in qua nulla eſt belli perturbatio.

51. *Oſtienſem.*] Difficilis fuit & negotioſa, propter Salinas, Oſtienſis provincia: quare qui eam ſortiebatur, populi acclamationibus, vel in ſignum approbationis, ſi vir negotioſus eſſet & ſtrenuus, vel indignationis, ſi deſes & languidus, excipiebatur.

Ib. *Gratioſam.*] Gratioſa provincia dicitur, à qua multam ſibi gratiam conciliat, qui eam adminiſtrat.

53. *Campum dedit.*] Nulla ſors provinciam dedit Sulpicio, in qua laudem colligeret, quemadmodum colligitur ex provinciis, in quibus bellum geritur.

54. *Reliqui temporis.*] Sequitur ſtudiorum comparatio, in qua primo utriuſque ſtudii dignitatem, ita per congeriem partium amplificat: ut tamen ex ipſarum partium inter ſe collatione appareat, L. Murænæ ſtudium Sulpiciano anteferri.

nem elaborare in ea ſcientia, quæ ſit multis profutura. Quid Muræna interea? fortiſſimo & ſapientiſſimo viro, ſummo imperatori legatus L. Lucullo fuit: qua in legatione duxit exercitum, ſigna contulit, manum conſeruit, magnas copias hoſtium fudit, urbes partim vi, partim obſidione cepit: Aſiam iſtam refertam, & eandem delicatam ſic obiit, ut in ea neque avaritiæ, neque luxuriæ veſtigium reliquerit: maximo in bello ſic eſt verſatus, ut hic multas res & magnas ſine imperatore geſſerit, nullam ſine hoc imperator. Atque hæc, quanquam præſente L. Lucullo loquar, tamen ne ab ipſo propter periculum noſtrum conceſſam videamur habere licentiam fingendi, publicis literis teſtata ſunt omnia: quibus L. Lucullus tantum laudis impertit, quantum neque [h] ambitioſus imperator, neque invidus, tribuere alteri in communicanda gloria debuit. Summa in utroque eſt honeſtas, ſumma dignitas: quam ego, ſi mihi per Servium liceat, pari atque eadem in laude ponam; ſed non licet; [i] agitat rem militarem: inſectatur totam hanc legationem: aſſiduitatis, & operarum harum quotidianarum putat eſſe conſulatum. Apud exercitum mihi fueris, inquit, tot annos? forum non attigeris? abfueris tamdiu; &, [k] cum longo intervallo veneris, cum iis qui in foro habitarunt, de dignitate contendas? Primum iſta noſtra aſſiduitas, Servi, neſcis, quantum interdum afferat hominibus faſtidii, quantum ſocietatis; mihi quidem vehementer expediit, poſitam [l] in oculis eſſe gratiam; ſed tamen ego mei ſatietatem magno meo labore ſuperavi; & tu idem fortaſſe: verumtamen utrique noſtrûm [m] deſiderium nihil obfuiſſet.

[h] *cupidus* gloriæ. [i] *vituperat.* [k] *poſt longum ſpatium.* [l] *ante oculos beneficium eſſe.* [m] *abſentia.*

66. *Refertam & delicatam.*] Aſia plena opibus, & luxui dedita fuit.

70. *Præſente Lucullo.*] Lucullus, qui imperator fuerat in Aſia contra Mithridatem, judex erat in hac cauſa

71. *Periculum noſtrum.*] Periculum Murænæ intelligit, ne videlicet damnetur à judicibus.

75. *In utroque.*] Murænæ & Sulpicio ſumma eſt dignitas, propter geſtos ab utroque magiſtratus, non propter generis nobilitatem; quia Sulpicius patricius erat, Muræna plebeius. Contendit tamen Murænam ſuperiorem eſſe dignitate propter rem militarem; quam cognitioni juris civilis anteponit.

78. *Aſſiduitatis.*] Aſſiduitas de iis dicitur, qui proprie reſident; unde aſſiduus dicitur qui reſidet.

Ib. *Operarum harum quotidianarum.*] Sulpicius conſulatum tantum ad eos pertinere putabat, qui Romæ ſunt aſſidui; adeoque ſe Murænæ anteponendum, qui ſæpe aberat propter bellicas expeditiones.

79. *Apud exercitum mihi fueris.*] *Mihi* ad venuſtatem orationis ponitur; id eſt, fueris in exercitu. Hoc autem, & quæ ſequuntur, quaſi per indignationem refert Sulpicius.

82 *Iſta noſtra.*] Reſpondet Cicero Sulpicio, ejus, & ſuam aſſiduitatem in foro & in cauſis, utrique eorum moleſtam fuiſſe.

84. *Poſitam eſſe gratiam.*] Innuit Cicero plus revera valere, ad honores aſſequendos, eſſe domi quam foris: quia populus plus oculis quam auribus proſpicit: quare cum è Quæſtura Sicilienſi rediit, ſtatuit aſſiduus Romæ verſari.

86. *Labore ſuperavi.*] Hanc urbis ſatietatem & faſtidium reorum defenſione ſuperavit.

VI. Sed

VI. Sed ut, hoc omiſſo, ad ſtudiorum atque artium contentionem revertamur: quî poteſt dubitari quin ad conſulatum adipiſcendum multo plus afferat dignitatis, rei militaris, quam juris civilis gloria? Vigilas tu de nocte, ut tuis conſultoribus reſpondeas: ille, ut, quo intendit, mature cum exercitu perveniat; te gallorum, illum buccinarum cantus exſuſcitat; ille ne urbes aut caſtra capiantur. Ille tenet, & ſcit, ut hoſtium copiæ; tu ut aquæ pluviæ arceantur; ille exercitatus eſt in propagandis finibus; tu in regendis. Ac nimirum (dicendum eſt enim quod ſentio) rei militaris virtus præſtat cæteris omnibus. Hæc nomen populo Romano, hæc huic urbi æternam gloriam peperit: hæc orbem terrarum parere huic imperio coëgit; omnes urbanæ res, omnia hæc noſtra præclara ſtudia, & hæc forenſis laus, & induſtria, latent in tutela ac præſidio bellicæ virtutis; ſimul atque increpuit ſuſpicio tumultus, artes illico noſtræ conticeſcunt. Et, quoniam mihi videris iſtam ſcientiam juris tanquam filiolam oſculari tuam, non patiar te in tanto errore verſari, ut iſtud neſcio quid, quod tantopere didiciſti, præclarum aliquid eſſe arbitrere. Aliis ego te virtutibus, continentiæ, gravitatis, juſtitiæ, fidei, cæteris omnibus, conſulatu & omni honore ſemper digniſſimum judicavi; quòd quidem jus civile didiciſti; non dicam, operam perdidiſti: ſed illud dicam, nullam eſſe in illa diſciplina munitam ad conſulatum viam; omnes enim artes, quæ nobis populi Romani ſtudia conciliant, & admirabilem dignitatem, & pergratam utilitatem debent habere. Summa dignitas eſt in iis, qui militari laude antecellunt; omnia enim, quæ ſunt in imperio & in ſtatu civitatis, ab iis defendi & firmari putantur; ſumma etiam utilitas: ſiquidem eorum conſilio, & periculo, cùm republica, tum etiam noſtris rebus perfrui poſſumus; gravis etiam illa eſt & plena dignitatis dicendi facultas, quæ ſæpe valuit in conſule deligendo, poſſe conſilio atque oratione, & Senatus & populi, & eorum qui res judicant, mentes permovere. Quæritur Conſul, qui dicendo nonnunquam comprimat tribunitios furores, qui concitatum populum flectat, qui largitioni reſiſtat. Non mirum, ſi ob hanc facultatem homines ſæpe etiam[a] non nobiles conſulatum conſecuti ſunt: præ-

[a] *homines novi.*

1. *Sed ut, hoc omiſſo.*] Tranſit ad contentionem artium, quas uterque factitavi.

8. *Aquæ pluviæ.*] Aqua pluvia ea dicitur, quæ de cœlo cadit, & imbre excreſcit, ſive ille noceat, ſive cum alia mixta ſit.

9. *Tu in regendis.*] Fines regi dicuntur, cum propriis ager quiſque finibus terminatur. Hinc finium regendorum, vel finibus regendis judicium eſt, quod inter confines redditur, ut fines agrorum vicinorum dirigantur.

14. *Increpuit ſuſpicio tumultus.*] Id eſt, inſonuit, metaphora ſumpta à tubis: ſuſpicio tumultus, belli videlicet Italici aut Gallici: hæc enim duo bella tumultus nomine ſignificabantur.

ſertim

ſertim cùm hæc eadem res plurimas gratias, firmiſſimas amicitias, maxima ſtudia pariat: quorum in iſto vero artificio, Sulpici, nihil eſt. Primum dignitas in tam tenui ſcientia, quæ poteſt eſſe? res enim ſunt parvæ, prope in ſingulis literis atque [b] interpunctionibus verborum occupatæ. Deinde etiam ſi quid apud majores noſtros fuit in iſto ſtudio admirationis, id enunciatis veſtris myſteriis, totum eſt contemptum & abjectum. Poſſet [c] agi lege, necne, pauci quondam ſciebant: faſtos enim vulgò non habebant: erant in magna potentia, qui conſulebantur: à quibus etiam dies tanquam à Chaldæis petebantur; inventus eſt ſcriba quidem Cn. Flavius, qui cornicum oculos confixerit, & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo propoſuerit, & ab ipſis cautis Juriſconſultis eorum ſapientiam [d] compilârit. Itaque irati illi, quòd ſunt veriti ne, dierum ratione promulgata & cognita, ſine ſua opera lege poſſet agi, [e] notas quaſdam compoſuerunt, ut omnibus in rebus ipſi intereſſent; cùm hoc fieri belliſſimè poſſet: Fundus Sabinus meus eſt: immo meus: deinde judicium: noluerunt. FUNDUS, inquit, QUI EST IN

[b] *diſtinctionibus.* [c] *litigari.* [d] *furatus ſit.* [e] *formulas.*

42. *Veſtris myſteriis.*] Proverbium tranſlatum ex arcanis ſacris Græcorum, in quibus Eleuſinia fuere præcipua, quæ enunciare, id eſt, profanis prodere, capitale fuit.

43. *Pauci.*] Pauci ſciebant quibus diebus fas erat litigari; ſed tandem à juriſconſultis omnes edocti ſunt.

Ib. *Faſtos enim non habebant.*] Faſti nihil aliud ſunt quam diſtinctio quædam anni, & menſium dierumque deſcriptio, feſtorum & infeſtorum notatio, & ſacrorum publicorum quaſi indicatio. Faſti autem & nefaſti dies à Numa Pompilio inſtituti ſunt; quos Ovidius, lib. Faſt. 1. ſic explicat:

Ille nefaſtus erit, per quem tria verba fieri;
Faſtus erit, per quem lege licebat agi.

Tria illa erant verba, *Do, Dico, Addico*; id eſt, nefaſtis illis diebus non fas erat Prætori agere, & illa verba pronunciare ſine piaculo: faſtis autem fas fuit, qui idcirco à *fando* dicti ſunt. Lege plura apud Macrobium, lib. 1. cap. 16.

45. *A Chaldæis.*] Chaldæi pro Aſtrologis dicuntur, quia apud populos illos floruit ars divinandi. Genethliaci quoque dicti ſunt, quòd die notato quo quiſque in lucem prodierit, de vitæ fortuna, & exitu prædicere ſoleant.

46. *Cn. Flavius.*] De Flavio ſic ſcribit Livius, lib. 9. dec. 1. *fuiſſe callidum virum & facundum, & jus civile repoſitum in Pontificum penetralibus evulgaſſe.* Non pauci ſunt, auctore Cic. in Epiſt. ad Att. lib. 6. qui credunt hunc faſtos protuliſſe, actionesque compoſuiſſe.

Ib. *Qui cornicum oculos.*] Cornicum oculos configere, eſt proverbium quod de iis dicitur, qui, callidis & prudentibus ut cavere & ſcirent, & deberent, talluntur ac circumveniunt. Nam cornix cum aliorum animalium oculos potiſſimum appetat, ipſam ſcilicet ſuis maxime proſpicere oportet: unde proverbialiter dicitur unum cornicem alterius oculos non confodere.

52. *Fundus Sabinus.*] Oſtendit Cicero, facilius eſſe de aliquo fundo contendere ſine formulis juriſconſultorum, quam eas adhibere, quia per eas tota ratio judiciorum intricatur, ſufficit enim ut petitor dicat: *Ille Fundus Sabinus meus eſt*; & reſpondeat defenſor, *meus eſt*: deinde uterque ad judicium veniat, & auditis utriuſque partis rationibus, Judex decidat.

53. *Inquit.*] At Juriſconſultus qui ſuas notas compoſuit, alias verborum ambages proponit, nempe, *fundus qui eſt in agro Sabino, &c.*

AGRO

AGRO QUI SABINUS VOCATUR. Satis verbosè: cedo, quid postea? EUM EGO EX JURE QUIR. MEUM ESSE AIO. Quid tum? INDE IBI EGO TE EX JURE MANU CONSERTUM VOCO. Quid huic tam loquaciter litigioso responderet ille, unde petebatur, non habebat. Transit idem jurisconsultus tibicinis Latini modo: UNDE TU ME, inquit, EX JURE MANU CONSERTUM VOCASTI, INDE IBI EGO TE REVOCO. Prætor interea, ne [f] pulchrum se ac beatum putaret, atque aliquid ipse sua sponte loqueretur, ei quoque [g] carmen compositum est, cùm cæteris rebus absurdum, tum verò nullo usu: UTRISQUE SUPERSTITIBUS PRÆSENTIBUS: ISTAM VIAM DICO: INITE VIAM; præstò aderat sapiens ille, qui inire viam doceret: REDITE VIAM; eodem duce redibant. Hæc jam tum apud illos barbaros ridicula, credo, videbantur: homines, cùm rectè atque in loco constitissent, jubere abire, ut, unde abissent, eodem statim redirent. Iisdem ineptiis sucata sunt illa omnia, QUANDO TE

[f] *ne putaret se optima esse conditione.* [g] *formula.*

54. *Satis verbosè.*] Ridet has verborum tricas Cicero.

55. *Jure Quir.*] Quiritium jus dicebatur, quod civium Rom. causa proprie constitutum erat, ut peregrini omnes ejus plane expertes essent.

56. *Ex jure manu.*] Ut conserere manum vel manu cum hoste, sic ex jure manu vel manum conserere dicitur, cum quis judicio contendit. Solebant autem quodam ritu glebam attingere, & testari se velle de hoc bono litigare.

58. *Unde petebatur.*] Per illas voces, *unde petebatur*, intelligitur debitor seu defensor. Modus autem ille loquendi usitatus fuit apud veteres.

59. *Tibicinis Latini modo.*] Tibicinis Latini modo is transire dicitur, qui petitoris & defensoris causam agit, vel probationes invenit. Tibicines vero Latini dicebantur, quorum usus erat in feriis Latinis, qui præludebant jam huic, jam alteri choro. De his vide Liv. lib. 4. ait autem Jurisconsultos veluti Tibicines illos modo petitoris, modo defensoris notas componere, ut uterque jus suum tueri possit.

61. *Ibi ego te revoco.*] Postquam Jurisconsultus docuit petitorem quid dicere debeat, jam docet defensorem quid dicat; nempe ut eadem formula utatur, qua prior petitor usus est. *Ibi* autem dicitur pro *ad eum locum*, quod usitatum satis fuit veteribus. Sic Plautus: *Pergam in ædibus nunc jam.*

62. *Sua sponte loqueretur.*] Ipsis prætoribus verba præripuêre Jurisconsulti, iisque propria verba assignarunt, seu formulas quibus in pronuncianda sua sententia uterentur.

64. *Utrisque superstitibus.*] Superstitibus, id est, salvis, & ob eam causam præsentibus, qui enim morbo sontico laborabant, lege excusabantur à judicio.

65. *Inite viam.*] Litigantibus decernebat Prætor, ut viam consuetam, præscriptam nempe à Jurisconsultis, sequerentur.

66. *Præsto aderat sapiens ille.*] Ironice sapiens vocatur ille Jurisconsultus quia in iis ineptiis fere tota ejus sapientia posita est.

Ib. *Redite viam.*] Idem Jurisconsultus qui viam qua eundum erat, qua quoque redeundum erat, docebat: idem ait, quod superius not. ad lin. 59. dictum est.

67. *Apud illos barbaros.*] Id est, apud illos veteres graves & sapientes, qui prolixa barba erant.

68. *Homines.*] Petitorem & reum intelligit, quia ad fundum, de quo erat controversia, ire jubebantur, & inde statim ad Prætorem redire.

70. *Fucata sunt.*] Fucata dicuntur, quæ alieno colore picta sunt. Jam novam aliam Jurisconsultorum formulam tam ridiculam, quam superiores profert.

IN

IN JURE CONSPICIO; & hæc, SED ANNE TU DICIS CAUSA VINDICAVERIS? quæ dum erant occulta, neceſſariò ab eis, qui ea [h] tenebant, petebantur: poſtea vero pervulgata, [i] atque in manibus jactata & excuſſa, inaniſſima prudentiæ reperta ſunt, fraudis autem & ſtultitiæ pleniſſima.

VII. Nam cum permulta præclare legibus eſſent conſtituta, ea jureconſultorum [a] ingeniis pleraque corrupta ac depravata ſunt. Mulieres omnes propter infirmitatem conſilii majores in tutorum poteſtate eſſe voluerunt: hi invenerunt genera tutorum, quæ poteſtate mulierum continerentur; ſacra interire illi noluerunt: horum ingenio ſenes ad coemptiones faciendas, interimendorum ſacrorum cauſa, reperti ſunt. In omni denique jure civili æquitatem reliquerunt, verba ipſa tenuerunt: ut, qui in alicujus libris, exempli cauſa, id nomen invenerant, putârunt omnes mulieres, quæ coemptionem facerent, Caias vocari. Jam illud mihi quidem mirum vi-

[h] *intelligebant.* [i] *propius conſiderata & cognita.* [a] *inventionibus.*

72. *Quando te in jure.*] Actionis formula eſt in auctorem præſentem; hæc autem ita exponitur à Valerio Probo, *Quando te in jure conſpicio, poſtulo an ſuas auctor.*

Ib. *Sed anne tu dicis cauſa.*] Vox iſta, *dicis*, juriſconſultorum eſt, &, ut explicat Hotomannus, perinde ſignificat ac, *ſimulandi cauſa*, vel *ſimulationem*. Euſtachius vero putat *dicis* ſumi pro more & conſuetudine. Varro lib. 5. de L. L. pro eo quod non ſerio, ſed perfunctorie fit. Itaque varius eſſe poteſt ſenſus hujus ſententiæ, *anne tu dicis cauſa vindicaveris?* quaſi diceret, *Anne tu ſimulandi cauſa tuum illud ac proprium aſſeruiſti:* vel *pro more & conſuetudine:* vel, *non ſerio, ſed perfunctorie.* Sed cum truncatæ ſint & mutilatæ ſententiæ ex veteribus juriſconſultis, quæ non exſtant amplius, eas ad verum ſenſum explicare quis poſſit? cum in iſtis tantum lugetur Cicero.

4. *In tutorum poteſtate.*] Antiquo jure mulieres ſub perpetua tutela erant; neque ratum id habebatur, quod à muliere ſine tutoris auctoritate geſtum erat. Id autem à legibus Athenienſium ad Romanos tranſlatum fuit.

5. *Poteſtate mulierum continerentur.*] Andreas Alciatus hanc poteſtatem ſic explicat, aitque *Mulieres ſervos ſuos actori publico cenſuiſſe; & poſtquam publici effecti eſſent, precuraſſe ut ſibi in tutores darentur. Et enim tales bodie quoque non plane ſervi ſunt, nec magis à tutela rejici, quam cæteri tabularii poſſunt; & tamen nec omnino liberi videntur, & propter reliquias prioris dominii, aliquo modo poſſunt dici poteſtate mulierum contineri.*

Ib. *Sacra interire.*] Præter ſacra publica, erant etiam privata in familiis, quæ perpetua conſervabantur.

6. *Horum.*] Juriſconſultorum ingenio & argutiis extinguendorum, ſacrorum ratio inventa eſt.

Ib. *Ad coemptiones faciendas.*] Per coemptiones matrimonia intelligit, quæ per coemptionem fiebant; coemptio vero certis ſolemnitatibus peragebatur, & ſefe invicem communicando interrogabant; vir ita, an ſibi mulier materfamilias eſſe vellet? illa reſpondebat, velle. Item mulier interrogabat, an vir ſibi paterfamilias eſſe vellet; ille reſpondebat, velle; itaque mulier in manum viri conveniebat, & vocabantur hæ nuptiæ *per coemptionem.*

7. *Interimendorum ſacrorum cauſa.*] Nulla prole procreata privata ſacra interibant.

11. *Caias vocari.*] Cum nubebant, ſponſa ingrediendo ſponſi domum dicebat, *Ubi tu Caius, ego Caia:* id eſt, *ubi tu dominus, ego hera*; quia vero Caia Cæciliana Tarquinii Priſci regis uxor præ cæteris celebrata eſt, & optima lanifica fuit; inſtitutum fuit, ut novæ nuptiæ ante januam mariti interrogatæ de nomine, ſe Caias dicerent.

deri

deri ſolet, tot homines, tam ingenioſos, per tot annos etiam nunc ſtatuere non potuiſſe, utrum diem tertium, an perendinum; judicem an arbitrum; rem an litem dici oporteret. Itaque, ut dixi, dignitas in iſta ſcientia conſularis nunquam fuit, quæ tota ex rebus fictis commentitiiſque conſtaret: gratiæ verò multo etiam minùs. Quod enim omnibus patet, & æque promptum eſt mihi, & adverſario meo, id eſſe gratum nullo pacto poteſt. Itaque non modò beneficii collocandi ſpem, ſed etiam illud quod aliquando fuit, LICET CONSULERE, jam perdidiſtis. Sapiens exiſtimari nemo poteſt in ea prudentia, quæ neque extra Romam uſquam, neque Romæ, [b] rebus prolatis, quidquam valet; peritus ideo haberi non poteſt, quòd in eo quod ſciunt omnes, nullo modo poſſunt inter ſe diſcrepare; difficilis autem res ideo non putatur, quòd & perpaucis, & minime [c] obſcuris literis continetur. Itaque ſi mihi homini vehementer occupato [d] ſtomachum moveritis, triduo me juriſconſultum eſſe profitebor. Etenim quæ de ſcripto aguntur, ſcripta ſunt omnia: neque tamen quidquam tam anguſtè ſcriptum eſt, quo ego non poſſim, QUA DE RE AGITUR, addere; quæ conſuluntur autem, minimo periculo reſpondentur: ſi id quod oportet, reſponderis; idem videare reſpondiſſe quod Servius: ſin aliter; etiam controverſum jus noſſe, & tractare videare. Quapropter non ſolùm illa gloria militaris veſtris formulis atque actionibus anteponenda eſt, verùm etiam dicendi conſuetudo longe & multum iſti veſtræ exercitatione [e] ad honorem antecellet. Itaque mihi viden-

[b] *munerum urbanorum vocatione conceſſa, vel juſſitio indicto.* [c] *præceptis perſpicuis.* [d] *irritaveritis me.* [e] *præſtabit ad magiſtrum.*

12. *Per tot annos.*] Cn. Flavius jus civile ante bella Punica, aliquot annis ante Pyrrhi in Italiam adventum pervulgavit.

13. *An perendinum.*] Perendinus dies dicitur, cum judex ſtatuit, aut cum inter partes convenit, ut omne litis inſtrumentum, aut acta utrinque proferantur intra triduum; tunc lis & res comperendinari dicitur, quaſi judex poſt tertium diem, aut etiam die tertio ſententiam laturus ſit.

14. *Judicem an arbitrum.*] Diſcrimen intercedit arbitrum inter & judicem, quòd per judicem aut tota cauſa obtineatur, aut amittatur: per arbitrum vero, ut neque nihil, neque tantum quantum poſtulatur, obtineatur.

20. *Licet conſulere.*] Conſulere licet, dicebant, vel qui juriſconſultos volebant conſulere; vel ipſi juriſconſulti dicebant, cum conſulebantur, conſulere autem licet, nempe *libros Faſtorum.*

28. *Quæ de ſcripto aguntur.*] Agi de ſcripto, aut per ſcriptum, idem eſt. Bipartita porro eſt juriſconſultorum profeſſio, nam aut actiones & formulas judiciorum tradunt, quæ omnes ſunt perſcriptæ, & verſantur in tractatione aperti & uſitati juris, legum & edictorum; aut de jure reſpondent, quod eſt opus prudentiæ & intelligentiæ ipſorum, cum de voluntate & ſcientia legis, aut omnino de juris ratione dubitatur & quæritur.

29. *Anguſte ſcriptum eſt.*] Anguſte ſcribere eſt verſiculis proximis, & quaſi conſtrictis compreſſiſque, & non latis & amplis ſcribere, quo plus laboris inſumptum videatur, pluſque pecuniæ colligatur.

32. *Controverſum.*] Jus controverſum dicitur, de quo videlicet inter utramque partem controvertitur.

tur

tur plerique initio multo hoc maluiſſe: poſt, cum id aſſequi non potuiſſent, iſtuc potiſſimum ſunt delapſi: ut aiunt in Græcis artificibus, eos [f] aulœdos eſſe, qui citharœdi fieri non potuerint; ſic nonnullos videmus, qui oratores evadere non potuerunt, eos ad juris ſtudium [g] devenire. Magnus dicendi labor, magna res, magna dignitas, ſumma etiam gratia. Etenim à vobis ſalubritas quædam, ab iis qui dicunt, ſalus ipſa petitur. Deinde veſtra reſponſa atque decreta & evertuntur ſæpe dicendo, & ſine defenſione Oratoris firma eſſe non poſſunt. In qua re ſi ſatis profeciſſem, parcius de ejus laude dicerem: nunc nihil de me dico, ſed de iis. qui in dicendo magni ſunt, aut fuerunt. Duæ ſunt artes, quæ poſſunt locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis; una imperatoris, altera oratoris boni. Ab hoc enim pacis ornamenta retinentur; ab illo belli pericula repelluntur. Cæteræ tamen virtutes ipſæ per ſe multùm valent, juſtitia, fides, pudor, temperantia, quibus'te, Servi, excellere omnes intelligunt: ſed nunc de ſtudiis ad honorem [h] diſpoſitis, non de inſita cujuſque virtute diſputo. Omnia iſta nobis ſtudia de manibus [i] excutiuntur, ſimul atque aliquis motus novus bellicum canere cœpit. Etenim, ut ait ingenioſus Poëta & auctor valde bonus, præliis promulgatis, PELLITUR E MEDIO non ſolum iſta veſtra verboſa ſimulatio prudentiæ, ſed etiam illa ipſa domina rerum SAPIENTIA: VI GERITUR RES. SPERNITUR ORATOR non ſolum odioſus in dicendo, ac loquax, verum etiam BONUS: HORRIDUS MILES AMATUR. Veſtrum vero ſtudium totum jacet. NON EX JURE MANU CONSERTUM SED MAGE FERRO, inquit, REM REPETUNT. Quòd ſi ita eſt, cedat, opinor, Sulpici, forum caſtris, otium mali-

[f] *tibicines.* [g] [*velut delapſos*] *pervenire.* [h] *ordinatis.* [i] *auferuntur.*

36. *Multo hoc maluiſſe.*] Ut eloquentes fierent.

37. *Iſtuc potiſſimum.*] Quod fieri oratores non poſſunt, fiunt juriſconſulti.

42. *Salubritas.*] Salubre id dicitur, quod ſalutem aut ſanitatem affert. A juriſconſultis petitur quidem in rebus capitalibus conſilium, quod reo periclitanti abſolutionem afferat, ſed ab oratoribus dicendo ſalus affertur, dum efficiunt ut reus abſolvatur.

50. *Pacis ornamenta.*] Leges, judicia, religio, concordia civium, &c. pacis ornamenta dicuntur, quia tunc potiſſimum florent.

55. *Bellicum canere.*] Bellicum, ut auctor eſt Servius, nomen eſt ſoni ad dandum tubâ pugnæ ſignum.

56. *Ingenioſus Poëta.*] Ennius ingenioſus eſt ille Poëta, qui anno 515. urbis conditæ natus, & 585. mortuus eſt; cujus à Gellio, lib. 20. cap. 10. referuntur verſus:

Pellitur è medio ſapientia, vi geritur res.
Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Haud doctis dictis certantes, ſed maledictis,
Miſcent inter ſeſe inimicitias agitantes.
Non ex jure manu conſertum, ſed mage ferro
Rem repetunt, regnumque petunt, vadunt ſolida vi.

tiæ,

tiæ, ſtilus gladio, umbra ſoli: ſit denique in civitate ea prima res, propter quam ipſa eſt civitas omnium princeps. 65

VIII. Verum hæc, Cato, nimium nos noſtris verbis magna, facere demonſtrat, & oblitos eſſe, bellum illud omne Mithridaticum cum mulierculis eſſe geſtum; quod ego longe ſecùs exiſtimo, Judices; deque eo pauca diſſeram; neque enim cauſa in hoc continetur. Nam ſi omnia bella, quæ cum Græcis geſſimus, contemnenda ſunt: derideatur de rege Pyrrho triumphus M. Curii: de Philippo, T. Flaminii: de Ætolis, M. Fulvii: de rege Perſe, L. Paulli: de Pſeudophilippo, Q. Metelli: de Corinthiis, L. Mummii: ſin hæc bella graviſſima, victoriæque eorum bellorum graviſſimæ fuerunt; cur Aſiaticæ nationes, atque ille à te hoſtis contemnitur? Atqui ex veterum rerum monumentis, vel maximum bellum populum Roman. cum Antiocho geſſiſſe video: cujus belli victor L. Scipio, parta cum Publio fratre gloria, quam laudem ille, Africa oppreſſa, cognomine ipſo præ ſe ferebat, eandem hic ſibi ex Aſiæ nomine aſſumpſit. Quo quidem in bello virtus enituit egregia M. Catonis, proavi tui. Quo ille, cum eſſet, ut ego mihi ſtatuo, talis, qualem te eſſe video, nunquam cum Scipione eſſet profectus, ſi cum mulierculis bellandum eſſe arbitraretur. Neque vero cum P. Africano Senatus egiſſet, ut legatus fratri proficiſceretur, cum ipſe paulo ante 1 5 10 15 20

7. *M. Curii.*] M. Curius de Pyrrho triumphavit, cum iterum ille ex Sicilia in Italiam rediret, ex qua prorſus eum expulit. Vide Livium, lib. 14.

Ib. *De Philippo, T. Flaminii.*] Poſt bellum Punicum ſecundum Philippus Rex Macedoniæ bellum cum pop. Rom. renovavit, quod à T. Flaminio confectum eſt. Vide Livium, lib. 32. & duobus ſequentibus.

Ib. *De Ætolis.*] Fulvius Nobilior Conſul ſubactis Ambracienſibus Ætolos vicit, & Reipub. pacem dedit; ob idque triumphavit.

8. *De Rege Perſe.*] Perſes ille Philippi regis Macedoniæ filius à Paullo victus, & captus eſt cum filiis, qui ante ejus currum per triumphum ducti ſunt.

Ib. *Pſeudophilippo.*] Pſeudophilippus primum Andriſcus appellatus eſt, & ſe filium Perſei finxit. Hic occupata Macedonia à Q. Cæcilio Metello victus eſt, & captus, Liv. lib. 49 & 50.

Ib. *De Corinthiis.*] Vide Orat. pro Lege Manil. Paragr. iv. l. 41.

12. *Cum Antiocho.*] Antiochus pacis conditionibus à pop. Rom. coactus eſt ab Europa abſtinere, & omni Aſia, quæ cis Taurum montem eſt decedere. Vide Liv. lib. 35, 36, 37, & 38.

13. *L. Scipio.*] L. qui Aſiaticus nominatus eſt.

Ib. *Cum Publio fratre.*] Is eſt Pub. Scipio Africanus major, qui fratri Conſuli legatus profectus eſt in Aſiam, ad bellum Antiochi.

14. *Cognomine ipſo.*] Lucius ille Scipio primus omnium imperatorum devictæ à ſe nationis nomine inſignitus eſt.

16. *M. Catonis.*] M. Cato in Bello Antiochi cum duobus millibus militum miſſus ab imperatore ſuo Flaminio Callidromum unum ex Thermopylarum jugis occupavit. Vide Livium, lib. 36.

Ib. *Proavi tui.*] Cato minor pronepos fuit Majoris, ut refert Gell. lib. 13. cap. 19.

19. *Cum P. Africano.*] Libro 37. Livius narrat contentionem fuiſſe inter L. Scipionem & C. Lælium Conſules de Græcia, quam uterque ſibi decerni poſtulabat bellum gerendi cauſa cum Antiocho. Verum cum Pub. Scipio Africanus dixiſſet, ſi Lucio fratri ſuo daretur illa, ſe legatum cum illo profecturum; hæc vox magno aſſenſu audita, certamen omne ſuſtulit.

Hanni-

Hannibale ex Italia expulſo, ex Africa ejecto, Carthagine oppreſſa, maximis periculis remp. liberaviſſet, niſi illud grave bellum, & vehemens putaretur. Atqui, ſi diligenter, quid Mithridates potuerit, & quid effecerit, & qui vir fuerit, conſidera-
25 ris; omnibus regibus, quibuſcum populus Rom. bellum geſſit, hunc regem nimirum antepones. Quem L. Sylla maximo & fortiſſimo exercitu, pugna excitatum, non rudis imperator, ut aliud nihil dicam, eum bello invectum totam in Aſiam, cum pace dimiſit: quem L. Muræna, pater hujuſce, vehementiſſime vigilantiſ-
30 ſimeque vexatum, repreſſum maxima ex parte, non oppreſſum reliquit: qui rex, ſibi aliquot annis ſumptis ad confirmandas rationes & copias belli, tantum ipſe opibus conatuque invaluit, ut ſe Oceanum cum Ponto, Sertorii copias cum ſuis conjuncturum putaret. Ad quod bellum duobus conſulibus ita miſſis, ut alter
35 Mithridatem perſequeretur, alter Bithyniam tueretur; alterius res & terra & mari calamitoſæ, vehementer & opes regis & nomen auxerunt: L Luculli verò res tantæ exſtiterunt, ut neque majus bellum commemorari poſſit, neque majore conſilio, & virtute geſtum. Nam cùm totius impetus belli ad Cyzicenorum mœnia
40 conſtitiſſet, eamque urbem ſibi Mithridates Aſiæ januam fore putaviſſet, qua effracta & revulſa, tota pateret provincia; perfecta ab Lucullo hæc ſunt omnia, ut urbs fideliſſimorum ſociorum defenderetur, & omnes copiæ regis diuturnitate obſidionis conſumerentur. Quid? illam pugnam navalem ad Tenedum,
45 cùm contento curſu, acerrimis ducibus, hoſtium claſſis Itali-

21. *Hannibale ex Italia expulſo.*] Hannibal primum ad Nolam à Marcello victus eſt, poſtea à Sempronio Graccho magna ſuorum clade repulſus, navali pugna ad Eumenem victus venit. Deinde Carthaginem rediit, ut eam à P. Scipione obſeſſam liberaret, ubi toto ejus fere deleto exercitu victus eſt.

23. *Atqui, ſi diligenter.*] Poſtquam Cicero Aſiaticorum bellorum magnitudinem declaravit, jam oſtendit belli cum Mithridate geſti gravitatem, quæ quidem ex ipſius Mithridatis potentia, rebus geſtis, & auctoritate plane ſumma fuiſſe intelligitur. His enim conſideratis facile conjicere licet Mithridatem omnibus regibus, quibuſcum pop. Rom. bellum geſſit, anteponendum eſſe.

26. *Quem L. Sylla.*] De his omnibus quæ geſta ſunt in Aſia tum à L. Sylla, tum ab aliis imperatoribus cum Mithridate, fuſe jam diximus in Oratione pro Lege Manilia, quæ facile repetet lector.

33. *Oceanum.*] Elate dicit conjuncturum Oceanum cum Ponto, ut oſtendat, ſuas copias conjungere voluiſſe cum Sertorianis, quæ erant in Hiſpania, quæ ex maxima parte Oceano alluitur.

Ib. *Sertorii copias.*] Cum Sertorius Syllanis temporibus proſcriptus fuiſſet, bellum ingens in Hiſpania ulteriore excitavit, quod non tam virtute, quam fraude, eo interfecto, Romani abſolverunt. Vide Orat. pro Lege Manil. Paragr. iv. l. 25.

34. *Conſulibus.*] L. Lucullus & M. Aurelius Cotta, Urbis conditæ anno 679. fuere Conſules.

35. *Alterius res.*] Aurelius Cotta à Mithridate, irruptione facta in Bithyniam, ſuperatus eſt.

39. *Cyzicenorum.*] Urbem Cyzicenorum cum obſeſſam teneret Mithridates, à Lucullo liberata eſt.

44. *Ad Tenedum.*] Tenedos inſula eſt in mari Ægæo extra Helleſpontum, Sigæo littori adjacens. Hic Mithridates pugna navali à Lucullo victus eſt.

am ſpe atque animis inflata, peteret; mediocri certamine, & parva dimicatione commiſſam arbitraris? Mitto prælia: prætereo oppugnationes oppidorum: expulſus regno tandem aliquando, tantum tamen conſilio atque auctoritate valuit, ut ſe, rege Armeniorum adjuncto, novis opibus copiiſque renovârit. Ac ſi mihi hunc de rebus geſtis eſſet noſtri exercitûs imperatoriſque dicendum, plurima & maxima prælia commemorare poſſem. Sed non id agimus: hoc dico; ſi bellum hoc, ſi hic hoſtis, ſi ille rex contemnendus fuiſſet; neque tanta cura Senatus & populus Rom. ſuſcipiendum putaſſet, neque tot annos geſſiſſet, neque tanta gloria L. Luculli, neque vero ejus belli conficiendi curam tanto ſtudio populus Romanus ad Cn. Pompeium detuliſſet: cujus ex omnibus pugnis, quæ ſunt innumerabiles, vel accerrima mihi videtur illa, quæ cum rege commiſſa eſt, & ſumma [a] contentione pugnata. Qua ex pugna cùm ſe ille eripuiſſet, & Boſporum confugiſſet, quò exercitus adire non poſſet, etiam in extrema fortuna & fuga, nomen tamen retinuit regium. Itaque ipſe Pompeius, regno poſſeſſo, ex omnibus oris, ac notis ſedibus hoſte pulſo, tamen tantum in unius [b] anima poſuit, ut, cùm omnia, quæ ille tenuerat, adierat, ſperarat, victoria poſſideret; tamen non ante, quàm illum vitâ [c] expulit, bellum confectum judicarit. Hunc tu hoſtem, Cato, contemnis, quocum per tot annos, tot prælliis, tot imperatores bella geſſerunt? cujus expulſi & ejecti vita tanti æſtimata eſt, ut, morte ejus nunciata, tum denique bellum confectum arbitraretur? Hoc igitur in bello L. Murænam legatum fortiſſimi animi, ſummi conſilii, maximi laboris cognitum eſſe defendimus: & hanc ejus operam non minùs ad conſulatum

[a] *ſummo labore.* [b] *vita.* [c] *coëgit mori.*

49. *Rege Armeniorum.*] Tigranes genet fuit Mithridatis & rex Armeniæ, qui noluerat ſocietatem inire cum ſocero, ne ſuis viribus auctus nimium creſceret, at afflicto adfuit.

58. *Quæ ſunt innumerabiles.*] Plinius lib. 7. cap. 26. dicit, Pompeium æquaſſe non modò Alexandri magni rerum fulgorem, ſed etiam Herculis prope ac Liberi patris.

60. *Boſporum.*] Boſporus eſt anguſtum fretum, per quod Mæotis Palus in Pontum influit, appellaturque Cimmerius ad diſtinctionem Thracii ad Chalcedonem & Byzantium. Boſporus autem à bovis meabili tranſitu nominatus eſt. *Boſporus* etiam urbis nomen eſt in Thracio littore, ubi mare non excedit latitudine ſua ſpatium quingentorum paſſuum.

66. *Vita expulit.*] Sic de Mithridatis morte ſcribit Appianus: *Extrema fortuna exagitatus Mithridates venenum temperavit, quod in gladii capulo aſſidue gerebat; eo autem extingui non potuit, & quod continuo ambulabat, & quod medicaminibus ad prohibenda venena aſſuetus erat, quæ ab eo hac quoque ætate, Mithridatica appellantur; fortem igitur & ſtrenuum Celtarum ducem Bithium rogat, ut illam poſtremam ſibi præſtet operam, ut ſe interfi.eret, ne vivus in manus Romanorum veniens, ad triumphum ſervaretur; illacrymans Celta Mithridatem gladio necavit.*

68. *Tot imperatores.*] Ad illud bellum imperatores profecti ſunt L. Sylla, L. Murræna hujus pater, L. Lucullus, & Cn. Pompeius.

adipiſcendum, quàm hanc noſtram forenſem induſtriam dignitatis habuiſſe.

IX. At enim in Prætura petitione prior renunciatus eſt Servius. Pergitiſne vos, tanquam ex ſyngrapha, agere cum populo, ut quem locum ſemel honoris cuipiam dederit, eundem reliquis honoribus debeat? Quod enim fretum, quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æſtus habet ratio comitiorum? Dies intermiſſus unus, aut nox interpoſita ſæpe perturbat omnia: & totam opinionem parva nonnunquam commutat aura rumoris. Sæpe etiam ſine ulla aperta cauſa fit aliud atque exiſtimamus, ut nonnunquam ita factum eſſe etiam populus admiretur; quaſi verò non ipſe fecerit. Nihil eſt incertius vulgo, nihil obſcurius voluntate hominum, nihil fallacius ratione tota comitiorum. Quis L. Philippum ſummo ingenio, opibus, gratia, nobilitate, à M. Herennio ſuperari poſſe arbitratus eſt? quis Q. Catulum humanitate, ſapientia, integritate antecellentem, à Cn. Manlio? quis M. Scaurum hominem graviſſimum, civem egregium, fortiſſimum Senatorem, à Q. Maximo? non modo horum nihil ita fore putatum eſt, ſed ne cum eſſet factum quidem, quare ita factum eſſet, intelligi potuit. Nam ut tempeſtates ſæpe certo aliquo cœli ſigno commoventur, ſæpe improviſo nulla ex certa ratione, obſcura aliqua ex cauſa excitantur: ſic in hac comitiorum tempeſtate populari, ſæpe intelligas, quo ſigno commota ſit; ſæpe ita obſcura eſt, ut caſu excitata eſſe videatur. Sed tamen, ſi eſt reddenda ratio, duæ res vehementer in prætura deſideratæ ſunt,

1. *At enim in Præturæ petitione.*] Sulpicius ſe digniorem Conſulatu judicabat, quod Murænâ prior præturam obtinuerat. Id modo à Cicerone refutatur, 1. à populi inconſtantia, deinde ab exemplis.

2. *Ex ſyngrapha.*] Syngrapha eſt pacti vel promiſſi alicujus ſcripta confirmatio.

4. *Quod enim fretum.*] Fretum, teſte Varrone & Servio, à fervore æſtus maxini nomen accepit.

Ib. *Quem Euripum.*] Euripi dicebantur alvei magnifico opere aquas in morem fluviorum deducentes. Maxime tamen nobilis eſt Euripus inter Eubœam, & Bœotiam, qui Chalcidicus & Euboicus, & ſimpliciter *Euripus* nominatur; is, ut Pomponius Mela, lib. 11. cap. 7. auctor eſt, *Septies die atque ſeptiès nocte, fluctibus invicem verſis adeo immodice fluit, ut ventos etiam ac plenis velis navigia fruſtretur.* Strabo ſeptiès tantum viginti quatuor horarum ſpatio reciprocare vult.

13. *L. Philippum.*] De Philippo ſic Cicero in Bruto loquitur: *Eodem tempore M. Herennius, in mediocribus oratoribus, Latine & diligenter loquentibus numeratus eſt: qui tamen ſumma nobilitate hominum, cognatione, ſodalitate, collegio, ſumma etiam eloquentia L. Philippum in Conſulatûs petitione ſuperavit.* Fuit autem hic Philippus cum Sexto Julio Cæſare Conſul anno urbis conditæ 648. & Herennius cum L. Valerio Flacco 661.

14. *Q. Catulum.*] Manlius Maximus fuit Conſul cum Publio Rutilio anno urbis conditæ 648. Q. Catulus cum Mario nepote anno 652.

16. *M. Scaurum.*] Q. Maximus cum C. Licinio Geta Conſul fuit anno 638. & anno ſequenti cum M. Cæcilio, M. Scaurus, quem Cicero paſſim laudat, ac potiſſimum lib. Off. 1. ubi ſic de eo loquitur: *Mihi quidem neque pueris nobis M. Scaurus C. Mario, neque cum verſaremur in Repub. Q. Catulus Cn. Pompeio cedere videbatur.*

quæ

quæ ambæ in consulatu tum Murænæ profuerunt: una, expectatio muneris, quæ & rumore nonnullo, & studiis sermonibusque competitorum creverat: altera, quod ii, quos in provincia, ac legatione, omnis & liberalitatis & virtutis suæ testes habuerat, nondum decesserant. Horum utrumque ei fortuna ad consulatûs petitionem reservavit. Nam & L. Luculli exercitus, qui ad triumphum convenerat, idem comes L. Murænæ præstò fuit: & munus ampliſſimum, quod petitio Præturæ desiderabat, prætura restituit. Num tibi hæc parva videntur adjumenta & subsidia consulàtus? voluntas militum? quæ cùm per se valet multitudine, tum apud suos gratia; tum verò in consule declarando multum etiam apud universum populum Rom. auctoritatis habet suffragatio militaris: imperatores enim comitiis consularibus, non [a] verborum interpretes deliguntur. Quare gravis est illa oratio: Me saucium recreavit: me præda donavit: hoc duce castra cepimus, [b] signa contulimus: nunquam iste plus militi laboris imposuit, quam sibi sumpsit ipse; cùm fortis, tum etiam felix. Hoc quanti putas esse ad famam hominum, ac voluntatem? etenim si tanta illis comitiis religio est, ut adhuc semper omen valuerit prærogativum; quid mirum est, in hoc felicitatis famam sermonemque valuisse? Sed si hæc leviora ducis, quæ sunt graviſſima, & hanc urbanam suffragationem militari anteponis; noli ludorum hujus elegantiam, & scenæ magnificentiam valde contemnere, quæ huic admodum profuerunt. Nam quid ego dicam populum ac [c] vulgus imperitorum ludis magnopere delectari? minùs est mirandum: quanquam huic causæ satis est; sunt enim populi ac multitudinis comitia. Quare si populo ludorum magnificentia voluptati est, non

[a] *non juriſperiti.* [b] *commiſimus prælium.* [c] *imperitam multitudinem.*

25. *Expectatio muneris.*] Favit Murænæ ludorum expectatio; ut enim in honorem Apollinis munificentiſſimos in Prætura dederat, ita tales ab eo in Consulatu à plebe expectabantur, quæ virtutes ejus celebrabat.

28. *Legatione.*] Cum Lucullo legatus esset Muræna, multi ipsi favebant, virtutis ejus testes, qui nondum ab urbe in provinciam decesserant, à qua redierant, ut Luculli triumphum honestarent.

29. *Decesserant.*] Ex civitate Romana.

Ib. *Ad consulatûs petitionem reservavit.*] Tum ei exercitus Luculli, tum memoria ludorum quos exhibuerat in Prætura, profuerunt ad Consulatûs petitionem.

32. *Quod petitio Præturæ desiderabat, &c.*] Non ludos Muræna exhibuerat, cùm ab eo Prætura petebatur, vel cum Ædilis erat; hos autem dedit in Prætura.

38. *Gravis est illa oratio.*] Multam vim habet hæc oratio, quæ nempe ab unoquoque milite de suo duce habetur, & in qua multi commemorant quid ab eo obtinuerint, quid cum eo gesserint.

42. *Ac voluntatem:*] Ea enumerat quæ ad voluntatem sibi conciliandam militum potentiſſima sunt, quæ de Sulpicio dici non possunt.

43. *Omen prærogativum.*] Centuriæ prærogativæ dicebantur, quæ sorte eductæ primum rogabantur; eæque velut omen comitiorum fuerunt, quia sæpe reliquæ primarum suffragia sequebantur.

47. *Et scenæ magnificentiam.*] Scenam illam quam paulo post argenteam fuisse dicet; cujus etiam meminit Plinius, lib. 33. cap. 3.

eſt mirandum, eam L. Muræn æ apud populum profuiſſe. Sed ſi noſmetipſi, qui & ab delectatione omni negotiis impedimur, & in ipſa occupatione delectationes alias multas habere poſſumus, ludis tamen oblectamur & ducimur; quid tu admirere de multitudine indocta? L. Otho, vir fortis, meus neceſſarius, equeſtri ordini reſtituit, non ſolùm dignitatem, ſed etiam voluptatem; itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, eſt omnium graviſſima; quòd honeſtiſſimo ordini cum ſplendore fructus quoque jucunditatis eſt reſtitutus. Quare delectant homines, mihi crede, ludi, etiam illos qui diſſimulant, non ſolùm eos qui fatentur: quod ego in mea petitione ſenſi: nam nos quoque habuimus ſcenam competitricem. Quod ſi ego, qui trinos ludos ædilis feceram, tamen Antonii ludis commovebar; tibi, qui caſu nullos feceras, nihil hujus iſtam ipſam, quam irrides, argenteam ſcenam adverſatam putas? Sed hæc ſane ſint paria omnia: ſit par forenſis opera militari; ſit par militari ſuffragatio urbana: ſit idem, magnificentiſſimos & nullos unquam feciſſe ludos: quid? in ipſa prætura nihilne exiſtimas inter tuam & iſtius ſortem interfuiſſe? hujus ſors ea fuit, quam omnes tui neceſſarii tibi optabamus, juris dicundi: in qua gloriam conciliat magnitudo negotii, gratiam æquitatis largitio: qua in ſorte ſapiens Prætor, qualis hic fuit, offenſionem vitat æquabilitate decernendi, benevolentiam adjungit lenitate audiendi. Egregia & ad conſulatum apta provincia: in qua laus æquitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum, ludorum voluptate concluditur. Quid tua ſors? triſtis, atrox, quæſtio peculatûs;

56. *L. Otho, vir fortis.*] L. Roſcius Otho Tribunus plebis legem tulit, ut apud Aſconium legitur, ut equitibus Romanis in Theatro quatuordecim gradu proximi aſſignarentur; quo facto odium multitudinis in eum concitatum eſt, quod Cicero Conſul reſtinxit habita concione ac pop. in templo Bellonæ: eadem lege Roſcia decoctoribus certus locus in Theatro conſtitutus eſt, ut dicitur in Phil. 2.

62. *Scenam competitricem.*] Significat Cicero habuiſſe ſe in petitione Conſulâtûs competitores, qui ludos populo dederant, adeo ut ſcena illa petere pro eis Conſulatum videretur. Scena autem locus erat in Theatro, ubi hiſtriones & actores agebant.

63. *Trinos ludos.*] Trinos ludos Cicero exhibuit populo, cum Ædilis erat.

Ib. *Antonii ludis.*] Ludos fecit Antonius cum Ædilitate fungeretur, cujus in petitione Conſulatûs competitor fuit; hoc autem dediſſe in ſcena argentea refert Plinius, lib. 33 cap. 3. quod & de Muræna etiam commemoratur, qui ſcenam exhibuit, in qua fuere argenti pondo centum viginti quatuor.

66. *Sed hæc ſint.*] Tranſit ad comparationem Prætur æ, eamque ita tractat, ut ſi forte priora non ejuſmodi eſſe videantur, quæ tantum honorem præ Sulpicio Muræn æ conciliare deberent, ipſa tamen Prætura facile ad hoc faſtigium extulerit; eſtque in hoc conceſſio quædam, de illis omnibus, quæ valde probare ſtuduit.

70. *Juris dicundi.*] Inter Prætores alii præerant in urbe cauſis privatis, alii publicis, alii civilibus, alii criminoſis. Muræna ſortitus eſt cauſas privatas, Sulpicius publicas; ait autem Cicero quod Sulpicio, utpote Juriſconſulto, omnes ſortem Muræn æ, id eſt, privatis cauſis præeſſe præviſſent.

71. *Gratiam æquitatis largitio.*] Sæpe quod jus negat, æquitas largitur.

76. *Quæſtio peculatûs.*] Quæſtio peculatus judicium publicum eſt de peculatu, hoc eſt, de furto publicæ vel ſacræ pecuniæ; his commemorat omnia incom-

tûs; ex altera parte lacrymarum & ſqualoris, ex altera plena catenarum atque indicum: cogendi judices inviti, retinendi contra voluntatem: ſcriba damnatus, ordo totus alienus: Syllana gratificatio reprehenſa: multi viri fortes, & prope pars civitatis offenſa eſt: lites ſeverè æſtimatæ: cui placet, obliviſcitur: cui dolet, meminit. Poſtremo tu in provinciam ire noluiſti; non poſſum id in te reprehendere, quod in me ipſo & Prætor & Conſul probavi; ſed tamen L. Muræna provincia multas bonas gratias cum optima exiſtimatione attulit: habuit proficiſcens delectum in Umbria: dedit ei facultatem reſpub. liberalitatis; qua uſus, multas ſibi tribus, quæ municipiis Umbriæ conficiuntur, adjunxit; ipſe autem in Gallia, ut noſtri homines deſperatas jam pecunias exigerent, æquitate diligentiaque perfecit. Tu interea Romæ ſcilicet amicis præſtò fuiſti; fateor: ſed tamen illud cogita, nonnullorum amicorum ſtudia minui ſolere in eos, à quibus provincias contemni intelligant. Et quoniam oſtendi, Judices, parem dignitatem ad conſulatûs petitionem, diſparem fortunam provincialium negotiorum in Muræna, atque in Sulpicio fuiſſe; dicam jam apertius, in quo meus neceſſarius fuerit inferior Servius: & ea dicam, vobis audientibus, amiſſo jam tempore, quæ ipſi ſoli, re integra, ſæpe dixi.

X. Petere conſulatum neſcire te, Servi, perſæpe dixi: & in iis rebus ipſis, quas te magno & forti animo, & agere, & dicere videbam, tibi ſolitus ſum dicere, magis te fortem Senatorem mihi videri, quàm ſapientem candidatum. Primùm accuſandi terrores &

incommoda, quæ ex judiciis publicis Prætori obvenire poſſunt.

77. *Squaloris.*] Rei in judicium veniebant mutata veſte, barba, capilloque neglecto, ad miſerationem erga ſe judicum excitandam.

Ib. *Plena catenarum.*] Oratorie dicit catenas pro vinculis & carcere, quibus rei mancipantur.

78. *Cogendi judices inviti.*] Ex Decuria judicum ea, cujus erant quoiibet tempore judicandi vices, etiam contra voluntatem ſuam judices citabantur à Prætore, & ex iis poſt ſortitionem ſubſortitionemque factam, ſelecti jurabant in legem, & referebantur in libellum publicum, ne quis corruptus ſupponi poſſet. Hi poſtea religione obſtricti ſententiam ferre de civibus cogebantur.

79. *Scriba damnatus.*] Si quis ſcriba damnatus eſt, totum ordinem ſibi infenſum habet Prætor. Certe Sulpicius, unum ſcribam peculatûs damnaverat, indeque factus eſt, ut in Comitiis omnes ſcribæ contra Sulpicium Muræna faverint.

79. *Syllana gratificatio reprehenſa.*] Sylla victor multas largitiones de bonis proſcriptorum fecerat, eo mortuo plures eorum, qui hæc bona acceperant, repetundarum accuſati, & damnati ſunt.

81. *Lites æſtimatæ.*] Æſtimatio litis eſt, cum quantum ſolvere, aut quid ſufferre damnatum oporteat, ſtatuitur.

84. *Muræna provincia.*] Galliæ Tranſalpinæ ſortitione poſt præturam præpoſitus eſt.

85. *Habuit delectum.*] Militum.

86. *Ut Umbria.*] Umbri antiquiſſimi totius Italiæ populi habiti ſunt: quos ab Umbris Græciæ populis profectos eſſe putant, quod in inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent; ὄμβρος enim pluvia, ὄμβριος pluvialis eſt. Vide Plin. lib. 3. cap. 14.

88. *Noſtri homines.*] Publicanos dicit, qui in Gallia negotiantur.

4. *Primùm accuſandi terrores.*] Profert cauſas Cicero cur Sulpicio antepoſitus fuerat Muræna: prima ejus fuit accuſandi conſuetudo, quæ hominum benevolentiam avertit.

eſt mirandum, eam L. Murænæ apud populum profuiſſe. Sed ſi noſmetipſi, qui & ab delectatione omni negotiis impedimur, & in ipſa occupatione delectationes alias multas habere poſſumus, ludis tamen oblectamur & ducimur; quid tu admirere de multitudine indocta? L. Otho, vir fortis, meus neceſſarius, equeſtri ordini reſtituit, non ſolùm dignitatem, ſed etiam voluptatem; itaque lex hæc, quæ ad ludos pertinet, eſt omnium graviſſima; quòd honeſtiſſimo ordini cum ſplendore fructus quoque jucunditatis eſt reſtitutus. Quare delectant homines, mihi crede, ludi, etiam illos qui diſſimulant, non ſolùm eos qui fatentur: quod ego in mea petitione ſenſi: nam nos quoque habuimus ſcenam competitricem. Quod ſi ego, qui trinos ludos ædilis feceram, tamen Antonii ludis commovebar; tibi, qui caſu nullos feceras, nihil hujus iſtam ipſam, quam irrides, argenteam ſcenam adverſatam putas? Sed hæc ſane ſint paria omnia: ſit par forenſis opera militari; ſit par militari ſuffragatio urbana: ſit idem, magnificentiſſimos & nullos unquam feciſſe ludos: quid? in ipſa prætura nihilne exiſtimas inter tuam & iſtius ſortem interfuiſſe? hujus ſors ea fuit, quam omnes tui neceſſarii tibi optabamus, juris dicundi: in qua gloriam conciliat magnitudo negotii, gratiam æquitatis largitio: qua in ſorte ſapiens Prætor, qualis hic fuit, offenſionem vitat æquabilitate decernendi, benevolentiam adjungit lenitate audiendi. Egregia & ad conſulatum apta provincia: in qua laus æquitatis, integritatis, facilitatis, ad extremum, ludorum voluptate concluditur. Quid tua ſors? triſtis, atrox, quæſtio peculatûs;

56. *L. Otho, vir fortis.*] L. Roſcius Otho Tribunus plebis legem tulit, ut apud Aſconium legitur, ut equitibus Romanis in Theatro quatuordecim gradu proximi aſſignarentur; quo facto odium multitudinis in eum concitatum eſt, quod Cicero Conſul reſtinxit habita concione ad pop. in templo Bellonæ: eadem lege Roſcia decoctoribus certus locus in Theatro conſtitutus eſt, ut dicitur in Phil. 2.

62. *Scenam competitricem.*] Significat Cicero habuiſſe ſe in petitione Conſulâs competitores, qui ludos populo dederant, adeo ut ſcena illa petere pro eis Conſulatum videretur. Scena autem locus erat in Theatro, ubi hiſtriones & actores agebant.

63. *Trinos ludos.*] Trinos ludos Cicero exhibuit populo, cum Ædilis erat.

Ib. *Antonii ludis.*] Ludos fecit Antonius cum Ædilitate fungeretur, cujus in petitione Conſulatûs competitor fuit; hoc autem dediſſe in ſcena argentea refert Plinius, lib. 33 cap. 3. quod & de Murænæ etiam commemoratur, qui ſcenam exhibuit, in qua fuere argenti pondo centum viginti quatuor.

66. *Sed hæc ſint.*] Tranſit ad comparationem Prætura, eamque ita tractat, ut ſi forte priora non ejuſmodi eſſe videantur, quæ tantum honorem præ Sulpicio Murænæ conciliare deberent, ipſa tamen Prætura facile ad hoc faſtigium extulerit; eſtque in hoc conceſſio quædam, de illis omnibus, quæ valde probare ſtuduit.

70. *Juris dicundi.*] Inter Prætores alii præerant in urbe cauſis privatis, alii publicis, alii civilibus, alii criminoſis. Murænæ ſortitus eſt cauſas privatas, Sulpicius publicas; ait autem Cicero quod Sulpicio, utpote Juriſconſulto, omnes ſortem Murænæ, id eſt, privatis cauſis præeſſe optaviſſent.

71. *Gratiam æquitatis largitio.*] Sæpe quod jus negat, æquitas largitur.

76. *Quæſtio peculatûs.*] Quæſtio peculatus judicium publicum eſt de peculatu, hoc eſt, de furto publicæ vel ſacræ pecuniæ; his commemorat omnia incom-

tûs; ex altera parte lacrymarum & ſqualoris, ex altera plena catenarum atque indicum: cogendi judices inviti, retinendi contra voluntatem: ſcriba damnatus, ordo totus alienus: Syllana gratificatio reprehenſa: multi viri fortes, & prope pars civitatis offenſa eſt: lites ſeverè æſtimatæ: cui placet, obliviſcitur: cui dolet, meminit. Poſtremo tu in provinciam ire noluiſti; non poſſum id in te reprehendere, quod in me ipſo & Prætor & Conſul probavi; ſed tamen L. Murænæ provincia multas bonas gratias cum optima exiſtimatione attulit: habuit proficiſcens delectum in Umbria: dedit ei facultatem reſpub. liberalitatis; qua uſus, multas ſibi tribus, quæ municipiis Umbriæ conficiuntur, adjunxit; ipſe autem in Gallia, ut noſtri homines deſperatas jam pecunias exigerent, æquitate diligentiaque perfecit. Tu interea Romæ ſcilicet amicis præſtò fuiſti; fateor: ſed tamen illud cogita, nonnullorum amicorum ſtudia minui ſolere in eos, à quibus provincias contemni intelligant. Et quoniam oſtendi, Judices, parem dignitatem ad conſulatûs petitionem, diſparem fortunam provincialium negotiorum in Muræna, atque in Sulpicio fuiſſe; dicam jam apertius, in quo meus neceſſarius fuerit inferior Servius: & ea dicam, vobis audientibus, amiſſo jam tempore, quæ ipſi ſoli, re integra, ſæpe dixi.

X. Petere conſulatum neſcire te, Servi, perſæpe dixi: & in iis rebus ipſis, quas te magno & forti animo, & agere, & dicere videbam, tibi ſolitus ſum dicere, magis te fortem Senatorem mihi videri, quàm ſapientem candidatum. Primùm accuſandi terrores &

incommoda, quæ ex judiciis publicis Prætori obvenire poſſunt.

77. *Squaloris.*] Rei in judicium veniebant mutata veſte, barba, capilloque neglecto, ad miſerationem erga ſe judicum excitandam.

Ib. *Plena catenarum.*] Oratorie dicit catenas pro vinculis & carcere, quibus rei mancipantur.

78. *Cogendi judices inviti.*] Ex Decuria judicum ea, cujus erant quolibet tempore judicandi vices, etiam contra voluntatem ſuam judices citabantur à Prætore, & ex iis poſt ſortitionem ſubſortitionemque factam, ſelecti jurabant in legem, & referebantur in libellum publicum, ne quis corruptus ſupponi poſſet. Hi poſtea religione obſtricti ſententiam ferre de civibus cogebantur.

79. *Scriba damnatus.*] Si quis ſcriba damnatus eſt, totum ordinem ſibi infenſum habet Prætor. Certe Sulpicius, unum ſcribam peculatûs damnaverat, indeque factus eſt, ut in Comitiis omnes ſcribæ contra Sulpicium Murænæ faverint.

79. *Syllana gratificatio reprehenſa.*] Sylla victor multas largitiones de bonis proſcriptorum fecerat, eo mortuo plures eorum, qui hæc bona acceperant, repetundarum accuſati, & damnati ſunt.

81. *Lites æſtimatæ.*] Æſtimatio litis eſt, cum quantum ſolvere, aut quid ſufferre damnatum oporteat, ſtatuitur.

84. *Muræna provincia.*] Galliæ Tranſalpinæ ſortitione poſt præturam præpoſitus eſt.

85. *Habuit delectum.*] Militum.

86. *Ut Umbria.*] Umbri antiquiſſimi totius Italiæ populi habiti ſunt: quos ab Umbris Græciæ populis profectos eſſe putant, quod in inundatione terrarum imbribus ſuperfuiſſent; ὄμβρος enim pluvia, ὄμβριος pluvialis eſt. Vide Plin. lib. 3. cap. 14.

88. *Noſtri homines.*] Publicanos dicit, qui in Gallia negotiantur.

4. *Primùm accuſandi terrores.*] Profert cauſas Cicero cur Sulpicio antepoſitus fuerat Muræna: prima ejus fuit accuſandi conſuetudo, quæ hominum benevolentiam avertit.

minæ, quibus tu quotidie uti ſolebas, ſunt fortis viri; ſed & populi opinionem à ſpe adipiſcendi avertunt, & amicorum ſtudia debilitant; neſcio quo pacto ſemper hoc fit: neque in uno, aut altero animadverſum eſt, ſed jam in pluribus: ſimul atque candidatus accuſationem meditari viſus eſt, ut honorem deſperaſſe videatur. Quid ergo? acceptam injuriam perſequi non placet? immo vehementer placet: ſed aliud tempus eſt petendi, aliud perſequendi; petitorem ego, præſertim conſulatûs, magna ſpe, magno animo, [a] magnis copiis in forum & in campum deduci volo; non placet mihi inquiſitio candidati, prænuncia repulſæ: non teſtium potius, quàm ſuffragatorum comparatio: non minæ magis, quàm blanditiæ: non declamatio potius, quàm perſalutatio: præſertim cùm jam hoc novo more omnes fere domos omnium concurſent, & ex vultu candidatorum conjecturam faciant, quantum quiſque [b] animi & facultatis habere videatur. Videſne tu illum triſtem, demiſſum? jacet, diffidit, abjecit haſtas. Serpit hic rumor: ſcis tu illum accuſationem cogitare? inquirere in competitores? teſtes quærere? alium faciam, quoniam ſibi hic ipſe deſperat. Ejuſmodi candidatorum amici intimi debilitantur, ſtudia deponunt, aut teſtatam rem abjiciunt, aut ſuam operam & gratiam judicio & accuſationi reſervant. Accedit eodem, ut etiam ipſe candidatus totum animum atque omnem curam,

[a] *magno comitatu.* [b] *fiduciæ.*

11. *Tempus petendi, &c.*] Non debet accuſare qui ad magiſtratum aliquem aſpirat, ſed in aliud tempus accuſationem differre.

13. *In campum.*] Qui candidatus eſt Conſulatûs, debet magna hominum multitudine ſtipari, cum in forum, aut in campum Martium, ad comitia venit; hinc enim patet populi in eum benevolentia, penes quem eſt decernere Magiſtratus.

14. *Inquiſitio candidati.*] Inquiſitio dicitur de teſtibus, qui comparantur ab accuſatore contra reum. Odioſum autem eſt candidato contra ſuos competitores teſtes ejuſmodi quærere.

15. *Non minæ magis, &c.*] Profert res multas, quæ candidatis nocent, quales ſunt minæ, quæ offendunt animos; blanditiæ, quæ ſuſpectum hominem reddunt; declamatio, qua quis ſe comparat contra competitorem ad dicendum: affidua enim meditatione quæ dicturi erant in foro præparabant: ſalutatio denique, quæ cum nimia videretur, facile in ſuſpicionem ambitûs veniebant.

17. *Novo more.*] Priſcis temporibus non hæc invaluerat conſuetudo, ut domos petituri Magiſtratus concurſarent, ſed ſeſe populi judicio ſua ſola virtute freti permittebant. Sed hunc morem mutavit ambitio.

19. *Videſne illum triſtem.*] Proſopopœiam elegantem ſubjicit, per quam exhibet judicium, quod ab unoquoque fit de candidatis ex eorum vultu.

20. *Abjecit haſtas.*] Provinciali figura haſtas abjicere dicebantur, qui de dignitate obtinenda deſperabant, ſumpta metaphora à miſſitibus, qui metu perterriti vel à certamine fugiunt reflectis armis, aut victori ſe dedunt.

22. *Alium faciam.*] Cum populus videt hunc de Magiſtratu ſuo deſperantem, alium ſeligit.

23. *Ejuſmodi candidatorum.*] Jam aliam rationem, cur non electus ſit Sulpicius, affert, quia adverſis ab eo ſtudiis populi propter accuſationes, amicorum conatus debilitati ſunt, ſeque reſervarunt, ut ipſi præſtarent opem, ſi quem accuſaret.

25. *Accedit eodem.*] Tertiam ratio-

nem

curam, operam, diligentiamque ſuam in petitione non poſſit ponere. Adjungitur enim accuſationis cogitatio, non parva res, ſed nimirum omnium maxima. Magnum eſt enim te comparare ea, quibus poſſis hominem è civitate, præſertim non inopem, neque infirmum, exturbare: qui & per ſe, & per ſuos, & vero etiam per alienos defendatur; omnes enim ad pericula propulſanda concurrimus: & qui non aperte inimici ſumus, etiam alieniſſimis, in capitis periculis, amiciſſimorum officia & ſtudia præſtamus. Quare ego expertus & petendi, & defendendi, & accuſandi moleſtiam, ſic intellexi; in petendo ſtudium eſſe acerrimum, in defendendo officium, in accuſando laborem. Itaque ſic ſtatuo, fieri nullo modo poſſe, ut idem accuſationem, & petitionem conſulatus diligenter adornet atque inſtruat; unum ſuſtinere pauci poſſunt, utrumque nemo. Tu cum te de [c] curriculo petitionis deflexiſſes, animumque ad accuſandum tranſtuliſſes, exiſtimaſti te utrique negotio ſatisfacere poſſe? vehementer erraſti; quis enim dies fuit, poſteaquam [d] in iſtam accuſandi denunciationem ingreſſus es, quem tu non totum in iſta ratione conſumpſeris? Legem ambitûs flagitaſti, quæ tibi non deerat; erat enim ſeveriſſime ſcripta Calpurnia; [e] geſtus eſt mos & voluntati & dignitati tuæ. Sed tota illa lex accuſationem tuam, ſi haberes nocentem reum, fortaſſe armaſſet: petitioni vero [f] refragata eſt; pœna gravior in plebem tua voce efflagitata eſt; commoti animi tenuiorum; exilium in noſtrum ordinem: conceſſit Senatus poſtulationi tuæ; ſed non liben-

[c] *curſu.* [d] *ſuſcepiſſes accuſationem.* [e] *obeditum eſt.* [f] *nocuit.*

nem profert ab imminutione diligentiæ in petendo Conſulatu, quæ tanto major eſt, quanto difficilior acquiſitio.

29. *Comparare ea.*] Multis rebus opus eſt, ut quis accuſatione dejiciatur à Magiſtratu: oportet enim vero inquirere crimina, comparare teſtes, ſubſcriptores, advocatos, &c.

31. *Exturbare.*] Exturbare aliquem è civitate, eſt eum compellere in exilium: qui enim ſuæ cauſæ diffidebant, non expectato judicio, abibant in exilium.

34. *Quare ego expertus.*] Difficultatem in accuſando à perſona aſſumit.

40. *De curriculo.*] Oſtendit quod Sulpicius petitioni conſulatus, & accuſationi ſimul non poterit ſatisfacere.

45. *Scripta Calpurnia.*] Tulit C. Calpurnius Piſo Conſul cum M. Glabrione, anno urbis 686. ut ambitûs damnati, omnis honoris petitione prohiberentur, certaque pecunia multarentur. Sed cum hæc lex non ſatis Sulpicio gravis videretur, ipſo annitente Cicero aliam tulit, qua majores pœnas addidit; nempe ut Senatoribus ambitûs damnatis, aqua & igni ad annos decem interdiceretur.

46. *Tota illa lex.*] Objicit quidem Sulpicio, quod legem ambitûs habet, qua poſſit accuſare, ſed non habere nocentem reum; reus autem dicitur, qui defendit & propulſat actionem: nocens vero, qui objecti criminis convincitur.

48. *Petitioni vero refragata eſt.*] Hæc lex ambitûs, qua uti voluit Sulpicius ad accuſandum Murænam, contraria eſt petitioni conſulatûs.

Ib. *Pœna gravior.*] Exilio, quo damnabat ambitioſos, voluit Sulpicius ut multa pecuniaria adjiceretur; quare non mediocriter offenſi ſunt plebeii & viles homines.

49. *Exilium in noſtrum ordinem.*] Petii etiam, ut aliis pœnis adderetur exilium in Senatores.

ter duriorem fortunæ communi conditionem, te auctore, conſtituit. Morbi excuſationi pœna addita eſt: voluntas offenſa multorum, quibus aut contra valetudinis commodum laborandum eſt, aut incommodo morbi etiam cæteri vitæ fructus relinquendi; quid ergo? hæc quis tulit? is qui auctoritati Senatûs, voluntati tuæ paruit: denique is tulit, cui minime proderant. Quid? illa, quæ mea ſumma voluntate Senatus frequens repudiavit, mediocriter adverſata tibi eſſe exiſtimas? confuſionem ſuffragiorum flagitaſti, prorogationem legis Maniliæ, æquationem gratiæ, dignitatis, ſuffragiorum. Graviter homines honeſti, atque in ſuis civitatibus & municipiis gratioſi tulerunt, à tali viro eſſe pugnatum, ut omnes & dignitatis & gratiæ gradus tollerentur. Idem edititios judices eſſe voluiſti, ut odia occulta civium, quæ tacitis nunc diſcordiis continentur, in fortunas optimi cujuſque erumperent. Hæc omnia tibi accuſandi viam muniebant, adipiſcendi [g] obſepiebant. Atque ex omnibus [h] illa plaga eſt injecta petitioni tuæ, non tacente me, maxima: de qua ab homine ingenioſiſſimo & copioſiſſimo, Hortenſio, multa graviſſime dicta

[g] *occludebant.* [h] *me dicente tibi, id nocuit maxime tibi.*

51. *Duriorem fortunæ communi conditionem.*] Licet Calpurnia lege gravis pœna ſancita eſſet, tamen adhuc gravior huic adjecta eſt.

52. *Morbi excuſationi.*] Additum eſt legi, ut reis morbum excuſantibus pœna certa eſſet.

54. *Cæteri vitæ fructus.*] Grave quidem eſt morbo affligi, at quanto gravius eſt jure ſuffragii propter eundem morbum privari, & carere civitate?

55. *Is qui auctoritati Senatûs.*] Hæc quidem lex à Cicerone lata eſt; ſed hanc ſeveritatem excuſat à Senatûs auctoritate & voluntate Sulpicii, qui legem tam ſeveram ferri à Senatu obtinuit.

58. *Confuſionem ſuffragiorum.*] Confuſio ſuffragiorum eſt, cum in comitiis centuriatis non ſervatur ordo claſſium, nec centuriarum; ſed confuſe omnes ferunt ſuffragium; quinque enim in claſſes totus populus diſtributus erat, & claſſes in centurias. Prima claſſis hominum maximi cenſûs erat; ſecunda, ſecundi cenſûs; tertia, inferioris; quarta, minoris; quinta, omnium infimi. Porro omnes iſtæ claſſes centum nonaginta tres centurias efficiebant; in ferendis ſuffragiis primæ claſſis centuriæ vocabantur. Si autem in ea claſſe multis candidatis ſuffragarentur, ſecundæ claſſis centuriæ vocabantur; & ſic de tertiæ claſſis centuriis, quoad nonaginta ſeptem centuriæ quæ earum major pars eſt, alicui uni candidato fuiſſent ſuffragatæ. Poſtulabat Sulpicius ut totus ille ordo ferendorum ſuffragiorum confunderetur.

59. *Prorogationem legis Maniliæ.*] Petebat quoque Sulpicius, ut nova lege lex Manilia continuaretur, qua nempe Manilius Tribunus-plebis tulit, ut libertinis in omnibus tribubus jus ſuffragiorum eſſet.

Ib. *Æquationem gratiæ.*] His omnibus adjiciebat Sulpicius, ut non majorem gratioſi homines & principes civitatis, quam abjectiſſimi quique auctoritatem haberent, ſed tota ratio ſuffragiorum æquaretur.

61. *Et municipiis.*] Municipes & ruſtici in comitiis jus habebant ſuffragiorum.

63. *Edititios.*] Edititii judices dicuntur, quos una pars eligit.

65. *Hæc omnia.*] Hæc omnia, quæ hactenus commemorata ſunt, adjumento fuere Sulpicio, ut accuſaret; at impedimento ne conſul eligeretur.

68. *Hortenſio.*] Hortenſius & Craſſus priores dixere pro Murœna; ultimus verò Cicero. De Hortenſio jam ſæpe dictum: Craſſus verò inſignis fuit Ora-

tor

dicta ſunt: quo etiam mihi durior locus eſt dicendi datus: ut cum ante me & ille dixiſſet, & vir ſumma dignitate & diligentia, & facultate dicendi, M. Craſſus, ego in extremo non partem aliquam agerem cauſæ, ſed de tota re dicerem, quod mihi videretur. Itaque in iiſdem rebus fere verſor, &, [i] quod poſſum, Judices, occurro veſtræ ſatietati. Sed tamen, Servi, quam te ſecurim putas injeciſſe petitioni tuæ, cum tu populum Romanum in eum metum adduxiſti, ut pertimeſceret, ne conſul Catilina fieret, dum tu accuſationem comparares, depoſita atque abjecta petitione? Etenim te inquirere videbant triſtem ipſum: mœſtos amicos, obſervationes, teſtificationes, ſeductiones teſtium, ſeceſſionem ſubſcriptorum animadvertebant: quibus rebus certe ipſi candidatorum vultus obſcuriores videri ſolent: Catilinam interea alacrem atque lætum, ſtipatum [k] choro juventutis, vallatum indicibus atque ſicariis, inflatum cum ſpe militum, tum collegæ mei, quemadmodum dicebat ipſe, promiſſis, circumfluente colonorum Aretinorum & Feſulanorum exercitu; quam turbam diſſimillimo ex genere, diſtinguebant homines perculſi Syllani temporis calamitate. Vultus erat ipſius plenus furoris, oculi ſceleris, ſermo arrogantiæ, ſic ut ei jam exploratus, & domi conditus conſulatus videretur. Murænam contemnebat:

[i] *quantum poſſum præverto veſtrum tædium.* [k] *comitatu.*

tor Hortenſii æqualis, qui in principibus patronis aliquot annos fuit. Vide Cicer. in clar. Orat.

78. *Te inquirere videbant.*] Deſcribit Sulpicium meditantem & comparantem accuſationem contra Catilinam, dum uterque peteret conſulatum.

79. *Teſtificationes.*] Teſtificatio ſigna tum teſtimonium eſt, quod ab abſente miſſum eſt.

Ib. *Seductiones teſtium.*] Qui teſtes producturus erat, eos domum advocabat, ac variis percontationibus explorabat.

80. *Seceſſionem ſubſcriptorum.*] Subſcriptores dicebantur, qui accuſatori, qui rei nomen detulerat, ſubſcribebant; hi porro ſecedebant, ut meditarentur qua ratione Sulpicii accuſationem adjuvarent.

81. *Vultus obſcuriores.*] Ex vultu obſcuriori & triſtiori, non qualem debent habere candidati, qui bene ſperant, videbatur de conſulatu obtinendo deſperare.

Ib. *Catilinam interea.*] Deſcribit qualis exſtiterit Catilina in petitione conſulatûs, quem competitorem Sulpicius habuit, & quam ex alacritate ſua obtinendi conſulatum, ſpem præ ſe ferre.

83. *Vallatum indicibus.*] Non debere legi *indicibus* videtur, ſed potius *audacibus*, quibus ſtipatum fuiſſe ſæpe dixit Cicero in Catilinariis Orationibus.

84. *Collegæ mei.*] Antonius collega erat Ciceronis in Conſulatu, qui primum Catilinæ favere viſus eſt; ſed quem ab eo abſtraxiſſe ſe in Orationibus aliquando dicit.

85. *Aretinorum & Feſulanorum.*] Aretium & Feſulæ in Etruria populi Romani coloniæ erant, quarum coloni Catilinæ ſtudebant: unde tanto numero ex iis locis Romam ad comitia venerunt, ut exercitus crederetur.

86. *Perculſi Syllani temporis calamitate.*] In illa perdita hominum turba præcipue notabantur, qui à Sylla proſcripti fuerant.

87. *Vultus erat.*] Deſcribit habitum Catilinæ, qualis fere à Salluſtio deſcribitur.

88. *Domi conditus.*] Tam certus de Conſulatu, ac ſi eum in ſua poteſtate haberet, Catilina ſibi videbatur.

Sul-

Sulpicium accuſatorem ſuum numerabat, non competitorem: ei vim denunciabat: reipublicæ minabatur. Quibus rebus, qui timor bonis omnibus injectus ſit, quantaque deſperatio reipublicæ, ſi ille factus eſſet, nolite à me commoneri velle: voſmetipſi vobiſcum recordamini; meminiſtis enim cum illius nefarii [1] gladiatoris voces percrebuiſſent, quas habuiſſe in concione domeſtica dicebatur, cum miſerorum fidelem defenſorem negaſſet inveniri poſſe, niſi eum qui ipſe miſer eſſet: integrorum & fortunatorum promiſſis ſaucios & miſeros credere non oportere: quare qui conſumpta replere, erepta recuperare vellent, ſpectarent quid ipſe deberet, quid poſſideret, quid auderet: minime timidum, & valde calamitoſum eſſe oportere eum, qui eſſet futurus dux & ſignifer calamitoſorum. Tum igitur, his rebus auditis, meminiſtis fieri ſenatuſconſultum, referente me, ne poſtero die comitia haberentur, ut de his rebus in Senatu agere poſſemus. Itaque poſtridie frequenti Senatu Catilinam excitavi, atque eum de his rebus juſſi, ſi quid vellet, quæ ad me allatæ eſſent, dicere. Atqui ille, ut ſemper fuit apertiſſimus, non ſe purgavit, ſed indicavit, atque innuit. Tum enim dixit, duo corpora eſſe reip. unum debile, infirmo capite; alterum firmum ſine capite: huic, cum ita de ſe meritum eſſet, caput, ſe vivo, non defuturum. Congemuit Senatus frequens, neque tamen ſatis ſeverè pro rei indignitate decrevit. Nam partim ideo fortes in decernendo non erant, quia nihil timebant, partim quia timebant. Tum erupit è Senatu triumphans gaudio, quem omnino vivum illinc exire non oportuerat: præſertim cum idem ille in eodem ordine paucis diebus ante, Catoni, fortiſſimo viro, judicium minitanti, ac denuncianti reſpondiſſet, ſi quod eſſet in ſuas fortunas incendium excitatum, in ſe non aqua, ſed ruina reſtincturum. His tum rebus commotus, & quod homines jam tum conjuratos cum gladiis in campum deduci à Catilina ſciebam, deſcendi in campum cum firmiſſimo præſidio fortiſſi-

[1] *Catilinæ.*

93. *Si ille factus eſſet.*] Permittit judicibus cogitare de malis quæ Reipub. obveniſſent, ſi Catilina factus eſſet Conſul.

106. *Atqui ille.*] Ex Plutarcho Cicero ipſo comitiorum die retulit ad Senatum de iis, quæ audiverat de Catilinæ conjuratione. Cum autem Catilina crederet multos eſſe in Senatu, qui rebus novis ſtuderent, molliſſime Ciceroni hæc reſpondit: *Quid pecco, ſi duorum corporum, quorum alterum caput habeat, ſed ægrum & pertenue; alterum ſine capite, ſed validum & præpotens: huic me caput adjicio?* Allegorice videbatur Senatum intelligere per primum corpus, cujus Cicero, quaſi Conſul, caput erat. Per ſecundum, populum, cui ſe caput adjungere velle ſignificabat.

118. *Sed ruina.*] Minari videbatur Catilina, fore ut, ſi quid contra ſe tentaretur, omnia ultima experiretur.

120. *Deſcendi in campum.*] Cum ſibi aliquid metueret à Catilina Cicero; venit in campum Martium ad comitia ſtipatus magno juvenum agmine, & thorace indutus, qua ſibi periculum imminere declarabat, unde indignati cives, in Catilinam commoti, ad Ciceronem animum adjecerunt, atque in comitiis iterum Catilina repulſus eſt, &

Sila-

tiſſimorum virorum, & cum illa lata inſignique lorica, non quæ me tegeret (etenim ſciebam Catilinam non latus, aut ventrem, ſed caput & collum ſolere petere) verum ut omnes boni animad-verterent, & cum in metu & periculo conſulem viderent, id quod eſt factum, ad opem præſidiumque meum concurrerent. Itaque cum te, Servi, [m] remiſſiorem in petendo putarent, Catilinam & ſpe, & cupiditate inflammatum viderent, omnes qui illam ab repub. peſtem depellere cupiebant, ad Muræ nam ſe ſtatim contulerunt. Magna eſt autem comitiis conſularibus repentina voluntatum inclinatio; præſertim cum incubuit ad virum bonum, & multis aliis adjumentis petitionis ornatum. Qui cum honeſtiſſimo patre atque majoribus, modeſtiſſimâ adoleſcentia, clariſſima legatione, prætura probata in jure, grata in munere, ornata in provincia, petiſſet diligenter, & ita petîſſet, ut neque minanti cederet, neque cuiquam minaretur; huic mirandum eſt, magno adjumento Catilinæ ſubitam ſpem conſulatûs adipiſcendi fuiſſe?

[m] *negligentiorem.*

Silanus & Muræna conſules electi ſunt.

122. *Non latus, aut ventrem.*] Indicat quod non abjectos, ſed præcipuos cives Catilina aggrediatur: vel potius alludit ad illud ejus facinus, cum in proſcriptione Syllæ, Marii Gratidiani collum ſecuit, & caput à Janiculo ad ædem Apollinis ad Syllam ſuis ipſe manibus detulit.

125. *Itaque cum te, Servi.*] Concludit totam hanc partem ab improbis Catilinæ conatibus, & à comparatione Sulpicii cum Muræna, hujus virtutes, & alterius remiſſionem animi proferendo.

TERTIA PARS.

De crimine ambitûs.

L. Muræna nihil commiſit contra legem ambitûs.

XI. Nunc mihi tertius ille locus eſt orationis de ambitûs criminibus, [a] perpurgatus ab iis qui ante me dixerunt, à me, quoniam ita Muræna voluit, [b] retractandus. Quo in loco, Poſthumio familiari meo, ornatiſſimo viro, de diviſorum indiciis, & de deprehenſis pecuniis: adoleſcenti ingenioſo & bono, Ser. Sulpicio, de equitum cen-

[a] *defenſus.* [b] *tractandus* iterum.

2. *Qui ante me dixerunt.*] Hortenſius & M. Craſſus jam pro Muræna dixerant.

4. *Diviſorum indiciis.*] Diviſores dicuntur, qui pecuniam per tribus dividebant populo ad corrumpenda ſuffragia, quorum opera Curiarum magiſtri utebantur.

5. *Adoleſcenti Sulpicio.*] Sulpicius filius eſt alterius Sulpicii Muræna competitoris.

Ib. *Equitum centuriis.*] Sulpicius ille centurias pecunia corruptas à Muræna eſſe

centuriis: M. Catoni, homini in omni virtute excellenti, de ipsius accusatione, de senatusconsulto, de repub. respondebo. Sed pauca, quæ meum animum repente moverunt, prius de L. Murænæ fortuna conquerar. Nam cum sæpe antea, Judices, & ex aliorum miseriis, & ex meis curis laboribusque quotidianis, fortunatos eos homines judicarem, qui remoti à studiis ambitionis, otium ac tranquillitatem vitæ secuti sunt: tum vero in his L. Murænæ tantis tamque improvisis periculis ita sum animo affectus, ut non quèam satis neque communem omnium nostrûm conditionem, neque hujus eventum fortunamque miserari; qui primum dum ex honoribus continuis familiæ, majorumque suorum, unum ascendere gradum dignitatis conatus est, venit in periculum, ne & ea quæ relicta, & hæc quæ ab ipso parta sunt, amittat: deinde propter studium novæ laudis, in veteris fortunæ discrimen adducitur; quæ cum sunt gravia, Judices, tum illud acerbissimum est, quod habet eos accusatores, non qui odio inimicitiarum ad accusandum, sed qui studio accusandi ad inimicitias descenderent. Nam ut omittam Ser. Sulpicium, quem intelligo non injuria L. Murænæ, sed honoris contentione permotum; accusat paternus amicus, Cn. Posthumius, vetus, ut ait ipse, vicinus ac necessarius, qui necessitudinis causas complures protulit, [c] simultatis nullam commemorare potuit: accusat Ser. Sulpicius, sodalis filii, cujus ingenio paterni omnes necessarii munitiores esse debebant: accusat M. Cato, qui quanquam à Muræna nulla re unquam alienus fuit, tamen ea conditione nobis erat in hac civitate natus, ut ejus opes & ingenium præsidio multis etiam alienissimis, exitio vix cuiquam inimico esse deberet. Respondebo igitur Posthumio primùm, qui nescio quo pacto mihi videtur prætorius candidatus in consularem, quasi desultorius in quadrigarum curriculum incurrere. Cujus competitores, si [d] nihil deliquerunt, dignitati eorum conceſſit, cum petere destitit: sin autem eorum aliquis largitus est, expetendus amicus est, qui alienam potius injuriam, quam suam persequatur.

[c] *inimicitiæ.* [d] *non commiserunt* ambitum.

esse dicebat. Nota autem, quod Ser. Tullius omnem populum Rom. in sex classes distribuit; classes autem in centum tres ac nonaginta centurias. In classibus autem & centuriis describendis censum secutus est; qui, ut in quoque variatus est, sic varios ille fecit classium gradus; nam in primam qui centum millium æris, aut majorem censum haberent, conjecit.

18. *Quæ relicta*] De iis honorum insignibus loquitur, quæ ei à patre relicta sunt.

23. *Sodalis filii.*] Sodales dicuntur, qui in alio Ordine aut Collegio conjuncti sunt: unde & sodalitates, & sodalitia.

34. *Desultorius.*] Desultorius dicitur, qui ne cursum interrumpat, ab uno equo in alium insilit; sive qui, relicto equestri certamine, confert se in certamen curule: nam licet non petat consulatum, tamen accusat consulem; debebat potius ambisse prætura quàm consulatum.

Ib. *In quadrigarum curriculum.*] Alludit ad Olympicum stadium, ubi de Quadrigarum celeritate certabatur.

Ea

Ea omnia, quæ & Posthumio & Ser. Sulpicio adolescenti responsa sunt, desiderantur.

XII. Venio nunc ad M. Catonem, quod est firmamentum ac robur totius accusationis: qui tamen ita gravis est accusator & vehemens, ut multo magis ejus auctoritatem quàm criminationem pertimescam. In quo ego accusatore, Judices, primum illud deprecabor, ne quid L. Murænæ dignitas illius, ne quid expectatio tribunatûs, ne quid totius vitæ splendor & gravitas noceat: denique ne ea soli huic obsint bona M. Catonis, quæ ille adeptus est, ut multis prodesse possit. Bis consul fuerat P. Africanus & duos terrores hujus imperii, Carthaginem Numantiamque deleverat, cum accusavit L. Cottam. Erat in eo summa eloquentia, summa fides, summa integritas, auctoritas tanta, quanta in ipso imperio populi Romani, quod illius opera tenebatur. Sæpe hoc majores natu dicere audivi, hanc accusatoris eximiam dignitatem plurimùm L. Cottæ profuisse. Noluerunt sapientissimi homines, qui tum rem illam judicabant, ita quemquam [e] cadere in judicio, ut nimiis adversarii viribus abjectus videretur. Quid? Serv. Galbam (nam traditum memoriæ est) nonne proavo tuo, fortissimo atque florentissimo viro, M. Catoni, incumbenti ad ejus perniciem populus Romanus eripuit? Semper in hac civitate nimis magnis accusatorum opibus & populus universus, & sapientes ac multum in posterum prospicientes judices restiterunt. Nolo accusator in judicium potentiam afferat, non vim majorem aliquam, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam; valeant hæc omnia ad salutem innocentium, ad opem [f] impotentium, ad auxilium calamitosorum: in periculo verò, & in pernicie civium repudientur. Nam si quis hoc forte dicit, Catonem descensurum ad accusandum non fuisse, nisi prius de causa judicassèt:

[e] *condemnari.* [f] *inopum.*

5. *Expectatio tribunatûs.*] Cum Cato Murænam accusavit, erat Tribunus plebis designatus.

8. *Bis consul.*] Æmilianus Scipio primum fuit Consul tempore tertii belli Punici, iterum bello Numantino; hic in Africa Carthaginem, in Hispania Numantiam, æmulas Romæ, evertit.

10. *L. Cottam.*] Cum septies ejus causa ampliata fuisset, octavo tandem judicio absolutus est Cotta, ne dignitas accusatoris obesse ei videretur.

Ib. *Summa eloquentia.*] Lib. 1. Offic. ait, *Ab hoc Scipione bellicam gloriam, quam à patribus acceperat, eloquentia cumulatum esse.*

16. *Serv. Galbam.*] Cum à Libone Tribuno plebis, apud populum Galba accusaretur, quod præter fidem datam publicam, magnam Lusitanorum manum interfecisset Prætor in Hispania, is nil excusans se, parvulos liberos flens commendare cœpit. Eo facto mitigatus populus, ipse judicio liberatus est. Vide Val. Max. lib. 8.

18. *Incumbenti.*] Incumbere in perniciem, est anniti ut Galba damnaretur.

27. *De causa judicassèt.*] Id est, Cato tantæ vir probitatis est, ut non accusaret Murænam, nisi prius eum dignum condemnatione judicassèt: nam condemnatio sequitur judicium.

iniquam

iniquam legem, Judices, & miſeram conditionem inſtituet periculis hominum, ſi exiſtimabit judicium accuſatoris in reum pro aliquo præjudicio valere oportere. Ego tuum conſilium, Cato, propter ſingulare animi mei de tua virtute judicium, vituperare non audeo: nonnulla in re forſitan [a] confirmare, & leviter emendare poſſim. Non [b] multa peccas, inquit ille fortiſſimo viro, ſenior magiſter: ſed ſi peccas, te regere poſſum. At ego te veriſſime dixerim peccare nihil, neque ulla in re te eſſe hujuſmodi, ut corrigendus potius quàm leviter inflectendus eſſe videare. [c] Finxit enim te ipſa natura ad honeſtatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, juſtitiam, ad omnes denique virtutes; magnum hominem & excelſum; acceſſit his tot doctrina non moderata, nec mitis, ſed, ut mihi videtur, paulò aſperior & durior, quàm aut veritas aut natura patiatur.

XIII. Et quoniam non eſt nobis hæc oratio habenda, aut cum imperita multitudine, aut in aliquo conventu agreſtium, audacius paulo de ſtudiis humanitatis, quæ & mihi & vobis nota & jucunda ſunt, diſputabo. In M. Catone, Judices, hæc bona, quæ videmus divina & egregia, ipſius ſcitote eſſe propria: quæ nonnunquam [d] requirimus, ea ſunt omnia non à natura, ſed à magiſtro. Fuit enim quidem ſummo ingenio vir, Zeno, cujus inventorum æmuli Stoici nominantur. Hujus ſententiæ ſunt & præcepta ejuſmodi: Sapientem [e] gratia nunquam moveri, nunquam cujuſquam delicto ignoſcere: neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum & levem: viri eſſe neque exorari, neque placari: ſolos ſapientes eſſe, ſi [f] diſtortiſſimi ſint, formoſos; ſi [g] mendiciſſimi, divites; ſi ſervitutem ſerviant, reges: nos autem, qui ſapientes non ſumus, fugitivos, exules, hoſtes, inſanos denique eſſe dicunt: omnia peccata eſſe pa-

[a] vulgo *reformare.* [b] *multum.* [c] *perfecit.* [d] *deſideramus.* [e] *nunquam facere gratiam* alicui. [f] *deformiſſimi.* [g] *pauperrimi.*

31. *Senior magiſter.*] Chiron fortaſſe intelligitur à Cicerone, aut Phœnix ille qui Achilli præceptor à patre datus eſt.

39. *Doctrina non moderata.*] Per doctrinam non moderatam Stoicam intelligit, quam ab Antipatro Tyrio, Philoſopho Stoico, accepit.

4. *In M. Catone.*] Digreditur ad reprehenſionem doctrinæ Stoicorum, ut Catonis auctoritatem extenuet.

7. *Zeno.*] Zeno, Citieus, ex Cypro cum veniſſet Athenas, negotiandi gratia, Philoſophiæ operam dedit; & audivit Cynicum Cratera, & mox Polemonem Academicum. Illius durior diſciplina fuit, cujus ſectatores Stoici dicti ſunt à Porticu, ubi ille docuit.

8. *Hujus ſententiæ ſunt & præcepta.*] Præcepta Stoicorum enumerat, quæ & dicta ſunt vulgo Paradoxa, à communi captu & ſenſu hominum abhorrentia; quæ Cicero ad quemdam abſurditatis modum exponit, ut Catonis auctoritatem diminuat.

10. *Miſericordem eſſe.*] *Miſericordia,* ex Stoicorum definitione, *eſt ægritudo ex miſeria alterius injuria laborantis,* volebantque miſericordem hominem eſſe inconſtantem, rudem, imperitum & hebetem ingenio; unde Seneca, epiſt. ad Lucil. fic ait: *Stultitia eſt, cui nihil conſtat, nihil diu placet.*

ſua

ria: omne delictum scelus esse nefarium: nec minus delinquere eum, qui gallum gallinaceum, cum opus non fuerit, quam eum, qui patrem suffocaverit: sapientem nihil opinari, nullius rei pœnitere, nulla in re falli, sententia mutari nunquam. Hæc homo ingeniosissimus, M. Cato, auctoribus eruditissimis inductus, arripuit; neque disputandi causa, ut magna pars, sed ita vivendi. Petunt aliquid publicani? cave quidquam habeat momenti gratia. Supplices aliqui veniunt miseri, & calamitosi? sceleratus & nefarius fueris, si quidquam misericordia adductus feceris. Fatetur aliquis se peccasse, & ejus delicti veniam petit? nefarium est facinus ignoscere. At leve delictum est; omnia peccata sunt paria. Dixisti quippiam; [h] fixum & statutum est. Non re ductus es, sed opinione; sapiens nihil opinatur. Errasti aliqua in re; male dici putat. Hac ex disciplina nobis illa sunt. Dixi in Senatu, me nomen consularis candidati delaturum: iratus dixisti; nunquam, inquit, sapiens irascitur. At temporis causa: improbi, iniquit, hominis est mendacio fallere; mutare sententiam, turpe est; exorari, scelus; misereri, flagitium. Nostri autem illi (fatebor enim, Cato, me quoque in adolescentia diffisum ingenio meo quæsisse adjumenta doctrinæ) nostri, inquam, illi à Platone & Aristotele moderati homines & temperati aiunt, apud sapientem valere aliquando gratiam: viri boni esse misereri: distincta genera esse delictorum, & dispares pœnas: esse apud hominem constantem ignoscendi locum: ipsum sapientem sæpe aliquid opinari, quod nesciat: irasci nonnunquam: exorari eundem, & placari: quod dixerit, interdum, si ita rectius sit, mutare: de sententia decedere aliquando: omnes virtutes mediocritate quadam esse mo-

[h] *stabile & firmum.*

16. *Omne delictum.*] Volebant Stoici delictum omne, quantumcunque minimum aliis videatur, crimen esse maximum.

18. *Nihil opinari.*] Opinari est incertæ, aut parum cognitæ, vel etiam rei prorsus falsæ assentiri; cum autem ex Stoicorum sententia neque capi, neque falli possit sapiens, opinari etiam non potest.

21. *Ita vivendi.*] Non disputat de illis dogmatis Stoicorum Cato, sed ex iis vitam suam instituit.

22. *Publicani.*] Si illi, qui vectigalia conducunt, petunt ut aliquid sibi remittatur vel propter bellum, vel propter cœli injurias, non audiunt Stoici.

27. *Non re.*] Id est, ipsa rei veritate & scientia.

31. *Sapiens irascitur.*] Plutarchus in Catone ait, eum temere non irasci, sed si quando irascitur, implacabilem esse solitum fuisse.

35. *Quæsisse adjumenta doctrinæ.*] Cicero licet nulli philosophorum sectæ addictus fuerit, visus est tamen Academicos sequi.

Ib. *Illi à Platone & Aristotele.*] Platonis & Aristotelis præcepta Academici & Peripatetici secuti sunt, quæ contraria fuisse Stoicis ostendit.

36. *Moderati homines & temperati.*] Doctrina Stoicorum durior fuit, ut antea Cicero dixit, & mitior Academicorum & Peripateticorum.

40. *Irasci nonnunquam.*] Aristoteles lib. 3. Ethic. iram cotem fortitudinis nominat.

42. *Mediocritate esse moderatas.*] Virtus ita in mediocritate sita est, ut si quid nimis excedat, virtus non sit.

deratas.

deratas. Hos ad magiſtros ſi qua te fortuna, Cato, cum iſta natura detuliſſet; non tu quidem vir melior eſſes, nec ſortior, nec temperantior, nec juſtior (neque enim eſſe potes) ſed paulo ad lenitatem propenſior; non accuſares nullis adductus inimicitiis, nulla laceſſitus injuria, prudentiſſimum hominem, ſumma dignitate atque honeſtate præditum: putares, cum in ejuſdem anni cuſtodia te, atque L. Murænam fortuna poſuiſſet, aliquo te, cum hoc reipub. vinculo eſſe conjunctum; quod atrociter in Senatu dixiſti, aut non dixiſſes, aut ſepoſuiſſes, aut mitiorem in partem interpretarere. Ac te ipſum, quantùm ego opinione auguror, nunc & animi quodam impetu concitatum, & vi naturæ atque ingenii elatum, & recentibus præceptorum ſtudiis flagrantem jam uſus flectet, dies leniet, ætas mitigabit. Etenim iſti ipſi mihi videntur veſtri præceptores & virtutis magiſtri fines officiorum paulo longius, quàm natura vellet, protuliſſe; ut, cum ad ultimum animo contendiſſemus, ibi tamen, ubi oportet, conſiſteremus. Nihil ignoveris: immo aliquid, non omnia. Nihil gratiæ cauſa feceris: immo reſiſtito gratiæ, cum officium & fides poſtulabit. Miſericordia commotus ne ſis: etiam, in diſſolvenda ſeveritate; ſed tamen eſt laus aliqua humanitatis. In ſententia permaneto: vero, niſi ſententia alia vicerit melior. Hujuſcemodi Scipio ille fuit, quem non pœnitebat facere idem, quod tu: habere eruditiſſimum hominem, & pene divinum domi: cujus oratione & præceptis, quanquam erant eadem iſta, quæ te delectant, tamen aſperior non eſt factus, ſed, ut accepi à ſenibus, leniſſimus. Quis vero C. Lælio comior? quis jucundior, eodem ex ſtudio iſto? quis

48. *Cum in ejuſdem anni cuſtodia*] Eodem anno Tribunus-plebis Cato & Muræna Conſul deſignati ſunt, iisque Reipub. cura commiſſa eſt.

50. *Atrociter in Senatu dixiſti.*] Dixerat Cato in Senatu ſe quemcunque eandidatum Conſulatûs vocaturum in judicium, ſi aliqua in eo ſuſpicio ambitûs reſideret.

54. *Recentibus præceptorum ſtudiis.*] Exculat Catonem à præceptis quibus recens imbutus erat, quæ facile, cum maturior erit ætas, corriget.

56. *Fines officiorum.*] Fines officiorum dicunter ea, quæ extrema ſunt & ultima in quaque re ſeu virtute; tranſlatione ſumpta à terminis agrorum, aut regionum, quibus illorum ſpatia terminantur. At illi Stoici fines gratiæ, miſericordiæ, clementiæ, cæterarumque virtutum non tantum protulerunt, ſed etiam ita prætergreſſi ſunt, ut ſuſtuliſſe omnem humanitatem videantur.

57. *Ut, cum ad ultimum.*] Id eſt, quamvis ad ultimum officiorum finem pervenire contenderet quis, tamen ibi hæreret, ubi natura pateretur.

59. *Non omnia.*] Utile eſt aliquando non omnia remittere, ne fiat audaciores ad precandum impii.

60. *Reſiſtito gratiæ.*] Reſiſtere gratiæ eſt nihil gratiæ cauſa facere; quod tum maxime fieri debet, cum quis jurejurando obſtringitur. Hicque elegans eſt dialogiſmus.

63. *Scipio ille fuit.*] Non eſt dubium quin Cicero de Æmiliano Scipione loquatur, cui comes fuit Panætius in illa illuſtri legatione, quam ante cenſuram obiit, cum à Senatu tertium miſſus eſt, ut populorum ac civitatum leges, tanquam ſanctioris diſciplinæ arbiter & reſtaurator inſpiceret. Vide Cic. lib. 4. Acad. Quæſt.

68. *C. Lælio comior.*] Lælius Scipionis Africani amiciſſimus fuit, de quo Horat. Ser. 2. Sat. 1.

illo gravior? ſapientior? Poſſum de L. Philippo, de C. Gallo, dicere hæc eadem: ſed te domum jam deducam tuam. Quemquamne exiſtimas Catone proavo tuo commodiorem, comiorem, moderatiorem fuiſſe ad omnem rationem humanitatis? de cujus præſtanti virtute cùm verè graviterque diceres, domeſticum te habere dixiſti exemplum ad imitandum. Eſt illud quidem exemplum tibi propoſitum domi: ſed tamen naturæ ſimilitudo illius ad te magis, qui ab illo ortus es, quam ad unumquemque noſtrûm pervenire potuit: ad imitandum vero tam mihi propoſitum exemplar illud eſt, quam tibi. Sed ſi illius comitatem, & facilitatem tuæ gravitati ſeveritatique adſperſeris, non iſta quidem erunt meliora, quæ nunc ſunt optima, ſed certe condita jucundius.

XIV. Quare, ut ad id quod inſtitui revertar, tolle mihi è cauſa [a] nomen Catonis: remove, ac prætermitte auctoritatem, quæ in judiciis aut nihil valere, aut ad ſalutem debet valere: congredere mecum criminibus ipſis. Quid accuſas, Cato? quid affers in judicium? quid arguis? Ambitum accuſas? non defendo. Me reprehendis, quòd idem defendam, quod lege puniverim? punivi ambitum, non innocentiam: ambitum vero ipſum vel tecum accuſabo, ſi voles. Dixiſti ſenatuſconſultum, me referente, eſſe factum. Si mercede corrupti obviam candidatis eſſent, ſi conducti ſectarentur, ſi gladiatoribus vulgò locus tributim, & item prandia ſi vulgò eſſent data; contra legem Calpurniam factum videri. Ergo ita Senatus judicat contra legem facta hæc videri, ſi facta ſint: decernit, quod nihil opus eſt, dum candidatis morem gerit; nam factum ſit, necne, vehementer quæritur; ſi factum ſit, quin contra legem ſit, dubitare ne-

[a] *auctoritatem.*

69. *L. Philippo.*] Philippus ille Græcis literis excelluit, ut dicit Cic. in Bruto.

Ib. *De C. Gallo.*] De Gallo loquitur etiam in Bruto. Aſtrologiæ peritiſſimus fuit. Hic de Liguribus triumphavit.

80. *Condita.*] Condita, à condiendo.

1. *Quare ut ad id quod inſtitui.*] Redit ad rem, petitque ut ab hac cauſa Catonis removeatur auctoritas, quæ plus Murænæ, quam objecta ipſi crimina, quæ nulla ſunt, nocere poteſt.

3. *Quæ in judiciis.*] In judiciis non debet attendi accuſatoris auctoritas, ut quia damnetur, ſed potiùs abſolvatur.

7. *Punivi ambitum.*] Cicerone referente ad Senatum, Senatuſconſultum factum eſt de ambitu, contra quem legem tulit Cicero, cujus ſequentibus proxime verbis puncta quælibet explicat.

10. *Conducti ſectarentur.*] Homines pecunia corrupti honoris cauſa candidatos, cum in campum Martium veniebant, ſequebantur, ut inde appareret populo, quam digni eſſent Magiſtratu.

Ib. *Gladiatoribus.*] Vetabat illa lex ne quis munus gladiatorium biennio quo Magiſtratum petierat, petituruſve erat, ederet, niſi ex teſtamento præſtituta die.

11. *Legem Calpurniam.*] De hac lege jam dictum eſt.

Ib. *Contra legem videri.*] Si hæc omnia à Murænâ commiſſa ſunt, quæ vetat lex, non eſt dubium quin contra legem peccaverit; at hæc, aut eorum aliqua feciſſe, probare debent adverſarii.

mo poteſt. Eſt igitur ridiculum, quod eſt dubium, id relinquere incertum; quod nemini dubium poteſt eſſe, id judicare. Atque id decernitur; omnibus poſtulantibus candidatis, ut ex S. C. neque cujus interſit, neque contra quem ſit, intelligi poſſit. Quare dooe, à L. Muræna illa eſſe commiſſa: tum egomet tibi contra legem commiſſa eſſe concedam. Multi obviam prodierunt de provincia decedenti, conſulatum petenti; ſolet fieri; eccui autem non proditur revertenti? quæ fuit iſta multitudo? primum, ſi tibi iſtam rationem non poſſim reddere, quid habet admirationis, tali viro advenienti, candidato conſulari, obviam prodiſſe multos? quod niſi eſſet factum, magis mirandum videretur. Quid ſi etiam illud addam, quod à conſuetudine non abhorret, rogatos eſſe multos? num aut criminoſum ſit aut mirandum, qua in civitate rogati [b] infimorum hominum filios [c] prope de nocte ex ultima ſæpe urbe deductum venire ſoleamus, in ea non eſſe gravatos homines prodire hora tertia in campum Martium, præſertim talis viri nomine rogatos? Quid, ſi omnes ſocietates venerunt, quarum ex numero multi hic ſedent Judices? quid, ſi multi homines noſtri ordinis honeſtiſſimi? quid, ſi illa officioſiſſima, quæ neminem patitur non honeſte in urbem introire, tota natio candidatorum? ſi denique ipſe accuſator noſter Poſtumius obviam cum bene magna caterva ſua venit; quid habet iſta multitudo admirationis? omitto clientes, vicinos, tribules, exercitum totum Luculli, qui ad triumphum per eos dies venerat; hoc di-

[b] *obſcurorum.* [c] *paulo ante lucem.*

26. *Quod eſt dubium, id relinquere incertum.*] Dubium eſt, utrum Muræna quid contra legem fecerit; id autem non debet relinqui incertum, ſed probari. Deinde nemini dubium eſt, quin ex lege Calpurnia decretum contra ambitioſos latum ſit à Senatu; ergo de eo judicare non eſt opus, ſed judicare utrum contra illud Muræna peccaverit.

21. *Multi obviam prodierunt.*] Proponit argumenta quibus Cato utebatur ad oſtendendum peccaſſe contra legem Murænam. 1. Quod multi obviam iviſſent Murænæ: at refutat Cicero, quia non corrupti pecunia venerunt, ſed de more, ut ſit honoris & amicitiæ cauſa, iis qui redeunt à provinciis.

27. *Rogatos eſſe multos.*] Secundum argumentum refutat; quod multi videlicet rogati ſunt Muræna deducere in campum Martium; at id quotidie evenit, ut vel ipſos filios candidatos ipſorum hominum abjectorum prima luce ex extrema urbis parte rogati deducant plerique, cui non etiam à rogatis homo magnæ auctoritatis deducatur?

31. *Hora tertia.*] Hora tertia à Romanis dicebatur, quæ media eſt inter ſolem naſcentem & meridiem.

32. *Quid, ſi omnes ſocietates.*] Refutat à concurſu hominum ex omnibus ordinibus quorumdam ſuorum judicum, imo etiam Poſtumii accuſatoris; quid igitur accuſant, ſi iſtorum exemplo tanta multitudo populi ad illum convenerit?

35. *Tota natio candidatorum.*] Omnes qui aſpirabant ad Magiſtratus quaſi unam nationem propter multitudinem efficere videbantur.

38. *Omitto clientes.*] Reliquos citat, qui honeſtatis & honoris cauſa adeſſe Muræna debuerunt.

Ib. *Clientes.*] Clientes ſunt, qui in tutela alicujus ſunt, & quem patronum habent.

Ib. *Tribules.*] Tribules ſunt, qui ſunt ex eadem tribu.

eo, frequentiam in iſto officio gratuitam, non modo dignitati ul-
lius unquam, ſed ne voluntati quidem defuiſſe. At ſectabantur
multi. Doce, mercede; concedam eſſe crimen: hoc quidem re-
moto, quid reprehendis? Quid opus eſt, inquit, ſectatoribus?
à me tu id quæris, quid opus ſit eo, quo ſemper uſi ſumus? Ho-
mines tenues unum habent in noſtrum ordinem aut promerendi
aut proferendi beneficii locum, hanc in noſtris petitionibus ope-
tam, atque affectationem; neque enim fieri poteſt, neque poſtu-
landum eſt à nobis, aut ab equitibus Romanis, ut ſuos neceſſarios
candidatos ſectentur totos dies; à quibus ſi domus noſtra [d] cele-
bratur, ſi interdum ad forum deducimur, ſi uno baſilicæ ſpatio
honeſtamur, diligenter obſervari videmur & coli. Tenuiorum &
non occupatorum amicorum eſt iſta aſſiduitas, quorum copia bo-
nis & beneficis deeſſe non ſolet. Noli igitur eripere hunc inferi-
ori generi hominum fructum officii, Cato: ſine eos, qui omnia à
nobis ſperant, habere ipſos quoque aliquid, quod nobis tribuere
poſſint; ſi nihil erit præter ipſorum ſuffragium, tenue eſt; ſi ut
ſuffragantur, nihil valent gratia; ipſi denique, ut ſolent loqui,
non dicere pro nobis, non ſpondere, non vocare domum ſuam
poſſunt: atque hæc à nobis petunt omnia: neque ullâ re alia, quæ
à nobis conſequuntur, niſi opera ſua, compenſari putant poſſe.
Itaque & legi Fabiæ, quæ eſt de numero ſectatorum, & S. C. quod
eſt L. Cæſare conſule factum, reſtiterunt; nulla eſt enim pœna, quæ
poſſit obſervantiam tenuiorum ab hoc vetere inſtituto officio-
rum excludere. At ſpectacula ſunt tributim data, & ad pran-
dium

[d] *frequentatur.*

40. *Gratuitam.*] Tota hæc frequentia quæ convenit, nulla mercede vel pecunia conducta venit.

44. *Eo, quo ſemper uſi ſumus.*] Non debet reprehendere Cato quod ſemper factum eſt, neque inde arguere Murænam hominem ambitioſum.

50. *Si interdum ad forum deducimur.*] Varia commemorat officia, quibus homines tenues ſuos patronos aut primates viros proſequebantur, quæ ipſis crimini verti non debent.

Ib. *Si uno Baſilicæ ſpatio.*] Id eſt, ſi deducimur per ſpatium tam longum, quam Baſilica eſt. Baſilica porro foro adjuncta fuit, à Catone ampliata & Porcia cognominata, ad inſtar regiæ domus.

61. *Legi Fabiæ.*] Fabia lex de ambitu tulit, ut certus numerus ſectatorum eſſet, id eſt, eorum qui candidatos in campum deducerent. Sed huic legi & Senatuſconſulto L. Cæſ. tanto ſtudio plebs reſtitit, ut nulla prorſus pœna ab hoc aff.ctationis officio removeri potuerit, quia vetus erat inſtitutum.

Ib. *Et Senatuſconſulto.*] Quo anno cœpit Catilinæ conjuratio, Conſules erant L. Cæſar, & C. Figulus. Cicerone vero petente Conſulatum, cum in dies ambitus furor augeretur propter Catilinam & Antonium, paucis diebus ante comitia cenſuit Senatus, ut lex ambitus addita majori pœna ſeqretur. Huic cum intercederet Senatuſconſulto Q. Mutius Oreſtinus, Cicero in gratiam Senatus contra Catilinæ & Antonii concionem invectus eſt, ſuaſitque ut ſectatorum numerus definiretur: ſed per eundem tribunum plebis legi obſtitit.

64. *At ſpectacula ſunt tributim data.*] Objectioni novæ Cicero reſpondet, nempe Murænam ſuis tribulibus ad ſpectacula locum dediſſe, & vocaſſe ad convivia. Id autem ab omni memoria factum eſſe contendit. Porro ſpectacula loca erecta ſunt, quæ à Græcis thea-

dium vulgò vocati. Etſi hoc factum à Muræna omnino, Judices, non eſt: ab ejus amicis autem more & modo factum eſt: tamen admonitus re ipſa, recordor quantum hæ quæſtiones in Senatu habitæ punctorum nobis, Servi, detraxerint. Quod enim tempus fuit aut noſtra, aut patrum noſtrorum memoria, quo hæc, ſive ambitio eſt, ſive liberalitas non fuerit, ut locus & in circo, & in foro daretur amicis, & tribulibus? hæc homines tenuiores primum, ne dum qui ea ſuis tribulibus veteri inſtituto aſſequebantur. *

* *Deeſt nonnihil.*

XV. Præfectum fabrûm ſemel locum tribulibus ſuis dediſſe: quid ſtatuent in viros primarios, qui in circo totas tabernas, tribulium cauſa, compararunt? hæc omnia ſectatorum, ſpectaculorum, prandiorum item crimina à multitudine in tuam nimiam diligentiam, Servi, conjecta ſunt; in quibus tamen Muræna ab Senatus auctoritate defenditur. Quid enim? Senatus num obviam prodire crimen putat? non, ſed mercede: convince num ſectari multos? non, ſed conductos: doce conductos, num locum ad ſpectandum dare, aut ad prandium invitare? minime, ſed vulgo paſſim. Quid eſt vulgo? univerſos. Non igitur, ſi L. Natta ſummo loco adoleſcens, qui, &

tra dicuntur, ex quibus ludi ſpectabantur.

66. *More & modo factum eſt.*] Fatetur quidem conceſſa fuiſſe hæc ſpectacula ab amicis Muræna; ſed id neque repugnante more, neque immoderate factum eſſe.

68. *Punctorum.*] Puncta ſuffragia ſunt, hinc dicta, quod in tabulis notarentur.

70. *Locus in circo.*] Qui loca habebant in circo, ea quandoque amicis benevolentia concedebant, ut inde ludos ſpectarent, qui à circo Circenſes dicti ſunt.

71. *In foro.*] In foro ludi gladiatorii dabantur.

1. *Præfectum Fabrûm.*] Præfectus Fabrorum dicebatur, qui Fabris lignariis, Carpentariis, Ferrariis, &c. præerat.

3. *Tabernas tribulium.*] Tabernæ extructæ erant in circo maximo, quo commodius ludi ſpectarentur; ea porro locabantur pecunia, quandoque etiam liberaliter à dominis tribulibus ſuis concedebantur. Plutarchus una nocte à Graccho ſublatas eſſe ſcribit.

4. *Crimina à multitudine.*] Cicero objicit Servio, credere multitudinem, quod nimia quædam accuſandi cupiditate hæc omnia leviſſima ab ipſo collecta quaſi tot crimina in Murænam conjiciantur.

7. *Senatus num obviam.*] Ait Cicero, prodire obviam, ſectari, &c. nunquam Senatum pertinere ad crimen judicaviſſe, niſi qui prodeunt & ſectantur, mercede corrumpantur.

10. *Sed vulgo paſſim.*] Non eſt crimen dare locum ad ſpectandum, invitare multos ad prandium, verbi gratia tribules ſuos; ſed crimen eſt univerſos invitare; quod Muræna non fecit.

11. *Si L. Natta.*] Non debet accuſari Muræna ambitus, ſi Natta privignus ejus aliquem locum vel convivium centuriis dederit, quod non tam dedit ut Murænæ faveret, quam ut ipſe ſuis tribulibus gratioſus eſſet.

Ib. *Summo loco adoleſcens.*] Natta ille ex familia Pinariorum fuit nobiliſſima & antiquiſſima apud Romanos, ſiquidem jam Evandri temporibus celebris erat. Virg. Æneid. 8.

quo

quo animo jam ſit, & qualis vir futurus ſit, videmus, in equitum centuriis voluit eſſe, & ad hoc officium neceſſitudinis, & ad reliquum tempus gratioſus, id erit ejus vitrico fraudi, aut crimini: nec ſi Virgo Veſtalis hujus propinqua & neceſſaria, locum ſuum gladiatorium conceſſit huic, non & illa pie fecit, & hic à culpa eſt remotus; omnia hæc ſunt officia neceſſariorum, commoda tenuiorum, munia candidatorum.

XVI. At enim agit mecum auſterè & Stoicè, Cato; negat [a] verum eſſe, allici benevolentiam cibo: negat judicium hominum in magiſtratibus mandandis corrumpi voluptatibus oportere. Ergo, ad cœnam petitionis cauſa ſi quis vocat, condemnetur; quippe, inquit, tu mihi ſummum imperium, ſummam auctoritatem, tu gubernacula reipub. petas fovendis hominum ſenſibus & deliniendis animis, & adhibendis voluptatibus? utrum lenocinium, inquit, à [b] grege delicatæ juventutis, an orbis terrarum imperium à populo Romano petebas? Horribilis oratio: ſed eam [c] uſus, vita, mores, civitas ipſa reſpuit. Neque tamen Lacædemonii auctores iſtius vitæ, atque orationis, qui quotidianis epulis in robore accumbunt: neque vero Cretes, quorum nemo guſtavit unquam cubans, melius quam Romani homines, qui tempore voluptatis laboriſque diſpertiunt, reſpublicas ſuas retinuerunt: quorum alteri uno adventu noſtri exercitus deleti ſunt, alteri noſtri imperii præſidio diſciplinam

[a] *juſtum.* [b] *multitudine juventutis luxurioſæ.* [c] *conſuetudo.*

12. *In equitum centuriis.*] Centuriæ equitum à Romulo inſtitutæ ſunt; quæ appellatio aucto poſtea numero à Tarquinio Priſco conſervata eſt; voluit autem ut mille trecenti equites in tribus centuriis eſſent.

15. *Virgo Veſtalis.*] Veſtales habebant locum diſtinctum, unde ludos gladiatorios ſpectare poſſent.

3. *Magiſtratibus mandandis.*] Mandare honores dicitur populus Rom. cum ſuo ſuffragio alicui Magiſtratum concedit.

4. *Petitionis cauſa.*] Reponit Cicero Catoni non fas eſſe aliquem ad convivium vocare, ut quid ab eo petatur, ſi nefas eſt ſibi benevolentiam voluptatibus conciliare; hoc autem per Dialogiſum tractat ad Catonem irridendum.

9. *Horribilis oratio.*] Ironia qua fidem tam aſperæ Catonis orationi detrahit ſimulatione quadam aſſentationis, ac quaſi concepti metus, & horroris.

10. *Sed eam uſus.*] Hanc vitam aſperam alienam à moribus Romanis eſſe contendit, utiturque diſſimilium exemplorum collatione, Lacedæmoniorum videlicet & Cretenſium, qui non melius quam Romani Reſpub. ſuas conſervarunt.

12. *Quotidianis epulis.*] Lacedæmonii præter quotidianas epulas convivia publica celebrabant, quæ Phiditia dicebantur, quæ non fiebant impenſis publicis, ſed ad quæ ſuam quiſque partem conferebat. De his loquiter Cic. Tuſc. Quæſt. 5.

Ib. *In robore accumbunt.*] Lacedæmonii non in lectulis, ut mos erat reliquorum Græcorum, ſed in dura quapiam materia ac ligno accumbebant; per robur enim lignum intelligit.

13. *Guſtavit unquam cubans.*] Cretes ne quidem in epulis accubabant.

15. *Noſtri exercitus.*] Cretenſes à Q. Metello victi ſunt, qui & iis leges impoſuit, ab hac victoria Creticus dictus eſt.

16. *Diſciplinam ſuam.*] Cretenſes à Lycurgo diſciplinam ſuam acceperunt; quanquam Plutarchus ait Lycurgum à Creta ad ſuos leges detuliſſe.

ſuam legeſque conſervant. Quare noli, Cato, majorum inſtituta, quæ res ipſa publica, quæ diuturnitas imperii comprobat, nimium ſevera ratione reprehendere. Fuit eodem ex ſtudio vir eruditus apud patres noſtros, & honeſtus homo & nobilis, Q. Tubero: is, cum epulum Q. Maximus, Africani patrui ſui nomine, populo Rom. daret, rogatus eſt à Maximo, ut [d] triclinium ſterneret, cum eſſet Tubero ejuſdem Africani ſororis filius: atque ille, homo eruditiſſimus, ac Stoicus, ſtravit pelliculis hœdinis lectulos Punicanos, & expoſuit vaſa Samia: quaſi vero eſſet Diogenes Cynicus mortuus, & non divini hominis Africani mors honeſtaretur: quem cùm ſupremo ejus die Maximus laudaret, gratias egit diis immortalibus, quod ille vir in hac republica potiſſimum natus eſſet: neceſſe enim fuiſſe, ibi eſſe terrarum imperium ubi ille eſſet. Hujus in morte celebranda graviter tulit populus Rom. hanc perverſam ſapientiam Tuberonis; itaque homo integerrimus, civis optimus, cum eſſet L. Paulli nepos, P. Africani, ut dixi, ſororis filius, his hœdinis pelliculis Prætura dejectus eſt. Odit populus Rom. privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit; non amat profuſas epulas; ſordes & inhumanitatem multo minus. Diſtinguit rationem officiorum ac temporum, viciſſitudinem laboris ac voluptatis. Nam quod ais, nulla re allici hominum mentes oportere ad magiſtratum mandandum, niſi dignitate: hoc tu ipſe, in quo ſumma eſt dignitas, non ſervas; cur enim quemquam, ut [e] ſtudeat tibi, ut te adjuvet, rogas? rogas tu me, ut mihi præſis, ut committam ego me tibi; quid tandem? iſtuc me rogari oportet abs te, an te potius à me, ut pro mea ſalute laborem periculumque ſuſcipias? Quid, quod habes

[d] *cœnaculum.* [e] *faveat.*

19. *Eodem ex ſtudio.*] Eandem doctrinam Stoicorum ſecutus eſt Q. Tubero, de quo loquitur lib. de claris Orat. quem fuiſſe nepotem L. Paulli ait; fuit autem Scipio Africanus minor, filius Paulli Æmilii, hujus nepos Maximus; ita Maximus hic habuit patruum Scipionem, id eſt, fratrem patris ſui Paulli.

21. *Cum epulum.*] Tubero publicum convivium in funere Scipionis dedit.

25. *Lectulos Punicanos.*] Lectuli Puniçani viles ſunt & abjecti, qualibus utebantur Africani olim, & Carthaginienſes.

Ib. *Vaſa Samia.*] Vaſa Samia & fictilia ſunt, quæ in inſula Samo fiebant.

Ib. *Diogenes Cynicus mortuus.*] Diogenes patria Sinopenſis fuit, Antiſthenis diſcipulus, qui abjecta omni ſolicitudine cibum ſuum in ſingulos dies emendicabat; habitavit in portarum veſtibulis; cumque ſe contorqueret in dolio, volubilem ſe habere domum jocabatur, & ſe cum temporibus immutantem. Obiit ferme nonagenarius.

27. *Supremo ejus die.*] Ultimus vitæ dies ſupremus dicitur.

Ib. *Maximus laudaret.*] Fabius Maximus, Scipionis frater, oratione funebri Africanum laudavit. Orationes autem ejuſmodi à propinquis vulgo habebantur.

31. *Perverſam ſapientiam.*] Illam auſteram Stoicorum ſapientiam ſeu philoſophiam perverſam vocat, quia omnis humanitatis expers videbatur.

33. *Prætura dejectus eſt.*] Tubero in petitione Prætura repulſam paſſus eſt à po-

habes nomenclatorem? in eo quidem [f] fallis & decipis. Nam si nomine appellari abs te cives tuos honestum est; turpe est eos notiores esse servo tuo quam tibi; sin etiam noris, tamen per monitorem appellandi sunt? cur ante petis, quam insusurravit? aut quid, cum admoneris, tamen quasi tute noris, ita salutas? quid, posteaquam es designatus, multo salutas negligentius? hæc omnia ad rationem civitatis si dirigas, recta sunt: sin perpendere ad disciplinæ præcepta velis, reperiantur pravissima. Quare nec plebi Romanæ eripiendi fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conviviorum; quæ omnia majores nostri comparaverunt: nec candidatis ista benignitas adimenda est, quæ liberalitatem magis significat, quam largitionem.

XVII. At enim te ad accusandum respub. adduxit. Credo, Cato, te isto animo, atque ea opinione venisse: sed tu imprudentia laberis. Ego quod facio, Judices, cùm amicitiæ dignitatisque L. Murænæ gratia facio; tum me pacis, otii, concordiæ, libertatis, salutis, vitæ denique omnium vestrûm causa facere clamo atque obtestor. Audite, audite consulem, Judices, nihil dicam arrogantius, tantum dicam, totos dies atque noctes de republica cogitantem. Non usque eò L. Catilina rempublicam despexit atque contempsit, ut ea copia, quam secum eduxit, se hanc civitatem oppressurum arbitraretur; latius patet illius sceleris contagio, quàm quisquam putat: ad plures pertinet. Intus, intus, inquam, est equus Trojanus, à quo nunquam, me consule, dormientes opprimemini. Quæris à me, quid ego Catilinam metuam? Nihil; & curavi ne quis metueret: sed copias illius, quas hìc video, dico esse metuendas: nec tam timendus est nunc exercitus L. Catilinæ, quam isti, qui illum exercitum deseruisse dicuntur: non enim deseruerunt; sed ab illo in speculis atque insidiis relicti, in capite, atque in cervicibus nostris restiterunt; hi & integrum consulem, & bonum imperatorem, & natura & fortuna cum reipub. salute conjunctum, dejici de urbis præ-

[f] *falleris & deciperis.*

à populo propter illius sordes & avaritiam.

42. *Nomenclatorem.*] Nomenclator est is qui subjicit nomina civium ignotorum: quem tamen habuisse Catonem negat Plutarchus, cum etiam lege vetitum esset, ne petitores haberent nomenclatorem.

46. *Tute.*] Id tu ipse per te, & non per alium noris.

1. *At enim.*] Jam aggreditur eam partem refutare, in qua dixerat Cato se Reipub. causa Murænam accusare: cui Cicero respondet, se eum & ipsius, & Reipublicæ causa defendere.

12. *Est equus Trojanus.*] Equi Trojani egregie describitur historia apud Virg. lib. 2. Æneid. ideoque nota omnibus. Sed tantum vult ostendere, non ab iis qui Catilinam secuti sunt, sed ab iis qui in civitate remanserunt, pertimescendum esse.

17. *In speculis.*] Speculæ loca sunt editiora, è quibus venientes prospiciuntur.

19. *Integrum Consulem.*] Integer vitæ dicitur, qui nulla labe sceleris infectus est.

ſidio, & de cuſtodia civitatis veſtris ſententiis deturbari volunt; quorum ego ferrum & audaciam rejeci in campo, debilitavi in foro, compreſſi etiam domi meæ ſæpe, Judices; his vos ſi alterum conſulem tradideritis, plus multo erunt veſtris ſententiis, quàm ſuis gladiis conſecuti. Magni intereſt, Judices, id quod ego multis repugnantibus egi atque perfeci, eſſe Kalendis Januar. in repub. duos conſules. Nolite arbitrari, mediocribus conſiliis, aut uſitatis viis, aut lege improba, aut pernicioſa largitione auditum aliquando aliquod malum reipub. quæri. Inita ſunt in hac civitate conſilia, Judices, urbis delendæ, civium trucidandorum, nominis Romani extinguendi; atque hæc cives, cives, inquam, ſi eos hoc nomine appellari fas eſt, de patria ſua & cogitant, & cogitaverunt; horum ego quotidie conſiliis occurro, audaciam debilito, ſceleri reſiſto, ſed vos moneo, Judices, in exitu eſt jam meus conſulatus: nolite mihi ſubtrahere [a] vicarium meæ diligentiæ; nolite adimere eum, cui remp. cupio tradere incolumem, ab his tantis periculis defendendam. Atque ad hæc mala, Judices, quid accedat aliud, non videtis? te, te appello, Cato: nonne proſpicis tempeſtatem anni tui? jam enim heſterna concione intonuit vox pernicioſa deſignati [tribuni] collegæ tui: contra quem multùm tua mens, multùm omnes boni providerunt, qui te ad tribunatus petitionem vocaverunt. Omnia, quæ per hoc triennium agitata ſunt jam ab eo tempore, quo à L. Catilina, & Cn. Piſone initum conſilium Senatus interficiendi ſcitis eſſe, in hos dies, in hos menſes, in hoc tempus erumpunt. Qui locus eſt, Judices? quod tempus? qui dies? quæ nox? cum ego non ex illorum inſidiis ac mucrònibus non ſolum meo, ſed multo etiam magis divino conſilio eripiar atque evolem? neque iſti me meo nomine

[a] *ſucceſſorem.*

22. *Rejeci in campo.*] In campo Martio rejecit impetus conjuratorum, quando in comitiis lorica tectus venit, & omnes ſe conſuli adjunxerunt.

Ib. *Debilitavi in foro.*] Debilitavit in foro cum tam vehementer concionatus eſt apud populum in Catilinam.

23. *Compreſſi domi meæ.*] Compreſſit domi, cum Cornelius eques Rom. & T. Vargunteius miſſi à Catilina ſunt, quaſi eum ſalutaturi; ſed ut eum reverà interficerent. Vide Orat. in Catil.

Ib. *Alterum Conſulem.*] Murænam.

25. *Multis repugnantibus.*] Catilina & cæteri conjurati nolebant eſſe conſules Kalendis Januariis.

34. *In exitu eſt jam meus conſulatus.*] Proximis Kalendis Januariis conſulatum deponebat Cicero.

40. *Deſignati Tribuni.*] Metellus Nepos conjuratis favebat.

42. *Te ad Tribunatus petitionem vocaverunt.*] Plutarchus ſcribit in vita Catonis, hunc ad ſua prædia in Lucaniam, per otium, ruſticationis gratia euntem, hoc conſilio ſtatim ante veſperam ejus diei quo fuerat egreſſus, monentibus & rogantibus amicis, ex ipſo itinere Romam revertiſſe, ut hic ſeſe Metello & ejus furioſis conſiliis opponerent, quem hoc ipſo in itinere ad petitionem Tribunatus Romam properare, primum reſolverat.

43. *à L. Catilina, & Cn. Piſone.*] Loquitur de prima conjuratione q æ Lepido & Volcatio Coſſ. facta eſt. Vide Salluſt.

inter-

interfici, ſed vigilantem conſulem de reip. præſidio demovere volunt: nec minus vellent, Cato, te quoque aliqua ratione, ſi poſſent, [b] tollere: id quod, mihi crede, & agunt, & moliuntur: vident quantum in te ſit animi, quantum ingenii, quantum auctoritatis, quantum reipub. præſidii: ſed cùm conſulari auctoritate & auxilio ſpoliatam vim tribunitiam viderent, tum ſe facilius inermem & debilitatum te oppreſſuros arbitrantur; nam ne ſufficiatur conſul, non timent: vident in tuorum poteſtate collegarum fore: ſperant ſibi Silanum, clarum virum, ſine collega, te ſine conſule rempub. ſine præſidio objici poſſe. His tantis in rebus, tantiſque in periculis, eſt tuum, M. Cato, qui non mihi, non tibi, ſed patriæ natus es, videre quid agatur, retinere adjutorem, defenſorem, ſocium in republica, conſulem non [c] cupidum, conſulem, (quod maxime tempus hoc poſtulat) fortuna conſtitutum ad amplexandum otium, ſcientia ad bellum gerendum, animo & uſu ad quod velis negotium. Quanquam hujuſce rei poteſtas omnis in vobis ſita eſt, Judices: totam rempub. vos in hac cauſa tenetis, vos gubernatis. Si L. Catilina cum ſuo [d] conſilio nefariorum hominum, quos ſecum eduxit, hac de re poſſet judicare, condemnaret L. Murænam: ſi interficere poſſet, occideret; petunt enim rationes illius, ut orbetur auxilio reſp. ut minuatur contra ſuum furorem imperatorum copia: ut major facultas Tribunis-plebis detur, depulſo adverſario, ſeditionis ac diſcordiæ concitandæ. Idemne igitur delecti ampliſſimis ex ordinibus honeſtiſſimi atque ſapientiſſimi viri judicabunt, quod ille importuniſſimus gladiator hoſtis reipub. judicaret? Mihi credite, Judices, in hac cauſa non ſolum de L. Murænæ, verum etiam de veſtra ſalute ſententiam feretis; in diſcrimen extremum venimus: nihil eſt jam unde nos reficiamus, aut ubi lapſi reſiſtamus; non ſolum minuenda non ſunt auxilia quæ habemus; ſed etiam nova, ſi fieri poſſit, comparanda; hoſtis eſt enim non apud Anienem, quod bello Punico graviſſimum viſum eſt: ſed in urbe,

[b] *occidere.* [c] *avarum.* [d] *cœtu.*

54. *Spoliatam vim Tribunitiam.*] Periculum Catonis cum Murænæ periculo conjungit; nam ſi damnetur Muræna, dabitur occaſio Catilinariis Catonem opprimendi: nam ipſi conſul non aderit; nam in locum Murænæ nullus ſubſtituetur alius invitis Tribunis, quia interceſſione ſua comitia impedient: & ſic Silano ſibi ſumendi collegam poteſtatem auferent.

68. *Petunt enim.*] Conjurati conantur perdere eum, & fortunas & dignitatem.

71. *Tribunis-plebis.*] Tribuni-plebis, qui ſeditiones moliuntur, facilius ad exitium perniciosa ſua conſilia perducent, ſi Murænam à conſulatu removeant.

79. *Apud Anienem.*] Bello ſecundo Punico, cum Capuam M. Fulvius obſideret, Annibal, ut eum caſtra movere cogeret, ſubito conſilium cepit ad urbem exercitum adducendi; itaque caſtra locavit ad fluvium Anienem, ad tertium ab urbe lapidem. Vide Livium, lib. 26.

in

in foro: dii immortales! ſine gemitu hoc dici non poteſt: non nemo etiam in illo ſacrario reipub. in ipſa, inquam, curia non nemo hoſtis eſt. Dii [e] faxint, ut meus collega, vir fortiſſimus, hoc Catilinæ nefarium latrocinium armatus opprimat: ego togatus, vobis, boniſque omnibus adjutoribus, hoc quod conceptum reſpublica periculum parturit, conſilio diſcutiam & comprimam. Sed quid tandem fiet, ſi hæc elapſa de manibus noſtris in eum annum, qui conſequitur, redundarint? Unus erit conſul, & is non in adminiſtrando bello, ſed in ſufficiendo collega occupatus; hunc jam qui impedituri ſint, * * Illa peſtis immanis, importuna, Catilinæ prorumpet, qua poterit: & jam populo Romano minatur: in agros ſuburbanos repente advolabit: verſabitur in caſtris furor, in curia timor, in foro conjuratio, in campo exercitus, in agris vaſtitas: omni autem in ſede ac loco ferrum flammamque metuemus; quæ jam diu comparantur, eadem iſta omnia, ſi [f] ornata ſuis præſidiis erit reſpub. facili & magiſtratuum conſiliis, & privatorum diligentia opprimentur.

[e] *faciant.* [f] *inſtructa.*

8. *In illo ſacrario reip.* Loquitur de curia, quæ in loco ſacrato ſemper habebatur propter ſanctitatem conſiliorum.

Ib. *Non nemo hoſtis eſt.* Quis fuerit non indicatur, certum eſt quoſdam tum è Senatoribus, tum ex equitibus inter conjuratos fuiſſe, quos Salluſtius nominat.

22. *Unus erit conſul.* P. Silanus ſolus erit Conſul, ſi Muræna damnetur; quare non tam in reipub. adminiſtratione occupabitur, quàm in conſule altero ſufficiendo; quia Tribuni plebis ſeditioſi ipſi obſiſtent.

PERORATIO.

Peroratio in motibus commiſerationis excitandis tota verſatur.

XVIII. Quæ cum ita ſint, Judices, primum reſpub. cauſa, qua nulla res cuiquam potior debet eſſe, vos, pro mea ſumma & vobis cognita in rempub. diligentia, moneo, pro auctoritate conſulari hortor, pro magnitudine periculi obteſtor, ut otio, ut paci, ut ſaluti, ut vitæ veſtræ & cæterorum civium conſulatis: deinde ego fidem veſtram, vel defenſoris & amici officio adductus, oro atque obſecro, Judices, ut ne hominis miſeri, & cum corporis morbo, tum animi dolore confecti, L. Murænæ recentem gratulationem nova lamentatione obruatis; modò maximo beneficio populi Rom. ornatus, fortunatus videbatur, quòd primus in familiam veterem, primus in

8. *Recentem gratulationem.* Gratulatio ipſi facta eſt, cum è bello Mithridatico proxime rediit.

9. *Maximo beneficio.* Conſulatu ornatus eſt à populo.

muni-

municipium antiquiſſimum, conſulatum attuliſſet: nunc idem ſqualore ſordidus, confectus morbo, lacrymis ac mœrore perditus, veſter eſt ſupplex, Judices, veſtram [a] fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, veſtram poteſtatem ac veſtras opes intuetur. Nolite, per deos immortales, Judices, hac eum re, qua ſe honeſtiorem fore putavit, etiam cæteris ante partis honeſtatibus, atque omni dignitate fortunaque privare. Atque ita vos Muræna, Judices, orat atque obſecrat, ſi injuſte neminem læſit, ſi nullius aures voluptatemve violavit, ſi nemini, ut leviſſime dicam, odio nec domi, nec militiæ fuit; ſit apud vos modeſtiæ locus, ſit [b] demiſſis hominibus perfugium, ſit auxilium pudori. Miſericordiam ſpoliatio conſulatus magnam habere debet, Judices: unà enim eripiuntur cum conſulatu omnia; invidiam vero his temporibus habere conſulatus ipſe nullam poteſt; objicitur enim concionibus ſeditioſorum, inſidiis conjuratorum, telis Catilinæ: ad omne deniſique periculum, atque omnem invidiam ſolus opponitur. Quare quid invidendum Murænæ, aut cuiquam noſtrûm ſit in hoc præclaro conſulatu, non video, Judices; quæ vero miſeranda ſunt, & ea mihi ante oculos verſantur, & vos videre & perſpicere poteſtis. Si (quod Jupiter omen avertat!) hunc veſtris ſententiis [c] afflixeritis, quo ſe miſer vertet? domumne? ut eam imaginem clariſſimi viri, parentis ſui, quam paucis ante diebus laureatam in ſua gratulatione conſpexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videat? an ad matrem, quæ miſera modo conſulem oſculata filium ſuum, nunc cruciatur & ſolicita eſt, ne eundem paulo poſt ſpoliatum omni dignitate conſpiciat? Sed quid ego matrem aut domum appello, quem nova pœna legis & domo, & parente, & omnium ſuorum conſuetudine conſpectuque privat? Ibit igitur in exilium miſer? quo? ad Orientiſne partes? in quibus annos multos legatus fuit, & exercitus duxit, & res maximas geſſit? at [d] habet magnum dolorem, unde cum honore deceſſeris, eodem cum ignominia reverti. An ſe in contrariam partem terrarum abdet, ut Gallia Tranſalpina, quem nuper ſummo cum imperio libentiſſime viderit, eundem lugentem, mœrentem, exulem videat? in ea porro provincia, quo animo C. Murænam fratrem ſuum adſpiciet?

[a] *auxilium.* [b] *ſupplicibus.* [c] *damnaveritis.* [d] *id affert, &c.*

11. *Municipium antiquiſſimum.*] Lanuvium pagus erat in via Appia, at olim municipium à Diomede poſt everſam Trojam conditum; è quo prodiit Muræna.

32. *Laureatam.*] Qui triumphabant, lauro coronabantur: cum autem fuiſſet Luculli legatus, ut illius victoriæ, ſic & gratulationis etiam, & gloriæ particeps eſſe debuit; ideoque *Laureatam* ejus imaginem vocat.

37. *Nova pœna legis.*] Exilium ſignificat, quo, nova lege lata, præter alias pœnas multantur, qui ambitûs crimine convincuntur.

39. *Orientis partes.*] In Aſiam, quæ in parte Orientali ſita eſt, legatus Luculli fuit.

42. *In contrariam partem.*] Pars Orienti contraria Occidentalis eſt; in hac autem parte fuit Gallia, quo Prætorem iviſſe ſuperius dixit.

ciet?

ciet? qui hujus dolor? qui illius mœror erit? quæ utriuſque lamentatio? quanta autem [e] perturbatio fortunæ atque ſermonis, quòd, quibus in locis paucis antè diebus factum eſſe conſulem Murænam nuncii literæque celebraſſent, & unde hoſpites atque amici gratulatum Romam concurrerint, repente eò accedat ipſe nuncius ſuæ calamitatis? Quæ ſi acerba, ſi miſera, ſi luctuoſa ſunt, ſi alieniſſima à manſuetudine & miſericordia veſtra, Judices; conſervate populi Romani beneficium: reddite reipub. conſulem: date hoc ipſius pudori, date patri mortuo, date generi & familiæ, date etiam Lanuvio, municipio honeſtiſſimo, quod in hac cauſa frequens mœſtumque vidiſtis; nolite à ſacris patriis Junonis Soſpitæ, cui omnes conſules facere neceſſe eſt, domeſticum & ſuum conſulem potiſſimum avellere. Quem ego vobis, ſi quid habet aut momenti commendatio, aut auctoritatis [f] confirmatio mea, conſul conſulem, Judices, ita commendo, ut cupidiſſimum otii, ſtudioſiſſimum bonorum, acerrimum contra ſeditionem, fortiſſimum in bello, inimiciſſimum huic conjurationi, quæ nunc rempublicam labefactat, futurum eſſe promittam ac ſpondeam.

[e] *commutatio.* [f] *affirmatio.*

55. *Lanuvio.*] In cauſis reorum veniebant è municipiis & è provinciis legati, ut pro reo deprecarentur.

56. *Junonis Soſpitæ.*] Soſpita Juno à ſervando dicta eſt. Hæc in primis Lanuvii colebatur magna religione, ut docet Livius. Simulacrum fingebatur cum pelle caprina, haſta, & ſcutulo, & cum calceolis repandis. Hanc Junonem, cujus Lanuvii ædes erat, Romani etiam colebant, unde ſæpe Romanos apud Livium legitur miſiſſe Lanuvium, qui ſacrificio Junonem Soſpitam placarent.

57. *Facere neceſſe eſt.*] Facere eſt ſacrum facere: faciebant autem, cum magiſtratum conſules inibant, Lanuvii Junoni Soſpitæ.

PRO
A. LICINIO
ARCHIA POETA.

ARGUMENTUM.

Silvanus & Carbo legem tulerant, ut ii cives Romani haberentur, qui fœderatis civitatibus adscripti essent, & domicilium in Italia tum, cum lex ferebatur, habuissent, ac intra sexaginta dies apud Prætorem professi essent. Hac lege adductus Gracchus quidam Archiam Poëtam in judicio accusavit, quod in urbe se pro cive gereret, cum non esset. Negavit enim Archiam adscriptum esse fœderatis civitatibus, & latæ legis tempore in Italia domicilium habuisse, ac apud Prætorem professum esse. Cicero, cùm maxime Archiam diligeret, hac oratione ipsum defendit. Ac primum ostendit Archiam civem legitimum esse, cum Heracleæ, & aliis civitatibus adscriptus sit; quia in Italia domicilium habuerat, quando lata lex est: ac denique apud Prætorem professus erat. In hac oratione multa dicit de studiis literarum, & de Archiæ laudibus, persuadetque judicibus, etiamsi non esset civis, tamen propter eruditionem inter cives adscribendum esse.

PERSONÆ.

Gracchus accusator est, Cicero defensor, Prætor Judex.

GENUS CAUSÆ.

In genere judiciali est hæc causa. Quæritur enim an civis sit Romanus Archias, tamen secundum aliquam sui partem pertinere potest ad genus demonstrativum, cum Archias commendetur, & Poëticum nomen extollatur; sed cum omnia referantur ad Archiæ defensionem potissimum in genere judiciali esse dicenda est; quare probabile est habitam fuisse in foro, ubi publica judicia exercebantur.

TEM-

TEMPUS.

Habita eſt anno urbis conditæ 692. M. Pupio Piſone, & M. Val. Meſſala Conſulibus, annum agente Cicerone quadrageſimum ſextum.

PARTES.

Quatuor ſunt, Exordium, Narratio, Confirmatio, Peroratio.

EXORDIUM.

1. *Ab officio Cicero exorditur, quo obſtringitur Archiam defendere.*
2. *Deprecatur, ut ſibi fas ſit novo docendi modo uti.*

1 I. SI quid eſt in me ingenii, Judices, quod ſentio quàm ſit exiguum; aut ſi qua exercitatio dicendi, in qua me non inficior mediocriter eſſe verſatum; aut ſi [a] hujuſce rei ratio aliqua optimarum artium ſtudiis, & diſciplinâ profecta, à qua ego nullum
5 confiteor ætatis meæ tempus abhorruiſſe: earum rerum omnium vel in primis hic A. Licinius fructum à me repetere prope ſuo

INTERPRETATIO.

[a] *dicendi.*

NOTÆ.

1. *Si quid eſt in me ingenii.*] Nihil potentius eſt ad conciliandos auditorum animos oratori, quam modeſta de ſe commemoratio; nec ad alienandos, quam vana de ſe oſtentatio; hæc autem ſingularis fuit in Cicerone modeſtia, ut in pleriſque ejus orationibus, ac præcipue pro Quinctio, Cor. Balbo, &c. videre eſt.

5. *Ætatis meæ tempus.*] Bonarum artium ſtudiis deditus ſemper ut qui maxime fuit Cicero. Adoleſcens Philoſophiæ operam dedit Romæ, ſeſeque tradidit Philoni erudiendum *admirabili quodam ad Philoſophiam ſtudio concitatus*, ut ipſe in Bruto ait. Certe de eo ſcribit Plutarchus in diſcendo ejus ingenium ita eluxiſſe tantumque ſibi nominis & gloriæ inter pueros feciſſe, ut parentes, eum viſendi gratia, commemorat, ad ludum veniſſe ſolitos; quod philoſophandi deſiderium ſemper habuit; poſteaquam enim ad Rempublicam acceſſit, quod otii ſupererat, philoſophiæ dabat: & cum Reſpublica perturbata Cæſaris dominatione fuit, dum ſilebant oratores, iterum philoſophiæ vacavit.

Ib. *Earum rerum omnium.*] Si quid ingenii, & exercitationis, rationis, & artis in Cicerone fuit, id totum acceptum ad Archiam refert.

6. *Prope ſuo jure debet.*] Archias ille præceptor fuit Ciceronis; puer autem Cicero cùm imprimis poëſi delectaretur, Pontium Glaucum tetrametris compoſuit, quem ſua etiam ætate exſtitiſſe Plutarchus ait.

jure

jure debet. Nam quoad longiſſime poteſt mens mea reſpicere ſpatium præteriti temporis, & pueritiæ memoriam recordari ultimam, inde uſque repetens, hunc video mihi [b] principem, & ad ſuſcipiendam, & ad ingrediendam rationem horum ſtudiorum exſtitiſſe. Quòd ſi hæc vox hujus hortatu præceptiſque [c] conformata, nonnullis aliquando ſaluti fuit; à quo id accepimus, quo cæteris opitulari, & alios ſervare poſſemus, huic profecto ipſi, quantum eſt ſitum in nobis, & opem & ſalutem ferre debemus. Ac ne quis à nobis hoc ita dici forte miretur, quòd alia quædam in hoc facultas ſit ingenii, neque hæc dicendi ratio aut diſciplina: ne nos quidem huic cuncti ſtudio penitus unquam dediti fuimus. Etenim omnes artes, quæ ad humanitatem pertinent, habent quoddam commune vinculum, & quaſi cognatione quadam inter ſe continentur. Sed ne cui veſtrûm mirum eſſe videatur, me in quæſtione legitima, & in judicio publico, cum res agatur apud Prætorem populi Romani, lectiſſimum virum, & apud ſeveriſſimos judices, tanto conventu hominum ac frequentia, hoc uti genere dicendi, quod non modo à conſuetudine judiciorum, verum etiam a forenſi ſermone abhorreat: quæſo à vobis, ut in hac cauſa mihi detis hanc [a] veniam, accommodatam huic reo, vobis, quemadmodum ſpero, non moleſtam; ut me pro ſummo poëta, atque eruditiſſimo homine, di-

[b] *auctorem.* [c] *formata.* [d] *poteſtatem.*

10. *Ad ſuſcipiendam, & ad ingrediendam.*] Suſcepit ductus conſiliis Archiæ, & ingreſſus eſt labore & exercitatione continua ſtudium literarum.

13. *Alios.*] Ait ſe edoctum fuiſſe ab Archia eloquentiam, quod eos ſublevavit qui ſuo patrocinio indigebant.

16. *In hoc facultas.*] Archias cum poeta ſit, alia facultate præditus eſt; nam ab oratore differt Poeta; quare alia in eo fuit dicendi ratio.

17. *Ne nos.*] Oratores.

Ib *Cuncti.*] Appius, *uni*, legeretur, & ita reponendum Lambinus cenſet.

20. *Continentur.*] Omnes artes inter ſe uniri contendit, & loquitur de hac omnium diſciplinarum Encyclopædia, quam ex ſententia Platonis exponit ſic lib. 3. de Orat. *Eſt etiam illa Platonis vera, & tibi, Catule, cer.e non inaudita vox, omnem doctrinam horum ingenuarum & humanarum artium uno quodam ſocietatis vinculo contineri; ubi enim perfecta vis eſt rationis ejus, quæ cauſæ rerum, atque exitus cognoſcuntur, mirus quidam omnium quaſi conſenſus doctrinarum, concentuſque reperitur.*

21. *In quæſtione legitima.*] Quæſtio legitima ea cauſa dicitur, quæ legibus conſtituta eſt, & quæ quærendi, & vocandi quempiam in judicum poteſtatem facit.

Ib. *In judicio publico.*] Publica judicia dicta ſunt, quæcunque aut Magiſtratus ipſi jus dicentes decreverunt, aut judices à Magiſtratu jus dicente dati de jure ſtatuerunt; quoniam autem jus aliud privatum fuit, aliud publicum, propterea judicia alia privata, alia publica exſtiterunt; privata quidem de controverſiis inter cives; publica vero de criminibus agebant.

22. *Apud Prætorem.*] De numero Prætorum, & de eorum poteſtate jam dictum in Orat. pro lege Manil. Parag. 1. not. ad lin. 11. loquitur de urbano, apud quem de controverſiis civium agebatur.

23. *Severiſſimos judices.*] Dabantur judices à Prætore, apud quos nullus miſericordiæ & lenitatis locus eſt.

centem,

centem, hoc concurſu hominum literatiſſimorum, hac veſtra humanitate, hoc denique Prætore exercente judicium, patiamini de ſtudiis humanitatis ac literarum paulo loqui liberius: & in [e] ejuſmodi perſona, quæ propter otium ac ſtudium [f] minime in judiciis periculiſque tractata eſt, uti prope novo quodam & inuſitato genere dicendi. Quod ſi mihi à vobis tribui concedique ſentiam; perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non ſegregandum, cùm ſit civis, à numero civium; verum etiam, ſi non eſſet, putetis aſciſcendum fuiſſe.

[e] *tali.* [f] *nunquam habuit experientiam judiciorum.*

29. *Hominum literatiſſimorum.*] Convenerant ad illud judicium fere omnes illi qui bonarum literarum ſtudiis erant dediti, quod non ſolum Archiæ, verum etiam literarum, literatorumque omnium cauſa agi videretur.

NARRATIO.

In hac narratione deſcribit vitam Archiæ à quinque capitibus: 1. à ſtudiis: 2. à patria: 3. à fama: 4. ab adventu ejus in urbem, & familiaritate cum viris clariſſimis: 5. à civitate.

II. Nam ut primum ex pueris exceſſit Archias, atque ab iis artibus, quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet, ſe ad ſcribendi ſtudium contulit; primùm Antiochiæ (nam ibi natus eſt, [a] loco nobili, & celebri quondam urbe & copioſa, atque eruditiſſimis hominibus liberaliſſimiſque ſtudiis affluenti) celeriter antecellere omnibus ingenii gloriâ contigit; poſt in cæteris Aſiæ partibus, cunctæque Græciæ, ſic ejus adventus celebrabatur, ut famam ingenii expectatio hominis, expectationem ipſius adventus admiratioque ſuperaret. Erat Italia tunc plena Græcarum artium ac diſciplinarum: ſtudiaque hæc & in Latio vehementius tum colebantur,

[a] *genere.*

2. *Iis artibus.*] Grammatica, Rhetorica, Poëſis, Hiſtoria, Geographia, artes ſunt, quibus ad humanitatem excoluntur animi, & quaſi novam formam accipiunt.

3. *Antiochiæ.*] Antiochia urbis Syriæ metropolis, quam Strabo, lib. 16. à Seleuco Nicanore conditam ait.

10. *Græcarum artium.*] Ex Græcia in Italiam, tanquam ex fonte, omnes artes liberales profluxerunt; ſed maxime poſt everſam Carthaginem.

11. *In Latio.*] Ante Sociale bellum, literæ in Latio floruerunt. Latium ſeparatum fuit ab Italia: nam univerſa Italia ſic dividebatur ut ejus proprie pars Latium diceretur, à Tiberi uſque L. millium paſſ. longitudine, qua in parte Roma fuit. Altera pars nomen univerſale retinuit, & Italia dicta eſt. Hinc alii Latini, alii Italici. Tertia, Gallia citerior in provinciæ formam redacta. Hinc jura quatuor, Provincialium, Italicorum, Latinorum, Quiritium, ſive civium Rom.

bantur,

bantur, quàm nunc iisdem in oppidis: & hîc Romæ propter tranquillitatem reipub. non negligebantur. Itaque hunc & Tarentini, & Rhegini, & Neapolitani civitate cæteriſque præmiis donarunt: & omnes, qui aliquid de ingeniis poterant judicare, cognitione, atque hoſpitio dignum exiſtimarunt. Hac tanta celebritate famæ cum eſſet jam abſentibus notus, Romam venit, Mario conſule, & Catulo; nactus eſt primùm conſules eos, quorum alter res ad ſcribendum maximas, alter cùm res geſtas, tum etiam ſtudium atque aures adhibere poſſet; ſtatim Luculli, cùm prætextatus etiam tum Archias eſſet, eum domum ſuam receperunt. Sed etiam hoc non ſolum ingenii ac literarum, verum etiam naturæ atque virtutis fuit, ut domus, quæ hujus adoleſcentiæ prima fuerit, eadem eſſet familiariſſima ſenectuti. Erat temporibus illis jucundus Q.

12. *Romæ propter tranquillitatem.*] Primi Romani literas neglexerunt, ſed Poetas præcipue, uni arti militari deditì. Unde Cato, in oratione M. Nobiliori, tanquam probrum objecit, quod in provinciam Poetas duxiſſet; at cùm tranquillior facta eſt reſpub. contulerunt ſe Romani ad diſciplinas excolendas, quas à Græcis acceperunt.

13. *Tarentini, &c.*] Tarentini populi ſunt in majore Græcia, id eſt, in Calabria, & in Campania ad oram maritimam, Siciliam verſus, ubi ſita Neapolis eſt.

14. *Civitate donarunt.*] Ex jure Romano, nemo duarum civitatum civis eſſe poterat; de quo vide Orat. pro Cæcina. At inter alias civitates quiſque diverſarum jure gaudere poterat. Tarentini vero, Rhegini, & Neapolitani erant civitate donati.

16. *Hoſpitio.*] Mos invaluerat illis temporibus, ut urbium diverſarum cives jus inter ſe privati hoſpitii contraherent. Hoſpitii autem neceſſitudo tum inter privatos, tum inter populos contrahebatur: neque id quidem, modò, ſed etiam inter ſingulos privatoſque homines, & civitates. Quod inter populos Latini hoſpitium publicum, Græci πρόξενίαν, quod inter privatos & ſingulos privatum, Græci ξενίαν vocaverunt; hujus erat nota pignuſque teſſera hoſpitalis; unde apud Plautum in Pœnul. *Deum hoſpitalem & teſſeram mecum fero.*

17. *Mario conſule, & Catulo.*] Anno urbis conditæ 651. Marius & Catulus coſſ. fuerunt.

18. *Quorum alter.*] Marius quartum jam conſulatum agebat, & capto Jugurthâ, devictis Cimbris, Teutonis, & Ambronibus, ſcribendi maxima argumenta dederat. De rebus ejus geſtis vide Plutarchum, in ejus vita.

19. *Alter cùm res geſtas.*] De Catulo magnificè loquitur, tum in lib. 3. de Orat.

20. *Luculli.*] Lucius & Marcus Luculus fratres fuêre. Lucius autem de Mithridate & Tigrane, Marcus vero de Macedonia triumphavit. De Lucio ſcribit Plutarchus, plurimos pulcherrimoſque coëgiſſe libros, ſtudioſo cuique bibliothecam ſuam perpetuo aperuiſſe, ibique loquendo, legendo, diſputando, diem jucunde Græcos poſuiſſe, quos ſovebat, colebat, conviviis excipiebat; denique proprios lares, liberam Græcorum, qui Romam veniebant, aulam feciſſe.

Ib. *Prætextatus.*] Veſtis fuit puerorum nobilium & ingenuorum apud Romanos *prætexta*, qua utebantur ad annum decimum quintum. Credibile eſt provectiori ætate fuiſſe Archiam, at dici à Cicerone *Prætextatum*, quòd, licet juvenis, tamen, propter ingenium & doctrinam, apud Lucullos receptus eſt, & donatus civitate.

24. *Familiariſſima ſenectuti.*] Vult oſtendere Cicero tanta fuiſſe probitate Archiam, ut eandem laudem, quam ſibi juvenis vindicaverat, ad extremam uſque ſenectutem retinuerit.

Ib. *Illis jucundus.*] Multa grata ſunt, quæ non ſunt jucunda; at nihil jucundum eſſe poteſt, quod non ſit gratum.

Metello illi Numidico, & ejus Pio filio: audiebatur à M. Æmilio: vivebat cum Q. Catulo, & patre & filio: à L. Craſſo colebatur: Lucullos verò, & Druſum, & Octavios, & Catonem; & totam Hortenſiorum domum devinctam conſuetudine cùm teneret, afficiebatur ſummo honore, quòd eum non ſolùm colebant, qui aliquid percipere aut audire ſtudebant, verùm etiam, ſi qui forte ſimulabant. [b] Interim ſatis longo intervallo, cùm eſſet cum L. Lucullo in Siciliam profectus, & cum ea provincia cum eodem Lucullo decederet, venit Heracleam. Quæ cùm eſſet civitas æquiſſimo jure ac fœdere, adſcribi ſe in eam civitatem voluit: idque, cùm ipſe per ſe dignus putaretur, tum auctoritate, & gratiâ Luculli ab Heraclienſibus impetravit. Data eſt civitas Silvani lege, & Carbonis, SI QUI FŒDERATIS CIVITATIBUS ADSCRIPTI FUISSENT: Si TUM, CUM LEX FEREBATUR, IN ITALIA DOMICILIUM HABUISSENT: ET SI SEXAGINTA DIEBUS APUD PRÆTOREM ESSENT PROFESSI. Cum hic domicilium Romæ multos jam annos haberet, profeſſus eſt apud Prætorem Q. Metellum, familiariſſimum ſuum.

[b] *Poſtea.*

25. *Metello Numidico.*] Q. Cæcilius Metellus Numidicus appellatus eſt, quòd conſul duobus prœliis Jugurtham fuderit, & totam Numidiam vaſtaverit. Hic Plutarcho referente, Lucullorum avunculus fuit.

Ib. *Pio filio.*] Q. Metellus, Numidici filius, Pius dictus eſt, quod precibus ſuis reditum ab exilio patris obtinuerit.

Ib. *M. Æmilio.*] Æmilius Scaurus princeps Senatûs fuit, & magnæ vir apud Romanos auctoritatis.

26. *Q. Catulo.*] Orator fuit & conſul Q. Catulus.

Ib. *L. Craſſo.*] Lucius Craſſus magnus orator fuit, quem in lib. de Orat. loquentem inducit Cicero.

27. *Druſum*] M. Catonis is Druſus avunculus fuit, quem Tribunum plebis initio belli ſocialis, domi interfectum fuiſſe Velleius ſcribit.

Ib. *Octavios.*] Tres fuêre Octavii, Cnæus, qui cum Cinnâ Conſul fuit, & quem leges pernicioſas molientem ex urbe expulit; alter Cnæus, non eodem patre natus, qui Curionis in conſulatu collega fuit, Lucius Cnæi frater, qui cum Cottâ Conſul fuit.

Ib. *Catonem.*] Hic Cato pater Uticenſi fuit, qui ſemetipſum interfecit.

32. *Siciliam profectus.*] L. Lucullus Quæſtor in Aſiam profectus eſt, & Prætor Siciliam, ac Conſul Aſiam obtinuit; eum Archias in eas provincias ſecutus eſt.

33. *Heracleam.*] Heraclea civitas Italiæ in Campaniæ finibus fuit, ubi Tarentum, Rhegium, aliæque civitates, de quibus ſupra. Strabone teſte, primum Trojâ, ſed poſtea inductis Tarentinorum colôniis, Heraclea dicta eſt; cum autem haberet jus civitatis Romanæ hæc urbs Heraclea, atque inter ejus cives adſcriptus eſſet, Archias certe jure civitatis Romanæ fruebatur; nam fœderatæ civitates eodem quo Romani privilegio utebantur.

34. *Æquiſſimo jure ac fœdere.*] Fœdus iſtud cum Heraclea ſancitum eſt Pyrrhi temporibus, Fabricio Conſule, anno U. C. 475.

37. *Silvani lege, & Carbonis.*] Cn. Pompeio Strabone, & L. Porcio Carbone coſſ. M. Plautius Silvanus, & Cn. Papirius Carbo Tribuni plebis legem tulere de peregrinis, ut hic ſubjacet, *ſi qui fœderatis*, &c.

40. *Sexaginta diebus.*] Tria legis capita fuerunt, ſi quis fœderatæ civitati adſcriptus eſſet, ſi in Italia domiciſſum haberet, ſi ſexaginta diebus cenſum apud Prætorem profeſſus eſſet, id eſt, intra diem ſexageſimum poſt latam legem profeſſus eſſet ſe civem Romanum eſſe.

CON-

CONFIRMATIO.

Duas habet partes, quarum hæc prima est, Civis Romanus est Archias.

III. Si nihil aliud, nisi de civitate ac lege dicimus, nihil dico amplius: causa [a] dicta est. Quid enim horum infirmari, Gracche, potest? Heracleæne esse eum adscriptum negabis? adest vir summâ auctoritate, & religione, & fide, M. Lucullus, qui se non opinari, sed scire; non audivisse, sed vidisse; non interfuisse, sed egisse dicit. Adsunt Heraclienses legati, nobilissimi homines, qui hujus judicii causâ cum mandatis & cum publico testimonio venerunt, qui hunc adscriptum Heraclienſem dicunt. Hic tu tabulas desideras Heraclienſium publicas, quas Italico bello, incenso tabulario, interisse scimus omnes. Est ridiculum ad ea quæ habemus nihil dicere; quærere quæ habere non possumus: & de hominum memoriâ tacere, literarum memoriam flagitare: &, cum habeas amplissimi viri religionem, integerrimi municipii jusjurandum fidemque, ea, quæ depravari nullo modo possunt, repudiare; tabulas, quas idem dicis solere corrumpi, desiderare. An domicilium Romæ non habuit is, qui tot annis ante civitatem datam, sedem omnium rerum ac fortunarum suarum Romæ collocavit? At non est profeſſus; imo vero iis tabulis profeſſus, quæ solæ ex illa pro-

[a] *defensa.*

5. *Non opinari.*] Leviter aliquando opiniones à rei veritate alienæ concipiuntur. Affert testimonium Luculli.

6. *Adsunt Heraclienses legati.*] Locus à testibus, in quo multum roboris & firmamenti est.

9. *Tabulas publicas.*] In tabulis publicis omnia acta publica civitatis, & omnium civium nomina continebantur.

10. *Italico bello.*] Spe civitatis obtinendæ, Italiæ populi dejecti, tandem factâ conspiratione, populo Rom. bellum intulerunt, quod & Sociale dictum est, & Marsicum, quod à Marsis primum sit excitatum.

Ib. *Incenso tabulario.*] Tabularium locus est ubi servabantur tabulæ publicæ.

11. *Quærere quæ habere non possumus.*] Ostendit ridiculum esse tabulas quærere quæ perierunt, quæque duntaxat proferuntur, ut per eas præteritorum memoria conservetur, cum præsertim recens sit memoria Archiam esse civitate donatum; & habeantur testimonia Luculli, Heraclienſium, &c.

13. *Religionem.*] Per Religionem intelligit juramentum, quia juratus testis dicebat testimonium, quod tunc religiosum putabatur.

14. *Municipii.*] Municipium oppidum est jure civitatis Romanæ donatum, quod alio nomine Plinius oppidum civium Romanorum appellavit.

17. *Sedem omnium rerum.*] Constituit vivere & mori Romæ Archias; argumentatur à domicilio sive loco.

19. *Is tabulas profeſſus.*] Curavit nomen suum in eas tabulas referri, sicut lex præscribebat; non in eas tabulas, quæ negligentius asservabantur à Prætore, & in quibus plures sæpe nomina furtim inscribebant; sed in eas tabulas quæ à Metello viro sanctissimo asservatæ sunt; probat autem tabulis profeſſum esse Archiam.

20 ſeſſione, collegioque Prætorum obtinet publicarum tabularum auctoritatem. Nam cùm Appii tabulæ negligentius aſſervatæ dicerentur; Gabinii, quamdiu incolumis fuit, levitas, poſt damnationem, calamitas, omnem tabularum fidem reſignaſſet; Metellus, homo ſanctiſſimus modeſtiſſimuſque omnium, tantâ diligen-
25 tiâ fuit, ut ad L. Lentulum Prætorem, & ad judices venerit, & unius nominis liturâ ſe commotum eſſe dixerit. His igitur tabulis nullam lituram in nomen A. Licinii videtis. Quæ cum ita ſint, quid eſt quòd de ejus civitate dubitetis, præſertim cum aliis quoque in civitatibus fuerit adſcriptus? Etenim cum mediocri-
30 bus multis, & aut nulla, aut humili aliqua arte præditis, gratuitò civitatem in Græcia homines impertiebantur; Rheginos, credo, aut Locrenſes, aut Neapolitanos, aut Tarentinos, quod ſcenicis artificibus largiri ſoleant, id huic ſumma ingenii præditio gloria, noluiſſe? Quid? cum cæteri non modo poſt civi-
35 tatem datam, ſed etiam poſt legem Papiam, aliquo modo in eorum municipiorum tabulas irrepſerint; hic, qui nec utitur quidem illis, in quibus eſt ſcriptus, quod ſemper ſe Heraclienſem eſſe voluit, rejicietur? Cenſus noſtros requiris ſcilicet. Eſt enim obſcurum, proximis cenſoribus, hunc tum clariſſimo impera-

21. *Appii tabulæ.*] Appius & Gabinius Prætores fuerunt, cum Archias profeſſus eſt.

22. *Incolumis fuit.*] Qui nondum condemnatus in judicio eſt, dicitur incolumis.

Ib. *Poſt damnationem.*] Quo crimine damnatus fuerit, non conſtat. Hic enim non eſt iſte A. Gabinius, qui poſtea cum L. Piſone Conſul fuit, & cujus mentio fiet in *Piſoniana.*]

23. *Reſignaſſet.*] Tabulæ evulgatæ ſunt poſt damnationem & calamitatem Gabinii; quia antea erant tabulæ ejuſmodi Prætoris annulo obſignatæ.

Ib. *Metellus.*] Apud Metellum Prætorem Archias profeſſus eſt.

26. *Unius nominis liturâ.*] In iis tabulis unius tantum nominis litura reperta eſt, quâ ſe commotum Metellus dixit; at in Archiæ nomine nulla erat.

29. *Cum mediocribus multis.*] Argumentum à minore ad majus facit, ſi civitate donati ſunt levioris artis homines: certe & ea donatus eſt Archias, qui præſtantiſſimis artibus ornatus eſt.

30. *Gratuito.*] Sine merito, & artis alicujus gloria, civitatem concedebant: quidni concedetur tam inſigni viro?

31. *In Græcia.*] Magnam Græciam intelligit, quæ pars erat Italiæ, cujus initium erat à Latii finibus, & ad Tarentum uſque & Cumas extendebatur.

32. *Locrenſes.*] A Locrenſibus etiam civitate donatus eſt Archias; populi autem illi ſunt in extremâ Italiæ orâ, quæ magna Græcia dicta eſt.

33. *Scenicis artificibus.*] Artes intelligit viles & abjectas; argumentatur à minori ad majus.

35. *Poſt legem Papiam.*] Primum lege à Petronio latum erat, ut omnes peregrini jure civitatis carerent; hanc iterum Papius Tribunus plebis, coſſ Cotta & Manlio, anno urbis conditæ 688. reſtauravit. De utrâque lib. 3. Offic. loquitur.

36. *In tabulas irrepſerint.*] Cum aliqui curaverint, ut nomen ſuum vel Prætorum negligentiâ, vel fraude in tabulis publicis latenter inſcriberetur; cur non obtinebit Archias? *&c.*

38. *Cenſus noſtros requiris.*] Negabat adverſarius à Cenſoribus Archiam cenſum eſſe; mos enim fuit apud Romanos, ut quinto quoque anno capita civium Romanorum cenſerentur. Reſpondet autem Cicero ideo cenſum non eſſe, vel quia Româ aberat, quando cenſebatur populus, vel quia eo præſente cenſendi ratio neglecta eſt; cenſus autem non confirmat jus civitatis, hoc eſt, non facit neque confirmat civem, ſed tantummodo indicat eum qui ſit cenſus.

tore

tore L. Lucullo apud exercitum fuiſſe: ſuperioribus, cum eodem Quæſtore fuiſſe in Aſia: primis, Julio & Craſſo, nullam populi partem eſſe cenſam. Sed quoniam cenſus non jus civitatis confirmat, ac tantummodo indicat, eum, qui ſit cenſus, ita ſe jam tum geſſiſſe pro cive: iis temporibus, quæ tu criminaris, ne ipſius quidem judicio eum in civium Rom. jure eſſe verſatum, & teſtamentum ſæpe fecit noſtris legibus, & adiit hæreditates civium Rom. & in beneficiis ad ærarium delatus eſt à L. Lucullo Prætore, & Conſule. Quære argumenta, ſi qua potes: nunquam enim hic neque ſuo, neque amicorum judicio [b] revincetur.

[b] *convincetur.*

40. *Superioribus.*] L. Marcius Philippus, & M. Perpenna, tertio poſt anno luſtrum 66. fecerunt, quo tempore in Aſia Archias fuit cum Luculto Quæſtore. Cenſura deinde intermiſſa fuit uſque ad annum ſexcenteſimum ſeptuageſimum tertium, quo L. Gellius, Cn. Lentulus cenſores luſtrum ſexageſimum ſeptimum fecerunt, cum Lucullus in Aſia bellum contra Mithridatem adminiſtrabat, & hi ſunt quos Cicero *proximos* appellat. [*Hottoman.*]

41. *Julio & Craſſo.*] L. Julius Cæſar, P. Licinius Craſſus cenſores fuêre, Cn. Pompeio & Porcio Catone coſſ. anno urbis 664. [*Hottoman.*]

44. *Geſſiſſe pro cive.*] Gerit ſe pro cive, qui jure civitatis utitur, ſive civis ſit, ſive non ſit.

Ib. *Ipſius.*] Archiæ judicio contendebat adverſarius eum non eſſe civem Romanum.

46. *Teſtamentum fecit.*] A teſtamento facto, ab adita hæreditate, & à delatione ad ærarium, probat Archiam civem eſſe Rom. Porrò teſtamentum facere, & accipere quid teſtamento, ad cives tantùm pertinebat; utroque jure peregrini privabantur.

Ib. *Adiit hæreditates.*] Licebat quemlibet, modò civis Romanus eſſet, hæredem facere.

47. *In beneficiis ad ærarium.*] Archias delatus eſt inter eos qui beneficium aliquod accipere debebant, id enim moris fuit, ut milites propter rem bene geſtam ab imperatore ad ærarium deferrentur, & aliquod ſuæ generoſitatis præmium acciperent.

48. *Quære argumenta.*] Ita fidit ſuæ cauſæ Cicero, ut moneat adverſarium nunquam poſſe inveniri argumenta ſatis valida, quibus perſuadeat Archiam Poetam civem non eſſe.

SECUNDA PARS CONFIRMATIONIS.

Etiamſi Archias civis Romanus non eſſet, adſciſcendus fuit.

Propoſitionem hoc ſyllogiſmo complectitur: Poetæ docti & ingenioſi, propter ſuæ doctrinæ fructum, delectationem, & dignitatem, inter cives adſciſcendi ſunt; Archias talis eſt: igitur eſt adſciſcendus inter cives.

IV. Quæres à nobis, Gracche, cur tantopere hoc homine delectemur? quia ſuppeditat nobis, ubi & animus ex hoc forenſi ſtrepitu reficiatur, & aures convicio defeſſæ conquieſcant. An tu exiſtimas, aut ſuppetere nobis poſſe, quod quotidie dicamus in tanta

1. *Quæres à nobis.*] Occupatione tranſit ad Archiæ commendationem, cum digreſſione in laudem literarum.

3. *Convicio.*] Convicium proprie maledictum illud eſt, quod accuſator reo objicit præter crimen quod cauſæ proprium eſt, & quod nihil habet propoſitum præter contumeliam.

varietate rerum, nisi animos nostros doctrinâ excolamus: aut ferre animos tantam posse contentionem, nisi eos doctrinâ eâdem relaxemus? Ego vero fateor, me his studiis esse deditum: cæteros pudeat, si qui ita se literis abdiderunt, ut nihil possint ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita vivo, Judices, ut ab nullius unquam me tempore, aut commodum, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas avocârit, aut denique somnus retardârit? Quare quis tandem me reprehendat, aut quis mihi jure succenseat, si, quantum cæteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates, & ad ipsam requiem animi & corporis conceditur temporis; quantum alii tribuunt tempestivis conviviis, quantum denique aleæ, quantum pilæ; tantum mihi egomet ad hæc studia [a] recolenda sumpsero? Atque hoc adeo mihi concedendum est magis, quod ex his studiis, hæc quoque crescit oratio, & facultas: quæ quantacunque in me est, nunquam amicorum periculis defuit; quæ si cui levior videtur; illa quidem certe, quæ summa sunt, ex quo fonte hauriam, sentio. Nam nisi multorum præceptis, multisque literis mihi ab adolescentiâ suasissem, nihil esse in vita magnopere expetendum, nisi laudem atque honestatem; in eâ autem [b] persequendâ omnes cruciatus corporis, omnia pericula mortis atque exilii parvi esse ducenda: nunquam me pro salute vestra in tot ac tantas dimicationes, atque in hos [c] profligatorum hominum quotidianos impetus objeciissem. Sed pleni omnes sunt libri, plenæ sapientium voces, plena exemplorum vetustas: quæ jacerent in tenebris omnia, nisi

[a] *repetenda.* [b] *inquirenda.* [c] *perditorum.*

11. *Ut ab nullius.*] Al. *ut ab illis nullo me unquam temp.* Sed locum depravatum putat Petrus Victorius lib. 2. Variar. lect. cap. 9. & sic reponendum esse, *ut à nullius unquam me tempore, aut commodo, aut otium meum abstraxerit, &c.* ostendit enim quod literis incubuerit, & nemini obfuerit: nec se esse è genere illorum hominum, qui his studiis vehementer delectati, cuncta officia & publica & privata deserunt; sed semper se præsto fuisse iis qui operâ suâ uti vellent, & temporibus commodisque eorum diligenter serviisse, nec à muneribus illis potuisse aut otio avelli, aut voluptate avocari, aut somno retardari; quare liberum esse omni culpâ; nam quod tempus poneret in literis bonisque artibus perdiscendis, statim accurate docet, atque id cum sua magna laude, turpique notâ eorum qui longe aliam vitam, quam describit, sequerentur.

17. *Tempestivis conviviis.*] Tempestiva convivia, ut & *tempestivæ epulæ, cænæ*, &c. dicuntur quæ ante legitimam conviviorum horam ineuntur, & in multam noctem protrahuntur.

18. *Aleæ.*] Alea vulgo dicitur quicquid fortunæ committitur.

20. *Crescit oratio.*] Quintilianus lib. 10. cap. 1. ait Poëtarum lectionem Oratoribus conferre plurimum. Ostendit autem hic à causis efficientibus eloquentiam literis instrui, & vitam institui.

28. *Tantas divinationes.*] Intelligit dissensiones quæ illi fuerint in Reipub. administratione, cum Catilinâ, & cum cæteris conjuratis.

30. *Sed pleni.*] A testimoniis per traductionem idem de literis probat,

literarum

literarum lumen accederet. Quàm multas nobis [d] imagines, non ſolùm ad intuendum, verùm etiam ad imitandum, fortiſſimorum, virorum [e] expreſſas, ſcriptores & Græci & Latini reliquerunt? quas ego mihi ſemper in adminiſtranda repub. proponens, animum & mentem meam [f] ipſa cogitatione hominum excellentium conformabam. Quæret quiſpiam, quid? illi ipſi ſummi viri, quorum virtutes literis proditæ ſunt, iſtâne doctrinâ, quam tu laudibus effers, eruditi fuerunt? Difficile eſt hoc de omnibus confirmare: ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam. Ego multos homines excellenti animo ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina, naturæ ipſius habitu prope divino, per ſeipſos & moderatos, & graves extitiſſe fateor; etiam illud adjungo, ſæpius ad laudem atque virtutem naturam ſine doctrina, quam ſine natura valuiſſe doctrinam; atque idem ego contendo, cum ad naturam eximiam atque illuſtrem acceſſerit ratio quædam confirmatioque doctrinæ; tum illud neſcio quid præclarum ac ſingulare ſolere [g] exiſtere; Ex hoc eſſe hunc numero, quem patres noſtri viderunt divinum hominem, Africanum: ex hoc C. Lælium, L. Furium, modeſtiſſimos homines, & continentiſſimos: ex hoc fortiſſimum virum, & illis temporibus doctiſſimum, M. Catonem illum ſenem: qui profectò, ſi nihil ad percipiendam colendamque virtutem literis adjuvarentur, nunquam ſe ad earum ſtudium contuliſſent. Quod ſi non hic tantus fructus oſtenderetur, ſi ex his ſtudiis delectatio ſola peteretur: tamen, ut opinor, hanc animi remiſſionem humaniſſimam, ac liberaliſſimam judicaretis. Nam cætera neque temporum ſunt, neque ætatum omnium, neque locorum: at hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, ſecundas res ornant, adverſis perfugium ac ſolatium præbent; delectant domi, non impediunt foris; pernoctant nobiſcum, peregrinantur, rusti-

[d] *exempla.* [e] *veras.* [f] *cogitando de hominibus excellentibus.* [g] *apparere.*

31. *Lumen accederet.*] Multa illuſtrata literis ſunt, quæ vindicatur ab oblivione.

38. *Virtutes.*] Per virtutes res geſtas, & egregia fortitudinis facinora intelligit, quæ paſſim à Cicerone virtutis nomine exprimuntur.

48. *Africanum.*] Paulli Æmilii filius minor Africanus dictus eſt; is, ut ait Cicero lib. 1. de Offic. *Eloquentiâ cumulavit bellicam gloriam.*

Ib. *C. Lælium.*] Hic Lælius ſapiens nominatus eſt, quem in libro de claris Orat. Scipione illuſtriorem eloquentiâ fuiſſe ait.

Ib. *L. Furium.*] Eodem lib. de claris Orat. ait Cicero, *L. Furius perbene Latine loqui putabatur, literatiuſque quam cæteri.*

51. *M. Catonem.*] Cato vir graviſſimus, fortiſſimuſque fuit; in extrema ſenectute literis Græcis operam dedit, & Latinas pene ſenex didicit. De illius eloquentiâ pluribus agit Cic. in claris Oratoribus, & in libro de Senect.

56. *Liberaliſſimam.*] Delectatio ex ſtudiis digniſſima eſt homine liberaliter educato.

Ib. *Nam cætera.*] Alia ſtudia non pertinent ad omnia tempora, neque ad omnes ætates & omnia loca, at ſtudia poëtica hæc univerſa complectuntur. [Alii libri habent *cæteræ*, & ad *literas* referunt.]

ruſticantur. Quod ſi ipſe hæc neque attingere, neque ſenſu noſtro guſtare poſſemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cùm in aliis videremus. Quis noſtrûm tam animo agreſti ac duro fuit, ut Roſcii morte nuper non commoveretur? qui cùm eſſet ſenex, mortuus, tamen, propter excellentem artem ac venuſtatem, videbatur omnino mori non debuiſſe. Ergo ille corporis motu tantum amorem ſibi conciliarat à nobis omnibus: nos animorum incredibiles motus, celeritatemque ingeniorum negligemus? Quoties ego hunc Archiam vidi, Judices, (utar enim veſtrâ benignitate, quoniam me in hoc novo genere dicendi tam diligenter [h] attenditis) quoties ego hunc vidi, cum [i] literam ſcripſiſſet nullam, magnum numerum optimorum verſuum de his ipſis rebus, quæ tum agerentur, dicere ex tempore? quoties revocatum eandem rem dicere commutatis verbis atque ſententiis? quæ vero accurate cogitateque ſcripſiſſet, ea ſic vidi probari, ut ad veterum ſcriptorum laudem pervenirent.

V. Hunc ego non diligam? non admirer? non omni ratione defendendum putem? Atqui ſic à ſummis hominibus eruditiſſimiſque accepimus, cæterarum rerum ſtudia, & doctrina, & præceptis, & arte conſtare; poetam naturâ ipſâ valere, & mentis viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu inflari. Quare ſuo jure noſter ille Ennius ſanctos appellat poetas, quod quaſi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis eſſe videantur. Si igitur, Judices, ſanctum apud vos humaniſſimos homines, hoc poetæ nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa & ſolitudines voci reſpondent, beſtiæ ſæpe immanes cantu reflectuntur, atque conſiſtunt: nos in-

[h] *auditis.* [i] *nihil omnino ſcripſiſſet.*

64 *Roſcii.*] Is eſt Roſcius comœdus ille, pro quo Cicero dixit; & quem Q. Catulus, vir ille graviſſimus, oriente Sole pulchriorem judicabat, licet oculis perverſiſſimis eſſet.

65. *Venuſtatem.*] Habuit hanc venuſtatem in motibus corporis, quos adeo elegantèr exprimebat, ut, qui in aliquo artificio excelleret, is in ſuo genere Roſcius diceretur; vide Cic. lib. 3. de Orat.

73. *Revocatum.*] Poſtulatus Archias, ut aliter diceret, tam facile alia verba & ſententias proferebat, ut non aliter res ſcripta fuiſſe videretur.

4. *Poetam naturâ ipſâ valere.*] Affert Cicero quod vulgo celebratur de poetis, *poetam naſci, oratorem fieri.* Certe idem Cic. lib. 1. Tuſc. Quæſt. poetam grave plerumque carmen fine cœleſti aliquo mentis inflatu fundere non putat.

6. *Sanctos appellat poetas.*] Plato poetas deorum filios, & interpretes vocat.

10. *Saxa & ſolitudines.*] Cum agat in hac oratione pro poetâ Cicero, poetice etiam loquitur; nam ſi oratorie loqueretur, vitioſa hæc haberetur oratio, utpote parum veritati conſormis.

Ib. *Voci reſpondent.*] Saxa ſcilicet per Echo reſpondent: cum enim vox in aliquod corpus ſolidum & concavum vehementius impulſa eſt, eadem remittitur, & eundem noſtris auribus ſonum reddit.

11. *Beſtiæ cantu flectuntur.*] Alludit ad Orphei fabulam, quem poetæ dixerunt tigres, leones, ſilvas, arbores ſuæ teſtudinis ſono demulſiſſe; quo figmento voluerunt indicare, quanta ſit poeſeos ſuavitas, ad demulcendos hominum vel agreſtiſſimorum animos.

ſtituti

ſtituti rebus optimis non poetarum voce moveamur? Homerum Colophonii civem eſſe dicunt ſuum, Chii ſuum vindicant, Salaminii repetunt, Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmant; itaque etiam delubrum ejus in oppido dedicaverunt; permulti alii præterea pugnant inter ſe, atque contendunt. Ergo illi alienum, quia poeta fuit, poſt mortem etiam expetunt: nos hunc vivum, qui & voluntate & legibus noſter eſt, repudiamus? præſertim cum omne olim ſtudium, atque omne ingenium contulerit Archias ad populi Romani gloriam laudemque celebrandam; nam & Cimbricas res adoleſcens attigit, & ipſi illi C. Mario, qui durior ad hæc ſtudia videbatur, jucundus fuit. Neque enim quiſquam eſt tam averſus à Muſis, qui non mandari verſibus æternum ſuorum laborum facile præconium patiatur. Themiſtoclem illum, ſummum Athenis virum, dixiſſe aiunt, cum ex eo quæreretur, quod acroama, aut cujus vocem

13. *Colophonii.*] Colophon, unde Colophonii dicti ſunt, urbs fuit Iconiæ celebris Apollinis oraculo, & Nicandri poetæ patria.

Ib. *Chii ſuum vindicant.*] Chios inſula fuit maris Ægæi, & nobiliſſima, ſi Stephano credimus, Ionum urbs.

14. *Salaminii.*] Salaminii populi in Cypro inſula.

Ib. *Smyrnæi.*] Smyrna urbs Iconiæ fuit.

Omnes illi quidem populi civem ſuum Homerum eſſe contendunt, at eum Chii cæteris æquius ſibi vindicare debent, vel vetuſtiſſimorum ſcriptorum teſtimonio. Certe Plato in Ione apud Chios Homeridas ab ipſa Homeri ſtirpe fuiſſe commemorat, &, quod ſcite Homerum expoliverit, ſe vel hoc uno nomine dignum ait, qui ab Homeridis aurea corona donetur. Huic conſentit Strabo lib. 14. hunc Ptolemæus Hephæſtio in excerptis apud Photium, qui ex Hypermone hiſtorico refert Homeri ſervum a Chiis mille drachmis multatum fuiſſe, quòd mortuum Homerum non exuſſiſſet. Julius Pollux lib. 9. cap. 6. ait apud Chios monetam fuiſſe, cui nomen Homerus, & illorum numiſma ex una parte Homeri effigie, & ex alia Sphinge expreſſum eſſe; in eadem ſunt ſententia Simonides, Pindarus, Theocritus, Euthymenes, Conſtantinus imperator, Themiſtius, Claudianus, Paulus Silentiarius, qui Homerum vatem Chiam appellarunt; quorum omnium teſtimonia fuſe proſecutus eſt Leo Allatius, vir doctiſſimus, in libello quem de Homeri patriâ conſcripſit.

Hinc forte nata eſt de Homero inter civitates contentio, quod varii variis temporibus fuerint Homeri, omnes quidem, aut literis, aut arte aliquâ conſpicui. Nam præter hunc noſtrum Homerum duo floruerunt apud Chios, Medicinæ ſcientiâ alter, alter magicâ clarus; apud Salaminios quartus inſtitoria arte vir ditiſſimus, quintus Pictura apud Colophonios, ſextus Juris civilis ſcientiâ, ſeptimus Muſica apud Athenienſes, octavus apud Mæonios Græcarum linguarum peritiâ floruit.

16. *Ergo illi alienum.*] Iſti populi Homerum licet externum poſt mortem habere quaſi civem ſuum voluerunt, igitur Romani Archiam, qui legibus Romanis utitur, civem repudiare non debent.

20. *Cimbricas res attigit.*] Bella contra Cimbros geſta deſcripſit: in quo gloriam Romani nominis extulit.

21. *Mario.*] Hic Archias Mario gratus & jucundus extitit, qui ab hoc genere ſtudiorum abhorrere videbatur: & ab ipſa illa lingua Græca, qua utebatur Archias, & ſtudio & voluntate alieniſſimus fuit, ut refert de eo Salluſtius.

22. *Neque enim.*] Reddit rationem cur grati ſint Poetæ, quia videlicet verſibus ſuis clarorum virorum gloriam æternæ hominum memoriæ commendant.

24. *Themiſtoclem.*] Themiſtocles dux Athenienſis fuit tantus, ut nemo ei Græcorum anteferatur, pauci pares putentur, ut de eo Nepos ſcripſit.

25. *Acroama.*] Acroama vox, narratio & recitatio eſt, quæ inſtrumentis muſicis

cem libentiſſime audiret: Ejus, à quo ſua virtus optime prædicaretur. Itaque ille Marius item eximie L. Plotium dilexit; cujus ingenio putabat ea, quæ geſſerat, poſſe celebrari. Mithridaticum vero bellum magnum atque difficile, & in multa varietate terra marique verſatum, totum ab hoc expreſſum eſt: qui libri non modo L. Lucullum, fortiſſimum & clariſſimum virum, verùm etiam populi Romani nomen illuſtrant. Populus enim Rom. aperuit, Lucullo imperante, Pontum, & regiis quondam opibus & ipsâ naturâ regionis vallatum: populi Romani exercitus, eodem duce, non maximâ manu, innumerabiles Armeniorum copias fudit: populi Rom. laus eſt, urbem amiciſſimam Cyzicenorum, ejuſdem conſilio, ex omni impetu regio, ac totius belli ore ac faucibus ereptam eſſe atque conſervatam: noſtra ſemper feretur & prædicabitur, L. Lucullo dimicante, cum interfectis ducibus depreſſa hoſtium claſſis, & incredibilis apud Tenedum pugna illa navalis: noſtra ſunt trophæa, noſtra monumenta, noſtri triumphi; quia quorum ingeniis hæc feruntur, ab iis populi Rom. fama celebratur. Charus fuit Africano ſuperiori noſter Ennius: itaque etiam in ſepulchro Scipionum putatur is eſſe conſtitutus è marmore. At iis laudibus certe non ſolùm ipſi, qui

ſcis, permixta eſt, tuncque à voce diſtinguitur.

27. *Plotium.*] Plotius à Suetonio inter claros Rhetores numeratur; alius eſt etiam Plotius Poëta & Philoſophus non ignobilis.

28. *Mithridaticum bellum.*] De hoc bello ſuſe in Orat. pro lege Manil. dictum eſt.

30. *Expreſſum eſt.*] Ab hoc poëta carmine deſcriptum fuit illud bellum.

33. *Lucullo imperante.*] De eo in orat. pro lege Manil. & de Ponto Mithridatis regno dictum eſt.

35. *Non maxima manu.*] Cum Tigranes maximo inſtructus exercitu venientem cum longe inferiori Lucullum vidiſſet, dixiſſe fertur, ſi legati venirent, ſatis quidem multos, ſi verò pugnaturi, paucos admodum eſſe.

Ib. *Armeniorum.*] Armeniorum rex erat Tigranes; de copiarum ejus internecione dictum eſt in Orat. pro lege Manil.

36. *Urbem Cyzicenorum.*] Vide Orat. pro lege Manil. parag. viii. not. ad l. 11.

37. *Belli ore ac faucibus.*] Elegans metaphora, à feris animantibus ducta, quarum in fauces incidere extremi eſt periculi. Hanc autem civitatem cum ſibi Mithridates Aſiæ januam fore putaret, quâ effractâ tota provincia pateret, eò omnem belli impetum converterat.

40. *Apud Tenedum.*] Vide Orat. pro Muræna parag. viii. l. 44.

42. *Quorum ingeniis.*] Hinc concludit quanto in honore habendus ſit Archias & cæteri viri ingeniuſi & eruditi, qui Romanorum ducum res geſtas, & populi Romani gloriam celebrant.

43. *Noſter Ennius.*] Ennius antiquus poëta Rudiis Calabriæ oppido natus, carmine Annalium libros, atque alia multa ſcripſit, quæ omnia, præter aliqua eorum fragmenta temporum vetuſtate perierunt; de eo ſic cecinit Horatius lib. 2. Epiſt.

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiluit dicenda.

Is autem charus fuit imprimis Scipioni Africano; nam ut Valerius Max. lib. 8. cap. 1. ait, *ſuperior Africanus*, qui ab Africâ devictâ dictus eſt, *Ennii poëtæ effigiem in monumentis Corneliæ gentis collocari voluit, quod ingenio ejus opera ſua illuſtrata judicaret.* Huic conſentit Ovidius, cum canit,

Ennius emeruit, Calabris in montibus ortus,
Contiguus poni, Scipio magne, tibi.

44. *In ſepulchro.*] Sepulchrum Africani erectum erat in viâ Appiâ intra primum ab urbe lapidem.

laudantur, sed etiam populi Rom. nomen ornatur. In cœlum hujus proavus Cato tollitur: magnus honos populi Rom. rebus adjungitur; omnes denique illi Maximi, Marcelli, Fulvii non sine communi omnium nostrûm laude decorantur. Ergo illum, qui hæc fecerat, Rudium hominem majores nostri in civitatem receperunt: nos hunc Heraclienſem, multis civitatibus expetitum, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate ejiciemus? Nam si quis minorem gloriæ fructum putat ex Græcis versibus percipi, quàm ex Latinis, vehementer errat: propterea quod Græca leguntur in omnibus fere gentibus, Latina suis finibus, exiguis sane, continentur. Quare, si res hæ, quas gessimus, orbis terræ regionibus definiuntur; cupere debemus, quo minus manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam famamque penetrare: quod cùm ipsis populis, de quorum rebus scribitur, hæc ampla sunt: tum iis certe, qui de vita gloriæ causâ dimicant, hoc maximum & periculorum incitamentum est, & laborum.

VI. Quam multos scriptores rerum suarum magnus ille

47. *Hujus proavus.*] Designatur aliquis forte ex iis qui huic causæ aderant aut patroni aut judices. Hic autem est Cato major, in quo Livius ait tantam vim animi ingeniique fuisse, ut nulla ars neque privata, neque publica rei gerendæ ei defuerit. In bello summus Imperator fuit, in pace juris peritissimus, in causis orandis eloquentissimus.

48. *Illi Maximi, &c.*] Loquitur de illis qui bello Punico secundo victoriis insignes fuere, quosque suis carminibus mirifice Ennius celebravit; hi fuere præsertim Q. Fabius Maximus, qui *cunctando restituit rem*, M. Claudius Marcellus, qui docuit Annibalem vinci posse. Q. Fulvius Flaccus, qui Capuam illustri victoria recepit.

50. *Rudium hominem.*] Rudiæ porro sitæ sunt in Calabria in Salentinis, civitas à Græcis condita, Ennii patria; quia autem hic præclarissima ducum illorum facinora versibus suis conscripserat, donatus est civitate, an igitur par est ejici Roma Archiam? &c.

Ib. *In civitatem receperunt.*] Ennius donatus est civitate Romana à Filio M. Fulvii, quem contra Ætolos bellum gerentem secutus erat.

51. *Multis civitatibus expetitum.*] Superius vidimus à Rheginis, Locrensibus, Neapolitanis, &c. civitate donatum fuisse Archiam, à quibus summe expetitus fuerat.

53. *Nam si quis minorem*] Occupatio est, qua docet eos errare, qui minorem putabant ex Græcorum, quam Latinorum scriptis gloriam colligi, ideoque minoris faciendum Archiam, qui Græce scripsit.

55. *Leguntur in omnibus gentibus.*] Græca lingua ubique erat in usu; certe Diodorus Siculus, & Cæsar in Commentariis docent, à Gallis ipsis auditum fuisse, cum Latina illis adhuc esset ignota. Sed crescente in dies imperio Romano, illa tandem, inquit Plinius, *una cunctarum gentium in toto orbe patria facta est.*

57. *Quo minus manuum.*] Videtur tollenda esse hæc particula *minus*, quæ sensui officit. Sic ipsaque argumentatur Cicero; cum constet Græcam linguam magis patere quam Latinam, nostraque arma facta-que pervagata sint universum orbem, optare debemus, quo manuum nostrarum tela pervenerint, eodem gloriam, famamque penetrare; hoc eximie præstare potest Græcus sermo, Latinus minime. Quare fovendus est omnique honore afficiendus Licinius, qui eâ linguâ poëma scribit ac fortia Romanorum facta celebrat.

Alexander

Alexander ſecum habuiſſe dicitur? Atque is tamen cùm in Sigeo ad Achillis tumulum adſtitiſſet, O fortunate, inquit, adoleſcens, qui tuæ virtutis Homerum præconem inveneris. Et vere; nam niſi Ilias illa extitiſſet, idem tumulus, qui corpus ejus contexerat, nomen etiam obruiſſet. Quid? noſter hic Magnus, qui cum virtute fortunam adæquavit, nonne Theophanem Mitylenæum, ſcriptorem rerum ſuarum, in concione militum civitate donavit? & noſtri illi fortes viri, ſed ruſtici ac milites, dulcedine quadam gloriæ commoti, quaſi participes ejuſdem laudis, magno illud clamore approbaverunt? Itaque, credo, ſi civis Rom. Archias legibus non eſſet, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere non potuit. Sylla cum Hiſpanos & Gallos donaret, credo, hunc petentem repudiaſſet: quem nos in concione vidimus, cum ei libellum malus poëta [a] de populo ſubjeciſſet, quod epigramma in eum feciſſet tantummodo alternis verſibus longiuſculis, ſtatim ex iis rebus quas tunc vendebat, jubere ei præmium tribui ſub eâ conditione, ne quid poſtea

[a] vulgaris.

2. *Secum habuiſſe dicitur.*] Probat quanto in honore apud magnos viros Poëtæ fuerint, exemplo Alexandri Magni, qui licet habuerit ſecum multos poëtas, & impoli tos quidem, tamen eorum ſcriptis ita delectabatur, ut eos muneribus cumularet, unde Horatius de eo canit,

Gratus Alexandro regi magno fuit ille
Chœrilus, incultis qui verſibus & male natis
Rettulit acceptos, regale numiſma, Philippos.

Ib. *Atque is.*] Alexander Magnus gratulatus fuit Achilli felicitatem ſuam, cum ad Sigeum Promontorium Trojæ veniſſet, ubi dicitur fuiſſe illius ſepulchrum.

3. *O fortunate, adoleſcens.*] Duabus de cauſis quidem felix fuit, 1. propter virtutem ſuam egregiam. 2. quòd virtutem illam egregiam Homerus prædicavit, cujus beneficio apud poſteros perpetua futura eſt, ut ſequentia verba indicant.

5. *Ilias illa.*] Ilias opus Homeri nobiliſſimum fuit, ab eo dicta, quod bellum continet apud Ilium, quod inter Græcos geſtum eſt & Trojanos ob raptam Helenam.

6. *Noſter hic Magnus.*] Probat 2. ab exemplo Pompeii Magni, qui cum in Hiſpaniam ad periculoſiſſimum bellum proficiſceretur, lege latâ à L. Gellio Publicola & Cn. Cornelio Lentulo, poteſtatem obtinuit donandi civitate, qui bene ſe ſtrenueque geſſiſſent in bello.

7. *Theophanem Mitylænæum.*] Theophanes ille fuit Hiſtoricus & Poëta, qui res geſtas à Pompeio verſibus celebravit: à quo communi militum conſenſu jus civitatis obtinuit.

9. *Sed ruſtici ac milites.*] Ex Catone in libro de Re ruſtica, ex agricolis viri fortiſſimi & ſtrenuiſſimi milites fiunt, utpote qui magis quam urbani laboribus tolerandis aſſueti ſunt.

11. *Itaque credo.*] Ironia. Si enim Archias donatus non fuiſſet civitate, id facile beneficium ab aliquo imperatore, Metello nempe, obtinuiſſet, cui familiaris fuit, vel à Sylla, qui etiam in malos poëtas liberalis fuit.

13. *Hiſpanos & Gallos donaret.*] Probat exemplo Syllæ, qui cum milites Gallos & Hiſpanos, quorum erat uſus in bellis operâ, civitate donarit, haud dubie Archiam civitate donaviſſet, ſi hanc ab illo gratiam Archias petiviſſet; quod confirmat exemplo mali poëtæ, &c.

16. *Æternis verſibus longiuſculis.*] Id eſt hexametris & pentametris, vel illis verſibus quales ab Horatio plurimi ſcripti ſunt.

17. *Quas tunc vendebat.*] Dedit illi ex bonis civium Rom. quæ ſub haſtâ vendebat in foro, quod Marii partibus ſtuduiſſent; id invidioſe contra Syllam dicit.

ſcriberet.

ſcriberet. Qui [b] ſedulitatem mali poëtæ duxerit aliquo tamen præmio dignam; hujus ingenium & virtutem in ſcribendo, & copiam non expetiſſet? Quid? à Q. Metello Pio, familiariſſimo ſuo, qui civitate multos donavit, neque per ſe, neque per Lucullos impetraviſſet? qui præſertim uſque eo de ſuis rebus ſcribi cuperet, etiam Cordubæ natis poëtis pingue quiddam ſonantibus atque peregrinum, tamen aures ſuas [c] dederet. Neque enim eſt hoc diſſimulandum, quod obſcurari non poteſt; ſed præ nobis ferendum: trahimur omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maxime gloriâ ducitur. Illi ipſi Philoſophi, etiam in illis libellis, quos de contemnendâ gloriâ ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt: in eo ipſo, in quo prædicationem nobilitatemque deſpiciunt, prædicari ſe ac nominari volunt. Decimus quidem Brutus, ſummus ille vir & imperator, Attii, amiciſſimi ſui carminibus, templorum ac monumentorum aditus exornavit ſuorum. Jam verò ille, qui cum Ætolis, Ennio comite, bellavit Fulvius, non dubitavit [d] Martis manubias Muſis conſecrare. Quare, in quâ urbe imperatores prope armati poëtarum nomen, & Muſarum delubra coluerunt, in eâ non debent togati Judices à Muſarum

[b] *diligentiam.* [c] *accommodaret.* [d] *belli.*

honore,

23. *Qui præſertim.*] Probat Archiam potuiſſe obtinere civitatem à Metello, qui cum ſumma laudis cupiditate flagrare, incultos poëtas ad res ſuas celebrandas aſſumpſit.

24. *Cordubæ natis.*] Corduba urbs in Hiſpania Bætica, in qua nati ſunt plures eruditione viri clariſſimi, inter quos potiſſimum duo Senecæ & Lucanus commendantur.

Ib. *Pingue quiddam ſonantibus atque peregrinum.*] Imperitiam illorum poëtarum carpit, quorum ſtylus indoctus, &, ut vulgo dicitur, pingui Minerva elaboratus, neque Latinus ſatis eſt, quia in eo peregrina quædam vocum expreſſio reperitur, quæ Romanæ linguæ puritatem non ſapit. Certe in iis ſupra memoratis auctoribus quidam ſtylus eſt turgidus, & inflatus, quem facile hinc eſt obſervare à temporibus Ciceronis ad ætatem uſque Senecarum & Lucani, in Cordubenſibus viguiſſe.

31. *D. Brutus.*] D. Brutus Conſul fuit cum Scipione anno U. C. 616. & in Hiſpaniam cum imperio profectus ſexaginta Gallæciorum millia oppreſſit. Unde Gallæcius dictus eſt. Vide Paterculum & Strabonem.

32. *Attii.*] Attius & Accius ſcriptor tragœdiarum fuit, cujus meminit Horatius Serm. 1. Sat. 10. *Nil Comis tragici mutat Lucilius Acci.*

34. *Bellavit Fulvius.*] Cum Fulvius Nobilior bellum illaturus in Ætoliam profectus eſt, duxit ſecum Ennium, quod, auctore Cicerone lib. 1. Tuſcul. Quæſt. à Catone Fulvio tanquam probrum objectum eſt.

35. *Manubias.*] Manubiæ appellantur pecuniæ à Quæſtore ex venditione prædæ redactæ.

Ib. *Quare, in qua urbe, &c.*] Concluſio à majore, ſic profertur: cum imperatores bellicis laboribus impediti poëtas ita coluerint, ut eorum alii templorum ac monumentorum ſuorum aditus carminibus exornarint, alii ſecum comites duxerint, ac Muſis belli manubias conſecrarint; nos certe qui togati ſumus, & in otio cum dignitate vivimus, & ad hæc ſtudia excolenda, & ad honorandos poëtas, eoſque conſervandos invitamur, certe Brutus monumenta ſua Attii carminibus exornavit: Ennium Fulvius voluit habere comitem.

honore, & à poëtarum ſalute abhorrere. Atque ut id libentius faciatis, jam me vobis, Judices, indicabo, & de meo quodam amore gloriæ nimis acri fortaſſe, veruntamen honeſto, vobis confitebor. Nam quæ res nos in conſulatu noſtro vobiſcum ſimul pro ſalute hujus urbis atque imperii, & pro vita civium, proque univerſa repub. geſſimus, attigit hic verſibus, atque inchoavit: quibus auditis, quòd mihi magna res & jucunda viſa eſt, hunc ad perficiendum hortatus ſum. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque deſiderat, præter hanc laudis & gloriæ: quâ quidem detractâ, Judices, quid eſt quod in hoc tam exiguo vitæ curriculo, & tam brevi, tantis nos in laboribus [e] exerceamus? Certe ſi nihil animus præſentiret in poſterum, & ſi, quibus [f] regionibus vitæ ſpatium circumſcriptum eſt, [g] eiſdem omnes cogitationes terminaret ſuas; nec tantis ſe laboribus frangeret, nec tot curis vigiliiſque angeretur, neque toties de vita ipſa dimicaret. [h] Nunc inſidet quædam in optimo quoque virtus, quæ noctes & dies animum gloriæ [i] ſtimulis concitat, atque admonet, non cum vitæ tempore eſſe dimittendum commemorationem nominis noſtri, ſed cum omni poſteritate adæquandum. An verò tam parvi animi videamur eſſe omnes, qui in repub. atque in his vitæ periculis laboribuſque verſamur, ut, cum, uſque ad extremum ſpatium, [k] nullum tranquillum atque otioſum ſpiritum duxerimus, nobiſcum ſimul moritura omnia arbitremur? An cum ſtatuas & imagines, non animorum ſimulacra, ſed corporum, ſtudioſe multi ſummi homines reliquerunt, conſiliorum relinquere ac virtutum noſtrarum effigiem nonne multo malle debemus, ſummis ingeniis expreſſam & politam? Ego vero omnia, quæ gerebam, jam tum in gerendo ſpargere me ac diſſeminare arbitrabar in orbis terræ memoriam ſempiternam. Hæc verò ſive à meo ſenſu poſt

[e] *fatigemus.* [f] *terminis.* [g] *& interiret cum corpore.* [h] *ſed.* [i] *cupiditate.* [k] *nunquam tranquille & otioſe vixerimus.*

42. *Pro ſalute hujus urbis.*] Cicero fatetur eodem deſiderio laudis ſe teneri, quo alii, qui poëtas ſecum habuerunt, adeoque exhortatum fuiſſe Archiam, ut opus, quod de ſe propter conjurationem extinctam inchoaverat, perficeret.

49. *Animus præſentiret in poſterum.*] Docet quod niſi animus immortalem ſe futurum præſentiret, non tot ſe laboribus & curis torqueret.

53. *De vita ipſa dimicaret.*] Dimicare de vita animus, qui immortalis eſt, non poteſt: quare per animum, ipſum hominem intelligit.

57. *Tam parvi animi.*] Parvi eſt animi cum ſciamus omnia eſſe interitura, hoc parvum vitæ ſpatium aſſiduis laboribus & periculis conterere.

61. *An cum ſtatuas & imagines.*] Oſtendit, ſi ſtatuas homines ambiant, quæ vetuſtate collabuntur, optare potius debere conſiliorum ſuorum & virtutem imagines, quæ per poëtas ad perpetuam nominis gloriam exprimuntur.

66. *Spargere me.*] Metaphora ſumpta ab agricolis, qui ſemina ſpargunt ut metant.

67. *Sive à meo ſenſu.*] Videtur hic dubitare Cicero de animorum immortalitate,

poſt mortem abſutura ſunt, ſive, ut ſapientiſſimi homines putaverunt, ad aliquam animi mei partem pertinebunt, nunc quidem certe cogitatione quadam, ſpeque delector. 70

talitate, atque ſive animo ſuo extincto penitus non ſentiat; ſive ſenſerit poſt mortem, ſe res præclaras geſſiſſe, ſe tamen nunc recordatione earum conſolari.

68. *Sapientiſſimi homines.*] Pythagoras, Socrates, atque omnes magnæ Græciæ ſapientes animos hominum divinos eſſe ſenſerunt, iiſque, cum ex corpore abiiſſent, optimis quibuſque patere aditum ad cœlum.

69. *Ad aliquam animi partem.*] Partes eſſe variæ animorum crediderunt quidam è veteribus illis, quarum aliæ alia multa in æternitate contemplabantur, aliæ reſpiciebant quæ præclare quondam in hac vitâ mortalitate geſſerant. Plato vero ait tres animæ partes eſſe, unam, qua homo diſcit; alteram, qua iraſcitur; tertiam, qua voluptatum cupiditate ducitur: duas illas poſteriores cum corpore perire; primam, in qua ratio ineſt, remanere cum animo.

70. *Cogitatione quadam, &c.*] Dum cogitat animum ſuum eſſe immortalem, ſperat futurum, ut poſt mortem ſentiens quæ præclare gerit, eorum recordatione conſolationem aliquam percepturus ſit Cicero.

PERORATIO.

VIII. Quare, conſervate, Judices, hominem pudore eo, quem amicorum ſtudiis videtis comprobari tum dignitate, tum etiam venuſtate: ingenio autem tanto, quantum id convenit exiſtimari, quod ſummorum hominum ingeniis expetitum eſſe videatis: cauſa vero ejuſmodi, quæ beneficio legis, auctoritate municipii, teſtimonio Luculli, tabulis Metelli comprobetur. Quæ cum ita ſint: petimus à vobis, Judices, ſi qua non modo humana, verum etiam divina in tantis negotiis commendatio debet eſſe; ut eum, qui vos, qui veſtros imperatores, qui populi Romani res geſtas ſemper ornavit, qui etiam his recentibus noſtris veſtriſque domeſticis periculis, æternum ſe teſtimonium laudum daturum eſſe profitetur, quique eſt eo numero, qui ſemper apud omnes ſancti ſunt habiti atque dicti,

2. *Amicorum.*] Maximos, & auctoritate præſtantes, quales ſunt Luculli, Metelli, amicos habuit Archias.

3. *Venuſtate.*] Laudat Archiam à venuſtate & elegantia eorum, qui ſtudiis, & ingenio ejus capiuntur.

4. *Summorum hominum.*] Maximo vir ingenio Archias habendus eſt, quod Mariis, Lucullis, Metellis, his tantis viris placere potuit.

5. *Beneficio legis.*] Probat valere illius cauſam tum à beneficio legis quæ à Silvano & Carbone lata eſt; tum auctoritate municipii Heraclienſis; tum teſtimonio Luculli, qui non opinari ſe, ſed ſcire, &c. dicit: tum Metelli tabulis, apud quem profeſſus eſt.

7. *Si qua non modo humana, &c.*] Affirmative hæc particula, *Si*, ponitur; adeo ut ſit ille ſenſus: quandoquidem Archias veſtros imperatores, &c. ſemper ornavit, dignus eſt qui vobis non modo ab hominibus, ſed ab ipſis diis commendetur.

10. *His recentibus periculis.*] Pericula illa ſunt, quibus à Catilinâ Reſpub. expoſita fuit.

sic in vestram accipiatis [a] fidem, ut humanitate vestrâ levatus potius, quàm acerbitate violatus esse videatur. Quæ de causa, pro mea consuetudine, breviter simpliciterque dixi, Judices, ea confido probata esse omnibus: quæ non fori, neque judiciali consuetudine, & de hominis ingenio, & communiter de ipsius studio locutus sum, ea, Judices, à vobis spero esse in bonam partem accepta: ab eo, qui judicium exercet, certe scio.

[a] *tutelam.*

15. *Violatus.*] Violari acerbo aliquo judicio non debet Archias, quia sanctum est nomen Poëtæ.

17. *Non fori consuetudine.*] Cicero postulaverat à Judicibus, ut novo quodam & inusitato dicendi genere sibi fas esset uti in defensione Archiæ.

18. *Communiter.*] Tractavit locum communem de studio poëtico.

20. *Qui judicium exercet.*] Prætor exercebat illud judicium, de cujus nomine nihil reperitur.

PRO-

PRO

M. COELIO.

ARGUMENTUM.

M. Cœlius Rufus, eques Romanus, ingenio ac formâ liberali, cum adoleſcentiam in domo ac familiaritate Ciceronis egiſſet, poſtea vixit liberius, ac venit in familiaritatem Clodiæ uxoris Q. Metelli, quæ ſoror erat P. Clodii, ac quæ parum pudica mulier habebatur; cùmque Cœlius illâ familiarius uteretur, & fortè auri certum numerum ab eâ mutuo accepiſſet, indicatum eſt Clodiæ, venenum ſibi parari à Cœlio, per Licinium quendam, qui pecuniâ ſervum ejus ad perficiendam rem aggreſſus erat. Itaque accuſatur à Clodiæ amicis Cœlius, ac potiſſimum à L. Atratino adoleſcente, cujus patrem Cœlius eodem tempore de ambitu accuſabat. Alia præterea Cœlio crimina objecta ſunt; v. g. patrem male tractaſſe; municipibus Puteolanis non probatum eſſe; Catilinæ fuiſſe familiarem; matronas attrectâſſe; Senatorem pulſâſſe; ſeditionem Neapoli concitâſſe: Pallæ bona invaſiſſe; legatis Alexandrinorum necem intuliſſe.

PERSONÆ.

Accuſatores Cœlii fuerunt Clodia, Atratinus, Herennius, & Balbus. Reus M. Cœlius. Patroni Cœlii M. Craſſus, & Cicero. Prætor Domitius.

TEMPUS.

Habita eſt hæc Oratio anno urbis conditæ 697. Cornelio Lentulo & L. Martio Coſſ. ut exiſtimare licet ex eo quod Dio ſcribit, legatos illos interfectos fuiſſe; agente verò Cicerone annum 51.

STATUS CAUSÆ.

Conjecturalis eſt; 1. an aurum mutuum Cœlius ſumpſerit à Clodiâ. 2. an venenum paraverit. Genus autem judiciale eſt.

PARTES.

Tres sunt; Exordium, Confutatio, & Peroratio.

EVENTUS.

Vicit Cicero, & absolutus Cælius postea præturam adeptus est, & interfectus civili bello Cæsarem inter & Pompeium.

EXORDIUM.

1 I. SI quis, Judices, fortè nunc adsit ignarus legum, judiciorum, consuetudinis nostræ; miretur profectò, quæ sit tanta atrocitas hujusce causæ, quòd diebus festis, ludisque publicis, omnibus negotiis forensibus intermissis, unum hoc judicium [a] exerceatur: nec dubitet quin tanti facinoris reus [b] arguatur, ut, eo neglecto, civitas stare non possit; idem, cum audiat esse legem, quæ de

INTERPRETATIO.

[a] *fiat.* [b] *accusetur.*

NOTÆ.

1. *Ignarus legum.*] Hic Cicero per istas leges, Plautiam intelligit, quæ lata est à M. Plautio Tribuno-plebis, Cn. Pompeio Strabone, & L. Porcio Catone Coss. anno urbis 664. ut de iis, qui vim publicam armatis hominibus fecissent, quæstio constitueretur.

2. *Consuetudinis.*] Consuetudo fuit Romanorum, ut primo quoque tempore seditiones vindicarentur: alioquin enim diebus festis judicia non exercebantur.

3. *Diebus festis.*] Dies festi diis dedicati habebantur: quare ab omni opere alio abstinendum fuit: neque his Prætori licebat fari tria hæc verba, *do, dico, addico.* Dies autem alii *Festi* dicti sunt apud Romanos, alii *Profesti*, alii *Intercisi*. *Festi* dies Diis dicati erant: *Profesti* hominibus ad administrandam rem privatam publicamque concessi: *Intercisi* deorum hominumque erant communes. Festis inerant sacrificia, epulæ, ludi, feriæ: Profestis fasti, comitiales, comperendini, stati, præliares. Intercisi, in se non in alios dividebantur: illorum enim dierum quibusdam horis fas erat, quibusdam fas non erat jus dicere. *Fasti* dies erant quibus licebat Prætori fari tria verba, *do, dico, addico*: His contrarii *Nefasti*. Porro comitiales erant, quibus cum populo agi licebat: & fastis quidem lege agi poterat, cum populo agi non poterat; Comitialibus utrumque poterat. Comperendini, quibus vadimonium licebat dicere. Stati denique qui judicii causâ cum peregrino instituebantur. Vide Macrobium lib. Sat. 1. cap. 16.

Ib. *Ludisque publicis.*] Romæ feriebantur, dum ludi publici habebantur: quare causæ intermittebantur, & clausis tabernis forum exornabatur. Nota porro quòd per ludos in plurali spectacula Cicero intelligat; sic in Epist. ad Q. fratrem, *Scripsi quo die ludi committebantur*; ludus verò in singulari de privatis dicitur, & de omni exercitatione gymnasticâ, cum Præceptor solus multos docet. Ita Pedianus.

6. *Esse legem.*] De vi publicâ tulit legem Q. Lutatius Catulus, Consul cum C. Mario anno urbis 651. ut de seditiosis conscelleratisque civibus qui armati Senatum obsederint, magistratibus vim attulerint, rempublicam oppugnarint, quotidie, etiam diebus festis, ludisque publicis quæreretur.

ſeditioſis conſceleratiſque civibus, qui armati Senatum obſederint, magiſtratibus vim attulerint, rempublicam oppugnarint, quotidie quæri jubeat; legem non improbet; crimen quod verſetur in judicio, [c] requirat; cum audiat, nullum facinus, nullam audaciam, nullam vim in judicium vocari: ſed adoleſcentem illuſtri ingenio, induſtriâ, gratiâ, accuſari ab ejus filio, quem ipſe in judicium & vocet, & vocarit; oppugnari autem opibus meretriciis: Atratini illius pietatem non reprehendat, muliebrem libidinem comprimendam putet: vos laborioſos exiſtimet, quibus otioſis, ne in communi quidem otio, liceat eſſe. Etenim ſi attendere diligenter, exiſtimare vere de omni hac cauſâ volueritis; ſic [d] conſtituetis, Judices, nec deſcenſurum quemquam ad hanc accuſationem fuiſſe, cui, utrum vellet, liceret; nec, cum deſcendiſſet, quidquam habiturum ſpei fuiſſe, niſi alicujus intolerabili libidine, & nimis acerbo odio niteretur; ſed ego Atratino, humaniſſimo atque optimo adoleſcenti, meo neceſſario, ignoſco, qui habet excuſationem vel pietatis, vel neceſſitatis, vel ætatis: ſi voluit accuſare, pietati tribuo; ſi juſſus eſt, neceſſitati; ſi ſperavit aliquid, pueritiæ; cæteris non modo nihil ignoſcendum, ſed etiam acriter eſt reſiſtendum.

[c] *inquirat.* [d] *decernetis.*

12. *Ab ejus filio.*] Cœlius accuſabat iterum Polam Atratinum, qui fuerat jam abſolutus, & Polæ Atratini filius adoleſcens Cœlii accuſatione paternum dolorem ulciſcebatur, quòd non tam veri criminis, quàm recriminationis locus videri judicibus debebat.

13. *Opibus meretriciis.*] Id eſt, opibus Clodiæ, quæ propter inceſtum cum fratre Clodio paſſimè audiit, & quæ hanc accuſationem Cœlio conflavit.

14. *Muliebrem libidinem.*] Hæc Clodia, ex quo mortuus eſt Q. Metellus, cui nupſerat, effudit ſe in omnem libidinem: immo ejus cum hoc Cœlio conſuetudo ſuſpecta fuit, quem illa, verſo amore in odium, tandem accuſavit.

15. *Laborioſos.*] Laborioſos appellat ſuos judices, quod laborem ſumant eodem ipſo tempore quo vacare, & ludis publicis intereſſe deberent cum cæteris.

19. *Cui, utrum vellet, liceret.*] Id eſt, cui liceret vel accuſare, vel non accuſare. Indicat autem, coactum fuiſſe Atratinum opibus illis meretricis Clodiæ Cœlium accuſare.

Ib. *Deſcendiſſet.*] Vox hæc, *deſcendere ad judicium*, Ciceroni familiaris eſt & uſitata; opinor, quia fere omnes magnates Romæ in collibus habitabant; vel eſt metaphora ſumpta ab illis qui pugnant, quâ deſcendere vulgò in certamen dicuntur.

24. *Pietati.*] Pietati paret Atratinus, quia patrem defendit, Cœlium accuſando.

Ib. *Neceſſitati.*] Jubenti parenti pareat neceſſe eſt filius.

25. *Pueritiæ.*] Præceps eſt hæc ætas, & facilè ſpe vanâ deluditur; quibus his tribus ſic excuſat Atratinum, ut judicis invidiam in alios accuſatores, Herennium, Balbum, & Clodium rejiciat.

CONFUTATIO.

Duas partes continet iſta Confutatio. Prior varia crimina complectitur, quæ in Cœlium conjecta ſunt, ac citata in argumento hujus

Orationis. Secunda pars complectitur aurum, quod aiebant accuſatores Cœlium ſumpſiſſe à Clodiâ; deinde venenum quod ei paratum à Cœlio dicebatur.

PRIMA PARS.

In quâ varia Cœlio objecta crimina diluit.

II. Ac mihi quidem videtur, Judices, hic introitus defenſionis, adoleſcentiæ M. Cœlii maximè convenire, ut ad ea quæ accuſatores, deformandi hujus causâ, detrahendæ ſpoliandæque dignitatis gratiâ dixerunt, primum reſpondeam. Objectus eſt pater variè, quod aut parum ſplendidus ipſe, aut parum piè tractatus à filio diceretur. De dignitate, Cœlius notis ac majoribus natu, etiam ſine meâ oratione, tacitus facilè ipſe reſpondet; quibus autem propter ſenectutem, quod jam diu minus in foro nobiſcum verſatur, non æque eſt cognitus; hi ſic [a] habeant: quæcunque in equite Romano dignitas eſſe poſſit, quæ certè poteſt eſſe maxima, eam ſemper in M. Cœlio habitam eſſe ſummam, hodieque haberi, non ſolùm à ſuis, ſed etiam ab omnibus, quibus potuerit aliquâ de causâ eſſe notus. Equitis autem Romani eſſe filium, criminis loco poni ab accuſatoribus, neque his judicantibus oportuit, neque defendentibus nobis. Nam quod de pietate dixiſtis, eſt quidem iſta noſtra exiſtimatio, ſed judicium certè parentis: quid nos opinemur, audietis ex juratis; quid parentes ſentiant, lacrymæ matris incredibiliſque mœror, ſqualor patris, & hæc præſens mœſtitia, quam cernitis,

[a] *intelligant.*

5. *Parùm ſplendidus.*] Arguerant adverſarii, Cœlii patrem indignum fuiſſe qui cum illuſtribus viris verſaretur, propter vitæ ſordes.

6. *Cœlius.*] Pater hujus Cœlii, qui adeſt huic judicio, hoc maledictum facilè poteſt diluere apud eos quibus notus eſt & cognitus; & iis qui eum ætate ſuperant.

14. *Criminis loco.*] Non quidem adverſarii criminis reum eſſe arguebant, quod eques eſſet Romanus; ſed quod non tantâ nobilitate præditus, minus tolerabilis ejus videretur audacia.

Ib. *Neque bis judicantibus, neque defendentibus nobis.*] Sedebant judices equites Romani cum Senatoribus, & defendebat Cicero reum ipſe quidem Senator, ſed ex equeſtri genere natus. Itaque parum erat honeſtum accuſatoribus coram illis judicibus equeſtrem ei ordinem quaſi vilem objicere.

16. *Eſt quidem noſtra exiſtimatio.*] De ejus pietate exiſtimabimus quidem ut nobis videbitur, ſed de eâ judicabit pater. *Exiſtimatio* porrò eſt opinatio & conjectura, *judicium* verò eſt ſententia, quæ re cognitâ pronunciatur.

17. *Quid nos opinemur.*] Ex auditis teſtibus, quid oporteat de illo judicare conſtabit.

Ib. *Ex juratis.*] Jurati teſtes dicuntur, quia antequam ad judicium producerentur jurabant ſe veritatem dicturos. Venerant autem iſti teſtes Puteolis advocati ad teſtimonium dicendum.

19. *Præſens mœſtitia.*] Sedebant in ſubſelliis affines & propinqui ſordidati & atrati ad miſericordiam judicum excitandum, qui quonam affectu eſſent erga Cœlium facilè ex eorum lacrymis exiſtimari poterat.

luctuſque

luctuſque declarat. Nam, quod eſt objectum, municipibus eſſe adoleſcentem non [b] probatum ſuis: nemini unquam præſenti Puteolani majores honores habuerunt, quàm abſenti M. Cœlio: quem & abſentem in ampliſſimum ordinem cooptârunt, & ea non petenti detulerunt, quæ multis petentibus denegârunt: iidemque nunc lectiſſimos viros, & noſtri ordinis, & equites Romanos, cum legatione ad hoc judicium, & cum graviſſimâ atque ornatiſſimâ laudatione miſerunt. Videor mihi jeciſſe fundamenta defenſionis meæ: quæ firmiſſima ſunt, ſi nitantur judicio ſuorum; neque enim vobis ſatis [c] commendata hujus ætas eſſe poſſet, ſi non modò parenti tali viro, verùm etiam municipio tam illuſtri ac tam gravi diſpliceret. Equidem, ut ad me revertar, ab his fontibus profluxi ad hominum famam: & meus hic forenſis labor vitæque ratio dimanavit ad exiſtimationem hominum paulo latius, commendatione ac judicio meorum. Nam, quod objectum eſt de pudicitiâ, quodque omnium accuſatorum non criminibus, ſed vocibus maledictiſque celebratum eſt, id nunquam tam acerbè feret M. Cœlius, ut [d] eum pœniteat non deformem eſſe natum; ſunt enim iſta maledicta pervulgata in omnes, quorum in adoleſcentiâ forma & ſpecies fuit liberalis. Sed aliud eſt maledicere, aliud accuſare; accuſatio crimen deſiderat, rem ut definiat, hominem ut notet, argumento probet, teſte confirmet ma-

[b] *gratum.* [c] *placere.* [d] *ille doleat.*

20. *Municipibus.*] Municipes dicebantur, qui in civitatem Romanam recepti muneris publici participes fiebant: ſed tandem abuſivè municipes dicti ſunt ſuæ cujuſque civitatis cives. Ita Ulpianus.

21. *Puteolani.*] Puteoli civitas Campaniæ propter aquas calidas, à multitudine puteorum nominata.

23. *In ampliſſimum ordinem.*] Ampliſſimus ordo fuit Senatorius, major ab hoc equeſter, & infimus plebeius: ampliſſimus autem ordo in municipiis *Curia* dicebatur, Romæ verò *Senatus*, & qui Romæ *Senatores*, in municipiis *Decuriones* dicebantur; at hic Cœlius ita ſe ſuis probavit, ut in illum ordinem ipſum cooptarint.

25. *Lectiſſimos viros.*] Soliti erant Romanorum ſocii Romam legatos mittere; qui pro reis teſtimonium dicerent, qui ſe laudabiliter in provinciâ geſſerant, vel pro eis nomine totius municipii deprecarentur.

Ib. *Noſtri ordinis.*] Non miſerunt tantum Puteolanos Senatores, ſed etim Romanos; quanquam Senatores Romæ domicilium haberent, tamen cùm erant in municipiis unde orti erant, légati decurionum decreto mittebantur.

28. *Nitantur judicio ſuorum.*] Legunt alii, *nitatur*, referendo ad vocem defenſionis; adeo ut ille ſit ſenſus, firmiſſima fundamenta ſunt, ſi judicio ſuorum municipium Cœlii defenſio nitatur.

31. *Ab his fontibus.*] Probat exemplo ſuo Cicero, ſe ſibi ab hac eâdem popularium ſuorum commendatione feciſſe famam apud homines.

32. *Forenſis labor.*] Per forenſem laborem, induſtriam quâ valet in cauſis perorandis in foro, ſignificat.

36. *Vocibus maledictiſque.*] Convicia & voces ſæpe idem ſignificant. Certè Ulpianus vult *convicium* appellari, quaſi *convocium*, hoc eſt, à collatione vocum, cùm in unum complures voces conferuntur. Hîc autem Cœlium ab impudicitiâ excuſat.

40. *Rem ut definiat.*] Qui accuſat debet certum crimen afferre, v. g. furtum, ſacrilegium, cædem, &c. quod lege judiciorum aliquâ vindicetur.

lediction autem nihil habet propoſiti, præter contumeliam: quæ ſi petulantius jactatur, convicium; ſi facetius, urbanitas nominatur. Quam quidem partem accuſationis admiratus ſum, & moleſtè tuli potiſſimum eſſe Atratino datam; neque enim decebat, neque ætas illa poſtulabat: neque id quod animadvertere poteratis, pudor patiebatur optimi adoleſcentis, in tali illum oratione verſari. Vellem aliquis ex vobis robuſtioribus hunc maledicendi locum ſuſcepiſſet: aliquanto liberius, & fortius, & magis more noſtro refutaremus iſtam maledicendi licentiam. Tecum, Atratine, agam levius, quòd & pudor tuus [c] moderatur orationi meæ: & meum erga te, parentemque tuum beneficium tueri debeo. Illud tamen te eſſe admonitum volo: primùm qualis es, talem te eſſe exiſtimes: ut quantum à rerum turpitudine abes, tantum te à verborum libertate ſejungas: deinde ut ea in alterum ne dicas, quæ cum tibi falsò reſponſa ſint, erubeſcas; quis eſt enim, cui via iſta non pateat? qui iſti ætati [atque etiam dignitati] non poſſit, quam velit petulanter, etiam ſi ſine ullâ ſuſpicione, at non ſine argumento maledicere? Sed [f] iſtarum partium culpa eſt eorum qui te agere voluerunt: laus pudoris tui, quòd ea te invitum dicere videbamus: ingenii, quòd ornatè politeque dixiſti. Verùm ad [g] iſtam omnem orationem brevis eſt defenſio; nam quoad ætas M. Cœlii dare potuit iſti ſuſpicioni locum, fuit primùm ipſius pudore, deinde etiam patris diligentiâ, diſciplinâque munita: qui ut huic virilem togam dedit, nihil dicam hoc loco de me: tantum ſit, quantum vos exiſtimatis: hoc dicam hunc à patre continuò ad me eſſe deductum: nemo hunc M. Cœlium in illo ætatis flore vidit, niſi aut cum patre, aut mecum, aut in M. Craſſi caſtiſſimâ domo, cùm artibus honeſtiſſimis erudiretur.

III. Nam quod Catilinæ familiaritas objecta Cœlio eſt, longe ab

[c] *reprimit orationem.* [f] *iſtius defenſionis.* [g] *iſtas omnes objectiones.*

47. *In tali oratione verſari.*] Non debebat adoleſcens, qualis eſt Atratinus, verſari in eâ oratione, in quâ agitur de impudicitiâ.

48. *Ex vobis robuſtioribus.*] Robuſtiores vocat accuſatores, qui aliquâ ſunt jam ætate provecti, quales ſunt Herennius & Balbus.

52. *Beneficium tueri.*] Hoc sit, quia aliquando defenderat Polam accuſatum de ambitu.

53. *Qualis es, talem te eſſe exiſtimes.*] Monet ut nihil ſuâ virtute, formâ, ætate indignum faciat, aut loquatur; quemque ita monet amicè, ut etiam modeſtè carpat.

65. *Virilem togam.*] Poſitâ prætextâ & bullâ, virilem togam ſumebant Romani anno ætatis decimo ſeptimo, ut ex Suetonio licet conjicere.

67. *Ad me deductum.*] Aſſumptâ virili togâ, ſtatim adoleſcentes bonis moribus imbuendi, alicui claro viro à parentibus tradebantur. Sic Cicero deductum ſe ad Scævolam ait lib. de Amicitiâ.

1. *Catilinæ familiaritas.*] Purgat Cœlium, eumque Catilinæ familiarem non fuiſſe oſtendit.

illâ

illâ ſuſpicione abhorrere debet; hoc enim adoleſcente, ſcitis conſulatum mecum petiſſe Catilinam: ad quem ſi acceſſit, aut ſi à me diſceſſit unquam, quamquam multi boni adoleſcentes illi homini nequam atque improbo ſtuduerunt, tum exiſtimetur Cœlius Catilinæ nimium familiaris fuiſſe. At enim poſtea ſcimus & vidimus eſſe hunc in illius amicis. Quis negat? ſed ego illud tempus ætatis, quod ipſum ſuâ ſponte infirmum, aliorum libidine infeſtum eſt, id hoc loco defendo; fuit aſſiduus mecum, Prætore me: non noverat Catilinam: Africam tum Prætor ille obtinebat: ſecutus eſt annus: cauſam de pecuniis repetundis Catilina dixit; mecum erat hic: illi ne advocatus quidem venit unquam: deinceps fuit annus, quo ego conſulatum petivi: petebat Catilina mecum: nunquam ad illum acceſſit, à me nunquam receſſit. Tot igitur annos verſatus in foro ſine ſuſpicione, ſine infamiâ, ſtuduit Catilinæ iterum petenti. Quem ergo ad finem putas cuſtodiendam illam ætatem fuiſſe? Nobis quidem olim annus erat unus, ad cohibendum brachium toga, conſtitutus, & ut exercitatione ludoque campeſtri tunicati uteremur: eademque erat, ſi ſtatim mereri ſtipendia cœperamus,

1. *Conſulatum mecum petiſſe.*] Catilina contra Ciceronem petivit conſulatum: ſed cùm eligi ſe ſtatim ſperaſſet, propter ambitionis ſuſpicionem rejectus eſt, & ejus loco Cicero cum Antonio Conſul creatus eſt. Vide Appianum lib. 2. bell. civil. tunc autem admodùm erat adoleſcens Cœlius.

9. *Infeſtum.*] Is infeſtus appellatur, teſte Gellio, lib. 9. cap. 12. qui malum infert cuipiam.

Ib. *Aſſiduus mecum.*] Catilinæ non potuit ſtudere Cœlius, quia ſemper Ciceroni ſic adhæſit, ut nunquam à latere ejus diſcederet.

10. *Africam Prætor obtinebat.*] Pedianus in Orat. in togâ candidâ ſic ait de illo: *Catilina ex prætura Africam obtinuit, quam cùm graviter vexaſſet, togati Africani in Senatu, jam tum abſente illo, queſti ſunt, multaque graves ſententiæ in Senatu de eo dictæ ſunt.*

11. *Cauſam de pecuniis repetundis dixit.*] Cauſam dicere, auctore Budæo, eſt ſubire judicium. Cùm rediiſſet igitur ex Africâ Catilina, Torquato & Cottâ Coſſ. accuſatus eſt repetundarum, & defenſus à Cicerone, ut ait Feneſtella, & accuſatus à Pub. Clodio, qui Ciceronis poſtea fuit inimicus.

12. *Ne advocatus.*] Advocatus ibi ſumitur pro eo qui ſuam præſentiam amico commodat in judicio; etenim mos erat in judiciis tum privatis, tum publicis, amicos omnes advocare, quorum auctoritate moveri poſſe judices putabantur.

16. *Studuit Catilinæ iterum petenti.*] Petivit iterum conſulatum Catilina, cum Silanum & Murænam competitores haberet. Sed iterum repulſam ille paſſus, præ iracundiâ cœpit perniciosè de patriâ cogitare.

18. *Ad cohibendum brachium.*] De hoc Seneca, lib. declam. 5. *Apud patres noſtros qui forenſia ſtipendia auſpicabantur, nefas putabant brachium extra togam exerere; nam in togâ pars quædam in dextrâ parte excurrebat, quæ ſinus dicebatur, & in dextrum humerum rejiciebatur, ut iſtud obvolveret.*

19. *Ludoque campeſtri.*] Exercitatione militari juvenes exercebantur ad bellum in Campo Martio; ſed curſu potiſſimùm, luctâ, ſaltu, jaculatione, equitatu, ſaltatione, &c.

Ib. *Tunicati.*] Ita ſe exercebant adoleſcentes in illo campo, ut tunicâ ſemper ad majorem podicitiam uterentur. Tunica porrò veſtis brevior apud Romanos fuit, & ſine manicis, quæ propriè viris conveniebat, & ſub longiore veſte induebatur.

20. *Statim mereri ſtipendia.*] Stipendium dicitur ea militare, ſeu præmium quod militibus datur. Merentur autem ſtipendia qui milites fiunt.

[a] caſtrenſis ratio ac militaris; quâ in ætate, niſi qui ſe ipſe ſuâ gravitate, & caſtimoniâ, & cum diſciplinâ domeſticâ, tum etiam [b] naturali quodam bono defenderat; quoquo modo à ſuis cuſtoditus eſſet, tamen infamiam veram effugere non poterat. Sed qui prima illa initia ætatis integra atque inviolata [c] præſtitiſſet; de ejus famâ ac pudicitiâ, cum is jam ſe [d] corroboraviſſet, ac vir inter viros eſſet, nemo loquebatur. Studuit Catilinæ, cùm jam aliquot annos eſſet in foro Cœlius, & multi hoc idem ex omni ordine atque ex omni ætate fecerunt; habuit enim ille, ſicuti memineſſe vos arbitror, permulta maximarum non [e] expreſſa ſigna, ſed [f] adumbrata virtutum; utebatur hominibus improbis multis, & quidem optimis ſe viris deditum eſſe ſimulabat; erant apud illum illecebræ libidinum multæ: erant etiam induſtriæ quidam ſtimuli ac laboris; flagrabant vitia libidinis apud illum: vigebant etiam ſtudia rei militaris; neque ego unquam fuiſſe tale monſtrum in terris ullum puto, tam ex contrariis diverſiſque inter ſe pugnantibus naturæ ſtudiis, cupiditatibuſque conflatum. Quis clarioribus viris quodam tempore jucundior? quis turpioribus conjunctior? quis civis [g] meliorum partium aliquando? quis [h] tetrior hoſtis huic civitati? quis in voluptatibus inquinatior? quis in laboribus patientior? quis in rapacitate avarior; quis in largitione effuſior? Illa vero, Judices, in illo homine mirabilia fuerunt, comprehendere multos amicitiâ, tueri obſequio, cum omnibus communicare quod habebat, [i] ſervire temporibus ſuorum omnium, pecuniâ, gratiâ, labore corporis, ſcelere etiam, ſi opus eſſet, & audaciâ: [k] verſare ſuam naturam, & regere ad tempus, atque huc & illuc torquere & flectere: cum triſtibus ſeverè, cum remiſſis jucundè, cum ſenibus graviter, cum juventute comiter, cum facinoroſis audacter, cum libidinoſis luxuriosè vivere. Hac ille tam variâ multiplicique naturâ, cùm omnes omnibus ex terris homines improbos audaceſque collegerat, tum etiam multos fortes viros & bonos, ſpecie quâdam virtutis aſſimulatæ, tenebat; neque unquam ex illo delendi hujus imperii tam conſceleratus impetus exſtitiſſet, niſi tot vitiorum tanta immanitas quibuſdam facilitatis & patientiæ radicibus niteretur. Quare iſta conditio, Judices, reſpuatur: nec Catilinæ familiaritatis crimen hæreat: eſt enim commune cum multis, cum quibuſdam etiam bonis. Me ipſum, me, inquam, quondam penè ille decepit: cùm & civis mihi bonus, & optimi cujuſque cupidus, & firmus amicus ac fide-

[a] *diſciplina militaris.* [b] *probitate naturæ.* [c] *ſervaſſet.* [d] *grandior factus eſſet.* [e] *declarata.* [f] *ficta.* [g] *qui plures bonos habuit fautores.* [h] *pejor.* [i] *ſubvenire periculis omnium.* [k] *mutare.*

27. *Studuit Catilinæ.*] Studuit Catilinæ cum ſecundò conſulatum petivit.

56. *Conditio reſpuatur.*] Iſta objectio rejiciatur; reſpuere enim ſignificat repudiare, & quaſi cum ſputo per contemptum rejicere.

lis

lis videretur; cujus ego facinora oculis prius, quam opinione, manibus ante, quam ſuſpicione, deprehendi; cujus in magnis catervis amicorum ſi fuit etiam Cœlius, magis eſt, ut ipſe moleſte ferat erraſſe ſe, ſicuti nonnunquam in eodem homine me quoque erroris mei pœnitet, quàm ut iſtius amicitiæ crimen reformidet. Itaque à maledictis pudicitiæ ad conjurationis invidiam oratio eſt veſtra delapſa; poſuiſtis enim, atque id tamen titubanter & ſtrictim, conjurationis hunc, propter amicitiam Catilinæ, participem fuiſſe: in quo non modo crimen non hærebat, ſed vix diſerti adoleſcentis cohærebat oratio. Qui enim tantus furor in Cœlio? quod tantum aut in moribus naturâque vulnus, aut in re atque fortunâ? ubi denique eſt in iſtâ ſuſpicione Cœlii nomen auditum? Nimium multa de re minime dubiâ loquor: hoc tamen dico, non modò ſi ſocius conjurationis, ſed niſi inimiciſſimus iſtius ſceleris fuiſſet, nunquam conjurationis accuſatione adoleſcentiam ſuam potiſſimum commendare voluiſſet: quod, haud ſcio, an de ambitu, & de criminibus iſtius ſodalium ac ſequeſtrium, quoniam huc incidi, ſimiliter reſpondendum putem; nunquam enim tam Cœlius amens fuiſſet, ut ſi ſe iſto infinito ambitu commaculâſſet, ambitûs alterum accuſaret: neque ejus facti in altero ſuſpicionem quæreret, cujus ipſe ſibi perpetuam licentiam optaret: nec, ſi ſibi ſemel periculum ambitûs ſubeundum putaret, ipſe alterum iterum ambitûs crimine arceſſeret: quod quanquam nec ſapienter, & me invito facit, tamen eſt ejuſmodi cupiditatis, ut, magis inſectari alterius innocentiam, quàm de ſe timidè cogitare videatur. Nam quod æs alienum objectum eſt, ſumptus reprehenſi, tabulæ flagitatæ: videte quam pauca reſpondeam. Tabulas, qui in patris poteſtate eſt, nullas conficit: Ver-

61. *Oculis prius, quàm opinione.*] Prius patuerunt oculis crimina Catilinæ, quàm eorum reus crederetur: per Fulviam enim conjurationem accepit, antequàm conjuratorum literæ in ponte Milvio fuiſſent deprehenſæ.

63. *Si fuit etiam Cœlius, &c.*] Si inter tot Catilinæ amicos fuit Cœlius, longè juſtius conqueri debet, ſe in fraudem inductum fuiſſe, ut Cicero ſæpenumero conqueſtus eſt, quàm vereri ne iſtius Catilinæ amicitia crimini ſibi vertatur.

77. *Sequeſtrium.*] Sequeſtres vel ſunt, auctore Budæo, interpretes ambitûs, & corrumpendarum tribuum auctores, vel qui ſe tanquam mediatores ad populi gratiam pro candidatis aucupandam interponunt.

83. *Arceſſeret.*] Jam ſupra notatum eſt Cœlium ambitûs crimine L. Atratinum ſemel accuſaſſe, eundemque abſolutum iterum accuſaſſe.

Ib. *Quod quanquam.*] Dicit Polam patrem Atratini immeritò fuiſſe accuſatum, ut judicum vitet offenſionem, quibus carus erat fortaſſe Pola.

87. *Sumptus reprehenſi.*] Valerius teſtatur eos, qui maximos ſumptus feciſſent, aut ingrati fuiſſent, aut æs alienum contraxiſſent, graviſſimis ſuppliciis apud Romanos affectos fuiſſe.

Ib. *Tabulæ flagitatæ.*] Moris fuit apud Romanos ut patres-familias, quæcunque per ſingulos dies, aut acciperent aut expenderent, ea primum propriè ac feſtinanter in codicem memoriæ causâ paratum referrent, quæ adverſaria dicebantur, deinde per otium in aliis tabulis ordine, & accuratè perſcriberent. Eas tabulas *accepti & expenſi* nominabant.

88. *Qui in patris poteſtate eſt.*] Filius-familias tabulas non conficit, quia præter

Verſuram nunquam omnino fecit ullam. Sumptus unius generis objectus eſt, habitationis: triginta millibus dixiſtis eum habitare; nunc demum intelligo, P. Clodii inſulam eſſe venalem, cujus hic in ædiculis habitet, decem, ut opinor, millibus; vos autem, dum illi placere vultis, ad tempus ei mendacium veſtrum accommodaviſtis.

IV. Reprehendiſtis, à patre quod ſemigrârit: quod quidem jam in hac ætate minime reprehendendum eſt; qui, cum & [a] ex reipub. cauſâ eſſet, mihi quidem moleſtam, ſibi tamen glorioſam victoriam conſecutus, & per ætatem magiſtratus petere poſſet, non modo permittente patre, ſed etiam ſuadente, ab eo ſemigravit: &, cum domus patris à foro longe abeſſet, quo facilius, & noſtras [b] obire domos, & ipſe à ſuis coli poſſet, conduxit in Palatio, non magno, domum. Quo loco poſſum dicere id, quod vir clariſſimus M. Craſ-

[a] *propter Rempub.* [b] *adire.*

præter peculium nihil habet: peculii tamen rationes conficere ſolitos & filiosfamilias, & ſervos, ſatis conſtat ex titulo Digeſt. de Pecul.

89. *Verſuram nunquam.*] Verſura proprie fieri dicitur, 1. Cùm creditoris converſio quædam & mutatio fit, id eſt, cùm quis alii ut ſolvat, ab alio pecuniam mutuatur. 2. Aliquando Verſuram facere ſimpliciter ſignificat æs alienum contrahere, ut ex hoc Ciceronis loco patet. 3. Verſuram facere dicitur is qui æs alienum ex ære alieno ſolvit. 4. Dicitur etiam Verſuram facere, cùm minore fœnore acceptam quis pecuniam majore occupat.

90. *Triginta millibus eum habitare.*] Objectum eſt conduxiſſe domum triginta ſeſtertium millibus ad habitandum, id eſt, tribus librarum [Gallic.] millibus.

91. *Clodii Inſulam.*] Inſula, inquit, Feſtus, dicta proprie, quæ non jungitur communibus parietibus cum vicinis, ſed circuitu publico aut privato cingitur: à ſimilitudine videlicet earum terrarum, quæ fluminibus ac mari imminent, ſuntque in ſolo; ait autem Plinius lib. 36. cap. 15. Pub. Clodium ſeſtertium centies, & quadragies octies habitaſſe.

92. *Decem millibus.*] Mille libris noſtratibus, i. e. Gallicanis.

1. *A patre ſemigrarit.*] Filii-familias adoleſcentes cum parentibus habitabant, à quibus diſcedere non potuerunt abſque probro.

4. *Victoriam conſecutus.*] Cœlius accuſavit Antonium affinem fuiſſe conjurationis Catilinariæ, atque adeo eum in exilium abire compulit: quod permoleſtum fuit Ciceroni, qui eum, ſibi collegam in Conſulatu, defenderat.

1b. *Per ætatem Magiſtratus petere.*] L. Villius Tribunus-plebis, L. Manlio & Q. Fulvio Coſſ. anno urbis 624. legem tulit, ut annus Quæſturæ non eſſet ante vigeſimum ſeptimum: Tribunatus ante trigeſimum: Ædilitatis ante trigeſimum ſeptimum: Prætura quadrageſimum: Conſulatus quadrageſimum tertium: Et quod de Quæſturâ ejectum eſt, congruit cum eo, quod Polybius lib. 6. ſcribit, legem fuiſſe, ne quis Magiſtratum urbanum gereret, niſi decem ſtipendia confeciſſet; annus autem ad militandum legitimus fuit decimus ſeptimus.

9. *M. Craſſus.*] M. Craſſus prior Cœlium defendit. Eum autem defendens optabat ut nunquam Ptolemæus veniſſet Romam, citatis ex Medeâ Ennii Poetæ verſibus, quibus ancilla queritur Argo navem fuiſſe fabricatam, quâ Jaſone in Colchida devecto, Medea amore ejus capta fuerit; quos ille verſus cum allegorice ad Ptolemæum accommodaſſet, Cicero eodem modo feſtivè ad Cœlium & Clodium accommodat, dolens Cœlium in Palatium, ubi habitabat Clodia, commigraſſe, quod ei initium malorum fuit.

ſus,

ſus, cùm de adventu regis Ptolemæi quereretur, paulo ante dixit, *Utinam ne in nemore Pelio.*—Ac longius quidem mihi contexere hoc carmen liceret: *Nam nunquam hera errans* hanc moleſtiam nobis exhiberet, *Medea animo ægra, amore ſævo ſaucia.* Sic enim, Judices, reperietis (quod, cùm ad id loci venero, oſtendam) hanc Palatinam Mediam, migrationemque huic adoleſcenti cauſam ſive malorum omnium, ſive potius ſermonum fuiſſe. Quamobrem illa, quæ ex accuſatorum oratione præmuniri jam, & fingi intelligebam, fretus veſtrâ prudentiâ, Judices, non pertimeſco. Aiebant enim fore teſtem Senatorem, qui ſe Pontificiis comitiis [c] pulſatum à Cœlio diceret; à quo quæram ſi prodierit, primùm cur ſtatim nihil egerit: deinde, ſi id queri, quàm agere maluerit, cur productus à vobis potius, quàm ipſe per ſe: cur tanto poſt potius, quàm continuo, queri maluerit: ſi mihi ad hæc acute, arguteque reſponderit; tum quæram denique, ex quo iſte fonte Senator emanet; nam ſi ipſe orietur & naſcetur ex ſeſe, fortaſſe, ut ſoleo, commovebor; ſin autem eſt rivulus arceſſitus & ductus ab ipſo capite accuſationis veſtræ, læ-

[c] *verberatum.*

10. *Regis Ptolemæi.*] Ptolemæus Rex Alexandrinus pulſus à ſuis venit Romam, ut à Senatu populoque Romano reſtitueretur; eodem tempore legati Alexandrini contra eum veneruntt: quorum Ptolemæus magnam partem per inſidias ſuſtulit, in iis principem legationis Dionem Academicum. Objecerant autem accuſatores Puteolis à Cœlio pulſatos fuiſſe.

11. *Utinam ne in nemore Pelio.*] Verſus deſumpti ſunt ex Ennii Medeâ. Hæc autem cùm propter Glaucam Creontis regis filiam, ſe à Jaſone contemptam cerneret, noctu regiam ingreſſa, radice à Circe inventâ, eâ virtute ut ignis extingui non poſſet, eandem incendit. Fertur autem Jaſonem protinus regiâ incenſâ aufugiſſe, Creontem vero, & Glaucam igne fuiſſe conſumptos. Vid. Diodorum lib. 5.

Ib. *Pelio.*] Pelion mons eſt Theſſaliæ frequenti pino referta. Ubi navis Argo, quâ Jaſon victus eſt, confecta fuit.

12. *Hera errans.*] Clodia offenſa nunquam hac calumniâ Cœlium afficeret.

13. *Medea.*] Sub Medeâ Clodiam ſignificat, quæ inſanum ſuum amorem in Cœlium, in odium & iram convertit.

15. *Palatinam Medeam.*] Clodia habitabat in monte Palatino, ideoque eam Palatinam vocat.

20. *Pontificiis comitiis.*] Pontificia comitia dicebantur in quibus Pontifices creabantur. Tulit autem legem Cn. Domitius Ænobarbus Trib. pleb. Cn. Mario & L. Aurelio Coſſ. anno urbis 650. ut non ſacerdotum collegis, ut antea, quem vellent cooptarent: ſed populi id beneficium eſſet. Cùm autem populus per religionem ſacerdotia mandare non poſſet, rogavit ut minor pars populi, id eſt, tribus ſeptendecim vocarentur; & ab eâ parte qui eſſet factus, is à collegio cooptaretur.

21. *Primùm cur ſtatim.*] Probat non pulſatum fuiſſe illum Senatorem à Cœlio, idque ex conjecturæ locis per interrogationem.

25. *Ex quo iſte fonte emanet.*] Quæret Cicero an Senator ille ſponte ſuâ, an adverſariorum precibus adductus fuerit ad ferendum contra Cœlium teſtimonium.

27. *Ductus ab ipſo capite.*] Si autem ille Senator corruptus eſt à Clodiâ, ut hanc accuſationem ſuſciperet, & contra Cœlium ferret teſtimonium, erit ſane quod lætetur Cicero, quod unus tantùm ille reperiatur, qui Clodiæ cauſæ ſervire voluerit; his metaphora ab aquis elegans eſt.

tabor,

tabor, cùm tantâ gratiâ tantisque opibus accusatio vestra nitatur, unum Senatorem solum esse, qui vobis gratificari vellet, inventum. Nec tamen illud genus alterum nocturnorum testium pertimesco; est enim dictum ab illis, fore qui dicerent, uxores suas à cœnâ redeuntes attrectatas esse à Cœlio. Graves erunt homines, qui hoc jurati dicere audebunt: cùm sit his confitendum, nunquam se, ne congressu quidem & constituto, cœpisse de tantis injuriis experiri. Sed totum genus oppugnationis hujus, Judices, & jam [d] prospicitis animis, &, cùm inferetur, propulsare debebitis; non enim ab iisdem accusatur M. Cœlius, à quibus oppugnatur; palam in eum tela jaciuntur, clam subministrantur. Neque id ego dico, ut invidiosum sit in eos, quibus gloriosum hoc etiam esse debet: funguntur officio: defendunt suos: faciunt quod viri fortissimi solent: læsi dolent, irati efferuntur, pugnant lacessiti; sed vestræ sapientiæ tamen est, Judices, non, si causa justa est viris fortibus oppugnandi M. Cœlium, ideo vobis quoque vos causam putare esse justam, alieno dolori potius, quàm vestræ fidei consulendi. Quæ sit multitudo in foro, quæ genera, quæ studia, quæ varietas hominum, videtis; ex hac copiâ, quam multos esse arbitramini, qui hominibus potentibus, gratiosis, disertis, cùm aliquid eos velle arbitrentur, ultro se offerre soleant, operam navare, testimonium polliceri? Hoc ex genere si qui se in hoc judicium forte projecerint, [e] excluditote eorum cupiditatem, Judices, sapientiâ vestrâ: ut eodem tempore hujus saluti, & religioni vestræ, & contra periculosissimas hominum potentias conditioni omnium civium providisse videamini. Equidem vos ab-

[d] *intelligitis.* [e] *rejicite.*

30. *Nocturnorum testium.*] Ridicule jocatur in testes, quos idcirco nocturnos vocat, ad eorum obscuritatem alludens, quia nocte commode videri non poterant.

32. *Attrectatas.*] Ita à mulieribus contrectandis abstinebant Romani, ut à Magistratu matronæ ne quidem submoverentur, ut Festus refert, ne pulsari submoverive viderentur.

33. *Jurati.*] Qui testimonium erant laturi, jurabant: quare religione verum dicere tenebantur.

34. *Congressu & constituto.*] Moris fuit antequam ad judicem provocarent, ut domi apud amicos communes experirentur, si forte sedari ab iis controversia posset; *experiri* autem, vel *experiri jus*, lege agere est; inde deducto verbo, quòd qui rem aliquam judicio petunt, ii, quod juris se habere ad eam rem petendam arbitrantur, id ad judices tentandi, & experiundi causâ exponunt.

38. *Palam tela jaciuntur.*] Ostendit quod alii, ut Herennius, Atratinus, Balbus se palam accusatores profiteantur, sumpta à militibus metaphora, quorum alii sagittas evibrant, alii suppeditant.

44. *Quam vestræ fidei.*] Per hanc vocem, *fidei*, religionem atque innocentiam, quam vulgò conscientiam dicimus, significat; cùm enim judices jurarent, nil contra fidei suæ sanctitatem præstare debebant.

47. *Gratiosis.*] Gratiosi vulgo dicuntur qui amicis abundant.

49. *Testimonium polliceri.*] Pollicemur sponte, promittimus rogati, inquit Servius, hîc autem invidiam ex potentiâ, adversariis conciliat.

ducam

ducam à teſtibus; neque hujus judicii veritatem, quæ mutari nullo modo poteſt, in voluntate teſtium collocari ſinam; quæ facillime effingi, nullo negotio flecti, ac detorqueri poteſt; argumentis agemus; ſignis omni luce clarioribus crimina refellemus; res cum re, cauſa cum causâ, ratio cum ratione pugnabit.

V. Itaque illam partem cauſæ facile patior graviter & ornate à M. Craſſo peroratam, de ſeditionibus Neapolitanis, de Alexandrinorum [a] pulſatione Puteolanâ, de bonis Pallæ; vellem dictum eſſet ab eodem etiam de Dione: de quo ipſo tamen quid eſt, quod expectetis, quod is qui fecit, aut non timet, aut etiam fatetur? Etenim reus, qui dictus eſt & adjutor fuiſſe & conſcius, P. Aſcitius, is judicio eſt liberatus. Quod igitur eſt hujuſmodi crimen, ut, qui commiſit, non neget: qui negavit, abſolutus ſit: id hic pertimeſcat, qui non modo à facto, verum etiam à conſcientiæ ſuſpicione abfuit? &, ſi Aſcitio cauſa plus profuit, quàm nocuit invidia, huic oberit tuum maledictum, qui iſtius facti non modò ſuſpicione, ſed ne infamiâ quidem eſt [b] adſperſus? At prævaricatione eſt Aſcitius liberatus. Perfacile eſt iſti loco reſpondere, mihi præſertim, à quo illa cauſa defenſa eſt, ſed Cœlius optimam cauſam Aſcitii eſſe arbitratur: cujuſmodi autem ſit, à ſuâ putat eſſe ſejunctam: neque ſolum Cœlius, ſed etiam adoleſcentes humaniſſimi & doctiſſimi, rectiſſimis ſtudiis atque optimis artibus præditi, Titus Caiuſque Coponii: qui ex omnibus maxime Dionis mortem doluerunt: qui cum doctrinæ ſtudio atque humanitatis, tum etiam hoſpitio Dionis [c] tenebantur; habitabat is apud L. Lucceium, ut audiſtis: fuerat ei cognitus Alexandriæ; quid aut hic, aut ſummo ſplendore præditus frater ejus, de M. Cœlio exiſtimet, ex ipſis, ſi producti erunt, audietis. Ergo hæc removeantur, ut aliquando, in quibus cauſa nititur, ad ea veniamus. Animadverti enim, Judices, audiri à vobis meum familiarem L. Herennium perattentè; in quo etſi magnâ ex parte ingenio ejus, & dicendi genere quodam tenebamini, tamen nonnunquam verebar ne illa ſubtiliter ad crimi-

[a] *cæde.* [b] *notatus.* [c] *delectabantur.*

2. *De ſeditionibus Neapolitanis.*] Exortæ quædam fuerant Neapoli ſeditiones, quibus cùm ne quidem interfuiſſet Cœlius, tamen quaſi earum auctor à Clodio accuſatus eſt.

Ib. *Neapolitanis.*] Neapolis Italiæ civitas nobiliſſima, quæ & Parthenope dicta eſt.

3. *De bonis Pallæ.*] Hæc falſo erepta à Cœlio dicebantur.

4. *De Dione.*] Fuit hic Dio Alexandrinorum legatus, quem Pub. Aſcitius interfecit: qui tamen judicio abſolutus eſt. Unde Crimen illud in Cœlium derivandum non eſt.

11. *Huic oberit.*] Cœlio non debet obeſſe interfecti Dionis crimen, cum illius auctor illud ipſum non neget.

13. *Prævaricatione.*] Prævaricatione utitur, quia proditâ cauſâ ſuâ diverſam partem adjuvat.

23. *Si producti erunt.*] Id eſt, ſi ad teſtimonium dicendum advocati ſint omnes illi qui Dionis erant amici, hanc ejus criminis ſuſpicionem à Cœlio removebunt.

nandum

nandum inducta oratio ad animos veſtros ſenſim ac leniter acce-
deret; dixit enim multa de luxuriâ, multa de libidine, multa de
vitiis juventutis, multa de moribus: &, qui in reliquâ vitâ mitis
eſſet, & in hac ſuavitate humanitatis, quâ prope jam delectantur
homines, verſari perjucunde ſoleret, fuit in hac causâ pertriſtis
quidam patruus, cenſor, magister; objurgavit M. Cœlium, ſicut
neminem unquam parens: multa de incontinentiâ, intemperan-
tiâque diſſeruit. Quid quæritis, Judices? ignoſcebam vobis at-
tente audientibus, propterea quod egomet tam triſte illud &
tam aſperum genus orationis horrebam. Ac prima pars fuit illa,
quæ me minùs movebat, fuiſſe meo neceſſario Beſtiæ Cœlium fa-
miliarem, cœnaſſe apud eum, ventitaſſe domum, ſtuduiſſe prætu-
ræ. Non me hæc movent, quæ perſpicue falſa ſunt: etenim eos
una cœnaſſe dicit, qui abſunt, aut quibus neceſſe eſt idem di-
cere. Neque verò illud me commovet, quod ſibi in Lupercis
ſodalem eſſe Cœlium dixit. Fera quædam ſodalitas, & plane pa-
ſtoritia atque agreſtis [d] germanorum Lupercorum: quorum co-
itio illa ſylveſtris ante eſt inſtituta, quàm humanitas, atque le-
ges; ſiquidem non modò nomina deſerunt inter ſe ſodales, ſed
etiam commemorant ſodalitatem in accuſando, ut ne, ſi quis id
fortè neſciat, timere videatur. Sed hæc omittam: ad illa, quæ
me magis moverunt, reſpondebo. Deliciarum objurgatio fuit lon-
ga, & ea lenior: pluſque diſputationis habuit, quàm atrocitatis:
quo etiam audita eſt attentius. Nam P. Clodius amicus meus,
cùm ſe graviſſime vehementiſſimeque jactaret, & omnia inflamma-
tus ageret triſtiſſimis verbis, voce maximâ: tametſi probabam ejus
eloquentiam, tamen non pertimeſcebam; aliquot enim in cauſis

[d] *verorum.*

34. *Pertriſtis quidam patruus.*] Id eſt, ſeverus cenſor; quâ ſignificatione vox iſta ſumitur ab Horatio Sat. 3. lib. 2. *Sive ego prave, ſeu rectè hoc volui, ne ſis patruus mihi.*

39. *Neceſſario Beſtiæ.*] Beſtia hic ambitûs accuſatus eſt, ſed defenſus à Cicerone fuit; cujus ipſe meminit Epiſt. 7. ad Q. Fratrem; arguebatur autem Cœlius habuiſſe cum Beſtiâ familiaritatem.

40. *Studuiſſe Prætura.*] Opem tuliſſe Beſtiæ in petitione Prætura, & ſæpius in ejus veniſſe domum objiciebatur.

42. *Aut quibus neceſſe eſt idem dicere.*] Intelligit amicos Cladiæ qui eadem dicere cum illâ debebant.

43. *In Lupercis.*] Lupercalia erant dies feſti qui Februario menſe Pani dedicati peragebantur, quorum ſacerdotes Luperci nudi ſubligaculis ſubcincti per urbem vagabantur quaſi lupos arcerent. Ita Varro, Plinius, & Servius. Luperci porrò cum Potitiis Herculis ſacerdotibus antiquiſſimi omnium fuerunt, jam inde ab Evandro ipſo ante Æneæ in Italiam adventum inſtituti.

44. *Sodalem.*] Sodales ſunt, inquit Cæſius, qui ejuſdem collegii ſunt, lib. 4. D. de colleg. & corp.

Ib. *Fera quædam ſodalitas.*] Feram vocat ſodalitatem propter ejus antiquitatem; utpote quæ condita ſit ante Romam.

52. *Clodius amicus meus.*] Ironia. Certe olim ſummæ fuerat Ciceroni inter & Clodium amicitia; ſed ab eo tempore quo contra eum teſtatus eſt Cicero, quòd ſacra bona Deæ violaſſet, ſumma fuit inimicitia: tunc autem maxime cùm hanc orationem habuit. [Sed recte hunc Clodium alium ab ipſo P. Clodio fuiſſe conſet Manutius.]

cum

cum videram fruſtra litigantem. Tibi autem, Balbe, reſpondebo, primùm precariò, ſi licet, ſi fas eſt, defendi à me eum, qui nullum convivium [e] renuerit, qui unguenta ſumpſerit, qui Baïas viderit. Equidem multos & vidi in hac civitate, & audivi, non modò qui primoribus labris guſtaſſent genus hoc vitæ, & extremis, ut dicitur, digitis attigiſſent; ſed qui totam adoleſcentiam voluptatibus dedidiſſent, emerſiſſe aliquando, & ſe ad frugem bonam, ut dicitur, recepiſſe, graveſque homines atque illuſtres fuiſſe. Datur enim conceſſu omnium huic aliquis ludus ætati, & ipſa natura profundit adoleſcentiæ cupiditates: quæ ſi ita erumpunt, ut nullius vitam [f] labefactent, nullius domum evertant, faciles & tolerabiles haberi ſolent. Sed tu mihi videbare ex communi infamiâ, juventutis aliquam invidiam Cœlio velle [g] conflare; itaque omne illud ſilentium, quod eſt orationi tributum tuæ, fuit ob eam cauſam, quòd uno reo propoſito, de multorum vitiis cogitabamus. Facile eſt accuſare luxuriam; dies jam me deficiet, ſi, quæ dici in eam ſententiam poſſunt, coner expromere: de corruptelis, de adulteriis, de protervitate, de ſumptibus, immenſa oratio eſt ut tibi reum neminem, ſed vitia proponas; res tamen ipſa & copioſe, & graviter accuſari poteſt. Sed veſtræ ſapientiæ eſt, Judices, non abduci ab reo: nec quos aculeos habeat ſeveritas gravitaſque veſtra, cùm eos accuſator [h] erexerit in rem, in vitia, in mores, in tempora, emittere in hominem, & in reum: cùm is non ſuo crimine, ſed multorum vitio ſit in quoddam odium injuſtum vocatus. Itaque ſeveritati tuæ, ut oportet, ita reſpondere non audeo: erat enim meum deprecari [i] vacationem adoleſcentiæ, veniamque petere: non, inquam, audeo: perfugiis non utor ætatis: conceſſa omnibus jura dimitto: tantùm, peto, ut, ſi qua eſt invidia communis hoc tempore æris alieni, petulantiæ, libidinem juventutis, quam video eſſe magnam, ne huic a-

[e] *vitaverit.* [f] *contaminent.* [g] *parare.* [h] *defixerit.* [i] *immunitatem.*

56. *Fruſtra litigantem.*] Sæpe causâ ceciderat Cladius, immo videtur Cicero latenter indicare prævaricationis fuiſſe ſuſpectum.

57. *Primùm precariò.*] Reſpondet jam Balbo alteri accuſatori, cui cum bonâ ejus veniâ ſe reſponſurum dicit.

58. *Unguenta ſumpſerit.*] Unguenta odores ſunt, quibus delicioſi homines utebantur: id autem arguebat in Cœlio Balbus.

Ib. *Baïas viderit.*] Baïæ aquæ calidæ ſunt in Campaniâ Puteolos inter & Miſenum, tùm opportunæ voluptatibus corporis, quàm morbis depellendis.

60. *Primoribus labris guſtaſſent.*] Proverbium eſt ductum ab iis qui cibum aut potum tenuiter deguſtant, nihil inde in ſtomachum tranſmittentes.

Ib. *Extremis digitis.*] Proverbium ejuſdem ſignificationis cum ſuperiore.

69. *Omne illud ſilentium.*] Auditus quidem eſt [Balbus] attente, non quia unum Cœlium accuſabat, ſed quia univerſam corruptos juventutis mores oratione ſuâ deſcribebat. Hinc autem nihil in Cœlium efficiebat, quia nihil eorum in eo fuiſſe probabat.

73. *De protervitate.*] Rudemus hunc locum explicans, ait protervum eum dici, qui ſibi circa libidinem temperare non poteſt.

Hena

liena peccata, ne ætatis ac temporum vitia noceant. Atque ego idem, qui hæc poſtulo, quin criminibus, quæ in hunc propriè conferuntur, diligentiſſimè reſpondeam, non recuſo.

SECUNDA PARS CONFUTATIONIS

De auro & veneno.

Oſtendit in hac parte Cicero, totum crimen veneni & auri confictum eſſe à Clodia muliere impudicâ, quam ſprevit Cælius.

VI. Sunt autem duo crimina, auri, & veneni: in quibus una, atque eadem perſona verſatur. Aurum ſumptum à Clodiâ, venenum quæſitum, quod Clodiæ daretur, dicitur; omnia ſunt alia, non crimina, ſed maledicta, jurgii petulantis magis, quàm publicæ quæſtionis; adulter, impudicus, ſequeſter, convicium eſt, non accuſatio; nullum eſt enim fundamentum horum criminum, nulla ſedes; voces ſunt contumelioſæ, temerè ab irato accuſatore, nullo auctore, emiſſæ. Horum duorum criminum video fontem, video auctorem, video certum nomen & caput; auro opus fuit: ſumpſit à Clodiâ, ſumpſit ſine teſte, habuit quamdiu voluit: maximum video ſignum cujuſdam egregiæ familiaritatis; necare eandem voluit, quæſivit venenum, ſolicitavit quos potuit, paravit, locum conſtituit, attulit; magnum rurſus odium video cum crudeliſſimo diſſidio extitiſſe. Res eſt omnis in hac causâ nobis, Judices, cum Clodiâ, muliere non ſolum nobili, ſed etiam notâ, de quâ ego nihil dicam, niſi depellendi criminis causâ. Sed intelligis pro tuâ præſtanti prudentiâ, Cn. Domiti, cum hâc ſolâ rem eſſe nobis: quæ ſi ſe aurum Cœlio commodâſſe non dicit, ſi venenum ab hoc ſibi paratum eſſe non arguit; petulanter facimus, ſi matrem-familias ſecus, quàm matronarum ſanctitas po-

2. *Perſona.*] Clodius accuſavit Cœlium de auri & veneni crimine.

5. *Sequeſter.*] Sequeſter hic dicitur de eo qui adulteria conciliat.

9. *Certum nomen.*] Per illas voces, *certum nomen*, crimen intelligit, de quo lex aliqua judiciorum perlata erat, quod tum *certum nomen* habere dicebatur: de quo autem nulla erat lex, *incertum* habebatur. Vide Cic. 3. de Inventione.

15. *Sed etiam notâ.*] Nota, id eſt famoſâ libidinum ſuarum nomine.

16. *Depellendi criminis causâ.*] Depellendi à Cœlio, qui falsò accuſatur.

18. *Aurum Cœlio commodâſſe.*] Probabile eſt aurum illud ſignatum non fuiſſe (creditum enim aut mutuo datum dixiſſet) ſed aurum ſolidum & factum, id eſt, aliquod ornamentum, ut ſtatua, aut quid ejuſmodi quod amico pro tempore commodatur, & recipitur poſtea.

20. *Matrem-familias.*] In Pandectis matrem-familias & matronam pro eâdem uſurpari legimus; hoc eſt, promuliere pudicâ & honeſtâ, ſive vidua ſit, ſive nupta. Feſtus vult appellari matronas, quibus habendi ſtolas jus erat. Pater autem ex hoc Ciceronis textu promiſcuè verbum utrumque uſurpari.

ſtulat,

ſtulat, nominamus; ſin, iſtâ muliere remotâ, nec crimen ullum, nec opes ad oppugnandum Cœlium illis relinquentur, quid eſt aliud quod nos patroni facere debeamus, niſi ut eos, qui inſectantur, repellamus? quod quidem facerem vehementius, niſi intercederent mihi inimicitiæ cum iſtius mulieris viro: fratrem volui dicere: ſemper hîc erro; nunc agam modice, ne longius progrediar, quàm me mea fides, & cauſa ipſa coget; neque enim muliebres unquam [a] inimicitias mihi gerendas putavi, præſertim cum eâ, quam omnes ſemper amicam omnium potius, quàm cujuſquam inimicam putaverunt. Sed tamen ex ipsâ quæram prius, utrum me ſecum ſevere, & graviter, & priſce agere malit; an remiſſe, ac leniter, & urbane; ſi illo auſtero more ac modo; aliquis mihi ab inferis [b] excitandus eſt, ex barbatis illis, non hac barbulâ, quâ iſta delectatur; ſed illâ horridâ, quam in ſtatuis antiquis & imaginibus videmus: qui objurget mulierem, & pro me loquatur, ne iſta mihi fortè ſuccenſeat: Exiſtat igitur ex hac ipſâ familiâ aliquis, ac potiſſimum Cæcus ille; minimum enim dolorem capiet, qui iſtam non videbit; qui profecto ſi extiterit, ſic aget, & ſic loquetur: Mulier, quid tibi cum Cœlio? quid cum homine adoleſcentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuiſti, ut aurum commodares; aut tam inimica, ut venenum timeres? non patrem tuum videras? non patruum, non avum, proavum, atavum audieras conſules fuiſſe? non denique modo te Quinti Metelli matrimonium tenuiſſe ſciebas, clariſſimi & fortiſſimi viri, patriæque amantiſſimi, qui ſimul ac [c] pedem limine extulerat, omnes prope cives virtute, gloriâ, dignitate ſuperabat? cui cum ex ampliſſimo ge-

[a] *habendas controverſias.* [b] *revocandus.* [c] *exiverat de civitate.*

25. *Iſtius mulieris viro.*] P. Clodium feſtivè deſignat, quem Plutarchus inceſtam cum tribus ſuis ſororibus conſuetudinem habuiſſe ſcribit.

30. *Inimicam putaverunt.*] Ironicè alludit ad meretriciam Clodiæ familiaritatem.

33. *Ex barbatis illis.*] Teſte Plinio, tonſoribus uſi non ſunt Romani ante annum 454. & primus omnium inſtituit radi Africanus.

Ib. *Hac barbulâ.*] Pungit Clodiam, quæ barbatulo amatore, & fratre ſuo maxime tenebatur.

35. *Ne iſta.*] Clodia.

37. *Cæcus ille.*] Appius Clodius abavus ipſius Clodiæ, Cæcus dictus eſt, quia longam annorum ſeriem orbatus luminibus egit, ut refert Valerius lib. 8. cap. 14. Stemma Clodianum deſcriptum habet Nic. Abrahamus in Orat. pro Cœlio Num. xxxiii. Not. 5.

39. *Mulier, quid tibi cum Cœlio.*] Proſopopœia elegans, quâ in perſonâ Cæci Clodiam carpit.

41. *Non patrem tuum videras.*] Appius Claudius Pulcher, Clodiæ parens, Conſul fuit cum Pub. Servilio Iſaurico, anno urbis conditæ 674. Suetonius in Tib. cap. 1. refert, Claudios duodetriginta conſulatus, quinque dictaturas, cenſuras ſeptem, triumphos ſex, duas ovationes obtinuiſſe.

43. *Q. Metelli.*] Q. Metellus Celer, qui fuit Conſul anno urbis 693. Clodiam uxorem habuit.

46. *Ex ampliſſimo genere.*] Ex familiâ Clodianâ Patriciâ tranſiverat in familiam Metellorum, qui Metello Celeri nupſerat. Ampliſſima tum Clodiorum, tum Metellorum familia fuit, cum hoc diſcrimine, quòd Clodii illi patricii, Metelli plebeii fuerint. E gente autem Cæciliâ fuerunt Metelli, ſic dicti à voce militari, quæ Mercenarium ſignificat.

nere in familiam clariſſimam nupſiſſes, cur tibi Cœlius tam conjunctus fuit? cognatus? affinis? viri tui familiaris? nihil horum; quid igitur fuit, niſi quædam temeritas ac libido? nonne te, ſi noſtræ imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Clodia, æmulam domeſticæ laudis in gloriâ muliebri eſſe admonebat? non virgo illa Veſtalis Clodia, quæ patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno-plebis de curru detrahi paſſa non eſt? cur te fraterna vitia potius, quàm bona paterna, & avita, & uſque à nobis cum in viris, tum etiam in fœminis repetita, moverunt? Ideo-ne ego pacem Pyrrhi diremi, ut tu amorum turpiſſimorum quotidie fœdera ferires? ideo aquam adduxi, ut eâ tu [d] inceſtè uterere? ideo viam munivi, ut eam tu alienis viris comitata [e] celebrares? ſed quid ego, Judices, ita gravem perſonam induxi, ut & verear, ne ſe idem Appius repente convertat, & Cœlium incipiat accuſare illâ ſuâ gravitate cenſoriâ? Sed videro hoc poſterius, atque ita, Judices, ut vel ſeveriſſimis diſceptatoribus M. Cœlii vitam me probaturum eſſe confidam. Tu verò, mulier (jam enim ipſe tecum nullâ perſonâ introductâ loquor) ſi ea, quæ facis, quæ dicis, quæ [f] inſimulas, quæ moliris, quæ arguis, probare cogitas: rationem tantæ familiaritatis, tantæ conſuetudinis, tantæ conjunctionis reddas, atque exponas neceſſe eſt. Accuſatores quidem libidines, amores, adulteria, Baiis acta convivia, comeſſationes, cantus,

[d] *impurè.* [e] *frequentares.* [f] *accuſas.*

50. *Noſtræ imagines viriles.*] Imagines intelligit eorum qui in hac Clodiorum familiâ clarùerunt. Hæ autem imagines in domum aliquando maritorum ab uxoribus transferebantur.

51. *Illa Clodia.*] Hæc Clodia, quòd elegantiori veſte indueretur, parum pudica habita eſt: ſed deæ Cybeles teſtimonio id falſum deprehenſum eſt, cum illius Clodiæ operâ Cybeles ſimulacrum in urbem delatum eſt, quod vado Tiberini adhæreſcens cingulo ſuo ad littus extraxit.

52. *Virgo Veſtalis.*] Hæc Veſtalis patrem triumphantem, injuſſu populi, aſcenſo ſimul curru uſque in Capitolium proſecuta eſt, ne vetare aut interdicere cuiquam Tribunorum fas eſſet. De hac Veſtali loquitur Suetonius in Tib. & Val. lib. 5.

53. *Tribuno-plebis.*] Tribuni-plebis intercedere poterant, ne quis triumpharet. Sic apud Livium, lib. 39. M. Albutius tribunus-plebis M. Fulvii triumpho obſtitit.

56. *Pacem Pyrrhi.*] Poſt devictam à ſe Italiam, quatuor annos cum Tarentinis bella acerbiſſima Romani geſſerunt, & Pyrrhum Regem Epirotarum in auxilium vocaverunt, & pacem cum Tarentinis inire deliberarunt. Sed Appius Cæcus lectiçâ delatus in Senatum, magnâ voce & firmis lateribus eam diſſuaſit. Vide Ciceronem in Catone.

57. *Fœdera ferires.*] Allodit ad fœderis faciendi verbum, in quo porca feriebatur.

58. *Aquam adduxi.*] Appius ille Cæcus aquam Anienem in urbem induxit anno urbis 441.

Ib. *Viam munivi.*] Via hæc Appia ab urbe Româ, ſive à portâ Capenâ ad urbem uſque Capuam, eaque ſtrata lapidibus pertinuit; ſed quæ poſtea à Julio vel Auguſto Cæſare Brunduſium uſque perducta eſt.

63. *Diſceptatoribus.*] Diſceptator appellatur à Cicerone in Partitionibus, qui rei & ſententiæ moderator eſt.

69. *Baiis.*] De his dictum eſt ſupra.

Ib. *Comeſſationes.*] Comeſſationes convivia

cantus, ſymphonias, navigia jactant: iidemque ſignificant, nihil ſe, te invitâ, dicere; quæ tu, quoniam mente neſcio quâ [g] effrænata atque [h] præcipiti in forum deferre judiciumque voluiſti, aut diluas oportet, & falſa eſſe doceas, aut nihil neque [i] crimini tuo, neque teſtimonio credendum eſſe fateare.

VII. Sin autem urbaniùs me agere mavis, ſic agam tecum; removebo illum ſenem durum, ac pene agreſtem: ex hiſque tuis ſumam aliquem, ac potiſſimum minimum fratrem tuum, qui eſt in iſto genere urbaniſſimus, qui te amat plurimum: qui propter neſcio quam, credo, timiditatem, & nocturnos quoſdam inanes metus, tecum ſemper puſio cum majore ſorore cubitavit; eum putato tecum loqui: Quid tumultuaris, ſoror? quid inſanis? quid clamore exorſa, verbis parvam rem magnam facis? vicinum adoleſcentulum adſpexiſti: candor hujus te & proceritas, vultus oculique [a] perpulerunt: ſæpius videre voluiſti: nonnunquam in iiſdem hortis viſa nobilis mulier: illum filium-familias patre parco ac tenaci, habere tuis [b] copiis devinctum non potes: calcitrat, reſpuit, non putat tua dona eſſe tanti; confer te aliò; habes hortos ad Tiberim: ac diligenter eo loco præparati, quò omnis juventus natandi cauſâ venit; hinc licet conditiones quotidie legas: cur huic, qui te ſpernit, moleſta es? Redeo nunc ad te, Cœli, viciſſim, ac mihi auctoritatem patriam ſeveritatemque ſuſcipio: ſed dubito, quem patrem potiſſimum ſumam. Cæcilianum-ne aliquem, vehementem atque durum? *Nunc enim demum mihi animus ardet, nunc meum cor cumulatur irâ:* aut illum, *ô infelix! ô ſceleſte!* Ferrei ſunt iſti patres. *Ego-ne quid dicam? ego-*

[g] *immodeſtâ.* [h] *iracundâ.* [i] *accuſationi.* [a] *allexerunt.* [b] *divitiis.*

vivia ſunt, & ſerotinæ compotationes, quæ poſt cœnam fiunt. Unde Suetonius in Vitellio refert, quòd ille epulas trifariam ſemper, aliquando quadrifariam divideret, in jentacula, prandia, cœnas, & comeſſationes.

70. *Symphonias.*] Symphonia, teſte Iſidoro, lib. 11. cap. 19. *modulationis temperamentum eſt ex gravi & acuto ſono, concordantibus ſonis, ſive in voce, ſive in flatu, ſive in pulſu.*

Ib. *Navigia.*] Juxta Baias cives Romani delicati lacus in hortis ſuis habebant ex aquæ ductibus derivatos, in quibus animi & deliciarum cauſâ natabant: eoſque *Baias* appellabant.

6. *Senem durum.*] Appium illum Clodium Cenſorem intelligit, de quo jam ſupra.

10. *Puſio cum ſorore.*] Inceſti Clodiam arguit. Verùm Puſio parvus puer dicitur, frequentius tamen maſculum ſortum; antiqui enim *puſium & puſiam* pro puello & puellâ dicebant.

17. *Calcitrat.*] Calcitrat, id eſt, rebellis eſt, tranſlatio ab equis, qui pedibus feriunt, cum repugnant.

19. *Hinc licet conditiones.*] Monet ex juvenibus illis, qui quotidie confluunt ad hortos, quos Tiberi vicinos habet natandi cauſâ, poſſe ſibi aliquem eligere, qui cupiditati ejus ſerviat.

22. *Cæcilianum-ne.*] Cæcilius poeta Comicus fuit, qui ſæpe ſenes moroſos & graves inducit.

24. *Aut illum.*] Subauditur, potiſſimum ſumam, nempe hunc alium qui à Poetâ plenus iracundiâ in filium effertur.

Ib. *O infelix! ô ſceleſte!*] Proſopopœia duri patris & ſeveri Cœlium objurgantis.

25. *Ferrei ſunt iſti patres.*] Verba Ciceronis ſunt iſta; ferreos autem vocat, quia nullâ benevolentiæ & amoris ſignificatione ducuntur.

Ib. *Ego-ne quid dicam?*] Verba citat ex Poetâ Cæcilio deſumpta.

ne quid velim? quæ tu omnia tuis fœdis factis facis, ut [c] *ne quidquam vebim.* Vix ferenda diceret talis pater, *Cur te in iſtam vicinitatem meretriciam contuliſti? cur illecebris cognitis non refugiſti? cur alienam ullam mulierem nôſti?* * *dide ac diſſice, per me licebit: ſi egebis, tibi dolebit: mihi ſat eſt,* [d] *qui ætatis quod reliquum eſt oblectem meæ.* Huic triſti ac decrepito ſeni reſponderet Cœlius, ſe nullâ cupiditate inductum de viâ deceſſiſſe. Quid ſigni? nulli ſumptus, nulla jactura, nulla verſura. At fuit fama. Quotuſquiſque iſtam effugere poteſt in tam maledicâ civitate? vicinum ejus mulieris miraris male audiſſe, cujus frater germanus ſermones iniquorum effugere non potuit? Leni verò & clementi patri, cujuſmodi ille eſt: *Fores effregit? reſtituentur: diſcidit veſtem? reſarcietur*, Cœlii cauſa eſt [e] expeditiſſima. Quid enim eſſet, in quo ſe non facile defenderet? Nihil jam in iſtam mulierem dico: ſed ſi eſſet aliqua diſſimilis iſtius, quæ ſe omnibus pervulgaret, quæ haberet palam [f] decretum ſemper aliquem, cujus in hortos, domum, Baias, jure ſuo libidines omnium [g] commearent; quæ etiam aleret adoleſcentes & parſimoniam patrum ſuis ſumptibus ſuſtentaret: ſi vidua liberè, proterva petulanter, dives effusè, libidinoſa meretricio more viveret; adulterum ego putarem, ſi quis hanc paulo liberius ſalutaſſet? Dicet aliquis, Hæc igitur eſt tua diſciplina? ſic tu inſtituis adoleſcentes? ob hanc cauſam tibi hunc puerum parens commendavit, & tradidit, ut in amore & voluptatibus adoleſcentiam ſuam collocaret; & hanc tu vitam atque hæc ſtudia defenderes? Ego, ſi quis, Judices, hoc robore animi, atque hac indole virtutis ac continentiæ fuit, ut reſpueret omnes voluptates, omnemque vitæ ſuæ curſum in labore corporis, atque in animi contentione [h] conficeret: quem non quies, non remiſſio, non æqualium

[c] *fruſtra.* [d] *quo.* [e] *optimæ.* [f] *certum* ſibi. [g] *congredierentur.* [h] *contereret.*

27. *Vicinitatem.*] Semigrarat à paternis ædibus Cœlius ad Palatinum montem ubi Clodia habitabat.

29. *Dide ac diſſice.*] Id eſt, diſſipa ac diſperde rem familiarem, per me licebit; verba ſunt poetæ.

31. *Decrepito ſeni.*] *Decrepitus ſenex*, ut Feſtus ait, *eſt deſperatus jam vitâ: ut crepuſculum, extremum dies tempus: ſive decrepitus dictus, quia propter ſenectutem, nec movere ſe, nec ullum facere poteſt crepitum.* Scaliger verò in Conjectaneis, ſenes ait dici *decrepitos* tranſlatione petitâ à lucernis, quæ *decrepare* dicuntur, cùm expirantes *crepitum edunt*

32. *De viâ deceſſiſſe.*] De viâ decedere, metaphora eſt à viatoribus, quâ ſignificat ſe non à virtute aberraviſſe; probat autem quia nullos ſumptus, nullam jacturam honorum fecit, nec mutuatus eſt, ut debitum aliud diſſolveret.

37. *Fores effregit?*] Verba ſunt patris ſenis ergà filium, qualis deſcribitur à Terentio in Adelph.

40. *Sed ſi eſſet aliqua.*] Præteritione Clodiæ mores deſcribit.

42. *Baias.*] Baiæ lacus fuerunt in Romanorum hortis.

50. *Ego, ſi quis.*] Optimum vitæ curſum deſcribit.

ſtudia,

ſtudia, non ludi, non convivia delectarent; nihil in vitâ expetendum putaret, niſi quod eſſet cum laude & cum dignitate conjunctum; hunc meâ ſententiâ divinis quibuſdam bonis inſtructum atque ornatum puto. Ex hoc genere illos fuiſſe arbitror Camillos, Fabricios, Curios, omneſque eos, qui hæc ex minimis tanta fecerunt. Verùm hæc genera virtutum non ſolum in moribus noſtris, ſed vix jam in libris reperiuntur; chartæ quoque, quæ illam priſtinam ſeveritatem continebant, obſoleverunt: neque ſolum apud nos, qui hanc ſectam rationemque vitæ, re magis, quàm verbis ſecuti ſumus; ſed etiam apud Græcos, doctiſſimos homines; quibus, cum facere non poſſent, loqui tamen & ſcribere honeſte & magnifice licebat. Alia quædam, mutatis Græciæ temporibus, præcepta extiterunt. Itaque alii voluptatis causâ omnia ſapientes facere dixerunt: neque ab hac orationis turpitudine eruditi homines refugerunt; alii cum voluptate dignitatem conjungendam putaverunt, ut res maxime inter ſe repugnantes dicendi facultate conjungerent. Illud unum ad laudem cum labore directum iter qui probaverunt, prope jam ſoli in ſcholis ſunt relicti; multa enim nobis blandimenta natura ipſa genuit, quibus ſopita virtus conniveret: & interdum multas vias adoleſcentiæ [k] lubricas oſtendit, quibus illa inſiſtere, aut ingredi ſine caſu aliquo aut prolapſione vix poſſet: & multarum rerum jucundiſſimarum varietatem dedit, quâ non modo hæc ætas, ſed etiam jam corroborata caperetur. Quamobrem ſi quem fortè inveneritis, qui aſpernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore ullo, non tactu, non ſapore capiatur, excludat auribus omnem ſuavitatem; huic homini ego fortaſſe & pauci deos propitios, plerique autem iratos putabunt. Ego hæc deſerta [l] via, & inculta, atque [m] intercluſa jam frondibus &

[i] *obrutæ aſſurgerent.* [k] *periculoſas.* [l] *ratio vivendi.* [m] *impedita.*

58. *Camillos.*] Camillus ejectus in exilium à ſuis, ſuccurrit ingratæ patriæ, cum urbs à Gallis eſſet occupata, & Capitolium obſeſſum. Plut. in ejus vitâ.

59. *Fabricios.*] Fabricius oblatum ſibi à Pyrrho aurum repudiavit. Is in tantâ paupertate vixit, ut decreto Senatus, publicis ſumptibus funus ejus curatum ſit.

Ib. *Curios.*] Curius de Samnitibus triumphavit; quaterna agri jugera populo viritim diſtribuit, totidem ſibi deinde conſtituit, neminem eſſe exiſtimans debere cui non tantum ſufficeret.

Ib. *Qui hæc ex minimis, &c.*] Hi clari viri gloriam hujus urbis, & populi Romani tantum extulerunt.

62. *Obſoleverunt.*] Obſoleverunt, id eſt, ab uſu receſſerunt, & quaſi defecerunt.

63. *Qui hanc ſectam.*] Philoſophicam nempe.

Ib. *Re magis.*] Romani factis virtutem profeſſi ſunt, at verbis tantùm Græci, de quâ ſolùm magnificè ſcripſerunt.

64. *Doctiſſimos.*] Stoicos Philoſophos intelligit, qui omnia ad virtutis normam dirigebant.

66. *Alia quædam.*] Mutatis antiquæ Græciæ temporibus, præcepta quædam molliora ſcilicet & accommodata voluptatibus data ſunt.

67. *Alii voluptatis.*] Epicureos Philoſophos denotat, qui virtutes famulari voluptati volebant.

69. *Alii cum vol.*] Calliphontem intelligit.

virgultis relinquatur: detur aliquid ætati: ſit adoleſcentia liberior: non omnia voluptatibus denegentur: non ſemper ſuperet vera illa & directa ratio: vincat aliquando cupiditas voluptaſque rationem; dummodo illa in hoc genere præſcriptio, moderatioque teneatur: parcat juventus pudicitiæ ſuæ ne ſpoliet alienam: ne effundat patrimonium, ne fœnore trucidetur, ne incurrat in alterius domum atque famam: ne probrum caſtis, labem integris, infamiam bonis, inferat: ne quem vi terreat: ne interſit inſidiis: ſcelere careat: poſtremò, cum paruerit voluptatibus, dederit aliquid temporis ad ludum ætatis, atque ad inanes haſce adoleſcentiæ cupiditates: revocet ſe aliquando ad curam rei domeſticæ, rei forenſis, reipublicæ: ut ea, quæ ratione antea non perſpexerat, ſatietate abjeciſſe, experiendo contempſiſſe videatur. At multi & noſtrâ, & patrum majorumque memoriâ, Judices, ſummi homines, & clariſſimi cives fuerunt, quorum cum adoleſcentiæ cupiditates [a] deſerbuiſſent, eximiæ virtutes, firmatâ jam ætate, extiterunt: ex quibus neminem mihi neceſſe eſt nominare; voſmet vobiſcum recordamini; nolo enim cujuſquam fortis atque illuſtris viri ne minimum quidem errratum cum maximâ laude conjungere; quod ſi facere vellem, multi à me ſummi atque ornatiſſimi viri prædicarentur, quorum partim nimia libertas in adoleſcentiâ, partim profuſa luxuries, magnitudo æris alieni, ſumptus, libinines nominarentur: quæ multis poſtea virtutibus [o] obtecta, adoleſcentiæ, qui vellet, excuſatione defenderet. At verò in M. Cœlio (dicam enim jam confidentiùs de ſtudiis ejus honeſtis, quoniam audeo quædam fretus veſtrâ ſapientiâ liberè confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli ſumptus, nullum æs alienum, nulla conviviorum ac luſtrorum libido; quod quidem vitium ventris & gutturis non modò non minuit ætas hominibus, ſed etiam auget. Amores autem, & hæ deliciæ quæ vocantur, quæ firmiore animo præditis diutius moleſtæ non ſolent eſſe (mature enim & celeriter defloreſcunt) nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt. Audiſtis, cum pro ſe diceret: audiſtis antea, cùm accuſaret: defendi hæc causâ, non gloriandi loquor; genus orationis, facultatem, copiam ſententiarum atque verborum, quæ veſtra prudentia eſt, perſpexiſtis. Atque in eo non ſolùm ingenium elucere ejus videbatis; quod ſæpe, etiamſi induſtriâ non alitur, valet tamen ipſum ſuis viribus: ſed inerat (niſi me propter benevolentiam forte fallebat) ratio & bonis artibus inſtituta, & curâ & vigiliis elaborata.

[a] *refriguiſſent.* [o] *obſcurata.*

99. *Cujuſquam fortis.*] Catulum & Cæſarem forte intelligit, quorum multis viriis junior ætas inquinata fuit; virili tamen claruerunt.

109. *Luſtrorum libido.*] Luſtra loca ſunt, ubi turpiter ventri & voluptatibus cæteris indulgent.

114. *Cùm accuſaret.*] Cœlius Palam accuſavit, ut jam in orationis argumento dictum eſt.

VIII. Atque ſcitote, judices, eas cupiditates, quæ objiciuntur Cœlo, atque hæc ſtudia, de quibus diſputo, non facile in eodem homine eſſe poſſe; fieri enim non poteſt, ut animus libidini deditus, amore, deſiderio, cupiditate, ſæpe nimiâ copiâ, inopiâ etiam nonnunquam impeditus, hoc quicquid eſt, quod nos facimus in dicendo, non modò agendo, verùm etiam cogitando, poſſit ſuſtinere. An vos aliam cauſam eſſe ullam putatis, cum in tantis præmiis eloquentiæ tantâ voluptate dicendi, tantâ laude, tantâ gloriâ, tanto honore, tam ſint pauci, ſemperque fuerint, qui in hoc labore verſentur? Omittendæ ſunt omnes voluptates: relinquenda ſtudia delectationis: ludus, jocus, convivium, ſermo etiam penè omnium familiarium deſerendus; quæ res in hoc genere homines à labore, ſtudioque dicendi deterret; [a] non quo aut ingenia deficiant, aut doctrina puerilis. An hic, ſi ſeſe iſti vitæ dediſſet, conſularem hominem admodum adoleſcens in judicium vocaviſſet? hic, ſi laborem fugeret, ſi obſtrictus voluptatibus teneretur, in hac acie quotidie verſaretur? appeteret inimicitias? in judicium vocaret? ſubiret periculum capitis? ipſo inſpectante populo Romano, tot menſes aut de ſalute, aut de gloriâ dimicaret? Nihil igitur illa vicinitas redolet? nihil hominum fama? nihil Baiæ denique ipſæ loquuntur? illæ vero non loquuntur ſolum, verum etiam perſonant, huc unius mulieris libidinem [b] eſſe prolapſam, ut ea non modo ſolitudinem, ac tenebras, atque hæc flagitiorum [c] integumenta non quærat, ſed in turpiſſimis rebus frequentiſſimâ celebritate & clariſſimâ luce lætetur. Verùm ſi quis eſt, qui etiam meretriciis amoribus interdictum juventuti putet, eſt ille quidem valde ſeverus; negare non poſſum; ſed abhorret non modò ab hujus ſeculi licentiâ, verùm etiam à majorum conſuetudine, atque [d] conceſſis; quando enim hoc non factum eſt? quando reprehenſum? quando non permiſſum? quando denique fuit, ut, quod licet, non liceret? Hic ego jam rem definiam: mulierem nullam no-

[a] *non quia.* [b] *devenisse.* [c] *occultationes.* [d] quæ *conceduntur.*

1. *Eas cupiditates.*] Voluptates & libidines non poſſunt eſſe cum iis ſtudiis, quæ ad Rhetoricam & eloquentiam pertinent.

14. *Doctrina puerilis.*] Per doctrinam puerilem aut ipſas Rhetoricæ præceptiones, vel ipſam Grammaticam intelligit, quas neceſſe eſt à pueritiâ comparari, ut quis Orator evadat.

15. *Conſularem hominem.*] C. Antonium, qui Ciceronis in Conſulatu collega fuit, Cœlius vocavit in judicium.

17. *In hac acie.*] Id eſt, judiciis & cauſis forenſibus; tranſlatio à gladiatoribus.

Ib. *Appeteret inimicitias.*] Subibant accuſatores potentium inimicitias, cùm eos in judicium vocabant.

18. *Subiret periculum capitis.*] Subire capitis periculum dicitur accuſator, qui calumniæ periculum ſubit; nam calumniæ damnatos ſequitur infamia.

Ib. *Ipſo expectante populo Rom.*] In foro habebatur hoc judicium, ubi frequens adeſſe populus ſolebat.

19. *Nihil igitur illa vicinitas redolet.*] Id eſt, non debet venire in ſuſpicionem libidinis Cœlius, qui vicinus Clodiæ in Palatio habitaverit.

20. *Nihil Baiæ.*] Navigationes in hortis cum Clodiâ.

minabo; tantum in medio relinquam. Si quæ non nupta mulier domum ſuam patefecerit omnium cupiditati, palamque ſeſe in meretriciâ vitâ collocârit, virorum alieniſſimorum conviviis uti inſtituerit: ſi hoc in urbe, ſi in hortis, ſi in Baiarum illâ celebritate faciet: ſi denique ita ſeſe geret, non inceſſu ſolùm, ſed ornatu atque comitatu; non flagrantiâ oculorum, non libertate ſermonis, ſed etiam complexu, oſculatione, aquis, navigatione, conviviis, ut non ſolùm meretrix, ſed etiam procax videatur: cum hac ſi quis adoleſcens fortè fuerit, utrum hic tibi, L. Herenni, adulter, an amator; expugnare pudicitiam, an explere libidinem voluiſſe videatur? Obliviſcor jam injurias, Clodia: depono memoriam doloris mei: quæ abs te crudeliter in meos, me abſente, facta ſunt, negligo; ne ſint hæc in te dicta quæ dixi; ſed ex te ipſâ requiro; quoniam & crimen accuſatores abs te, & teſtem ejus criminis te ipſam dicunt ſe habere; ſi qua mulier ſit hujuſmodi, qualem ego paulo ante deſcripſi, tui diſſimilis, vitâ inſtitutoque meretricio, cum hac aliquid adoleſcentem hominem habuiſſe rationis, num tibi perturpe, aut perflagitioſum eſſe videatur? Ea ſi tu non es, ſicut ego malo, quid eſt quod objiciant Cœlio? ſin eam te volunt eſſe, quid eſt, cur nos crimen hoc, ſi tu contemnis, pertimeſcamus? Quare, nobis da viam rationemque defenſionis; nam aut pudor tuus defendet, nihil à M. Cœlio petulantius eſſe factum; aut impudentia & huic, & cæteris magnam ad ſe defendendum facultatem dabit.

1 IX. Sed quoniam emerſiſſe jam è vadis, & ſcopulos prætervecta videtur oratio mea, perfacilis mihi reliquus curſus oſtenditur. Duo ſunt enim crimina unâ in muliere ſummorum facinorum: auri, quod ſumptum à Clodiâ dicitur: & veneni, quod ejuſdem Clodiæ necandæ cauſâ parâſſe Cœlium criminantur. Aurum ſumpſit, ut dicitis, quod L. Lucceii ſervis daret, per quos Alexandrinus Dio, qui tum apud Lucceium habitabat, necaretur. Magnum crimen vel in legatis inſidiandis, vel in ſervis ad hoſpitem domi necandum ſolicitandis: plenum ſceleris conſilium, plenum audaciæ. Quo quidem in crimine primùm illud requiram, dixerit-ne Clodiæ, quam ad rem aurum tùm ſumeret, an non dixerit? ſi non dixit, cur dedit? ſi di-

32. *In medio relinquam.*] Unicuique permittit ut de eâ ad arbitrium ſuum judicet.

33. *In meretriciâ vitâ collocarit.*] Nemini mulieri quæſtum ſuo corpore facere licuit, niſi quæ licentiam ſtupri apud Ædiles vulgaſſet. Vide Tacitum ſub finem 2, lib. Ann. ea autem ipſis conditio impoſita fuit, ut jure cederent & dignitate matronarum; inducit autem exemplum hypotheticum, quo meretricem deſcribit.

40. *Herenni.*] Herennius unus fuit ex accuſatoribus Cœlii.

43. *Quæ abs te.*] Familia Ciceronis miſere à Clodianis vexata eſt, cùm ipſe in exilium abiit. Vide Orat. pro domo.

47. *Tui diſſimilis.*] Ironice loquitur.

1. *Emerſiſſe è vadis.*] Allegoria ſumpta à navigantibus.

6. *Lucceii.*] Lucceius ille fuit hiſtoricus, ad quem extat Ciceronis epiſtola.

7. *Alexandrinus Dio.*] De hoc dictum eſt parag. v. l. 4.

xit,

xit, eodem se conscientiæ scelere devinxit. Tu-ne aurum ex armario tuo promere ausa es? tu-ne Venerem illam tuam spoliatricem spoliare ornamentis? cæterùm cùm scires, quantum ad facinus aurum hoc quæreretur, ad necem scilicet legati, ad L. Lucceii, sanctissimi hominis atque integerrimi, labem sceleris sempiterni; huic facinori tanto tua mens liberalis conscia, tua domus popularis ministra, tua denique hospitalis illa Venus adjutrix esse non debuit. Vidit hoc Balbus: [facinoris tantum] celatam esse Clodiam dixit, atque ita Cœlium ad illam attulisse, sed ad ornatum ludorum aurum quærere. Si tàm familiaris erat Clodiæ, quàm tu esse vis, cùm de libidine ejus tam multa dicis; dixit profectò, quò vellet aurum: si tam familiaris non erat, non dedit. Ita, si verùm tibi Cœlius dixit, ô immoderata mulier, sciens tu aurum ad facinus dedisti: si non est ausus dicere, non dedisti. Quid ego nunc argumentis huic crimini, quæ sunt innumerabilia, resistam? possum dicere, mores M. Cœlii longissime à tanti sceleris atrocitate esse disjunctos: minime esse credendum, homini tam ingenioso tamque prudenti non venisse in mentem, rem tanti sceleris ignotis alienisque servis non esse credendam. Possum etiam illa, & cæterorum patronorum & meà consuetudine, ab accusatore perquirere, ubi sit congressus cum servis Lucceii Cœlius: qui ei fuerit aditus; si per se, quâ temeritate? si per alium, per quem? possum omnes latebras suspicionum peragrare dicendo: non causa, non locus, non facultas, non conscius, non perficiendi, non occultandi maleficii spes, non ratio ulla, non vestigium maximi facinoris reperietur. Sed hæc, quæ sunt oratoris propria, quæ mihi non propter ingenium meum, sed propter hanc exercitationem usumque dicendi, fructum aliquem ferre potuissent, cum à me ipso laborata proferri viderentur, brevitatis causâ relinquo omnia. Habeo enim, Judices, quem vos socium vestræ religionis jurisque jurandi facile esse patiemini, L. Lucceium, sanctissimum hominem, & gravissimum testem: qui tantum facinus in famam atque fortunas suas neque non audisset illatum à Cœlio, neque neglexisset, neque tulisset. An ille vir, illâ humanitate præditus, illis studiis, artibus atque doctrinâ, illius ipsius periculum,

14. *Venerem illam.*] Clodia simulacrum Veneris aureum habere dicebatur, quam ut meretrix, & impudica mulier colebat.

Ib. *Spoliatricem.*] Spoliatricem appellat, quia Veneris auxilio multos adolescentes patrimonio Clodia spoliaverat.

19. *Popularis.*] Populare dicitur vel quod commune est à populo, vel quod illi gratum est & jucundum.

Ib. *Hospitalis.*] Propter simulacrum, quod in suis ædibus Clodia asservabat, hospitalis dicitur.

20. *Vidit hoc Balbus.*] Balbi testimonium allatum ab accusatoribus irritum facit.

24. *Quò vellet.*] In quem usum aurum illud insumere vellet, Cœlius Clodiæ dixit.

33. *Ubi sit congressus.*] Excutit omnes circumstantias tum à loco præcipue, & facultate, & falsa esse demonstrat, quæ Cœlio objecta sunt.

40. *Juris jurandi.*] Judices & testes jurabant, se nihil contra justitiam acturos vel dicturos esse.

quem

quem propter hæc ipſa ſtudia diligebat, negligere potuiſſet? & quod facinus in alienum hominem illatum ſeverè [a] acciperet, id omiſiſſet curare in hoſpite; quod, per ignotos actum cùm comperiſſet, doleret, id à ſuis tentatum negligeret? quod in agris, locíſ-ve publicis factum reprehenderet, id in urbe, ac ſuæ domi cœptum eſſe leviter ferret? quod in alicujus agreſtis periculo non prætermitteret, id homo eruditus in inſidiis doctiſſimi hominis diſſimulandum putaret? Sed cur diutius vos, Judices, teneo? ipſius [b] jurati religionem, auctoritatemque percipite, atque omnia diligenter teſtimonii verba cognoſcite. Recita teſtimonium Lucceii. TESTIMONIUM LUCCEII. Quid expectatis amplius? an aliquam vocem putatis ipſam pro ſe cauſam & veritatem poſſe mittere? hæc eſt innocentiæ defenſio, hæc ipſius cauſæ oratio, hæc una vox veritatis: in crimine ipſo nulla ſuſpicio eſt, & in re [c] nihil eſt argumenti; in negotio, quod actum eſſe dicitur, nullum veſtigium ſermonis, loci, temporis: nemo teſtis, nemo conſcius nominatur, totum crimen profertur ex inimicâ, ex infami, ex crudeli, ex facinoroſâ, ex libidinoſâ domo: domus autem illa, quæ tentata ſcelere iſto nefario dicitur, plena eſt integritatis, officii, religionis: ex quâ domo recitatur vobis jurejurando devincta auctoritas: ut res minime dubia, tamen in contentione ponatur, utrum temeraria, procax, irata mulier finxiſſe crimen, an gravis, ſapiens, moderatuſque vir religioſe teſtimonium dixiſſe videatur.

X. Reliquum eſt igitur crimen de veneno: cujus ego neque principium invenire, neque evolvere exitum poſſum. Quæ fuit enim cauſa, quamobrem iſti mulieri venenum vellet dare Cœlius? ne aurum redderet? num petivit? [d] ne crimen hæreret? num quis objicit? num quis denique feciſſet mentionem, ſi hic nemini nomen detuliſſet? Quinetiam Herennium dicere audiſtis, verbo ſe moleſtum non futurum fuiſſe Cœlio, niſi iterum eâdem de re ſuo familiari abſoluto nomen hic detuliſſet. Credibile eſt igitur, tantum

[a] *animadverteret.* [b] *teſtis.* [c] *nulla eſt probatio.* [d] *accuſaretur* illius *criminis.*

48. *Hæc ipſa ſtudia.*] Humanitatis & eloquentiæ ſtudia intelligit.

54. *Doctiſſimi hominis.*] Dio legatus Alexandrinus omni eruditione florebat.

57. *Recita teſtimonium Lucceii.*] Aberat ab hoc judicio Lucceius, ſed teſtimonium ſuum miſit, quod à ſcribâ recitatum eſt.

65. *Libidinoſâ domo.*] Loquitur de domo Clodiæ, ex quâ verum teſtimonium proferri non poteſt, quia infamis eſt, & libidinoſa.

Ib. *Domus autem illa.*] Lucceii domus cùm plena ſit integritatis, inde prolatum teſtimonium valere debet.

66. *Scelere.*] In illâ Lucceii domo dicebatur interfectus fuiſſe Dio princeps Alexandrinæ legationis.

5. *Nomen detuliſſet.*] Deferre nomen non eſt propriè accuſare: ſed apud Magiſtratum & judicem, de aliquo crimine ante accuſationem denunciare, & alium in capitis diſcrimen rapere.

8. *Familiari abſoluto.*] Polam Atratinum intelligit, de quo vide Argumentum orationis.

facinus

facinus nullam ob cauſam eſſe commiſſum? & vos non videtis fingi ſceleris maximi crimen, ut alterius causâ ſceleris ſuſcipiendi fuiſſe videatur? Cui denique commiſit? quo adjutore uſus eſt? quo ſocio? quo conſcio? cui tantum facinus, cui ſe, cui ſalutem ſuam credidit? ſervis-ne mulieris? ſic enim objectum eſt; & erat tàm demens hic, cui vos ingenium certe tribuitis, etiamſi cætera inimicâ oratione detrahatis, ut omnes ſuas fortunas alienis ſervis committeret? at quibus ſervis? refert enim magnopere id ipſum: his-ne, quos intelligebat non communi conditione ſervitutis uti, ſed licentius, liberius, familiarius cum dominâ vivere? quis enim hoc non videt, Judices, aut quis hoc ignorat, in ejuſmodi domo, in quâ mater-familias meretricio more vivat: in quâ nihil geratur, quod foras proferendum ſit: in quâ luſtra, libidines, luxuries, omnia denique inaudita vitia atque flagitia verſentur; hìc ſervos non eſſe ſervos, quibus omnia committantur, per quos gerantur, qui verſentur iiſdem in voluptatibus, quibus occulta credantur, ad quos aliquantum etiam ex quotidianis ſumptibus ac luxuriâ redundet? Id igitur Cœlius non videbat? ſi enim tam familiaris erat mulieris, quàm vos vultis; iſtos quoque ſervos familiares eſſe dominæ ſciebat: ſin ei tanta conſuetudo, quanta à vobis inducitur, non erat, quæ cum ſervis potuit familiaritas eſſe tanta? Ipſius autem veneni quæ ratio fingitur? ubi quæſitum eſt? quemadmodum paratum? quo pacto? cui, quo in loco traditum? Habuiſſe aiunt domi, vimque ejus eſſe expertum in ſervo quodam ad rem ipſam parato, cujus [b] perceleri interitu eſſe ab hoc comprobatum venenum. Prò dii immortales! cur interdum in hominum ſceleribus maximis, aut connivetis, aut præſentis fraudis pœnas in diem reſervatis? Vidi enim, vidi, & illum hauſi dolorem vel acerbiſſimum in vitâ, cùm Q. Metellus abſtraheretur è ſinu gremioque patriæ: cùmque ille vir, qui ſe natum huic imperio putavit, tertio die poſt, quàm in curiâ, in roſtris, in repub. floruiſſet, integerrimâ ætate, [c] optimo habitu, maximis viribus, eriperetur indigniſſime bonis omnibus atque univerſæ civitati; quo quidem tempore ille moriens, cùm jam cæteris

[b] *morte ſubita.* [c] *optima ſanitate.*

11. *Cui denique commiſit.*] Affert Cicero omnes circumſtantias, quibus probet Cœlium veneni crimen non admiſiſſe; à perſonis exorditur; ac 1° à ſervis Clodiæ, quibus committere tutò illud facinus non potuit, quia liberius in illâ domo plenâ libidinis vivebant.

31. *Ubi quæſitum eſt.*] 2. Probat Cœlium non paraſſe venenum à circumſtantiis loci & auxiliorum.

35. *Prò dii immortales.*] Vehementi exclamatione à propoſito digreſſus in Clodiam invehitur, quæ audeat veneni Cœlium inſimulare, cùm ipſa venerit in ſuſpicionem veneno maritum ſuſtuliſſe: cujus ipſe laudes mirè proſequitur.

38. *Metellus abſtraheretur.*] Propter Metellum ſublatum ab uxore Clodiâ, ipſa dicta eſt Clytæmneſtra, ut ait Fabius lib. 8. cap. 6. quod ut illa ferro virum ſuum Agamemnonem, ſic iſta Metellum veneno interfecerit.

ex

ex partibus oppreſſa mens eſſet, extremum ſenſum ad memoriam reip. reſervabat: cùm me intuens flentem ſignificabat, interruptis atque morientibus vocibus, quanta impenderet procella urbi, quanta tempeſtas civitati: & cùm parietem ſæpe feriens eum, qui cum Q. Catulo fuerat ei communis, crebrò Catulum, ſæpe me, ſæpiſſime rempublicam nominabat; ut non tàm ſe emori, quàm ſpoliari ſuo præſidio cùm patriam, tùm etiam me doleret. Quem quidem virum ſi nulla vis repentini ſceleris ſuſtuliſſet, quonam modo ille furenti fratri ſuo patrueli conſularis reſtitiſſet, qui conſul incipientem furere atque conantem, ſuâ ſe manu inrerfecturum, audiente Senatu, dixerit? Ex hac igitur domo progreſſa iſta mulier de veneni celeritate dicere audebit? nonne ipſam domum metuet, ne quam vocem eliciat? non parietes conſcios, non noctem illam funeſtam ac luctuoſam perhorreſcet? Sed revertar ad crimen; etenim hæc facta illius clariſſimi ac fortiſſimi viri mentio & vocem meam fletu debilitavit, & mentem dolore impedivit. Sed tamen venenum unde fuerit, quemadmodum paratum ſit, non dicitur. Datum eſſe hoc aiunt P. Licinio, [d] pudenti adoleſcenti, & bono, Cœlii familiari: conſtitutum factum eſſe cum ſervis, ut venirent ad balneas Xenias: eòdem Licinium eſſe venturum, atque iis veneni pyxidem traditurum. Hîc primum illud requiro, quid attinuerit illud ferri in eum locum conſtitutum? cur illi ſervi non ad Cœlium domum venerint? ſi [e] manebat tanta illa conſuetudo Cœlii cum Clodiâ, tantaque familiaritas, quid ſuſpicionis eſſet, ſi apud Cœlium mulieris ſervus viſus eſſet? ſin autem jam ſuberat ſimultas, extincta erat conſuetudo, diſſidium extiterat: hinc illæ lacrymæ nimirum, & hæc cauſa eſt horum omnium ſcelerum, atque criminum. Immo, inquit, cùm ſervi ad dominam rem iſtam, & maleficium Cœlii detuliſſent, mulier ingenioſa præcepit ſuis, ut omnia Cœlio pollicerentur; ſed, ut venenum, cum à Licinio traderetur, manifeſtò comprehendi poſſet,

[d] *verecundo.* [e] *erat.*

52. *Fratri ſuo patrueli.*] Significat Q. Cæcilium Metellum Nepotem Conſularem. Nam is Conſul cum P. Cornelio Lentulo fuit anno urbis DCXCVII. *Patrueles fratres vel ſorores ſunt*, ait Caius, *qui, quæve ex duobus fratribus progenerantur.*

60. *Unde fuerit.*] Unde ſit ſumptum illud venenum dici non poteſt.

62. *Conſtitutum cum ſervis.*] Verbum iſtud *conſtitutum* eſt verbum juris, cùm & dies & locus inter quoſdam præſtitutus eſt, in quem convenient.

63. *Balneas Xenias.*] Balneæ Xeniæ ſolis peregrinis concedebantur. Xeniæ autem quaſi hoſpitales dictæ ſunt.

64. *Pyxidem.*] Pyxis vaſculum eſt, in quo unguenta, & res ejuſmodi aſſervabantur, ἀπὸ τῆς πύξου, hoc eſt, buxo fic dicta, quod primum ex illâ arbore pyxides confectæ ſint.

70. *Hinc illæ lacrymæ.*] Cauſam aperit unde ita exarſerit in Cœlium Clodia, ut adduceret eum in ſuſpicionem veneni, quòd nempe ab illâ receſſerat.

73. *Omnia Cœlio pollicerentur.*] Voluit Clodia, ut ſervi pollicerentur Cœlio ſuam operam ad dominam ſuam Clodiam interficiendam.

conſtitui

conſtitui locum juſſit balneas Xenias, ut eò mitteret amicos, qui deliteſcerent: deinde repentè, cùm veniſſet Licinius, ut venenum traderet, proſilirent, hominemque comprehenderent. Quæ quidem omnia, Judices, [f] perfacilem rationem habent reprehendendi; cur enim balneas publicas potiſſimùm conſtituerat? in quibus non invenio quæ latebra togatis hominibus eſſe poſſit; nam ſi eſſent in veſtibulo balnearum, non laterent: ſin ſe in intimum conjicere vellent, nec ſatis commodè calceati & veſtiti id facere poſſent, & fortaſſe non reciperentur: niſi fortè mulier potens, quadrantariâ illâ permutatione, familiaris facta erat balneatori. Atque equidem vehementer expectabam, quinam iſti viri boni, teſtes hujus manifeſtò deprehenſi veneni dicerentur; nulli enim ſunt adhuc nominati; ſed non dubito quin ſint pergraves, qui primùm ſint talis fœminæ familiares; deinde eam provinciam ſuſceperint, ut in balneas [g] contruderentur: quod illa niſi à viris honeſtiſſimis, ac pleniſſimis dignitatis, [h] quàm velit ſit potens, nunquam impetraviſſet. Sed quid ego de dignitate iſtorum teſtium loquor? virtutem eorum diligentiamque cognoſcite; in balneis delituerunt; teſtes egregios! deinde temere proſiluerunt; homines gravitati deditos! ſic enim fingunt, cùm Licinius veniſſet, pyxidem teneret in manu, conaretur tradere, nondum tradidiſſet, tùm repente evolâſſe iſtos præclaros teſtes ſine nomine: Liciſnium autem, cùm jam manum ad tradendam pyxidem porrexiſſet, retraxiſſe, atque illo repentino hominum impetu ſe in fugam conjeciſſe. O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias facilè ſe per ſe ipſam defendat! Verùm hæc tota fabella veteris & plurimarum fabularum poëtria, quàm eſt ſine argumento! quàm nullum invenire exitum poteſt! Quid enim iſti tot viri (nam neceſſe eſt fuiſſe non

[f] *poſſunt facile refutari.* [g] *conjicerentur.* [h] *quantamcunque habeat poteſtatem.*

80. *Togatis hominibus.*] Qui togâ veſtiuntur.

81. *In veſtibulo.*] Veſtibulum non erat in ipſis ædibus, nec pars ædium, ſed locus ante januam vacuus, areaque, per quam à viâ publicâ acceſſus erat ad ædes. Hic autem locus erat ſtatio ſalutatorum.

83. *Quadrantaria.*] Teſte Plutarcho in Cicerone, Clodia *quadrantaria* appellata fuit, à quadrante exiguo numiſmate, quod adoleſcens quidam, qui eam deperibat, pro aureis nummis in loculos ejus conjecerat. Quadrans autem quartam partem aſſis valebat. Quod monetæ pretium ab ingredientibus balneum balneatori ſeu balnearum magiſtro perſolvebatur. Quadrantariam autem hic permutationem appellavit per contemptum, ut turpe familiaritatis Clodiæ cum balneatore commercium oſtenderet.

85. *Iſti viri boni.*] Ironia.

87. *Sint pergraves.*] Ironia.

89. *Honeſtiſſimis.*] Perſeverat in Ironiâ.

96. *Evolaſſe.*] Id eſt, ex inſidiis apparuiſſe.

101. *Verum hæc tota fabella.*] Aggreditur jam oſtendere quàm inique ſuperior illa narratio conficta ſit.

102. *Poëtria.*] Clodiam poëtriam appellat, quæ ſæpe in mendaciis fingendis verſata eſt.

paucos,

paucos, ut & comprehendi Licinius facilè poſſet, & res multorum oculis eſſet teſtatior) cur Licinium de manibus amiſerunt? qui minùs enim Licinius comprehendi potuit, cum ſe retraxit, ne pyxidem traderet, quàm ſi non retraxiſſet? erant enim illi poſiti, ut comprehenderent Licinium; ut manifeſto Licinius teneretus, aut cùm retineret venenum, aut cùm tradidiſſet; hoc fuit totum conſilium mulieris, hæc iſtorum provincia, qui rogati ſunt: quos quidem tu quamobrem temere profiluiſſe dicas, atque ante tempus, non reperio; fuerant hoc rogati: fuerant ad hanc rem collocati, ut venenum, ut inſidiæ, facinus denique ipſum ut manifeſtò comprehenderetur; potuerunt-ne [i] meliori tempore profilire, quàm cùm Licinius veniſſet? cùm in manu teneret veneni pyxidem? quæ ſi cùm jam erat tradita ſervis, evaſiſſent ſubitò ex balneis mulieris amici, Liciniumque comprehendiſſent: imploraret hominum fidem, atque à ſe illam pyxidem traditam pernegaret: quem quomodo illi reprehenderent? vidiſſe ſe dicerent? primùm [k] ad ſe revocarent maximi facinoris crimen: deinde id ſe vidiſſe dicerent, quod, [l] quo loco collocati fuiſſent, non potuiſſent videre. Tempore igitur ipſo ſe oſtenderunt [m] cùm Licinius veniſſet, pyxidem expediret, manum porrigeret, venenum traderet. Mimi ergo eſt jam exitus, non [n] fabulæ: in quo cùm clauſula non invenitur, fugit aliquis è manibus, deinde ſcabella concrepant, aulæum tollitur.

1 Quæro enim, cur Licinium titubantem, hæſitantem, cædentem, fugere conantem, mulieraria manus iſta de manibus emiſerit; cur non comprehenderint? cur non ipſius confeſſione, multorum oculis, facinoris denique voce, tanti ſceleris crimen [o] expreſſerint? 5 an timebant, ne tot unum, valentes imbecillum, alacres perterritum ſuperare non poſſent? Nullum argumentum in re, nulla ſuſpicio in causâ, nullus exitus criminis reperietur. Itaque hæc cauſa

[i] *commodiori.* [k] *facerent ſe reos illius maximi facinoris.* [l] *ex loco quo poſiti fuiſſent.* [m] *quo.* [n] *comœdiæ.* [o] *extorſerint.*

109. *Qui rogati ſunt.*] A Clodiâ videlicet rogati ſunt.

118. *Quomodo illi reprehenderent.*] Id eſt, quomodo eum dediſſe hanc pyxidem veneno plenam arguerent.

123. *Mimi.*] Sumitur *mimus* pro actione hiſtrionicâ turpiſſimorum facinorum imitatrice. Unde Ovidius, *Scribere ſi fas eſt imitantes turpia mimos.* Horum autem nulla erat clauſula, ut in comœdiis, ſed abrumpi ſtrepitu & tumultu aliquo ſolebant.

Ib. *Clauſula non invenitur.*] Clauſula finis eſt, & concluſio alicujus rei. Ita Cicero in Philipp. 13. *Veniamus aliquando ad clauſulam.*

124. *Scabella concrepant.*] Id eſt, ſcabella, in quibus ſedent ſpectatores, pulſantur. Putant alii, cum Salmaſio, ſcabellum fuiſſe ligneum inſtrumentum ſcabelli inſtar, quod ab hiſtrionibus ad numerum pede pulſabatur cum ſoleâ ligneâ vel ferreâ, ut major crepitus ederetur.

125. *Aulæum tollitur.*] Aulæa tapetia erant, quibus ſcenæ ornabantur.

2. *Mulieraria manus.*] Defigunt iſtam mollem & effœminatam amicorum Clodiæ catervam.

ab

ab argumentis, à conjecturâ, ab iis ſignis, quibus veritas illuſtrari ſolet, ad teſtes tota traducta eſt. Quos quidem ego teſtes, Judices, non modò ſine ullo timore, ſed etiam cum aliquâ ſpe delectationis expecto; prægeſtit animus jam videre, primùm [b] lautos juvenes, mulieris beatæ ac nobilis familiares: deinde fortes viros, ab imperatrice in inſidiis, atque in præſidio balnearum locatos: ex quibus requiram, quonam modo latuerint, aut ubi; alveus-ne ille, an equus Trojanus fuerit, qui tot invictos viros, muliebre bellum gerentes, tulerit & texerit? Illud verò reſpondere cogam, cur tot viri ac tales hunc & unum, & tàm imbecillum, quàm videtis, non aut ſtantem comprehenderint, aut fugientem conſecuti ſint; qui ſe nunquam profectò, ſi iſtum in locum proceſſerint, explicabunt: quàm volent in conviviis faceti, dicaces, nonnunquam etiam ad vinum diſerti ſint; alia fori vis eſt, alia triclinii: alia ſubſelliorum ratio, alia lectorum: non idem judicium, comeſſatorumque conſpectus: lux denique longe alia eſt ſolis, & lychnorum. Quamobrem [c] excutiemus omnes iſtorum delicias, omnes ineptias, ſi prodierint; ſed, ſi me audiant, navent aliam operam, aliam ineant gratiam, in aliis ſe rebus oſtentent: [d] vigeant apud iſtam mulierem venuſtate; dominentur ſumptibus; hæreant, jaceant, deſerviant: capiti verò innocentis, & fortunis parcant. An ſunt ſervi illi de cog-

[b] *elegantes.* [c] *ſcrutabimur.* [d] *gratioſi ſint iſti mulieri.*

11. *Prægeſtit animus.*] Geſtire eſt geſtus edere, qui animi affectum indicent.

13. *Fortes.*] Ironia.

Ib. *Imperatrice.*] Clodiam imperatricem vocat, quia ubique ſervos diſpoſuerat.

15. *Alveus-ne ille.*] Alveus locus eſt concavus, per quem rivi & flumina profluunt; hîc tamen videtur intelligi labrum balnearum.

Ib. *Equus Trojanus.*] Cùm Græci urbem Trojam capere non poſſent, Epeus Coquus equum ligneum ingenti magnitudine confecit, qui fraude Sinoniâ in urbem invectus eſt; unde eo incluſi Græci erumpentes, urbem ceperunt. Vide librum 2. Æneid. Ridet hic Cicero conſilium adverſariorum, qui ita ſe abdiderunt, ut Licinium comprehenderent.

16. *Muliebre bellum.*] Reſpicit iterum ad Græcos, qui propter raptam Helenam bellum Trojanis intulerunt.

22. *Triclinii.*] Triclinium cœnaculum eſt, à tribus lectis, qui ſternebantur, nuncupatum. Veteres enim illi, qui jacendo cœnabant, tres menſas ſeu lectos adhibebant.

Ib. *Subſelliorum.*] Subſellia hæc pro judiciis ponuntur, quia judices in aliis, in aliis rei, in aliis patroni, & oratores ſedebant.

23. *Lux alia ſolis.*] Judicia exercebantur ſub dio in roſtris. Contra verò convivia in cœnaculis ad faces celebrabantur.

26. *Navent aliam operam.*] Alterius ſibi quam Clodiæ gratiam mereari debent: aut in rebus aliis amicitiam ſibi Clodiæ conciliare.

28. *Dominentur ſumptibus.*] Id eſt, ejus gratiam ſumptibus & muneribus aucupentur.

Ib. *Hæreant, jaceant.*] Eam ſemper comitentur, eique aſſideant ubique.

29. *At ſunt ſervi, &c.*] Occurrit objectioni Cicero, nempe auctoritate & conſilio cognatorum Clodiæ, in fidei ſuæ mercedem à dominâ manumiſſos fuiſſe.

natorum

natorum ſententiâ, nobiliſſimorum & clariſſimorum hominum manumiſſi. Tandem aliquid inveniemus, quod iſta mulier de ſuorum propinquorum, fortiſſimorum virorum, ſententiâ atque auctoritate feciſſe videatur. Sed ſcire cupio, quid [e] habeat argumenti iſta manumiſſio, in quâ aut crimen eſt Cœlio [f] quæſitum, aut quæſtio ſublevata, aut multarum rerum conſciis ſervis cum [g] causâ præmium perſolutum? At propinquis placuit; cur non placeret, cùm rem [h] tu-te ad eos non ab aliis tibi allatum, ſed à te ipsâ compertam deferre diceris? Hic etiam miramur, ſi illam commentitiam pyxidem obſcœniſſima ſit fabula concecuta? Nihil eſt quod in ejuſmodi mulierem non cadere videatur? audita [& pervulgata] & percelebrata ſermonibus res eſt. Percipitis animis, Judices, jamdudum quid velim, vel potius, quid nolim dicere. Quod etiam ſi eſt factum, certe à Cœlio non eſt factum; quid enim attinebat? eſt enim ab aliquo fortaſſe adoleſcente non tàm [i] inſulſo, quàm non verecundo. Sin autem eſt fictum: non illud quidem modeſtum, ſed tamen non eſt inficetum mendacium; quod profectò nunquam hominum ſermo, atque opinio comprobaſſet, niſi omnia, quæ cum turpitudine aliquâ dicerentur, in iſtam quadrare aptè viderentur.

[e] *quid probat.* [f] *conflatum.* [g] *ratione.* [h] *tu ipſa.* [i] *ſtolida.*

31. *Manumiſſi.*] Non licebat mulieribus ſervos manumittere apud Romanos, ſine cognatorum ſententiâ; manumiſſi autem fuerant, ne de iis quæſtio haberetur, quia liberi apud Romanos non torquebantur, ut ex Cicerone patet in Partitionibus.

35. *Aut quæſtio ſublevata.*] Tormenta ſervis adempta ſunt, quæ ipſis in quæſtione infligebantur.

39. *Obſcœniſſima fabula.*] Ex illâ pyxide rumores ſparſi ſunt, de turpiſſimâ vitâ illius mulieris.

PERORATIO.

XII. [a] Dicta eſt à me cauſa, Judices, & perorata; jam intelligitis, quantum judicium ſuſtineatis, quanta res ſit commiſſa vobis. De vi quæritis: quæ lex ad imperium, ad majeſtatem, ad ſtatum patriæ, ad ſalutem omnium pertinet: quam legem Q. Catulus armatâ diſſenſione civium, reipub. penè extremis temporibus tulit; quæque lex, ſedatâ illâ flammâ conſulatûs mei, fumantis reliquias conjurationis extinxit. Hac enim lege Cœlii adoleſcentia non ad

[a] *defenſa.*

4. *Quam legem.*] De iſtâ lege dictum eſt initio hujus Orationis, paragraph. I. l. 1.

6. *Sedatâ flammâ conſulatûs mei.*] Catilina, Cicerone Conſule, ſtatuerat urbem ferro flammâque delere.

7. *Non ad Reipublicæ pœnas.*] Cœlius lege Plautiâ reus non eſt; ſed reus eſt quia effrænatæ mulieris libidini ſatisfacere noluit.

reipub.

reipublicæ pœnas, ſed ad mulieris libidines & delicias depoſcitur. Atque hoc etiam loco M. Camurti, & C. Eſerni damnatio prædicatur. O ſtultitiam! ſtultitiam-ne dicam, an impudentiam ſingularem? audetis-ne cùm ab eâ muliere veniatis, facere illorum hominum mentionem? audetis-ne excitare tanti flagitii memoriam, non extinctam illam quidem, ſed repreſſam vetuſtate? Quo enim illi crimine, peccatoque perierunt? nempe, quod ejuſdem mulieris dolorem & injuriam Vettiano nefario ſunt ſtupro [b] perſecuti. Ergo ut audiretur Vettii nomen in causâ, ut illa vetus Afrania fabula refricaretur, idcirco Camurti & Eſerni cauſa eſt renovata? qui quanquam lege de vi certè non tenebantur, eo maleficio tamen erant implicati, ut ex nullius legis laqueis emittendi viderentur. M. verò Cœlius cur in hoc judicium vocatur? cui neque proprium quæſtionis crimen objicitur, nec verò aliquid ejuſmodi, [c] quod ſit à lege ſejunctum, & cum veſtrâ ſeveritate conjunctum; cujus prima ætas dedita diſciplinis fuit, iiſque artibus, quibus inſtruimur ad hunc uſum forenſem, ad [d] capeſſendam rempublicam, ad honorem, gloriam, dignitatem: [e] iis autem fuit amicitiis majorum natu, quorum imitari induſtriam continentiamque maxime velit: iis æqualium ſtudiis, ut eundem, quem optimi ac nobiliſſimi, petere curſum laudis videretur. Cum autem paulùm jam roboris acceſſiſſet ætati, in Africam profectus eſt, Q. Pompeio Proconſuli contubernalis, caſtiſſimo viro atque omnis officii diligentiſſimo: in quâ provinciâ cùm [f] res erant & poſſeſſiones paternæ, tum etiam uſus quidam provincialis, non ſine causâ, à majoribus huic ætati tributus. Diſceſſit illinc Pompeii judicio probatiſſimus, ut ipſius teſtimonio

[b] *ulti ſunt violatâ pudicitiâ Vettii.* [c] *quod non licet per legem.* [d] *gubernandam.* [e] *habuit eas amicitias cum ſenioribus.* [f] *facultates.*

9. *Camurti & C. Eſerni damnatio.*] Videntur hi damnati, quòd ex iis fuerint, qui legatos Alexandrinos interfecêre, ut placet Hotomanno. Sed aliis videntur fuiſſe damnati, quòd Vettio cuidam adoleſcenti vim intuliſſent, ut Clodiæ facerent ſatis, à quâ ejus pudicitia non potuit oppugnari.

16. *Ut illa vetus Afrania fabula refricaretur.*] Videtur hoc facinore renovari memoria flagitii illis ſimilis flagitiis, de quibus Afranius poeta, qui togatas turpiſſimè ſcripſit: niſi fortaſſe deſignet Caiam Afraniam impudentiſſimam fœminam, poetriam, & multarum fabularum inventricem, de quâ loquitur Val. Max. lib. 8. cap. 3.

18. *Lege de vi non tenebantur.*] Tenebantur de vi quidem, non quod armis rempublicam turbaſſent: ſed quia vim intulerant juvenis ſanctiſſimi pudicitiæ, quòd quidem ad vim publicam pertinere videbatur.

28. *Nobiliſſimi.*] Eundem vitæ curſum tenuit Cœlius, quem nobiliſſimi quique ſemper tenuerunt.

30. *Proconſuli.*] Proconſules dicti ſunt, quòd pro Conſulibus ad adminiſtrandas provincias mitterentur.

Ib. *Contubernalis.*] Contubernales milites dicebantur, qui decem ſub uno papilione degebant.

32. *Uſus quidam provincialis.*] Romani ſolebant adoleſcentes ad provincias cum præfidibus mittere, ut paratiores ad rempublicam adminiſtrandam accederent; unde hic uſus pro experientiâ ponitur.

cognoſcetis; voluit vetere inſtituto, eorum adoleſcentium exemplo, qui pòſt in civitate ſummi viri & clariſſimi cives extiterunt, induſtriam ſuam à populo Romano ex aliquâ illuſtri accuſatione cognoſci. Vellem aliò potiùs eum cupiditas gloriæ detuliſſet; ſed abiit hujus tempus quærelæ. Accuſavit C. Antonium, collegam meum: cui miſero præclari in rempublicam beneficii memoria nihil profuit, nocuit opinio maleficii cogitati. Poſtea nemini conceſſit æqualium, plus ut in foro, plus ut in negotiis verſaretur cauſiſque amicorum, plus ut valeret inter ſuos gratia; quæ niſi [g] vigilantes homines, niſi ſobrii, niſi induſtrii conſequi non poſſunt, omnia labore & diligentiâ eſt conſecutus. In hoc flexu quaſi ætatis (nihil enim occultabo, fretus humanitate ac ſapientiâ veſtrâ) fama adoleſcentis paulùm hæſit ad metas notitiâ novâ mulieris, & infelici vicinitate, & [h] inſolentiâ voluptatum; quæ eum incluſæ diutius, & primâ ætate compreſſæ, & conſtrictæ fuerunt, ſubitò ſe nonnunquam profundunt, atque ejiciunt univerſæ; quâ ex vitâ, vel dicam, quo ex ſermone, nequaquam enim tantùm erat, quantùm homines loquebantur, verùm ex eo, quidquid erat, emerſit, totumque ſe ejecit atque extulit: tantùmque abeſt ab illius familiaritatis infamiâ, ut ejuſdem nunc ab ſeſe inimicitias odiumque propulſet. Atque ut iſte interpoſitus ſermo deliciarum deſidiæque [i] moreretur (fecit, me, mehercule, invito & multùm repugnante, ſed tamen fecit) nomen amici mei de ambitu detulit: quem abſolutum inſequitur, revocat: nemini noſtrûm obtemperat: eſt violentior quàm vellem. Sed ego non loquor de ſapientiâ, quæ non cadit in hanc ætatem: de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi, de ardore mentis ad gloriam: quæ ſtudia in

[g] *ſtudioſi.* [h] *novitate.* [i] *auferretur.*

35. *Vetere inſtituto.*] Apud veteres conceſſum adoleſcentibus fuit, in accuſationibus eorum, qui geſſerant magiſtratum, præbere ingenii ſui ſpecimen.

37. *Illuſtri accuſatione.*] Cœlius Antonium conſularem [de Majeſtate] accuſavit, Cicerone defendente.

40. *Beneficii memoria.*] Bene meritus de patriâ fuerat, cùm Catilinæ delevit exercitum.

41. *Opinio maleficii.*] Primò fuerat Antonius in conjuratione Catilinæ, ſed ab eâ, Cicerone ſuadente, revocatus eſt.

Ib. *Poſtea.*] Cœlius, poſt accuſationem Antonii, ita ſuperavit æquales, ut nemo plus valeret in foro, &c.

47. *Paulum hæſit ad metas.*] Reſpicit ad curulia certamina, in quibus metas circumagi opprtebat, priuſquam vinceretur; idque erat periculoſum, ne quis impingeret. Ait igitur Cicero, quod cùm Cœlius curſum adoleſcentiæ confeciſſet, in voluptatis licentiam delapſus eſt, & aliquantiſper immoratus: perinde ac ſolent qui in metâ non flectentes curſum infiſtunt, nec finem præmiumque laboris aſſequuntur.

57. *Nomen amici mei.*] Cœlius Polam Servium Atratini patrem ambitus accuſavit. Vocat autem eum amicum, ne cauſæ noceat: nam lib. 2. ad Q. fratrem, Polam illum tetrum & ferum hominem vocat.

58. *Abſolutum inſequitur.*] Abſolutus fuerat Pola, ſed ſecundâ eum actione ad judicium Cœlius revocavit.

Ib. *Nemini noſtrûm obtemperat.*] Patri videlicet, Craſſo, & Ciceroni, quibus erat aſſiduus, non eâ re obtemperat, quia ipſis diſſuadentibus, iterum Polam agit in judicium.

his

his jam ætatibus noſtris [l] contractiora eſſe debent: in adoleſcentiâ verò, tanquam in herbis, ſignificant, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges induſtriæ ſint futuræ. Etenim ſemper magno ingenio adoleſcentes refrenandi potiùs à gloriâ, quàm incitandi fuerunt: amputanda plurâ ſunt illi ætati, ſiquidem efflorescit ingenii laudibus, quàm [m] inſerenda. Quare, ſi cui nimium [n] efferbuiſſe videtur hujus, vel in ſuſcipiendis, vel in gerendis inimicitiis, vis, ferocitas, pertinacia; ſi quem etiam minimorum horum aliquid offendit; ſi [o] purpuræ genus, ſi amicorum catervæ, ſi ſplendor, ſi nitor: jam iſta deſerbuerint; jam ætas omnia, jam iſta dies mitigârit. Conſervate igitur reipublicæ, Judices, civem bonarum artium, bonarum partium, bonorum virorum; promitto hoc vobis, & reipublicæ ſpondeo, ſi modò nos ipſi reipublicæ ſatisfecimus, nunquam hunc à noſtris rationibus ſejunctum fore; quod cùm fretus noſtra familiaritate promitto, tum quòd duriſſimis ſe ipſe legibus jam obligârit. Neque enim poteſt, qui hominem conſularem, quòd ab eo rempublicam violatam diceret, in judicium vocârit, ipſe eſſe in republica civis turbulentus: non poteſt, qui ambitu ne abſolutum quidem patitur eſſe abſolutum, ipſe impunè unquam eſſe largitor. Habet à M. Cœlio reſpublica, Judices, duas accuſationes vel obſides periculi vel pignora voluntatis. Quare oro, obteſtorque vos, Judices, ut quâ in civitate paucis his diebus Sext. Clodius abſolutus ſit, quem vos per biennium aut miniſtrum ſeditionis, aut ducem vidiſtis; qui ædes ſacras, qui cenſum populi Romani, qui memoriam publicam ſuis ma-

[l] minus *ardentia.* [m] *concedenda.* [n] *flagraſſe.* [o] *elegantia ornatûs.*

63. *Tanquam in herbis.*] Proverbium & metaphora ſumpta à ſegetibus teneris, teſte Eraſmo, de quibus nihil certi ſibi poteſt ſperare agricola, donec ad maturitatem pervenerint.

71. *Jam iſta deſerbuerint.*] Id eſt, fervorem ſuum remiſerint, ac veluti refrixerint.

77. *Hominem conſularem.*] Antonium Conſularem vocavit in judicium, ut jam ſæpius dixit.

78. *Violatam diceret.*] Quia Antonius viſus eſt ſtuduiſſe Catilinæ, propterea dicit, ab eo violatam eſſe Rempublicam, dixiſſe Cœlium.

80. *Abſolutum.*] De Polâ loquitur, de quo jam ſæpe.

82. *Obſides periculi.*] Oſtendit, nihil eſſe periculi metuendum à Cœlio, quia duas illas accuſationes tanquam fidei ſuæ obſides erga Rempublicam dedit.

84. *Sext. Clodius.*] Sextus Clodius fuit Pub. Clodii familiariſſimus & ſcriba, cui quidem ejus omnia flagitia tribuit Cicero, quia in iis patrandis eo uſus eſt adjutore. Hunc Sextum Clodium mirè deſcribit in Orat. pro Domo. Locum conſule.

84. *Per biennium.*] Ab eo tempore quo tranſiit ad plebem, ad reditum uſque Ciceronis biennium fuit, quo toto tempore Clodius ſeditiones in Republicâ excitavit.

85. *Ædes ſacras.*] Ædes ait elatè, nam ſolum Nympharum templum incendit. Cùm urbs variis incendiis obnoxia eſſet, crediderunt ope tantùm illarum iis ignibus poſſe ſubveniri, utpote quæ aquis præeſſent: quare iis ædem conſecrarunt.

86. *Cenſum Populi Rom.*] In æde Nympharum publicæ tabulæ, in quibus tum nomina Romanorum, tum uniuſcujuſque cenſus deſcribebatur, aſſervabantur. [Vide Orat. pro Milone, p. 338.]

nibus incendit, hominem sine [p] re, sine fide, sine spe, sine sede, sine fortunis; ore, linguâ, manu, vitâ omni inquinatum; qui Catuli monumentum afflixit, meam domum diruit, mei fratris incendit; qui in palatio atque in urbis oculis servitia ad cædem & inflammandam urbem incitavit: in eâ civitate ne patiamini illum absolutum muliebri gratiâ, M. Cœlium libidini muliebri condonatum: ne eadem mulier cum suo conjuge & fratre, turpissimum latronem eripuisse, & honestissimum adolescentem oppressisse videatur. Quod cum hujus vobis adolescentiam proposueritis, constituitote vobis ante oculos hujus etiam miseri senectutem, qui hoc unico filio nititur, in hujus spe requiescit, hujus unius casum pertimescit: quem vos supplicem vestræ misericordiæ, servum potestatis, abjectum non tàm ad pedes, quàm ad mores sensusque vestros, vel recordatione parentum vestrorum, vel liberorum jucunditate sustentate: ut in alterius dolore, vel pietati, vel indulgentiæ vestræ serviatis. Nolite, Judices, aut hunc jam naturâ ipsâ [q] occidentem velle maturiùs extingui vulnere vestro, quàm suo fato: aut hunc nunc primum florescentem firmatâ jam stirpe virtutis, tanquam turbine aliquo aut subitâ tempestate pervertere. Conservate parenti filium, parentem filio, ne aut senectutem jam prope [r] desperatam contempsisse, aut adolescentiam plenam spei maximæ non modo non aluisse vos, sed etiam [s] perculisse atque afflixisse videamini. Quem si vobis, si suis, si reipublicæ conservatis, addictum, deditum, obstrictum vobis ac liberis vestris habebitis: omniumque hujus [t] nervorum ac laborum vos potissimum, Judices, fructus uberes diuturnosque capietis.

[p] *bonis.* [q] *morientem.* [r] *mortuam.* [s] *evertisse.* [t] *virium.*

88. *Catuli monumentum.*] Catuli monumentum Porticus fuit in Palatio.

89. *Meam domum diruit.*] Clodius, dum Cicero exularet, domum ejus Libertati consecravit.

92. *Muliebri gratia.*] Si Clodiæ causâ Sextus Clodius absolutus est, non debet propter eam Cœlius ad damnationem & supplicium tradi.

93. *Mulier cum suo conjuge.*] Pungit Clodium, qui infamis fuerat incestu cum illâ suâ sorore Clodiâ.

1b. *Turpissimum latronem.*] Sextum Clodium latronem vocat, qui Clodiæ beneficio, judicio liberatus est.

96. *Hujus miseri.*] Hæc verba pronunciando Cœlii patrem demonstrabat, qui atratus & sordidatus judicio aderat, movendæ judicum misericordiæ causâ.

104. *Jam stirpe.*] Comparatio à ventis & tempestate: & metaphora ducta à tenueris arboribus.

IN

L. Calpurnium PISONEM.

ARGUMENTUM.

CUM Piſo, ex ſententiâ Ciceronis, revocatus eſſet à provinciâ Macedoniâ, quam Proconſul adminiſtrabat, graviter in Ciceronem invectus eſt. Hac oratione Piſoni Cicero reſpondet, quam in Senatu habuit loco ſententiæ, ut teſtatur Quintilianus, lib. 3. cap. 9.

TEMPUS.

Paucis ante diebus habita eſt hæc oratio, quàm Pompeius ludos faceret, anno urbis conditæ 698. ipſo Cn. Pompeio & M. Licinio Craſſo ſecundùm Conſulibus, Ciceronis 52.

GENUS CAUSÆ.

Demonſtrativum eſt: exagitat enim tota hac oratione Piſonem.

PARTES.

Tres ſunt; Exordium, Inſectatio, Peroratio.

EXORDIUM.

I. JAMNE vides, bellua, jamne ſentis, [a] quæ ſit hominum querela frontis tuæ? nemo queritur Syrum, neſcio quem, de grege novi-

INTERPRETATIO.

[a] *quantum homines querantur de fronte tua.*

NOTÆ.

1. *Jampe vides, bellua.*] Crediderunt quamnulli nihil in hoc exordio deſiderari, ſed abruptum & inflammatum eſſe; verùm aliter ſentiunt bene multi, adducti auctoritate Aſconii Pediani antiquiſſimi Interpretum, qui in Ciceronem commentati ſunt; citat enim vir eruditus fragmenta quædam illius exordii, à quibus conjicitur tantum ſecundam illius partem reſtare.

Ib. *Jamne ſentis.*] Piſonis ſtupiditatem indicat, qui belluarum inſtar tantum videt & ſentit; quo gemino ſenſu imprimis illæ prædicatæ ſunt.

2. *Frontis tuæ.*] Frons index eſt ſeveritatis & clementiæ; quam Genio olim dedicatam fuiſſe Alexander ab Alexandro ſcribit.

Ib. *Syrum, neſcio quem.*] Servis ſæpe nomina nationum ſuarum imponebant,

novitiorum, factum esse consulem; non enim nos color iste servilis, non pilosæ genæ, non dentes putridi deceperunt; oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in errorem homines impulit: hic eos, quibus eras ignotus, decepit, fefellit, in fraudem induxit: Pauci ista tua lutulenta vitia novêramus: pauci tarditatem ingenii, stuporem debilitatemque linguæ; nunquam erat audita vox in foro; nunquam periculum factum consilii; nullum non modò illustre, sed ne notum quidem factum, aut militiæ, aut domi: [b] obrepsisti ad honores errore hominum, commendatione fumosarum imaginum: quarum simile habes nihil præter colorem. Is mihi etiam gloriabitur, se omnes magistratus sine repulsâ assecutum? mihi ista licet de me verâ cum gloriâ prædicare; omnes enim [c] honores populus Romanus mihi ipsi, homini novo, detulit. Nam tu cum quæstor es factus, etiam qui te nunquam viderant, tamen illum honorem nomini [d] mandabant tuo. Ædilis es factus:

[b] *pervenisti* clam. [c] *magistratus.* [d] *concedebant.*

ut Strabo ait, lib. 7. & præ cæteris nationibus nati fuerunt ad servitutem Syri, Judæi, & Cappadoces, ut dixit Orat. de provinc. Consul: censent aliqui hîc Gabinium designari, qui Syriæ præerat.

2. *Novitiorum.*] Loquitur de venalibus illis servis, qui recentes nondum per annum servierant.

1b. *Color iste servilis.*] Atrum colorem indicat, quo maxime fuerunt Syri.

3. *Oculi.*] Oculi quasi nuncii sunt animi, ex iis enim iratus, lætus, &c. conjicitur.

4. *Supercilia.*] Factum & superbiam supercilia denotant; quæ deflexa sunt, austeros; inflexa, irrisores; demissa malevolos arguunt.

7. *Lutulenta vitia.*] Vitia omnium turpissima in Pisone reprehendit, quibus, quasi sus luto, delectabatur.

8. *Audita vox in foro.*] Stupiditatem hominis describit, quæ tanta fuit, ut nunquam in foro auditus fuerit sive in accusando, sive in defendendo quoquam.

9. *Periculum factum consilii.*] Piso non modò nunquam fuerat auditus in foro, sed ne quidem in Senatu cùm de Repub. agebatur; hîc enim Romæ duplici re commendabantur.

10. *Aut militiæ.*] Romani vel domi eloquentiæ, vel militiæ, rebus præclarè gestis, gloriam sibi ac nomen faciebant.

11. *Commendatione fumosarum imaginum.*] Suam nobilitatem commendabant Romani ostensione imaginum, quas suorum majorum asservabant in ædium atriis: *fumosas* verò appellat, aut quia antiquitate nigredinem, aut quia ignibus coram iis accensis fuliginem contraxerant. Soliti enim Romani diebus festis ante eas thus & cereos accendere, ut dicitur à Cic. lib. 3. Offic.

13. *Is mihi etiam gloriabitur.*] Piso contra Ciceronem dixerat se omnes magistratus adeptum esse; sed isti reponit Cicero hanc gloriam non suâ, sed majorum suorum causâ illi, at sibi propter se delatam esse.

15. *Mihi homini novo.*] Novus homo dicitur, quem ante nemo in familiâ magistratum obtinerat, sed qui suâ virtute sibi adeptus est.

16. *Quæstor.*] Quæstores, ut ait Varro, à quærendo dicti sunt: quia conquirebant pecunias publicas. Regibus primùm Romæ imperantibus instituti sunt, & postèa populi suffragio creati, sicut reliqui Magistratus.

17. *Nomini.*] Piso erat ex illustrissimâ familiâ Pisonis Frugi, cujus magna & præclara exiterant in Rempublicam officia; hujus meminit Cicero in Orat. pro Fonteio; quare ad contemptum Pisonis, contra quem agit, non tam illi quàm nomini ejus delatam fuisse præturam contendit.

1b. *Ædilis es factus: Piso.*] Ædiles aliis plebeii fuerant, alii curules Curulium

ctus: Piſo eſt à populo Romano factus, non iſte Piſo. Prætura item majoribus delata eſt tuis; noti erant illi mortui: te vivum nondum noverat quiſquam. Me cum quæſtorem in primis, ædilem priorem, prætorem primum cunctis ſuffragiis populus Romanus faciebat, homini ille honorem, non generi; moribus, non majoribus meis; virtuti perſpectæ, non auditæ nobilitati, deferebat.

ſulium autem triplex fuit procuratio: primùm ut ludos curarent; deinde ut ædes ſacras publicaſque, item vias publicas tuerentur; poſtremò, ut ne in mancipiorum venditione, & menſuris fraus admitteretur. Plebeiorum vero quadruplex fuit, ex Dionyſ. Hal. 1. ut eſſent Tribunor. adminiſtri. 2. ut curarent plebeios ludos. 3. ut cloacas tuerentur. 4. ut annonæ præeſſent. Hi omnes à populo creabantur, & magiſtratum Kal. Januar. inibant.

18. *Non iſte Piſo.*] Piſonem intelligit, qui Frugi cognominatus eſt; vir tantâ virtute, atque integritate, ut optimis illis temporibus, cùm inveniri nemo bonus poſſet, ſolus tamen frugi vel ab inimicis vocaretur.

20. *Me cum quæſtorem.*] Jam ſe confert cum Piſone Cicero, atque ejus honorem extenuat, dum ſe ſuperiorem in aſſequendis magiſtratibus oſtendit, quia ſibi, non majoribus delati ſunt.

21. *Prætorem primum.*] De Prætoribus & eorum numero dictum eſt in Orat. pro lege Manil. parag. 1. not. ad l. 13.

INSECTATIO PISONIS.

Illa Piſonis inſectatio duas partes complectitur, in primâ agit de publicis Piſonis flagitiis, in ſecundâ de privatis.

PRIMA PARS.

Hæc prima pars tres alias continet. In primâ agit de Conſulatu Piſonis, quem impie ille geſſit. In ſecundâ, de provinciâ, quam nefarie adminiſtravit. In tertiâ, de ejus reditu.

II. Nam quid ego de conſulatu loquar? [a] parto vis, anne geſto? Miſerum me! cum hâc me nunc peſte, atque labe confero? ſed nihil comparandi causâ loquar; ac tamen es quæ ſunt longiſſime diſjuncta comprehendam. Tu conſul ea renunciatus (nihil dicam gravius, quàm quod omnes fatentur) impeditis reipublicæ temporibus, diſſidentibus Coſſ. Cæſare & Bibulo, cùm hoc non recuſares, quin

[a] *quemadmodo peperierim, aut geſſerim.*

2. *Miſerum me.*] Retractatio quâ ſe reprehendit, quòd ſe cum Piſone compararet.

4. *Tu Conſul renunciatus.*] Vel præconis, vel ipſius Conſulis voce. Magiſtratus renunciabantur.

5. *Impeditis Reipub. temporibus.*] Loquitur de civili diſſidio, quod tum exortum eſt, quando Bibulus obſtitit Cæſari, qui, ut egentium ſibi voluntates devinciret, rogationem de coloniis deducendis & agris dividendis tulit. Plutar. in Pomp.

ii, à quibus dicebare conſul, te luce dignum non putarent, niſi nequior, quàm Gabinius, extitiſſes; me cuncta Italia, me omnes ordines, me univerſa civitas, non prius tabellâ quàm voce, priorem conſulem declaravit. Sed omitto, ut ſit factus uterque noſtrûm; ſit ſane fors domina campi; magnificentius eſt dicere, quemadmodum geſſerimus conſulatum, quàm quemadmodum ceperimus. Ego Kalendis Januar. Senatum & bonos omnes legis agrariæ maximarumque largitionum metu liberavi. Ego agrum Campanum, ſi dividi non oportuit, conſervavi; ſi oportuit, melioribus auctoribus reſervavi. Ego in C. Rabirio perduellionis reo XL. annis ante me conſulem interpoſitam, Senatûs auctoritatem ſuſtinui contra invidiam, atque defendi. Ego adoleſcentes bonos & fortes, ſed uſos eâ conditione fortunæ, ut, ſi eſſent magiſtratus adepti, reipub. ſtatum [b] convulſuri viderentur, meis inimicitiis, [c] nulla Senatûs malâ gratiâ, comitiorum ratione privavi; ego Antonium collegam, cupidum provinciæ, multa in republicâ molientem, patientiâ atque obſequio meo mitigavi. Ego

[b] *perdituri.* [c] *nullo odio conceptam in Senatum.*

8. *Nequior quàm Gabinius.*] Gabinius ille, ut dicit Cicero in Orat. poſt reditum in Sen. prima ætatis ſuæ tempora ad omnes libidines divulgavit, & egeſtatem, & luxuriam domeſtico lenocinio ſuſtentavit: & ut Plutarchus, inter omnes Pompeii Scurras aſſentator fuit.

9. *Tabellâ, quàm voce.*] Declarabant quem eligebant vel ſcripto, vel voce; Cicero communi omnium voce Conſul declaratus eſt.

11. *Domina campi.*] Fortuna & caſus ſæpiùs regebant comitia quæ in campo Martio habebantur, quàm conſilium & ratio.

13. *Kalendis Januariis.*] Initio Januarii Conſules magiſtratum inibant; quod manifeſtè docet Ovidius lib. 4. de Ponto.

Ergo ubi, Jane biceps, longum reſeraveris annum,
Pulſus & à Sacro menſe December erit;
Purpura Pompeium ſummi velabit honoris,
Ne ti.ulis quicquam debeat illa ſuis.

Ib. *Legis Agrariæ.*] Caſſio & Proculo Coſſ. primùm lata eſt lex Agraria, & magnis poſtea rerum motibus per annos ferè triginta jactata, & reſtaurata à Rullo Tribuno-plebis, quâ Campanum agrum populo dividebat; ſed hanc legem ſuſtulit Cicero ſtatim atque Conſul renunciatus eſt. Vide Orat. de lege Agrariâ.

16. *Melioribus auctoribus.*] Pompeio & C. Cæſari.

Ib. *In Rabirio perduellionis reo.*] Rabirius cùm telo fuerat in colliſione Saturnini oppreſſi, qui ſeditionem tribunus plebis excitaverat: deinde ejus caput per ludibrium circumtulerat. Triginta ſex annis poſt à Labieno tribuno-plebis in judicium Rabirius, apud populum, perduellionis reus vocatus eſt, & defenſus à Cicerone Conſule. Vide ejus Orat.

18. *Adoleſcentes bonos.*] Tulit legem Cornelius Sylla, ut proſcriptorum liberi bonorum petendorum poteſtate privarentur, cùm tamen petere vellent, Cicero contra eos Orationem habuit. Vide Plin. lib. 7. cap. 30.

22. *Cupidum provinciæ.*] Obtigerat Macedonia Ciceroni in ſortitione provinciarum, & Antonio Gallia. Cùm optaret Macedoniam Antonius, quia opulentior, cum eo Galliam commutavit Cicero, & ſic pactione provinciæ eum ad Remp. revocavit.

Ib. *In republicâ molientem.*] Favere Antonius Catilinæ non obſcurè videbatur, ut ſe ære alieno liberaret.

pro-

provinciam Galliam Senatûs auctoritate, exercitu & pecuniâ inſtructam & ornatam, quam cum Antonio communicavi, quòd ita exiſtimabam tempore reipubl. ferre, in concione depoſui, reclamante populo Romano. Ego L. Catilinam, cædem Senatûs, interitum urbis, non obſcurè, ſed palàm molientem, egredi ex urbe juſſi: ut, à quo legibus non poteramus, mœnibus tuti eſſe poſſemus. Ego tela extremo menſe conſulatûs mei intenta jugulis civitatis de conjuratorum nefariis manibus extorſi. Ego faces jam accenſas ad hujus urbis incendium comprehendi, protuli, extinxi. Me Q. Catulus princeps hujus ordinis, & auctor publici conſilii, frequentiſſimo Senatu, parentem patriæ nominavit. Mihi hic vir clariſſimus, qui propter te ſedet, L. Gellius, his audientibus, civicam coronam deberi à repub. dixit. Mihi togato Senatus, non, ut multis, benè geſtæ, ſed ut nemini, conſervatæ reipublicæ, ſingulari genere ſupplicationis, deorum immortalium templa patefecit. Ego cùm in concione, abiens magiſtratu, dicere à tribuno plebis prohiberer, quæ conſtitueram; cùmque is mihi tantummodo ut jurarem, permitteret; ſine ullâ dubitatione juravi,

24. *Provinciam Galliam.*] Depoſuit Galliam, quia ſibi ita expedire Reipub. videbatur; & ait Famil. lib. 5. epiſt. 11. eam fratri ſuo ſe tradere voluiſſe.

Ib. *Senatûs auctoritate.*] Pertinebat ad Senatum provincias decernere, quas ſine ejuſdem auctoritate deponere nemini fas fuit.

27. *L. Catilinam.*] Vide Orationes in Catilinam, ubi de totâ hujus conjurationis ſerie fuſiùs dictum eſt.

29. *Juſſi.*] Juſſit exire Catilinam non propriâ ſuâ auctoritate Conſulari, ſed auctoritate Senatuſconſulti.

30. *Ego tela.*] A Catilinâ imperium interficiendi Ciceronis C. Cornelio, & M. Cethego datum fuerat. Sed horum inſidias, qui per ſalutationes & officii ſpeciem interfecturi Conſulem fuerant, prodidit Fulvia noctu ad Ciceronem profecta.

Ib. *Extremo menſe.*] Nonis Decembribus, quia novi Kal. Jan. inibant magiſtratum.

31. *Faces jam accenſas.*] Significat ſe per Flaccum Prætorem in Ponte Milvio literas conjuratorum comprehendiſſe, quas publicè legit in Senatu, quibus omnia conjuratorum conſilia detecta ſunt.

33. *Q. Catulus.*] Q. Catulus Senator magnæ auctoritatis in Senatu, patrem patriæ Ciceronem nuncupavit, quæ appellatio nemini antea fuerat decreta. Plut. in vitâ Cat.

35. *L. Gellius.*] Vir Cenſorius.

36. *Civicam coronam.*] Ex Gellio lib. 5. cap. 6. *Civica corona appellatur, quam civis civi, à quo ſervatus eſt in prælio, teſtem vitæ ſalutiſque perceptæ dat; ea fit ex fronde querna, quoniam cibus, victuſque antiquiſſimus quernus capi ſolitus fit.*

37. *Non, ut multis, bene geſtæ, &c.*] Gloriatur hîc Cicero honorem, qui nemini antea conceſſus fuerat, ſibi decretum eſſe. Nam vulgò ſupplicationes eis decernebantur, qui bene rem in bello geſſerant; at ipſi, propter conſervatam Rempub. delatæ ſunt, quando ſine ferro, ſine armis à Catilinæ conjuratione Rempub. vindicavit.

38. *Supplicationis.*] De his ſupplicationis honoribus dictum eſt ſusè in Oratione in Catil. parag. iii. l. 55.

40. *A Tribuno-plebis.*] Mos fuit, ut cùm deponerent magiſtratum, ſe nihil contra leges feciſſe jurarent. At cùm Cicero concionem tunc apud populum habere vellet, à Q. Metello Nepote prohibitus eſt, qui pro roſtris ſubſellia collocavit, ne conſcenderet; ſed tantùm permiſit ut ex inferiori loco Magiſtratum ejuraret, qui non uſitatâ, ſed novâ juris jurandi formulâ uſus eſt, ut ait Plutar. in Cic. Timebant verò Tribuni-plebis, ne quâ populi ſeditio concitaretur.

rempubl. atque hanc urbem meâ unius operâ esse salvam. Mihi populus Romanus universus, illâ in concione, non unius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemque donavit, cùm meum jusjurandum tale atque tantum, juratus ipse, unâ voce & consensu approbavit. Quo quidem tempore is meus domum fuit è foro reditus, ut nemo, nisi qui mecum esset, civium esse in numero videretur. Atque ita est à me consulatus peractus, ut nihil sine consilio Senatûs, nihil non approbante populo Romano egerim: ut semper in rostris curiam, in Senatu populum defenderim: ut multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum Senatu conjunxerim.

III. Exposui breviter consulatum meum. Aude nunc, ô furia, de tuo dicere: cujus fuit initium ludi Compitalitii, tùm primùm facti post L. Metellum & Q. Marcium coss. contra auctoritatem hujus ordinis: quos Q. Metellus (facio injuriam fortissimo viro mortuo, qui illum, cujus paucos pares hæc civitas tulit, cum hâc importunâ belluâ conferam) sed ille designatus consul, cùm quidam tribunus pleb. suo auxilio magistros ludos contra senatusconsultum facere jussisset, privatus fieri vetuit: atque id, quod nondum potestate poterat, obtinuit auctoritate. Tu, cùm, in Kalendis Jan. Compitalitiorum dies incidisset, Sex. Clodium, qui nunquam antea prætextatus fuisset, ludos facere, & prætextatum volitare passus es, hominem impurum, atque non modò facie, sed etiam oculo tuo dignissimum. Ergo his fundamentis positis consulatûs tui, triduo post, in-

45. *Juratus ipse.*] Audito Ciceronis juramento, quo se leges & Rempub. servavisse testabatur, populus viciſſim juravit ita esse, & illius operâ conservatam fuisse Rempub.

47. *E foro reditus.*] Sæpe honoris causâ viros Principes & bene meritos de Republicâ populus redeuntes è foro vel Senatu domum deducebant, & comitabantur; quod præcipue Ciceroni contigit, cùm conjuratos jussit in carcere trucidari. Vide Plutar. in vitâ Cic.

48. *Atque ita est.*] Brevem quasi gesti sui Consulatûs epilogum subjicit, ad aliam partem transiturus.

1. *Aude nunc.*] Jam aggreditur de Pisonis Consulatu dicere, cujus indignitatem ostendit in hunc modum: pertinet ad Consulem Senatusconsulta tueri, at contrà Piso ludos fieri, leges convelli, & alia ejusmodi passus est: Metellus designatus Consul obtinuit ne ludi spectarentur, contrà Piso Consul fecit, &c.

2. *Ludi Compitalitii.*] Ludi Compitalitii dicti sunt à compitis, ubi in Larium honorem celebrabantur; nullus eis dies certus præfinitus erat, sed non longè à Saturnalibus fuisse celebratos Dionysius lib. 4. testatur. Hi primùm à Servio Tullio instituti sunt, sed sublatis collegiis aboliti sunt.

3. *L. Metellum & Q. Marcium.*] Consules fuerant novem abhinc annis.

7. *Quidam tribunus.*] Herennius, vel Mummius.

Ib. *Magistros ludos.*] Multi editi habent *magnos*: sed ineptè; nam non de ludis Magnis, sed Compitalitiis hîc agitur; per *Magistros* intelligit *vicorum Magistros*, qui ludos Compitalitios facere solebant prætextati, ut ex *Asconio* liquet.

8. *Privatus.*] Designatus quidem Consul erat, sed tunc tantùm privatus.

9. *Potestate poterat.*] Potestas respicit magistratum, & auctoritas personam.

10. *Kal. Jan. dies incidisset.*] Paucis diebus post Saturnalia, quæ Decembri mense celebrabantur, incidebat iste dies compitalitiorum. Compitalibus verò publicè servi auctoritatem, & Saturnalibus domi auctoritatem habebant.

11. *Prætextatus.*] Prætextæ tantùm jus habuere Magistratus, & qui ludis præerant.

spectante

ſpectante & tacente te, à P. Clodio, fatali portento prodigioque reipublicæ, lex Ælia & Fuſia everſa eſt, propugnacula murique tranquillitatis atque otii: Collegia non ea ſolùm, quæ Senatus ſuſtulerat, reſtituta ſunt, ſed innumerabilia quædam nova ex omni fæce urbis ac ſervitio conſtituta. Ab eodem homine in ſtupris inauditis nefariiſque verſato, vetus illa magiſtra pudoris & modeſtiæ, ſeveritas cenſoria ſublata eſt: cùm tu interim, buſtum reipubl. qui te conſulem tum Romæ dicis fuiſſe, verbo nunquam ſignificaris ſententiam tuam tantis in naufragiis civitatis. Nondum quæ feceris, ſed quæ fieri paſſus ſis, dico: neque verò multùm intereſt, præſertim in conſule, utrum ipſe pernicioſis legibus, improbis concionibus rempubl. vexet, an alios vexare patiatur. An poteſt ulla eſſe excuſatio, non dicam malè ſentienti, ſed [a] ſedenti, cunctanti, dormienti in maximo reipub. motu conſuli? centum prope annos legem Æliam & Fuſiam tenueramus: quadringentos judicium, notionemque cenſoriam: quas leges auſus eſt non nemo improbus, potuit quidem nemo unquam, convellere: quam poteſtatem minuere, quo minus de moribus noſtris quinto quoque anno judicaretur, nemo tàm effuſe petulans conatus eſt. Hæc ſunt, ô carnifex, in gremio ſepulta conſulatûs tui. Perſequere connexos his funeribus dies. [b] Pro Aurelio tribunali, ne connivente quidem te, quod ipſum eſſet

[a] *ſcitanti.* [b] *prope.*

16. *Lex Ælia & Fuſia.*] Legem tulit de Comitiis Q. Ælius Conſ. cum M. Junio an. DXXCVI. ut quoties cum populo ageretur, augures de cœlo ſervarent Magiſtratus & obnunciandi, id eſt, denunciandi, agi per Jovem non licere, & legiſlationi interecedendi poteſtatem habêrent. Nam cum Lex ferretur, augures de cœlo ſervabant: Magiſtratus, ſi quid obſervatum erat quo impediri Comitia poſſent, nunciabant. Tulit P. Furius ſive Fuſius Conſul cum Sexto Attilio, anno urbis 616. ut certis diebus, qui tamen faſti eſſent, agi cum populo non liceret.

17. *Collegia.*] Collegia dicebantur ſodalitates & conventus certorum hominum artem aliquam certam factitantium, ut Piſtorum, Sutorum, &c. Ea autem inſtituta fuiſſe à Numâ Pompilio ſcribit Plutar. in ejus vita. Hæc quidem Senatuſconſulto ſublata erant propter ſeditiones, at lege Clodiâ reſtituta ſunt, ut comparatos ſibi homines ad ſeditiones faciendas haberet.

20. *Vetus illa cenſoria.*] Cenſores per quinque annos ſuum gerebant Magiſtratum; eorum erat civium familias & facultates deſcribere, invigilare moribus civitatis, populum in tribus partiri, legere tum Senatûs, tum equeſtris ordinis principem, cives improbos notare ignominiâ, &c. Tulit autem legem Clodius, ne quem Cenſores in legendo præterirent, neve quâ ignominiâ afficerent, niſi qui apud eos accuſatus, & utriuſque Cenſoris ſententiâ damnatus eſſet.

21. *Buſtum.*] Buſtum nunc exuſtum cadaver, nunc & ſepulcrum ſignificat.

25. *Præſertim in Conſule.*] Conſul invigilare debet patriæ, & ſeditiones, & injuriam omnem à civibus amovere.

31. *Non nemo improbus.*] Gabinium deſignat Piſonis collegam [vel potius Vatinium, qui Tribunus pleb. fuit Piſone & Gabinio Coſſ. Vide Orat. in *Vatinium.*]

35. *Connexos his funeribus.*] Perturbationem totius Reipub. & civium vexationem, quæ Clodio Tribuno facta eſt, funera appellat.

ſcelus,

ſcelus, ſed etiam hilarioribus oculis, quàm ſolitus eras, intuente, delectus ſervorum habebatur ab eo, qui nihil ſibi unquam nec facere, nec pati turpe eſſe duxit; arma in templo Caſtoris, ô proditor templorum omnium! vidente te, conſtituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit, te conſule, arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinæ militum, caſtellum forenſis latrocinii, buſtum legum omnium ac religionum. Erat non ſolùm domus mea, ſed totum Palatium Senatu, equitibus Romanis, civitate omni, Italiâ cunctâ refertum: cùm tu non modò ad eum Ciceronem (mitto enim domeſtica, quæ negari poſſunt: hæc commemoro, quæ ſunt palam) non modò, inquam, ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam prærogativæ, quem in Senatu ſententiam rogabas tertium, nunquam aſpirâſti: ſed omnibus conſiliis, quæ ad me opprimendùm parabantur, non interfuiſti ſolùm, verùm etiam crudeliſſime præfuiſti. Mihi verò ipſi coram genero meo, propinquo tuo, quæ dicere auſus es? egere, foris eſſe Gabinium: ſine provinciâ ſtare non poſſe: ſpem habere à tribuno-plebis, ſi tua conſilia cum illo conjunxiſſes: à Senatu quidem deſperâſſe: hujus te cupiditati obſequi, ſicuti ego feciſſem in collegâ meo: nihil eſſe quod præſidium

36. *Aurelio.*] Tribunal illud ab Aurelii Cottâ Aurelium dictum eſt. De hoc vide Orat. pro Sextio.

38. *Delectus habebatur.*] Deligebantur ſervi, qui omnium eſſent aptiſſimi ad cædem faciendam.

39. *In templo Caſtoris.*] Templum Caſtoris, victis Latinis, ob beneficium victoriæ A. Poſthumius dictator anno 258. in foro Romano poſuit, quod longo poſt tempore, victis Dalmatis, Metellus Dalmaticus ex hoſtium manubiis collapſum reſtituit.

Ib. *Proditor templorum.*] Elatè id dicit; neque enim ulla templa violaverat Piſo, ſed templum Caſtoris, & ædem Nympharum incendi à Publio Clodio impune permiſerat.

41. *Cui templum illud fuit.*] Egregia amplificatio, ut pluribus verbis rei indignitatem oſtendat.

48. *Comitiis tuis.*] Id eſt, comitiis aliquibus, quibus Piſo præfuit.

Ib. *Dederas tabulam prærogativæ.*] Hoc eſt, feceras poteſtatem Magiſtratum eligendi quem velles. Eſt enim *prærogativa* quædem antelatio. Unde tribus prærogativæ dicebantur, quæ primæ omnium ſententiam rogabantur.

49. *Rogabas tertium.*] Pompeium primò, deinde Craſſum, tum Ciceronem.

Ib. *Nunquam aſpiraſti.*] Deſidiam notat Piſonis; cum enim ipſe Cicero ab inimicis appeteretur, nunquam Piſo Conſul conatus eſt ei opem ferre.

50. *Parabantur.*] Quæ à Clodio tribuno-plebis contra Ciceronem parabantur, vidente Piſone facta ſunt.

52. *Coram genero meo.*] Gener Ciceronis Piſo Craſſipes fuit, qui Tulliam Ciceronis filiam uxorem duxerat; quam, mortuo illo ſuo marito, Lentulo dedit pater Cicero.

53. *Egere, foris eſſe Gabinium.*] Arabamus illas voces de ære alieno, in quo erat Gabinius, intelligit: quia facilè latitant debitores, & abeſſe ſe fingunt.

54. *Spem habere à Tribuno-plebis.*] Sperabat Gabinius ſe provinciam obtenturum à populo, rogante & intercedente pro eo Publio Clodio Tribuno-plebis; cùm aliter liberare ſe ære alieno non poſſet.

55. *A Senatu quidem deſperaſſe.*] Non potuit Senatus ei provinciam denegare; nam legibus populo Rom. deſignatis Conſulibus decernendæ erant provinciæ. Quare hoc potiùs ad ornamenta provinciarum pertinet, veluti ad exercitum & pecuniam.

56. *In Collegâ meo.*] Antonium Collegam

um conſulum implorarem: ſibi quemque conſulere oportere. Atque hæc dicere vix audeo; vereor ne qui ſit, qui iſtius inſignem nequitiam, frontis involutam integumentis, nondum cernat; dicam tamen: ipſe certe agnoſcet, & cum aliquo dolore flagitiorum ſuorum recordabitur. Meminiſti-ne, cœnum, cùm ad te quintâ fere horâ cum C. Piſone veniſſem, neſcio quo è gurguſtio te prodire, involuto capite, ſoleatum? &, cùm iſto ore fœtido teterrimam nobis popinam inhalâſſes, excuſatione te uti valetudinis, quod diceres, vinolentis te quibuſdam medicaminibus ſolere curari? quam nos cauſam cum accepiſſemus (quid enim facere poteramus?) pauliſper ſtetimus in illo ganearum tuarum nidore, atque fumo: unde tu nos cum improbiſſimè reſpondendo, tum turpiſſimè eructando ejeciſti. Idem illo ferè biduo productus in concionem ab eo, cui ſic æquatum præbebas conſulatum tuum, cùm eſſes interrogatus, quid ſentires de conſulatu meo; gravis auctor, Calatinus credo aliquis, aut Africanus, aut Maximus, & non Cæſonius Semiplacentinus Calventius,

gam ſuum Cicero mitigavit, cedendo ei Macedoniam, quam ſortitus erat.

61. *Cœnum.*] Jam ſordes & perfidiam Piſonis exponit, à quo Clodianorum furoribus expoſitus eſt. Vocat autem illum cœnum, quaſi tanta eſſet vitiorum fœditas, ut non tàm cœnoſus quàm cœnum eſſe videretur.

62. *Quinta fere hora.*] Id eſt, quatuor ferè horis ante ſolitum, cùm tantùm horâ nonâ ſoliti eſſent menſis accumbere, juxta illud Martialis:

Imperat exſtructos frangere nona toros.

Ib. *Cum Piſone.*] Hic C. Piſo Craſſipes dicebatur, Ciceronis gener, & hujus Piſonis propinquus.

63. *E gurguſtio.*] Feſtus ait, gurguſtium eſt genus habitationis anguſtum, arundine & ſtraminibus compoſitum.

Ib. *Involuto capite.*] Caput involvebant Romani libidini & crapulæ ſe daturi. Vide Hor. lib. 2. Sat. 7. *Turpis odoratum caput obſcurante lacerna.*

Ib. *Soleatum.*] Soleæ erant calceamenta, quibus plantarum calces tantum infimæ tegebantur, & quæ teretibus habenis vincta erant; quod calceamenti genus maximè ad fœminas pertinebat, & indecens viris habebatur. His tamen in conviviis utebantur, ut ante accubitum facilius eas deponerent. Vide Horat. in citatâ ſuperius Sat.

64. *Teterrimam popinam.*] Per Metonymiam odorem popinæ ſignificat, in quâ ebrietati vacabant.

67. *Ganearum tuarum.*] Ganeæ loca ſunt abdita, ac veluti defoſſa, ubi libidinibus & crapulæ indulgebant.

70. *Productus in concionem.*] Vocatus eſt Piſo in concionem à Clodio tribuno-plebis, ut ſuam ſententiam de Ciceronis conſulatu diceret.

72. *Gravis auctor.*] Ironia.

Ib. *Calatinus.*] De auctoritate Calatini loquitur Cicero in lib. de Senect. & de ejus paupertate Valer. Max. lib. 4. cap. 4. cujus attritæ manus ruſtico opere ſalutem publicam ſtabiliverunt.

Ib. *Africanus.*] P. Africanum à Numantiâ redeuntem, ab ipsâ penè portâ in roſtra perductum, quid de Tib. Gracchi morte, cujus ſororem in matrimonio habebat, ſentiret, interrogavit C. Carbo; ut auctoritate clariſſimi viri, inchoato incendio, multum incrementi adjiceret; reſpondit Africanus, *jure eum cæſum videri*; cui cum ſucclamâſſent, Non efficietis, inquit, ut ſolutos verear, quos alligatos adduxi. Vide Val. lib. 6. cap. 2.

73. *Maximus.*] Q. Fabius Maximus qui Fabiæ genti rebus præclarè geſtis, Maximi cognomen adeptus eſt, dictaturâ, conſulatibus quinque, tribus triumphis celeberrimus, &, ut ait Cic. lib. de ſenectute, cujus *non in ſententia ſolùm, ſed etiam in nutu reſidebat auctoritas.*

Ib. *Semiplacentinus.*] Semiplacentinus appellatur Piſo, quia ex genere materno Placentinus erat. Calventius verò,

ventius, reſpondes, altero ad frontem ſublato, altero ad mentem depreſſo ſupercilio, crudelitatem tibi non placere. Hic te ille homo digniſſimus tuis laudibus collaudavit. Crudelitatis tu, furcifer, Senatum conſul in concione condemnas? non enim me, qui ſenatui parui; nam delatio illa ſalutaris & diligens fuerat conſulis: animadverſio quidem & judicium Senatûs; quæ cum reprehendis, oſtendis, qualis tu, ſi ita fortè accidiſſet, fueris illo tempore conſul futurus; ſtipendio, mehercule, & frumento Catilinam eſſe putaſſes juvandum; quid enim interfuit inter Catilinam, & eum, cui tu Senatûs auctoritatem, ſalutem civitatis, totam rempub. provinciæ præmio vendidiſti? Quæ enim L. Catilinam conantem conſul prohibui, ea P. Clodium facientem conſules adjuverunt; voluit ille Senatum interficere, vos ſuſtuliſtis: leges incendere, vos abrogâſtis; interire patriam, vos adjuviſtis. Quid eſt vobis coſſ. geſtum ſine armis? incendere illa conjuratorum manus voluit urbem; vos ejus domum, quem propter urbs incenſa non eſt. Ac ne illi quidem, ſi habuiſſent veſtri ſimilem conſulem, de urbis incendio cogitaſſent; non enim ſe tectis privare voluerunt: ſed his ſtantibus nullum domicilium ſceleri ſuo fore putaverunt; cædem illi civium, vos ſervitutem expetiſtis. His vos etiam crudeliores; huic enim populo ita fuerat ante vos coſſ. libertas inſita, ut emori potius quàm ſervire præſtaret.

IV. Illud vero [a] geminum conſiliis Catilinæ & Lentuli, quod

[a] *ſimillimum.*

rò, quia Calventius, maternus avus, Placentiæ præco fuerat. De Piſonis genere dictum eſt in Orat. pro Sext.

74. *Altero ad frontem.*] Hyperbolicè deſcribit Piſonis habitum ac deformitatem.

75. *Crudelitatem.*] Quaſi crudelis viſus eſſet Cicero, cùm conjuratos morte affecit.

Ib. *Ille homo.*] Clodius.

77. *Furcifer.*] Furciferi ſervi dicebantur à furcâ, quòd ob commiſſum aliquod facinus, furcam collo geſtarent. *Donatus.*

78. *Qui ſenatui parui.*] Nam Senatûs decreto morte condemnati fuerant illi conjurationis Catilinariæ ſocii.

Ib. *Nam delatio.*] Cicero conſul conjurationem à ſe detectam ſenatui tantùm detulit.

86. *Vos ſuſtuliſtis.*] Cùm ſenatuſconſultum factum eſſet, ut propter Ciceronem Senatus veſtum mutaret, conſules prohibuêre. Imò dixit Gabinius, *errare homines, ſi etiam Senatum aliquid in Republica poſſe arbitrarentur.* Pro Sext.

87. *Vos abrogaſtis.*] Abrogârunt leges Gabinius & Piſo, cùm Clodio non obſtitêre, qui rogatione ſuâ legem Æliam & Fufiam abrogabat.

89. *Vos ejus domum.*] Ciceronis domum incendit, qui detexit conſilium conjuratorum, qui urbem incendendam deſtinarant.

91. *De urbis incendio cogitaſſent.*] Volébant Catilinariæ conjurationis affines urbem incendere, ut in illâ urbis perturbatione Ciceronem conſulem interficerent, de quo interficiendo nunquam cogitaſſent, ſi Piſoni aut Gabinio in gerendo conſulatu par fuiſſet. Vide Salluſt. in Catil. bell.

92. *Sed bis ſtantibus.*] Non parietes ſignificat, ſed Patres conſcriptos; quaſi diceret, quamdiu tales Conſules & Senatores, quales iſti ſunt, permanebunt. [Sic mox: *Me ſtante & manente.* Hottom.]

93. *Illi.*] Conjurati.

1. *Illud verò geminum.*] Id eſt, effeciſſe aliquid ſimillimum ejus quòd Catilina & Lentulus effecere.

me.

ſne [b] domo mea expuliſtis, Cn. Pompeium domum ſuam compuliſtis; neque enim, me manente & ſtante in urbis vigiliâ, neque reſiſtente Cn. Pompeio omnium gentium victore, unquam ſe illi rempublicam delere poſſe duxerunt; à me quidem etiam pœnas expetiſtis, quibus conjuratorum Manes mortuorum [c] expiaretis: omne odium incluſum nefariis ſenſibus impiorum in me profudiſtis? quorum ego furori niſi ceſſiſſem, in Catilinæ buſto, vobis ducibus, mactatus eſſem. Quod autem majus indicium expectatis, nihil inter vos & Catilinam interfuiſſe, quàm quòd eandem illam manum ex intermortuis Catilinæ reliquiis concitaſtis? quòd omnes undique perditos collegiſtis? quòd in me carcerem effudiſtis? quòd conjuratos armaſtis? quòd eorum ferro ac furori meum corpus, atque omnium bonorum vitam objicere voluiſtis? Sed jam redeo ad præclaram illam concionem tuam. Tu es ille, cui crudelitas diſplicet? cui, cùm Senatus luctum ac dolorem ſuum veſtis mutatione declarandum cenſuiſſet, cùm videres mœrere rempublicam ampliſſimi ordinis luctu, ô noſter miſericors! quid facis? quod nullâ in barbariâ quiſquam tyrannus; omitto enim illud, conſulem edicere, ut Senatus ſenatuſconſulto ne obtemperet: quo fœdiùs nec fieri, nec cogitari quidquam poteſt; ad miſericordiam redeo ejus, cui nimis videtur Senatus in conſervandâ patriâ fuiſſe crudelis. Edicere eſt auſus cum illo ſuo pari, quem tamen omnibus vitiis ſuperare cupiebat, ut Senatus, contra quàm ipſe cenſuiſſet, ad veſtitum rediret. Quis hoc fe-

[b] *miſiſtis in exilium.* [c] *placaretis.*

2. *Cn. Pompeium.*] Domi ſe ſuæ continere Pompeius coactus eſt, quia deprehenſus fuerat ſervus Clodii cum ſicâ, ut Pompeium interficeret.

6. *Manes.*] Manes veteribus mortuorum animæ dicebantur. Feſtus autem ſcribit, manes deos ab Auguribus invocari, quòd ii per omnia ætheria terrenaque manare credebantur: item deos inferos atque ſuperos dici, quos ideò invocabant Augures, quòd hi exiſtimabantur vitæ hominum favere.

9. *Mactatus eſſem.*] Reſpicit ad antiquum morem, quando ad buſta mortuorum humanæ victimæ mactabantur.

12. *Carcerem effudiſtis.*] Ex ergaſtulis ſervi & ſcelerati homines educti ſunt, ut ſeditio concitaretur.

16. *Senatus luctum.*] Cùm lata fuiſſet lex à Clodio, ut Cicero abiret in exilium, reus Cicero, ut Plutarches ſcribit, veſtem mutavit, & ſordidatus populo ſupplicavit; cum Cicerone omnis primum ſerè equeſter ordo veſtem mutavit: eumque nobiliſſimi adoleſcentes numero ad viginti millia ſordidati deprecatores illius ſalutis, comitabantur. Deinde cùm Senatus frequens conveniſſet, ut veſtem tanquam in publico luctu mutandum cenſeret, idque conſules Piſo & Gabinius vetarent, & Clodius cum armis ad Curiam verſaretur, Senatores non pauci è Senatu, veſtibus diſciſſis, & clamore ſublato, ſe proripuerunt.

20. *Conſulem edicere.*] Abſente Piſone, cùm Senatus in æde Concordiæ haberetur, omnes boni, veſte mutatâ, ſe pro Ciceronis capite, ad pedes Gabinii projecerunt; quorum precibus ab illo repudiatis, L. Mummius ad Senatum de Republicâ retulit, ſenatuſque frequens veſtem pro Ciceronis ſalute mutandam cenſuit; ſed conſules edixerunt, ut ad ſuum veſtitum Senatores redirent.

23. *Suo pari.*] Piſone.

cit ullâ in Scythiâ tyrannus, ut eos, quos luctu afficeret, lugere non ſineret? mœrorem relinquis, mœroris aufers inſignia: eripis lacrymas, non conſolando, ſed minando. Quod ſi veſtem non publico conſilio, Patres conſcripti, ſed privato officio aut miſericordiâ mutaviſſent; tamen id iis non licere per [d] interdicta crudelitatis tuæ, poteſtatis erat non ferendæ. Cùm verò id Senatus frequens cenſuiſſet, ordines reliqui jam ante feciſſent? tu ex tenebricosâ popinâ conſul extractus, cum illâ ſaltatrice tonsâ Senatum populi Romani occaſum atque interitum reipublicæ lugere vetuiſti. At quærebat etiam paulò ante de me, quid ſuo mihi opus fuiſſet auxilio? cur non meis inimicis, meis copiis, reſtitiſſem? quaſi verò non modò ego, qui multis ſæpè auxilio fuiſſem, ſed quiſquam tam inops fuerit unquam, qui, iſto non modò propugnatore, tutiorem ſe, ſed advocato aut adſtipulatore paratiorem fore putaret. Ego iſtius pecudis ac putidæ carnis conſilio ſcilicet aut præſidio niti volebam? ab hoc ejecto cadavere quidquam mihi aut opis aut [e] ornamenti expectabam? Conſulem ego tùm requirebam: conſulem, inquam, non illum quidem, quem in hoc animali invenire non poſſem, qui tantam reipub. cauſam gravitate & conſilio ſuo tueretur: ſed qui, tanquam truncus atque ſtipes, ſi ſtetiſſet modò, poſſit ſuſtinere tamen titulum conſulatûs. Cùm enim eſſet omnis cauſa illa mea conſularis & ſenatoria, auxilio mihi opus fuerat & Conſulis, & Senatûs: quorum alterum etiam ad perniciem meam erat à vobis conſulibus converſum; alterum reipublicæ penitus ereptum. Ac

[d] *edicta.* [e] *gloriæ.*

26. *Scythiâ.*] Scythia provincia Aſiæ gemina fuit, cujus olim populi nullas urbes habuêre, nulla mœnia, domos ſuas ſecum ferentes, unde ab Horatio *profugi* dicuntur.

27. *Mœrorem relinquis.*] Summo dolore totam Rempublicam affecit Ciceronis exilium.

33. *Illâ ſaltatrice.* Gabinium in fœminino genere ſaltatricem appellat, propter mores ejus effœminatos. Saltatricem porrò vocat, quia poſt ejectum Ciceronem dicitur in convivio nudus ſaltaviſſe.

Ib. *Tonsâ.*] Tonſum eſſe ante paucos annos in deliciis haberi cœperat, cùm antea ad urbis conditæ annum quinquageſimum quartum ſuprà quadringenteſimum populus Rom. intonſus fuiſſet.

39. *Sed advocato.*] Aſconius, Verrin. I. advocatum in judicio dicit eum eſſe, qui vel jus ſuggerit, vel præſentiam ſuam amico commodat. Etenim moris erat in judiciis tùm privatis, tùm publicis, amicos omnes advocare, quorum auctoritate moveri judices putabantur.

Ib. *Adſtipulatore.*] Adſtipulator dicitur qui vadimonii teſtis adhibetur.

40. *Iſtius pecudis.*] De Piſone loquitur, à quo auxilium non petiit, quia propter ſtoliditatem nihil agere in Republicâ poterat.

41. *Ejecto cadavere.*] Proprie ejectum cadaver de eo dicitur, quod fluctibus agitatum ad terram ejicitur: vel de eo etiam cadavere, cui honos ſepulturæ non redditur, quod ſummè ignominioſum fuit apud veteres.

47. *Conſularis & Senatoria.*] Cicero fuerat Conſul, & tùm erat Senator.

50. *A Conſulibus converſum.*] Non potuit Cicero expectare auxilium à Conſulibus Piſone & Gabinio, quia ambo ſe Ciceronis inimicos declaraverant.

Ib. *Ereptum.*] Ab iiſdem Conſulibus tota

Ac tamen, si consilium exquiris meum, neque ego cessissem, & me ipsa suo complexu patria tenuisset, si mihi cum illo bustuario gladiatore, & tecum, & cum collegâ tuo decertandum fuisset. Alia enim causa præstantissimi viri Q. Metelli fuit: quem ego civem meo judicio cum deorum immortalium laude conjungo: qui C. illi Mario fortissimo viro, & cos. & sextùm Consuli, & ejus invictis legionibus, ne armis confligeret, cedendum esse duxit. Quod mihi igitur certamen esset hujusmodi? cum C. Mario scilicet, aut cum aliquo pari? an cum altero barbato Epicuro, cum altero Catilinæ laternario? quos neque hercule ego, neque supercilium tuum, neque collegæ tui cymbala ac crotala fugi: neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus ac fluctibus reipublicæ navem gubernassem, salvamque in portu collocâssem, frontis tuæ nubeculam, tum collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem; alios ego vidi ventos, alias prospexi animo procellas, aliis impendentibus tempestatibus non cessi, sed his unum me pro omnium salute obtuli. Itaque discessu tum meo omnes illi nefarii gladii de manibus crudelissimis exciderunt: cum quidem tu, ô vecors & amens, cum omnes boni abditi inclusique mœrerent, templa gemerent, tecta ipsa ur-

tota auctoritas Senatui erepta fuerat. Unde nihil ab eo auxilii sperare potuerat Cicero.

53. *Neque ego cessissem.*] Maluit Cicero cedere ei, & abire in exilium, quàm certando cum Consulibus Pisone & Gabinio, & Clodio tribunis-plebis, exponere seditionibus Rempublicam.

54. *Bustuario gladiatore.*] Clodium significat, qui, ut scribit Dio lib. 39. cùm lex ad populum de revocando Cicerone ferretur, acceptis à fratre Appio gladiatoribus, quos ille in funere Marci propinqui sui daturus erat, impetu in multitudinem facto, multos vulneravit, multosque occidit. Bustuarius porrò dicitur à busto, ubi scilicet mortuorum cadavera comburebantur.

56. *Alia enim causa.*] Reddit jam rationem quare noluerit Clodio resistere.

Ib. *Q. Metelli.*] Metellus maluit abire in exilium, quàm in Gracchorum leges jurare, cùm Apuleius Saturninus Mario Consule confisus, minatus est se interdicturum aquâ & igne, qui juramentum retractarent. Vide Plutarchum in Mario.

61. *Cum altero barbato Epicuro.*] Pisonem intelligit, qui Epicuri sectæ adhærebat. Barbatum verò vocat, quia Prisci illi Philosophi barbam alebant ad severitatis ostensionem. [Vide not. ad finem libri.]

62. *Catilinæ laternario.*] Gabinium denotat, qui comes Catilinæ nocturno tempore ibat ad stupra; unde Orat. 1. in Catil. sic ait de eo, *Cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum, aut ad libidinem facem prætulisti?* Alibi Gabinii virum Catilinam appellavit; videturque hîc e iam eandem obscœnitatem significare. Appellat igitur *Laternarium*, quòd ut heri pueros qui laternas gestant, à tergo sequuntur, sic Catilina Gabinio adolescenti quasi laternario perpetuò à tergo affixus esset.

63. *Cymbala.*] Cymbalum genus est instrumenti Musici ex ære, concavum illud, & quod ad saltandum pulsabatur, quo in deorum Matris sacris, & in bello Arabes utebantur.

Ib. *Crotala.*] Crotalum musicum instrumentum est, quod pulsum in sono vocem Ciconiæ imitatur, ipsa enim apud Ægyptios Crotalus appellatur.

64. *Maximis turbinibus.*] Per metaphoram intelligit Catilinæ conjurationem, quam extinxit.

66. *Contaminatum spiritum.*] Vult significare libidines obscœnas Gabinii.

71. *Cum omnes boni.*] Hyperbolicè crudelitatem Pisonis describit.

bis lugerent, complexus es illud funeſtum animal ex nefarii ſtupris, ex civili cruore, ex omnium ſcelerum importunitate & flagitiorum impunitate concretum: atque eodem in templo, eodem & loci veſtigio & temporis, arbitria non mei ſolùm, ſed patriæ funeris abſtuliſti.

V. Quid ego illorum dierum epulas, quid lætitiam & gratulationem tuam, quid cum tuis ſordidiſſimis gregibus intemperantiſſimas perpotationes prædicem? quis te illis diebus ſobrium, quis agentem aliquid quod eſſet libero dignum, quis denique in publico vidit? cum collegæ tui domus cantu & cymbalis perſonaret; cùmque ipſe nudus in convivio ſaltaret: in quo ne tùm quidem, cùm [a] illum ſuum ſaltatorium verſaret orbem, fortunæ rotam pertimeſcebat. Hic autem non tam concinnus helluo, nec tam muſicus, jacebat in ſuo Græcorum fœtore atque vino; quod quidem iſtius, in illis reipublicæ luctibus, quaſi aliquod Lapitharum, aut Centaurorum convivium ferebatur: in quo nemo poteſt dicere, utrum iſte plus biberit, an vomuerit, an effuderit. Tu etiam mentionem facies conſulatûs tui? aut te fuiſſe Romæ conſulem dicere audebis? quid? tu in lictoribus, in togâ & prætextâ eſſe conſulatum putas? quæ ornamenta etiam in Sex. Clodio, te Conſule, eſſe voluiſti; hujus tu Clodiani canis inſignibus conſulatum declarari putas? animo conſulem eſſe oportet, conſilio, fide, gravitate, vigilantiâ, curâ, toto denique munere conſulatûs, omni officio [tuendo, maximeque, id quod vis nominis præſcribit, reip. conſulendo.] Ego conſulem eſſe putem, qui Senatum eſſe in republica non putavit? & ſine eo conſilio conſulem numerem, ſine quo Romæ ne reges quidem eſſe potuerunt?

[a] *converteret ſe in orbem ſaltando.*

73. *Funeſtum animal.*] Clodium intelligit, qui inceſtum cum ſororibus commiſit, & mulieris habitu in operta bonæ Deæ ſtupri causâ ingreſſus eſt.

74. *Ex civili cruore.*] Clodii factionibus multi cives interfecti ſunt, cùm de exilio & reditu Ciceronis actum eſt.

75. *Eodem in templo.*] Caſtoris.

76. *Arbitria funeris*] Arbitria funeris dicebantur ea, quæ pro mercede Libitinariorum, & eorum omnium qui funera curabant, decernebantur.

2. *Sordidiſſimis gregibus.*] Videtur deſignare Epicureos, quibuſcum intemperantiſſimè Piſo vivebat.

8. *Hic autem.*] Piſo.

10. *Lapitharum.*] Lapithæ populi Theſſaliæ ſunt, qui Pindum & Othryn montes habitant.

11. *Centaurorum*] Centauri populi ſunt in Thraciâ, circa Pelion montem, qui primi equos domuêre: hi cùm in nuptiis Pirithoi vino pleni, ſponſam rapere conati eſſent, à Theſeo & Lapithis partim cæſi, partim fugati ſunt.

14. *Lictoribus.*] Affert magiſtratûs conſularis inſignia, quæ fuêre prætexta, ſella curulis eburnea, faſces ſecuribus ornati, qui duodecim ipſis præferebantur.

15. *Quæ ornamenta.*] Ornamenta conſularia Piſo permiſit Sexto Clodio, cùm ludos exhibere compitalities ei conceſſit. De his ludis dictum eſt.

16. *Clodiani canis.*] Intelligit Sextum Clodium, qui perpetuò fidus comes Publio Clodio in vexandâ Republicâ adhæſit.

22. *Ne reges quidem eſſe potuérunt.*] Romulus Senatum inſtituit, qui centum Senatoribus conflatus eſt, quos ſibi conſiliarios in adminiſtrando imperio cooptavit, ut lib. 1. ſcribit Livius.

Etenim

Etenim illa jam omitto: cùm ſervorum delectus haberetur in foro, arma in templum Caſtoris, & luce & palam comportarentur: id autem templum, ſublato aditu, revulſis gradibus, à conjuratorum reliquiis, atque à Catilinæ prævaricatore quondam, tùm ultore, armis teneretur; cùm equites Romani relegarentur, viri boni lapidibus è foro pellerentur; Senatui non ſolùm juvare rempublicam, ſed ne lugere quidem liceret: cùm civis is quem hic ordo, aſſentiente Italâi, cunctiſque gentibus conſervatorem patriæ judicaret, nullo judicio, nullâ lege, nullo more, ſervitio atque armis, pelleretur, non dicam auxilio veſtro, quod verè licet dicere, ſed certè ſilentio: tum Romæ fuiſſe conſules quiſquam exiſtimabit? Qui latrones igitur, ſi quidem vos conſules? qui prædones, qui hoſtes, qui proditores, qui tyranni nominabuntur? Magnum nomen eſt, magna ſpecies, magna dignitas, magna majeſtas conſulis; non capiunt anguſtiæ pectoris tui, non recipit levitas iſta, non egeſtas animi: non infirmitas ingenii ſuſtinet, non [b] inſolentiâ rerum ſecundarum tantam perſonam, tam gravem, tam ſeveram. Seplaſia, mehercule, ut dici audiebam, te ut primùm aſpexit, Campanum conſulem repudiavit. Audierat Decios Magios, & de Taureâ illo Jubellio aliquid acceperat: in quibus ſi moderatio illa, quæ in noſtris ſolet eſſe conſulibus, non fuit; at fuit pompa, fuit ſpecies, fuit inceſſus, ſaltem Seplaſia dignus & Capua. Gabinium denique ſi vidiſſent duumvirum veſtri illi unguentarii, [c] citius agnoviſſent; erant illi compti capilli, &

[b] *novitas.* [c] *vidiſſent lubentius.*

23. *Servorum delectus.*] Non fas fuit ad arma ferenda ſervos colligere.

26. *Prævaricatore.*] Prævaricator dicitur qui diverſam partem adjuvat, ſuâ causâ proditâ. Talis autem fuit Clodius, cùm Catilinam accuſare repetundarum ſimulavit; qui, corruptis ab eodem Clodio judicibus, abſolutus eſt, ut Plutarchus & Aſconius Pedianus referunt.

27. *Equites Rom. relegarentur.*] Elate hoc dicit; nam ſolus Lamia princeps equeſtris ordinis relegatus eſt à Gabinio, cùm pro Cicerone intercedere voluit.

31. *Nullâ lege, nullo more.*] Mos Majorum legis vim obtinebat; vide Orat. pro Sext.

34. *Qui prædones.*] Propriè prædones dicuntur, qui cùm bellum non indixerint, tamen hoſtiliter graſſantur.

40. *Seplaſia.*] Seplaſia platea fuit five vicus Capuæ, ubi unguentarii negotiabantur.

41. *Campanum conſulem.*] Cùm Cæſar conſul coloniam Capuam deduxiſſet, Duumviros ei Piſonem ſocerum, & Pomponeium generum præfecit. Sibi autem Piſo conſulis nomen arrogavit; ſenſus igitur eſt, ſtatim atque te Duumvirum aſpexit Seplaſia, te incultum ac ſordidum, atque hoc quaſi indignum munere aſpernata eſt.

Ib. *Decios Magios.*] Exempla confert eorum qui olim Capuæ magnâ tum ingenii, tum rerum geſtarum gloriâ floruerunt. Decius ille Magius à Velleio, lib. 2. Princeps Campaniæ nominatur.

42. *Taureâ illo Jubellio.*] Taureas Jubellius vir inter Campanos fortiſſimus fuit, qui ſingulari certamine Aſellium Romanum ſuperavit.

madentes cincinnorum fimbriæ, & fluentes ceruſſatæque buccæ, dignæ Capuâ, ſed illâ vetere; nam hæc quidem, quæ nunc eſt, ſplendidiſſimorum hominum, fortiſſimorum virorum, optimorum civium, mihique amiciſſimorum multitudine redundat: quorum Capuæ te prætextatum nemo aſpexit, qui non gemeret deſiderio mei: cujus conſilio, cum univerſam rempublicam, tum illam ipſam urbem meminerant eſſe ſervatam; me inauratâ ſtatuâ donarant: me patronum unum adſciverant: à me ſe habere vitam, fortunas, liberos arbitrabantur: me & præſentem contra latrocinium tuum ſuis decretis legatiſque defenderunt, & abſentem, principe Cn. Pompeio referente, & de corpore reipub. tuorum ſcelerum tela revellente, revocârunt. An tu eras Conſul, cùm in Palatio mea domus ardebat, non caſu aliquo, ſed ignibus injectis, inſtigante te? Ecquod in hâc urbe majus unquam incendium fuit, cui non Conſul ſubvenerit? At tu illo ipſo tempore apud ſocrum tuam prope à meis ædibus, cujus domum ad meam exhauriendam patefeceras, ſedebas, non extinctor, ſed auctor incendii; & ardentes faces furiis Clodianis penè ipſe Conſul miniſtrabas. An verò reliquo tempore Conſulem te

47. *Madentes cincinnorum fimbriæ.*] Gabinius gerebat capillos vibratos in cincinnos & velut fimbrias promiſſos, unguentis delibutos. Per unguenta verò intelligit liquores pretioſos, & odoratos, quibus caput ad faſtum delicatuli aſpergebant.

Ib. *Fluentes buccæ.*] Fluebant buccæ Gabinii, fortaſſe propter balbutiem quam affectabat venuſtatis causâ; nam, ut ait Ovid. 3. de Arte Amandi:

In vitio decor eſt, quædam melè reddere verba:
Diſcunt poſſe minùs quàm potuere loqui.

Ib. *Ceruſſatæ.*] Ceruſſatæ, id eſt, tinctæ ceruſſa. Porro ceruſſa fuit genus quoddam pigmenti, quo ſe, ad candorem ſibi adhibendum, illinibant.

48. *Sed illâ vetere.*] Capuæ olim luxus & ſuperbia longè potentiùs dominabantur, quàm iſtis Ciceronis temporibus.

51. *Prætextatum.*] Duumviri illi Magiſtratus apud Capuanos jus habebant prætextæ.

52. *Deſiderio mei.*] Ciceronem optabant Duumvirum Campani, non Piſonem.

53. *Inauratâ ſtatuâ.*] Campani inauratâ ſtatuâ Ciceronem donaverunt, propter aliquod haud dubiè beneficium, quod ab illo acceperant; ſed quale illud fuerit nuſquam reperitur.

54. *Patronum.*] Ex Romuli inſtitutò, permiſſum eſt plebeiis ex patriciis ſibi aſſumere quos vellent, qui ipſorum cauſam ſuſciperent: ex quo illi quidem patroni, hi verò clientes dicebantur. Hoc idem jus poſtea ad civitates tanſmiſſum eſt, quibus liberum fuit ſibi patronos Romæ adſciſcere, qui eas defenderent.

55. *Et præſentem.*] Cenſet Abrahamus veniſſe Capuam Ciceronem, cùm abiret in exiſlium, & communi totius civitatis voce Romam legatos miſſos eſſe, qui pro eo deprecarentur.

56. *Abſentem.*] Cùm Cicero ab Capuanis profectus fuiſſet in exilium, Pompeius, qui tunc duumvir erat apud illos, de Cicerone in eorum Senatu retulit.

58. *Tuorum ſcelere tela.*] Metaphora ſumpta à vulneribus, quaſi grave aliquod vulnus inflictum fuiſſet Reipublicæ à Piſone, cùm abire in exilium Ciceronem permiſit.

62. *Apud ſocrum tuam.*] Quæ fuerit illa, ignoratur, quia auctores Romani vix in familiis fœminarum nomina appellarunt.

64. *Furiis Clodianis.*] Intelligit viros ſeditioſos, qui à Clodio concitati ſunt.

quiſquam

quiſquam duxit? quiſquam tibi paruit? quiſquam in curiam venienti adſurrexit? quiſquam conſulenti reſpondendum putavit? numerandus eſt ille annus denique in republica, cùm obmutuiſſet Senatus, Judicia conticuiſſent, mœrerent boni, vis latrocinii veſtri totâ urbe volitaret, neque civis unus ex civitate, ſed ipſa civitas tuo & Gabinii ſceleri furorique ceſſiſſet? At ne tum quidem emerſiſti, lutulente Cæſonine, ex miſerrimis naturæ tuæ ſordibus; cùm experrecta tandem virtus clariſſimi viri, celeriter & verum amicum, & optimè meritum civem, & ſuum priſtinum morem requiſivit: neque eſt ille vir paſſus, in eâ republicâ, quam ipſe decorârat atque auxerat, diutiùs veſtrorum ſcelerum peſtem morari: cùm tamen ille, qualiſcunque eſt, qui eſt ab uno te improbitate victus, Gabinius, collegit ipſe ſe vix, ſed collegit tamen: & contra ſuum Clodium primùm ſimulatè, deinde non libenter; ad extremum tamen pro Cn. Pompeio vere vehementerque pugnavit. Quo quidem in ſpectaculo mira populi Romani æquitas erat: uter eorum periſſet, tanquam laniſta, in ejuſmodi pari, lucrum fieri putabat: immortalem verò quæſtum, ſi uterque cecidiſſet. Sed ille tamen agebat aliquid: tuebatur auctoritatem ſummi viri: erat ipſe ſceleratus, erat gladiator: cum ſcelerato tamen, & cum pari gladiatore pugnabat. Tu ſcilicet homo religioſus & ſanctus, fœdus, quod meo ſanguine in pactione provinciarum iceras, frangere noluiſti; caverat enim ſibi ille ſororius adulter, ut, ſi tibi provinciam, ſi exercitum, ſi pecuniam ereptam ex reipublicæ viſceribus dediſſet, omnium ſuo-

67. *Venienti adſurrexit.*] Venientibus conſulibus, equo obvii equites deſcendebant, caput detegebant, de viâ cedebant, aſſurgebant, minores Magiſtratus faſces ſubmittebant.

73. *Clariſſimi viri.*] De Pompeio loquitur, qui viſus primùm fuerat Ciceronem deſeruiſſe, cum à Clodianis oppreſſus eſt: ſed, qui facti pœnitens, de illius reditu, amicorum adjutus operâ egit, ut Plutarchus ſcribit.

74. *Verum amicum.*] Cicero Pompeio ſemper ſtuduerat.

80. *Ad extremum.*] Scribit Dio Hb. 38. Tigranem juniorem, qui in vinculis apud Lucium Flavium tenebatur, à Clodio pecuniâ corrupto emiſſum fuiſſe. Quod cum Pompeius & Gabinius moleſtè ferrent, Clodius eos conviciis affecit; immo, quos ſecum comites habebant, vulneribus affecit, conſulia faſces fregit, & ejus bona conſecravit: iratus Pompeius, de revocando Cicerone cogitavit, referente ad populum Mummio tribuno plebis.

81. *Laniſta.*] Laniſta dicebatur qui gladiatores ad mutuam lanienam inſtituebat. Vult igitur ſignificare Cicero, populo Romano non interfuiſſe, ſive Clodius, ſive Gabinius illâ defenſione periiſſet, cum par lucrum ex unius morte, & ex utriuſque quæſtum immortalem conſecutus eſſet. Alludit autem ad Laniſtas, qui lucrum ſe facere putant, cum ex duobus gladiatoribus alter occiditur, quia ejus alendi & docendi munere liberantur.

84. *Sed ille tamen.*] Id eſt, Gabinius.

85. *Summi viri.*] Pompeii.

86. *Homo religioſus.*] Ironia.

87. *In pactione provinciarum.*] Clodius, ut ſæpe dictum eſt, pollicitus fuerat, ſe Piſoni Macedoniam provinciam & Gabinio Syriam daturum, ſi à ſe ejici in exilium Ciceronem paterentur.

89. *Sororius adulter.*] Clodius cum ſorore inceſtum commiſerat.

90. *Ex reipub. viſceribus.*] Ærarium publicum intelligit, unde pecuniam Clodius extraxit.

rum ſcelerum ſocium te, adjutoremque præberes; itaque in illo tumultu fracti faſces, ictus ipſe: quotidie tela, lapides, fugæ: deprehenſus denique cum ferro ad Senatum is, quem ad Cn. Pompeium interimendum collocatum fuiſſe conſtabat. Et quis audivit non modò actionem aliquam, aut relationem, ſed vocem omnino, aut querelam tuam? conſulem tu te fuiſſe putas, cujus in imperio, qui rempublicam Senatûs auctoritate ſervàrat, idemque in Italia, qui omnes omnium gentium partes tribus triumphis devinxerat, is ſe in publico tutò ſtatuit eſſe non poſſe? An tum eratis conſules, cùm quacunque de re verbum facere cœperatis, aut referre ad Senatum, cunctus ordo reclamabat, oſtendebatque nihil eſſe vos acturos, niſi prius de me retuliſſetis? cùm vos, quanquam fœdere obſtricti tenebamini, tamen cupere vos diceretis, ſed lege impediri? quæ lex privatis hominibus eſſe lex non videbatur, inuſta per ſervos, inciſa per vim, impoſita per latrocinium, ſublato Senatu, pulſis è foro bonis, captâ republicâ, contra omnes leges, nullo ſcripta more: hanc qui ſe metuere dicerent, conſules, non dicam animi hominum, ſed faſti ulli ferre poſſunt? Nam ſi illam legem non putabatis, quæ erat contra omnes leges, indemnati civis, atque integri capitis, bonorumque tribunitia proſcriptio; hâc tamen obſtricti pactione tenebamini: quis vos non modò conſules, ſed liberos fuiſſe putet, quorum mens fuerit oppreſſa præmio, lingua adſtricta mercede? ſin illam vos ſoli legem putabatis, quiſquam vos conſules tunc fuiſſe, aut nunc eſſe conſulares putet, qui ejus civitatis, in quâ in principum numero vultis eſſe, non leges, non inſtituta, non mores, non jura noritis?

92. *Fracti faſces.*] Vide ſuperius, not. ad l. 80.

Ib. *Ictus ipſe.*] Gabinius.

93. *Deprehenſus cum ferro.*] Servus Clodii ad interficiendum Pompeium.

98. *Omnes omnium gentium partes.*] Pompeius 1. Ex Africâ. 2. Ex Europâ. 3. Ex Aſiâ triumphavit. Vide Plinium. lib. 8. cap. 16.

103. *Fœdere obſtricti.*] Privatâ pactione tenebantur obſtricti Conſules Clodio favere pro Cicerone ejiciendo.

107. *Nullo ſcripta more.*] Moris erat ut lex, quam ferri volebant tribuni, per trinundinum ſcripta populo proponeretur.

110. *Integri capitis.*] Integrum caput in jure dicitur, quod diminutum non eſt; diminutus autem quis capite dicitur, cùm ordine ac jure ſibi proprio movetur, in quo caput, ſive numerum obtinebat.

111. *Obſtricti pactione.*] Macedoniam provinciam Piſoni, Syriam Gabinio, Clodius promiſerat, ſi Cicero ejiceretur.

SECUNDA

SECUNDA PARS.

Piſo neſarie provinciam ſuam adminiſtravit.

VI. An, cùm proficiſcebamini paludati in provincias vel emptas, vel ereptas, conſules vos quiſquam putavit? Itaque credo, ſi minùs frequentiâ ſuâ veſtrum egreſſum ornando, atque [a] celebrando; at ominibus ſaltem bonis ut conſules, non triſtiſſimis, ut hoſtes, aut proditores proſequebantur. Tu ne etiam immaniſſimum ac fœdiſſimum monſtrum, auſus es meum diſceſſum illum, teſtem ſceleris & crudelitatis tuæ, maledicti & contumeliæ loco ponere? Quo quidem tempore cepi, P. C. fructum immortalem veſtri in me & amoris, & [b] judicii; qui non admurmuratione, ſed voce & clamore, abjecti hominis & ſemivivi furorem petulantiamque fregiſtis. Tu luctum Senatûs, tu deſiderium equeſtris ordinis, tu ſqualorem Italiæ, tu curiæ taciturnitatem annuam, tu ſilentium perpetuum judiciorum ac fori, tu cætera illa in maledicti loco pones, quæ meus diſceſſus reipublicæ vulnera inflixit? qui ſi calamitoſiſſimus fuiſſet, tamen miſericordiâ dignior, quàm contumeliâ; & cum gloriâ

[a] *frequentando atque honeſtando.* [b] *æſtimationis.*

1. *Paludati.*] Cum qui mittebantur in provinciam Senatuſconſulto, atque in eâ imperium lege obtinuerant, tum verò aut ſponte ſuâ, aut Senatuſconſulto paludati exibant, nuncupatis prius votis in Capitolio pro Repub. Tum paludamento, lictoribus, inſignibuſque imperii cæteris aſſumptis, recto itinere ibant ad urbis portam, ad quam veteri inſtituto ſalutati, inde continuò amicis officii causâ aliquanto viæ ſpatio proſequentibus, ac bene ominantibus in provinciam ita ingrediebantur. Paludamentum autem veſtis imperatoria fuit, cocco, purpura, & auro diſtincta, quâ Conſules, & Prætores in provinciam exeuntes amicti fuere. Vide Varronem lib. 6. de linguâ Latinâ.

1b. *Vel emptas.*] Suas provincias Piſo & Gabinius a Clodio emerant, eâ conditione, ut eum in perdendo Cicerone adjuvarent.

2. *Vel ereptas.*] Ereptæ ſunt Senatui illæ provinciæ, quia non tam Senatûs auctoritate (ad quem pertinebat provincias dare) quàm improbitate Clodii illis Conſulibus decretæ ſunt.

4. *Ominibus bonis.*] Exeuntibus in provincias Conſulibus fauſta omnia cives & amici precabantur. At tantum abfuit, ut populus fauſtis precationibus quaſi bonos Conſules, ut velut hoſtes & Reip. proditores execrationibus eos proſequeretur.

9. *Admurmuratione.*] Admurmuratione, id eſt, tacito murmure, quòd inter audientes ſic excitatur, ut inde quid approbent, quid improbent, liceat conjicere.

11. *Luctum Senatus.*] Senatus veſtem mutandam pro exilio Ciceronis cenſuit, ut fit in luctu.

12. *Deſiderium equeſtris ordinis.*] Totus fere equeſter ordo cum Cicerone veſtem mutavit.

1b. *Curiæ taciturnitatem.*] Placuit Senatui, nihil in Repub. decernere, nullâ de re agere, niſi Cicero ab exilio revocaretur.

14. *Cætera illa, &c.*] Id eſt, cætera illa vulnera, quæ meus diſceſſus, &c ſunt enim illa omnia Reipub. quidem vulnera, quæ diſceſſus Ciceronis impoſuit, ſed agente & feriente Piſone Conſule. Sic interpretatur Hottomannus.

potiùs esse conjunctus, quàm cum probo putaretur: atque ille, dolor meus duntaxat, vestrum quidem scelus ac dedecus haberetur. Cùm verò (forsitan hoc quod dicturus sum, mirabile auditu esse videatur; sed certè id dicam, quod sentio) cùm tantis â vobis, P. C. beneficiis affectus sim, tantis honoribus; non modò illam calamitatem esse non duco: sed, si quid mihi potest à repub. esse sejunctum, quod vix potest, privatim ad meum nomen augendum, optandam duco mihi fuisse illam expetendamque fortunam. Atque ut tuum lætissimum diem cum tristissimo meo conferam, utrum tandem bono viro & sapienti optabiliùs putas, sic exire è patriâ, ut omnes sui cives salutem, incolumitatem, reditum precentur, quod mihi accidit: an, quod tibi proficiscenti evenit, ut omnes execrarentur, malè precarentur, unam tibi illam viam, & perpetuam esse vellent? mihi, medius fidiùs, in tanto omnium mortalium odio, justo præsertim & debito, quævis fuga, quàm ulla provincia esset optatior. Sed perge porrò: nam si illud meum turbulentissimum tempus profectionis tuo tranquillissimo præstat, quid conferam reliqua, quæ in te dedecoris plena fuerunt, in me dignitatis? Me Kalendis Januar. qui dies, post obitum occasumque nostrum, reipublicæ primus illuxit, frequentissimus Senatus, concursu Italiæ, referente clarissimo atque fortissimo viro P. Lentulo, consentiente populo Romano, atque unâ voce revocavit; me idem Senatus exteris nationibus, me legatis magistratibusque nostris auctoritate suâ, consularibus literis, non, ut tu insuper dicere ausus es, orbatum patriâ, sed ut Senatus illo ipso tempore appellavit, civem conservatorem reipublicæ commendavit; ad meam unius salutem Senatus auxilium omnium civium cunctâ ex Italiâ, qui rempub. salvam esse vellent, Consulis voce & literis implorandum putavit; mei capitis servandi causâ Romam uno tempore, quasi signo dato, Italia tota convenit; de meâ salute, P. Lentuli, præstantissimi viri, atque optimi Consulis Cn. Pompeii, clarissimi atque invictissimi civis, cæterorumque principum civitatis, celeberrimæ & gratissimæ conciones fuerunt; de me Senatus ita decrevit,

30. *Medius fidius.*] Vide Orat. pro Milone parag. xvii. not. ad l. 8. de eâ voce plura.

35. *Kalendis Jan.*] P. Lentulus simul ac de solenni religione retulit, nihil humanarum rerum sibi prius, quàm de Cicerone agendum judicavit.

36. *Frequentissimus Senatus.*] Adfuerunt in Capitolio quadringenti & decem Senatores, qui Ciceronem revocandum censuerunt.

39. *Exteris nationibus.*] Plutarchus in Ciceronе refert scripsisse Senatum ut exteræ civitates laudarentur, quæ Ciceronem exceperant.

46. *Quasi signo dato.*] Respicere videtur ad populi Romani morem, qui in maximis Reipub. motibus vexilla è Capitolio proferebat, quorum altero purpureo pedites, altero cæruleo equites, ex agris locisque finitimis convocabantur.

47. *Italia tota convenit.*] Decrevit Senatus, ut iis, qui ex totâ Italiâ salutis M. Tullii causâ convenerant, gratiæ agerentur.

Cn. Pom-

En. Pompeio auctore & ejus ſententiæ principe, UT, SI QUIS IMPEDISSET REDITUM MEUM, IN HOSTIUM NUMERO PUTARETUR: iiſque verbis ea de me Senatus auctoritas declarata eſt, ut nemini ſit triumphus honorificentiùs, quàm mihi ſalus reſtitutioque [c] perſcripta. De me, cùm omnes magiſtratus promulgaſſent, præter unum Prætorem, à quo [d] non fuit poſtulandum, fratrem inimici mei, præterque duos de lapide emptos tribunos-plebis, legem comitiis centuriatis tulit P. Lentulus Conſul de collegæ Q. Metelli ſententiâ: quem mecum eadem reſpublica, quæ in tribunatu ejus disjunxerat, in conſulatu virtute optimi ac juſtiſſimi viri, ſapientiâque conjunxit. Quæ lex quemadmodum accepta ſit, quid me attinet dicere? ex vobis audio, nemini civi ullam, quo minùs adeſſet, ſatis juſtam excuſationem eſſe viſam: nullis comitiis unquam, neque multitudinem hominum tantam, neque ſplendidiorem fuiſſe; hoc certè video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos diribitores, vos cuſtodes fuiſſe tabularum: &, quod in honoribus veſtrorum propinquorum non facitis, vel ætatis excuſatio-

[c] *decreta.* [d] *nihil fuit ſperandum.*

51. *Sententiæ principe.*] Princeps ſententiæ dicitur, qui primus eam aperuit, quam pars maxima reliquorum ſequitur. Cenſuit verò Pompeius Ciceronem tum Senatûs, tum populi auctoritate revocandum eſſe.

55. *Omnes Magiſtratus promulgaſſent.*] Promulgare aliud nihil eſt, quàm legem per trinundinum publicè legendam populo proponere; tantùm autem ad Prætores & Tribunos legem promulgare pertinuit.

56. *Unum Prætorem.*] Appium Clodium fratrem Pub. Clodii.

57. *Prætorque duos.*] Sextum Attilium Serranum, & Num. Quinctium.

Ib. *De lapide emptos.*] Id eſt, corruptos pecuniâ: alludit autem ad illos præcones, qui in lapide ſtantes, auctiones proclamabant, vel ad illos ſervos venalitios, qui in illo lapide inſidebant.

58. *Comitiis centuriatis.*] Comitia centuriata dicebantur, in quibus populus in centum turmas diviſus ex cenſus & ætate ſuffragium ferebat.

59. *Q. Metelli.*] Metellus ille affinis Clodio, cum tribunus eſſet, legem tulit de revocando in Italiam Pompeio cum exercitu, ſed huic obſtitit Cicero Conſul. Inde ſortæ inimicitiæ.

61. *Virtute optimi.*] Publius Servilius Metellum cum Cicerone adhuc exulante reconciliavit.

62. *Quæ lex.*] Lex de ſuo reditu, quam tulit P. Lentulus; de ea fusè dictum eſt in Oratione pro Sextio.

Ib. *Quid me attinet dicere.*] Certiùs de iis quæ pro eo revocando facta ſunt, dici ab aliis, quàm ab eo poteſt, cùm abſens excuſaret.

64. *Nullis comitiis unquam.*] Ex oratione pro domo ſuâ conſtat, *Nullis unquam comitiis campum Martium tanta celebritate, tanto ſplendore omnis generis hominum, ætatum, ordinum floruiſſe.*

66. *Tabulæ publicæ.*] Referebantur in tabulas quæcunque geſta eſſent in comitiis; eæque tanquam publicæ fidei inſtrumenta aſſervabantur.

Ib. *Vos rogatores.*] Rogatores appellat, qui Ciceronis reditum populum rogaverunt.

Ib. *Diribitores.*] Diribitores dicuntur, qui tabellas ſuffragiorum populo per centurias diviſo diſtribuunt.

67. *Cuſtodes.*] Cuſtodes ſeu obſervatores illi ſunt, qui actiones notant, animadvertunt, quaſque ſpeculantur, ne quid fraudis admittatur in ſuffragiorum diſtributione.

ne, vel honoris, id in ſalute meâ, nullo rogante, vos veſtrâ ſponte feciſtis.

VII. Confer nunc, Epicure noſter, ex harâ productè, non ex ſcholâ, confer, ſi audes, abſentiam tuam cum meâ. Obtinuiſti provinciam conſularem finibus iis, quos lex cupiditatis tuæ, non quos lex generi tui pepigerat; nam lege Cæſaris juſtiſſimâ atque optimâ, populi liberi, planè & verè erant liberi: lege autem eâ, quam nemo legem, præter te & collegam tuum, putavit, omnis erat tibi Achaia, Theſſalia, Athenæ, cuncta Græcia addicta; habebas exercitum tantum, quantum tibi non Senatus, aut populus Romanus dederat, ſed quantum tua libido conſcripſerat; ærarium exhauſeras. Quas res geſſiſti imperio, exercitu, provinciâ conſulari? quas res geſſerit, quæro? qui ut venit ſtatim, nondum commemoro rapinas, nondum exactas pecunias, non captas, non imperatas, non neces ſociorum, non cædem hoſpitum, non perfidiam, non immanitatem, non ſcelera prædico: mox, ſi vivo, debitur, ut cum fure, ut cum ſacrilego, ut cum ſicario diſputabo: nunc meam ſpoliatam fortunam conferam cum florente fortunâ imperatoris; quis unquam provinciam cum exercitu obtinuit, qui nullas ad Senatum literas miſerit? tantam vero provinciam cum tanto exercitu, Macedoniam præſertim, quam tantæ barbarorum gentes attingunt, ut ſemper Macedonicis imperatoribus iidem fines provinciæ fuerint, qui gladiorum atque pilorum:

1. *Confer nunc.*] Nunc ſuum exilium cum Piſonis abſentiâ confert.

Ib. *Ex harâ productè.*] Ex harâ productum, proverbiali figurâ dicitur, Eraſmo teſte, ſi quid indoctum notatur. *Hara* porro ſtabulum porcorum eſt.

3. *Provinciam.*] Conſularis provincia dicebatur, quæ Conſulibus decernebatur, qualis tum fuit Macedonia.

4. *Generi tui.*] Piſonis Cæſar gener fuit; nam filiam ejus Calpurniam uxorem acceperat.

5. *Populi liberi.*] Tulit C. Julius Cæſar Conſul cum Bibulo anno urbis conditæ 693. ut Achaia, Theſſalia, cuncta Græcia liberæ eſſent, neque Magiſtratibus populi Romani jus dicere liceret.

Ib. *Lege autem eâ.*] Tulit legem Clodius Tribunus plebis, ut Gabinio Syria, Babylon Perſæ; Piſoni Macedonia, Achaia, Theſſalia, Græcia omniſque Bœotia Proconſulari imperio mandarentur; iiſque cum exercitu in eas provincias ituris pecunia ex ærario attribueretur.

10. *Imperio.*] Imperium jus fuit habendi exercitum, gerendi bellum, & totam rem bellicam adminiſtrandi, ut teſtatur Sigonius lib. 2. de antiquo jure provinc. cap. 6.

13. *Non neces ſociorum.*] Rabocentum, principem Belliçæ gentis, trecentis talentis Piſo Regi Cotto cum aliis legatis venditum ſecuri percuſſit; de hoc inferiùs.

Ib. *Cædem hoſpitum.*] Platorem ſuum hoſpitem apertis venis mori imperavit.

17. *Imperatoris.*] Piſonem ironicè imperatorem nominat.

20. *Barbarorum gentes attingunt.*] Macedoniam à Septentrione Thraces finitimam habent, qui, teſte Herodoto, poſt Indos numeroſiſſimi ſunt populi & Thucydide longè cædibus omnium deditiſſimi.

21. *Qui gladiorum atque pilorum.*] Vult indicare, quod Macedonia, ab eo tempore, quo in eam Romani imperatores miſſi ſunt, non aliis limitibus, quam eorum armis circumſcripta fuit.

Ib. *Pilorum.*] Pilum genus quoddam armorum fuit, quod ut haſtile, ad medium uſque quadratum erat, & quod ferro quadrato præfigebatur. Vide Lipſ. lib. de Milit. Rom.

ex quâ aliquot prætorio imperio, consulari quidem nemo rediit, qui [a] incolumis fuerit, qui non triumpharit? est hoc novum: multo illud magis; appellatus est hic vulturius illius provinciæ (si diis placet) Imperator; ne tum quidem, Paulle noster, tabulas Romam cum laureâ mittere audebas? misi, inquit; quis unquam recitavit? quis, ut recitarentur, postulavit? nihil enim mea jam refert, utrum tu, conscientiâ oppressus scelerum tuorum, nihil unquam ausus sis scribere ad eum ordinem, quem despexeras, quem afflixeras, quem deleveras: an amici tui tabulas abdiderint, iidemque silentio suo temeritatem atque audaciam tuam condemnarint. Atque haud scio, an malim te videri nullo pudore fuisse in literis mittendis, [an] amicos tuos plus habuisse & pudoris & consilii, quàm aut te videri pudentiorem fuisse, quàm soles, aut tuum factum non esse condemnatum judicio amicorum. Quod si non tuis nefariis in hunc ordinem contumeliis in perpetuum [b] tibi curiam præclusisses; quid tandem erat actum, aut gestum in illâ provinciâ, de quo ad Senatum cum gratulatione aliquâ scribi abs te oporteret? vexatio Macedoniæ? an oppidorum turpis amissio? an sociorum direptio? an agrorum depopulatio? an munitio Thessalonicæ? an obsessio militaris viæ? an exercitûs nostri interitus, ferro, fame, frigore, pestilentiâ? Tu vero, qui ad Senatum nihil scripseris, ut in urbe nequior inventus es, quàm Gabinius, sic in provinciâ paulò tamen quàm ille demissior; nam ille gurges atque helluo, natus abdomini suo, non laudi atque gloriæ, cùm equites Rom. in provinciâ, cùm publicanos nobiscum & voluntate & dignitate conjunctos, omnes fortunis, multos famâ vitâque privasset; cùm egisset aliud nihil illo exercitu,

[a] *illæsa dignitate.* [b] *alienasses à te Senatum.*

24. *Vulturius.*] Vulturium Cicero Pisonem invidioso vocabulo nominat, quasi rapacem, & illius provinciæ direptorem, sumpta à vulture metaphora ave rapacissimâ.

25. *Si dis placet.*] Ironia.

Ib. *Paulle noster.*] L. Paullus de Macedoniâ triumphavit, iterum Consul anno urbis conditæ 585. qui literas laureatas seu lauro involutas miserat ad Senatum.

29. *Ad eum ordinem.*] Ad Senatum.

30. *Tabulas abdiderint.*] Mittebantur ad amicos literæ quas tum vel abdebant, si ita visum esset, aut perferebant ad Senatum, ubi legebantur.

32. *Atque haud scio, an malim.*] Sic hujus orationis sensus dilemmate explicatur, literæ tuæ vel sunt missæ, vel non missæ: si missæ sunt, multos eas damnavisse oportuit: si non sunt missæ in causâ fuit scelerum tuorum conscientia. Ejusdem igitur sceleris est, aut imprudentem te in literis mittendis fuisse, aut pudentem in supprimendis.

41. *Thessalonicæ.*] Vide orat. de provinciis cons.

45. *Natus abdomini suo.*] Nati abdomini dicuntur, qui voluptatibus irretiti sese in omnem libidinem effundunt.

46. *Publicanos.*] Publicani dicebantur qui præsenti pecuniâ vectigalia populi Rom. à Censoribus redimebant, ut postea suis commodis servirent. Hi erant ex equestri ordine; vide Orat. pro lege Manil. parag. 2. not. ad l. 5.

Ib. *Nobiscum & voluntate & dignitate conjunctos.*] Cicero Consul Publicanos, qui omnes ex equitibus assumebantur, cum Senatoribus dissentientes conciliavit.

niſi ut urbes depopularetur, agros vaſtaret, exhauriret domos? auſus eſt (quid enim ille non auderet?) à Senatu ſupplicationem per literas poſtulare. O dii immortales! tune etiam, atque adeo vos, geminæ voragines ſcopulique reipublicæ, vos meam fortunam deprimitis? veſtram extollitis? cùm de me ea ſenatuſconſulta abſente facta ſint, eæ conciones habitæ, is motus fuerit municipiorum, & coloniarum omnium, ea decreta publicanorum, ea collegiorum, ea denique generum ordinumque omnium, quæ ego non modò optare nunquam auderem, ſed cogitare non poſſem; vos autem ſempiternas fœdiſſimæ turpitudinis notas ſubieritis. An ego, ſi te & Gabinium cruci ſuffixos viderem, majore afficerer lætitiâ ex corporis veſtri laceratione, quàm afficior ex famæ? nullum eſt ſupplicium putandum, quo affici caſu aliquo etiam boni viri forteſque poſſunt. Atque hoc quidem etiam iſti tui dicunt voluptarii Græci: quos utinam ita audires, ut erant audiendi: nunquam te in tot flagitia ingurgitâſſes; verùm audis in præſepibus, audis in ſtupris, audis in cibo & vino; ſed dicunt ipſi, qui malâ dolore, bona voluptate definiunt, ſapientem, etiam ſi in Phalaridis tauro incluſus ſuccenſis ignibus torreatur, dicturum tamen ſuave illud eſſe, ſeſeque ne tantulum quidem commoveri. tantam virtutis eſſe vim voluerunt, ut non poſſet unquam eſſe vir bonus non beatus: quæ eſt igitur pœna? quod ſupplicium? id, meâ ſententiâ, quod accidere nemini poteſt, niſi nocenti; ſuſcepta fraus, impedita & oppreſſa mens conſcientiâ, bonorum odium, nota inuſta à Senatu, amiſſio dignitatis. Nec mihi ille M. Regulus, quem Carthaginienſes, reſectis palpebris, illigatum in machinâ vigilando revocaverunt, ſupplicio videtur affectus: nec C. Marius, quem Italia ſervata ab illo,

50. *Supplicationem.*] Id eſt, preces publicas, quæ in ejus gratiam diis immortalibus fierent, quaſi rem bene geſſiſſet.

54. *Municipiorum.*] Municipia ea hominum genera dicuntur, qui cùm Romam veniſſent, neque cives Romani eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum unâ cum Rom. præterquam de ſuffragio ferendo aut magiſtratu capiendo.

63. *Voluptarii Græci.*] Intelligit Philoſophos illos, aut certe Epicureos, qui ſummum bonum in voluptate ponebant.

64. *In præſepibus.*] Per præſepia hîc intelligit lupanaria & popinas; ubi porcorum inſtar voluptuoſi homines obſcœnis ſe vitiis immergunt.

67. *Phalaridis tauro.*] Phalaris Agrigentinorum tyrannus, in tauro æneo, quem ei Perillus quidam ædificaverat, novo ſupplicii genere ſontes concremabat.

71. *Suſcepta fraus.*] Suſcipere fraudem, eſt ſcelus animo concipere, quod dignum pœna ſit.

73. *Nota inuſta.*] Inuſta nota dicitur, quæ infamiam notat.

74. *M. Regulus.*] M. Regulus captus à Pœnis, legatus de permutandis captivis Romam miſſus, datâ fide, ut ſi non impetraſſet, rediret, permutationem illam in Senatu diſſuaſit, & invitis liberis & uxore, reverſus, à Carthaginienſibus in muſcipulam aculeis undequaque munitam conjectus eſt. Vide Cic. paradoxa.

76. *C. Marius.*] Septies conſul fuit Marius; magnis motibus ſæpe rempublicam liberavit, ac demum, ut Syllæ victoris ſævitiam evitaret, mortem ſibi properavit.

demer-

demersum in Minturnensium paludibus; Africa devicta ab eodem expulsum & naufragum vidit; fortunæ enim ista tela sunt, non culpæ: supplicium autem est pœna peccati; neque vero ego si unquam vobis mala precarer, quod sæpe feci, in quo dii immortales meas preces audiverunt, morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer. Thyestea ista execratio est poëtæ, vulgi animos, non sapientum moventis: *Ut tu naufragio expulsus, uspiam saxis fixus asperis, Eviscératus latere penderes* [ut ait ille] *saxa spargens tabo, Sanie & sanguine atro.*

VIII. Non ferrem omnino molestè, si ita accidisset: sed id tamen [a] esset humanum. M. Marcellus, qui ter Consul fuit, summâ virtute, pietate, gloriâ militari, periit in mari: qui tamen ob virtutem gloriâ & laude vivit; in fortunâ quâdam est illa mors, non in pœnâ, putanda. Quæ est igitur pœna? quod supplicium? quæ saxa? quæ cruces? Ecce duos duces in provinciis populi Rom. habere exercitus, appellari imperatores; horum alterum sic fuisse infirmatum conscientiâ scelerum & fraudum suarum, ut ex eâ provinciâ, quæ fuerit ex omnibus una maxime triumphalis, nullas sit ad Senatum literas mittere ausus; ex quâ provinciâ modo vir omni dignitate ornatissimus L. Torquatus, magnis rebus gestis, me referente, absens imperator est appellatus: unde his paucis annis Cn. Dolabellæ, C. Curionis, M. Luculli justissimos triumphos vidimus, ex eâ, te imperatore, nuncius ad Senatum allatus est nullus: ab altero allatæ literæ, recitatæ, relatum ad Senatum. Dii immortales!

[a] *possit accidere* omnibus *hominibus.*

77. *Demersum.*] Cùm Sylla Marius fugeret, delituit in Minturnensium paludibus, ut mortem evitaret.

Ib. *Africa.*] Cùm trajecisset in Africam Marius, pauperem vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit.

82. *Thyestea.*] Thyestes Pelopis filius fuit.

Ib. *Poëtæ.*] Ennius hæc carmina conscripsit.

2. *M. Marcellus.*] Marcellus ille nepos ejus fuit, qui bello Punico secundo Syracusas vicit, & quinque consulatus adeptus est. Hic autem Marcellus naufragio ad ipsam Africam periit, paulò ante cœptum bellum Punicum tertium.

6. *Quæ saxa.*] Homines, liberi, qui aliquo insigni crimine rei habebantur, è saxo Tarpeio dejiciebantur.

Ib. *Quæ cruces.*] Servi rei in crucem agebantur.

Ib. *Duos duces.*] Gabinium & Pisonem.

12. *Me referente.*] Cùm Consul erat Cicero, retulit ad Senatum, ut Imperatoris nomine Torquatus ille ornaretur, quo jam fuerat ab exercitu decoratus.

13. *Cn. Dolabellæ.*] Cn. Dolabella dicitur à Gellio Asiæ proconsul fuisse.

Ib. *C. Curionis.*] C. Curio filius fuit Curionis tribuni-pleb. Is semper Cæsaris partes secutus est, vir luxu & audaciâ singulari.

14. *M. Luculli.*] M. Lucullus de Macedoniâ triumphavit.

Ib. *Justissimos triumphos.*] Ut justus triumphus haberetur, requisitum fuit, ut 1. rem suis auspiciis in provinciâ gessissent: 2. aut auctum esset imperium, non recuperatum: 3. ut saltem quinque hostium millia fusa essent: 4. ut de hostibus, non de civibus esset relata victoria.

15. *Ab altero.*] Gabinio.

idne

idne ego optarem, ut inimicus meus, eâ, quâ nemo unquam, ignominiâ notaretur? ut Senatus is, qui in eam jam benignitatis consuetudinem venit, ut eos, qui bene rempublicam gesserint, novis honoribus afficiat, & numero dierum, & genere verborum; hujus unius literis nunciantibus non crederet? postulantibus denegaret? His ego rebus pascor, his delector, his perfruor: quod de vobis hic ordo opinatur non secus, ac de teterrimis hostibus: quod vos equites Rom. quod cæteri ordines, quod cuncta civitas odit: quod nemo bonus, nemo denique civis est, qui modò se civem esse meminerit, qui vos non oculis fugiat, auribus respuat, animo aspernetur, recordatione denique ipsâ consulatûs vestri perhorrescat. Hæc ego semper de vobis expetivi, hæc optavi, hæc præcatus sum; plura etiam acciderunt, quàm vellem; nam ut amittetis exercitum, nunquam, mehercule, optavi. Illud etiam accidit præter optatum meum, sed valde ex voluntate; mihi enim non venerat in mentem, furorem & insaniam optare vobis, in quam incidistis: atqui fuit optandum; me tamen fugerat, deorum immortalium has esse in impios & conscelcratos pœnas certissimas constitutas. Nolite enim putare, P. C. ut in scenâ videtis, homines conscelcratos impulsu deorum terreri Furiarum tædis ardentibus: sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat; hæ sunt impiorum Furiæ, hæ flammæ, hæ faces. Ego te non vecordem, non furiosum, non mente captum, non tragico illo Oreste, aut Athamante dementiorem putem, qui sis ausus primùm facere (nam id est [b] caput,) deinde paulo ante, Torquato, gravissimo & sanctissimo viro [c] premente, confiteri, te provinciam Macedoniam, in quam tantum exercitum transportasses, sine ullo milite reliquisse? Mitto de amissâ maximâ parte exercitûs: sit hoc infelicitatis tuæ; dimittendi verò exercitus quam potes afferre causam? quam potestatem habuisti? quam legem? quod scnatusconsultum? quod jus? quod exemplum? quid est aliud furere, nisi non cognoscere homines, non cognoscere leges, non Senatum, non civitatem? cruentare corpus suum? leve est. Major hæc est vitæ, famæ, salutis suæ

[b] *præcipuum.* [c] *urgente.*

20. *Et numero dierum.*] Indictæ sunt primò supplicationes ad deorum pulvinaria per unum diem, deinde per duos, 3. per tres, quatuor, quinque, & plures etiam, quin & per quinquaginta.

21. *Hujus unius.*] Gabinii.

40. *Oreste.*] Orestes Agamemnonis & Clytæmnestræ filius fuit. Is matrem interfecit, & in pœnam sceleris furiis agitatus est.

Ib. *Athamante.*] Athamas Rex Thebanorum fuit, qui duos filios ex Nephele uxore suscepit, quos accusationibus novercæ oppressos abire compulit: hinc irata Juno Furias in Athamantem immisit.

41. *Primum facere.*] Primo Piso dimisit exercitum, & sine ullo milite provinciam suam Macedoniam reliquit.

49. *Cruentare.*] Ostendit quod cruentare corpus suum furiosi quidem hominis sit, sed furiosi magis in suam famam quàm in corpus sævire.

Vul-

vulneratio; si familiam tuam dimisisses, quod ad neminem, nisi ad ipsum te pertineret, amici te tui constringendum putarent: præsidium tu reipublicæ, custodiam provinciæ, injussu populi senatusque dimisisses, si tuæ mentis compos fuisses? Ecce tibi alter, effusa jam maxima præda, quam ex fortunis publicanorum, ex agris urbibusque sociorum exhauserat, cùm partim ejus prædæ profundæ libidines devorassent, partim nova quædam & inaudita luxuries, partim etiam in illis locis, ubi omnia diripuit, emptiones, partim permutationes, ad hunc Tusculani montem extruendum, cùm jam egeret, cùm illa ejus immensa & intolerabilis ædificatio constitisset; seipsum, fasces suos, exercitum populi Romani, numen [d] interdictumque deorum immortalium, responsa sacerdotum, auctoritatem Senatûs, jussa populi, nomen ac dignitatem imperii regi Ægyptio vendidit; cùm fines provinciæ tantos haberet, quantos voluerat, quantos optaverat, quantos mei capitis pretio periculoque emerat; his se tenere non potuit; exercitum eduxit ex Syriâ; quî licuit extra provinciam? tribuit se mercenarium comitem regi Alexandrino; quid hoc turpius? in Ægyptum venit: [e] signa contulit cum Alexandrinis; quando hoc bellum, aut hic ordo, aut populus fusceperat? cepit Alexandriam; quid aliud expectamus a furore ejus, nisi ut ad Senatum tantis de rebus gestis literas mittat? hic si mentis esset [f] suæ, nisi pœnas patriæ diisque immortalibus eas, quæ gravissimæ sunt, furore atque insaniâ penderet; ausus esset (mitto exire de provinciâ) educere exercitum, bellum suâ sponte gerere,

[d] *prohibitionem.* [e] *dimicavit.* [f] *compos mentis.*

51. *Familiam dimisisses.*] Intelligit servos, & argumento à minori utitur: nam si furor est servus, longe major est totum exercitum dimittere.

52. *Constringendum.*] Ait quòd Pisonis bonis à Prætore interdicendum esset, & illi constituendus curator ex amicorum sententiâ.

54. *Ecce tibi alter.*] Jam aggreditur Gabinium qui alio furoris genere correptus videtur, pecuniis profundendis ad suas libidines satiandas.

55. *Fortunis publicanorum.*] Vide Orat. de provinc. Consularibus, non longè ab initio.

56. *Partim ejus prædæ.*] Significat eas pecunias partim in libidinibus consumpsisse. &c. sæpe autem *partim* cum genitivo ponitur.

59 *Ad hunc Tusculani montem.*] Gabinius exstruxit villam tam excelsam in Tusculano agro, ut monti potius alteri, quàm villæ similis videretur.

62. *Numen interdictumque deorum.*] In Sibyllinis oraculis scriptum erat, ne unquam ad Regem Ægypti exercitus subsidii causâ mitteretur.

Ib. *Responsa sacerdotum.*] Illos sacerdotes, seu Aruspices intelligere hîc videtur Cicero, qui eâ de re juxta oraculi responsum consulti sunt.

64. *Regi Ægyptio*] Ptolemæus pulsus à suis, Romam contra suos auxilium à Senatu populoque Romano petiturus venerat; quod cùm non obtinuisset, Gabinium corrupit pecuniâ, à quo in regnum restitutus est.

67. *Quî licuit extra provinciam.*] Non fas erat proconsulibus esse extra suas provincias.

68. *Mercenarium.*] Ab eo Rege Ptolemæo pecuniâ corruptus fuerat, ut ei opem contra Alexandrinos ferret.

70. *Aut hic ordo.*] Penes Senatum fuit belli suscipiendi auctoritas.

in

in regnum injuſſu populi aut Senatûs accedere? quæ cum plurimæ leges veteres, tum lex Cornelia majeſtatis, Julia de pecuniis repetundis planiſſimè vetant; ſed hæc omitto. Ille, ſi non acerrimè fureret, [s] auderet, quam Provinciam P. Lentulus, amiciſſimus huic ordini, cum & auctoritate Senatûs, & ſorte haberet, interpoſitâ religione, ſine ullâ dubitatione depoſuiſſet, eam ſibi tum adſciſcere; cùm, etiamſi religio non impediret, mos majorum tamen, & exempla, & graviſſimæ legum pœnæ vetarent?

[s] *auderet ſumere ſibi provinciam, quàm Lentulus, &c.*

76. *In regnum.*] In externum regnum ſine poteſtate Senatûs ire non potuit.

77. *Lex Cornelia Majeſtatis.*] Tulit legem Cornelius Sylla, ne qui cum imperio provincias obtinerent, populi ſenatûſve injuſſu exercitum de provinciâ deportarent, bellumve ſuâ ſponte gererent.

Ib. *Julia de pecuniis.*] Caius Julius Cæſar tulit, ne cui, qui in provinciâ cum poteſtate imperiove eſſet, pecuniam capere, conciliare liceret: extra quam, ſi ad templum, monumentumque capiat.

79. *Lentulus.*] Lentulus Spinther in ſortitione provinciam Ciliciam obtinuit: quâ obtentâ, à Senatu juſſus eſt reducere Ptolemæum in Ægyptum, quæ Ciliciæ erat proxima.

81. *Sine ulla dubitatione depoſuiſſet.*] Cùm Lentulus ille intellexit, vetari Sibyllinis oraculis, ne Rex Ægyptius in regnum à Romanis reſtitueretur, hoc munus recuſavit.

De reditu Ciceronis & Piſonis.

IX. Sed quoniam fortunarum [a] contentionem facere cœpimus, de reditu Gabinii omittamus: quem etſi ſibi ipſe præcidit, ego tamen, [b] os ut videam hominis, expecto. Tuum, ſi placet, reditum cum meo conferamus. Ac meus quidem is fuit, ut à Brundufio uſque Romam agmen perpetuum totius Italiæ viderem; neque enim regio fuit ulla, neque municipium, neque præfectura, aut colonia, ex quâ non publicè ad me venerint gratulatum. Quid dicam adventus meos? quid effuſiones hominum ex oppidis? quid

[a] *comparationem.* [b] *impudentiam.*

4. *Brundufio.*] Brundufium urbs eſt Calabriæ, ad mare Adriaticum ſita, via Appia eò uſque perducta, & portu celebris, unde in Græciam olim Romani frequentiſſimè trajiciebant.

6. *Municipium.*] Municipium id hominum genus dicitur, qui cùm Romam veniſſent, neque cives Rom. eſſent; participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum unà cum Romanis civibus, præterquam de ſuffragio ferendo, aut Magiſtratu capiendo.

Ib. *Præfectura.*] Præfecturæ oppida dicebantur quorum incolæ cives Romani erant; hoc tamen à municipiis differebant; quòd non ſuis legibus utebantur, nec ullos à ſuo corpore Magiſtratus, ut Coloni, creare poterant; ſed à Magiſtratibus qui Româ quotannis mittebantur, Romanis legibus regebantur; ii Magiſtratus Præfecti dicebantur, unde nomen Præfecturæ.

Ib. *Colonia.*] Colonia oppidum fuit, quo populus Romanus cives ſuos ad habitandum deduxit.

Con-

concurſum ex agris patrum-familias cum conjugibus ac liberis? quid eos dies, qui, quaſi deorum immortalium feſti atque ſolemnes, ſunt apud omnes adventu meo redituque celebrati? unus ille dies mihi quidem immortalitatis inſtar fuit, quo in patriam redii; cùm Senatum egreſſum vidi, populumque Romanum univerſum; cum mihi ipſa Roma propè convulſa ſedibus ſuis ad complectendum conſervatorem ſuum progredi viſa eſt; quæ me ita accepit, ut non modò omnium generum, ætatum, ordinum omnes viri ac mulieres, omnis fortunæ ac loci; ſed etiam mœnia ipſa viderentur, & tecta urbis, ac templa lætari. Me conſequentibus diebus in eâ ipsâ domo, quâ tu me expuleras, quam expilâras, quam incenderas, pontifices, conſules, patres conſcripti collocaverunt: mihique, quod ante me nemini, pecuniâ publicâ ædificandam domum cenſuerunt. Habes reditum meum; confer nunc viciſſim tuum: quandoquidem, amiſſo exercitu, nihil incolume domum, præter os illud priſtinum tuum retuliſti; qui primùm, quâ veneris cum laureatis tuis lictoribus, quis ſcit? quos tu Mæandros, dum omnes ſolitudines perſequeris, quæ diverticula flexioneſque quæſiſti? quod te municipium vidit? quis amicus invitavit? quis hoſpes adſpexit? non-ne tibi nox erat pro die? non ſolitudo pro frequentiâ? caupona pro oppido? non ut redire ex Macedoniâ nobilis imperator, ſed ut mortuus infamis referri videretur? Romam verò ipſam fœdavit adventus tuus. O familiæ, non dicam Calphurniæ, ſed Calventiæ; neque hujus urbis, ſed Placentini municipii; neque paterni generis, ſed braccatæ cognationis dedecus! quemadmodum veniſti? quis tibi, non dicam horum, aut civium cæterorum, ſed tuorum legatorum obviam venit? mecum enim tum L. Flaccus, vir tuâ legatione indigniſſimus, atque iis conſiliis, quibus mecum in conſulatu meo conjunctus fuit, ad conſervandam rempublicam dignior, mecum fuit tum, cum te quidam non longè à portâ cum lictoribus errantem viſum eſſe narraret. Scio i-

14. *Senatum egreſſum.*] Obviam triumphantibus veniebat Senatus.

22. *Quod ante me nemini.*] Diruta Ciceronis domus, combuſta ac conſecrata, publicis ſumptibus ædificata eſt.

26. *Laureatis tuis lictoribus.*] Cùm quis duæ exercituſ victoriam retulerat, ſuffragio militum ei faſces laurea involuti à lictoribus præferebantur.

Ib. *Quod tu Mæandros.*] Id eſt, flexus, qui Mæandri à fluvio Mæandro flexuoſo dicti ſunt.

33. *Calphurniæ.*] Calphurnii, licet plebeii, à Calpo Numæ Pompilii filio originem deducebant. Ex eâ familiâ multi Conſules extitêre.

Ib. *Calventiæ.*] Ab illâ familiâ ex materno genere traxit originem Piſo; maternus enim ejus avus Calventius fuit præco Placentinus, ut dicit infra.

Ib. *Placentini municipii.*] Placentia urbs in Galliâ togatâ ad Padum. Placentini cùm priùs in coloniam deducti eſſent, jus municipii conſecuti ſunt.

34. *Braccatæ.*] Braccata dicta eſt Gallia, quòd braccis uterentur Galli.

37. *L. Flaccus.*] Is indignus erat, qui Piſoni legatus eſſet, quia vir erat fortis, & ſapiens: & deprehendendis Allobrogum legatis, qui conjuratorum literas deferebant, Ciceroni Conſuli adfuit.

40. *Errantem.*] Quærebat Piſo vias ignotas & diverticula, ut in urbem ſilentio ingreſſus videretur.

tem virum fortem in primis, belli, ac rei militaris peritum, familiarem meum, Q. Marcium, quorum tu legatorum prælio imperator appellatus eras, cum non longe abfuiſſes, adventu iſto tuo domi fuiſſe otioſum. Sed quid ego enumero, qui tibi obviam non venerint? qui dico veniſſe penè neminem, ne de officioſiſſimâ quidem natione candidatorum, cum [c] vulgo eſſent & illo ipſo, & multis antè diebus admoniti & rogati; togulæ lictoribus ad portam præſtò fuerunt: quibus illi acceptis, ſagula rejecerunt, & catervam imperatori ſuo novam præbuerunt; ſic iſte à tanto exercitu, tantâ provinciâ, triennio poſt, Macedonicus imperator in urbem ſe intulit, ut nullius negotiatoris obſcuriſſimi reditus unquam fuerit deſertior; in quo me tamen, qui eſſet paratus ad ſe defendendum, reprehendit; cum ego Cœlimontana portâ introiſſe dixiſſem, ſponſione me, ni Eſquilina introiſſet, homo promptiſſimus laceſſivit: quaſi verò id aut ego ſcire debuerim, aut veſtrûm quiſquam audierit: aut ad rem pertineat, qua tu porta introieris, modo ne triumphali: quæ porta Macedonicis ſemper proconſulibus ante te patuit; tu inventus es, qui conſulari imperio præditus ex Macedoniâ non triumphares.

X. At audiſtis, P. conſcripti, philoſophi vocem; negavit ſe triumphi cupidum unquam fuiſſe. O ſcelus! ô peſtis! ô labes! cum extinguebas Senatum, vendebas auctoritatem hujus ordinis, addicebas tribuno-pleb. conſulatum tuum, rempub. evertebas, prodebas

[c] *paſſim.*

42. *Quorum tu legatorum.*] Refundit victoriam, ob quam Piſo Imperator ſalutatus eſt, in Flaccum, & Q. Marcium ejus legatos; hic autem Marcius inimicorum invidiâ à triumpho prohibitus eſt.

44. *Domi fuiſſe otioſum.*] Cùm advenit in urbem Piſo, ejus legatus Marcius, qui prius advenerat, ne quidem honoris causâ ei venit obvius: ita ſuum proconſulem contemnebat.

45. *Officioſiſſimâ natione candidatorum.*] Candidati dicebantur qui ad dignitates aſpirabant, à togâ candidâ ſic appellati, quòd eâ induti, in campum honores petituri deſcenderent; eos porro appellat officioſos, quòd omni officiorum genere ſibi populum demereri conarentur.

47. *Togulæ lictoribus.*] Ut videretur Piſo cum dignitate & comitatu in urbem ingredi, & ire ad Capitolium dîis actûrus gratias, juſſit ut ad urbis portam, depoſitis ſagulis, togulas aſſumerent, quaſi ex urbe ipſi obviam procederent, eum deducendi causâ.

48. *Sagula.*] Sagum, ſive ſagulum, veſtis genus eſt brevius, quo milites & cives belli tempore induebantur.

50. *Triennio poſt.*] Per tres annos Macedoniam provinciam Proconſul tenuit.

53. *Cœlimontana.*] Cœlimontanâ porta urbis Romæ fuit, quam nonnulli volunt hodie Sancti Joannis appellari.

54. *Sponſione.*] Sponſio ſumitur pro certatione pignorum, ni ita ſe res habeat, ut affirmat qui deponit. Voluit autem Piſo certare cum Cicerone ſe per Eſquilinam portam introiviſſe, non per Cœlimontanam, ut Cicero dixerat; in quo ridet hominis ſtupiditatem.

Ib. *Eſquilinâ.*] Eſquilina fuit porta urbis Romæ, quæ à Procopio *Prænestina* dicitur, hodie Sancti Laurentii.

57. *Triumphali.*] Porta triumphalis dicebatur, quâ tranſibant ſoli qui in urbem triumphantes ingrediebantur.

4. *Tribuno-plebis.*] Clodio.

caput & salutem meam unâ mercede provinciæ: si triumphum non cupiebas, cujus tandem rei te cupiditate arsisse defendes? sæpe enim vidi, qui & mihi, & cæteris cupidiores provinciæ viderentur; triumphi nomine tegere atque velare cupiditatem suam; hoc modo D. Silanus Consul in hoc ordine, hoc meus etiam collega dicebat; neque enim quisquam potest exercitum cupere, aperteque petere, ut non prætexat cupiditatem triumphi. Quod si te Senatus, si populus Romanus, aut non appetentem, aut etiam recusantem, bellum suscipere, exercitum ducere coëgisset; tamen erat angusti animi atque demissi justi triumphi honorem atque dignitatem contemnere; nam, ut levitatis est inanem aucupari rumorem, & omnes umbras etiam falsæ gloriæ consectari: sic levis est animi, lucem splendoremque fugientis, justam gloriam, qui est fructus veræ virtutis honestissimus, repudiare. Cum verò, non modò non postulante atque cogente, sed invito atque oppresso Senatu, non modo nullo populi Romani studio, sed nullo ferente suffragium libero, provincia tibi ista manupretium fuerit non eversæ per te, sed perditæ civitatis: cùmque omnium tuorum scelerum hæc pactio extiterit, ut si totam rempublicam nefariis latronibus tradidisses, Macedonia tibi ob eam rem, quibus tu finibus velles, redderetur: cùm exhauriebas ærarium, cùm orbabas Italiam juventute, cùm mare vastissimum hieme transibas; si triumphum contemnebas, quæ te, prædo amentissime, nisi prædæ ac rapinarum cupiditas tam cæca rapiebat? Non est [a] integrum Cn. Pompeio consilio jam uti tuo: erravit enim; non gustarat istam tuam philosophiam; ter jam homo stultus triumphavit. Crasse, pudet me tui: quid est quod confecto per te formidolosissimo bello, coronam illam lauream tibi tantopere decerni volueris à Senatu? P. Servili, Q. Metelle,

[a] *non licet.*

9. *D. Silanus.*] Post Ciceronem ille Silanus consulatum gessit anno urbis 691. & missus est cum exercitu contra Hispanos, qui tumultus excitabant; à quo devicti sunt.

Ib. *Collega.*] Antonius.

20. *Ferente suffragium libero.*] Oratorie id dicit, nam paucos dicit legi Curiatæ ferendæ præter servos & mancipia interfuisse.

21. *Manupretium.*] Manupretium dicitur, inquit Asconius, ubi non tam materiæ ratio, quàm manûs atque artis ducitur; utitur autem hâc voce in contemptum Pisonis.

25. *Latronibus.*] Pisoni & Gabinio, cæterisque Clodii asseclis.

30. *Ter jam homo stultus triumphavit.*] De tribus orbis partibus Pompeius triumphavit.

Ib. *Crasse.*] M. Crassus bellum Spartacum confecit; unde Plutarchus scribit, fas ei fuisse ovantem in urbem introire, quasi indignum esset de servis triumphare.

31. *Illam lauream.*] Cùm ei permissum fuisset à Senatu myrto tantùm redimitum introire, insolenter hanc coronam repudiavit, obtinuitque à Senatu, ut laureâ coronatus incederet. Vide Plin. lib. 15.

32. *Servili.*] Servilius de Isauris ex Ciliciâ triumphavit; unde Isaurici nomen obtinuit.

Ib. *Metelle.*] Metellus de Cretensibus triumphavit; unde Creticus appellatus est.

C. Curio, P. Africane, cur non hunc audiſtis tam doctum hominem, tam eruditum, prius quàm in iſtum errorem induceremini? C. ipſi Pontino, neceſſario meo, jam non eſt integrum: religionibus enim ſuſceptis impeditur. O ſtultos Camillos, Curios, Fabricios, Calatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! ô amentem Paullum; ruſticum Marium! nullius conſilii patres horum amborum conſulum, qui triumpharint! Sed quoniam præterita mutare non poſſumus, quid ceſſat hic [b] homulus ex argillâ & luto fictus, Epicureus, dare hæc præclara præcepta ſapientiæ clariſſimo & ſummo imperatori, genero ſuo? fertur ille vir, mihi crede, gloriâ: flagrat, ardet cupiditate juſti & magni triumphi: non didicit eadem iſta, quæ tu: mitte ad eum libellum [c]; & ſi jam ipſe coram [d] congredi poteris, meditare, quibus verbis incenſam illius cupiditatem comprimas, atque reſtinguas; valebis apud hominem [e] volitantem gloriæ cupiditate, vir moderatus & conſtans, apud indoctum eruditus, apud generum ſocer; dices enim, ut es homo facetus, ad perſuadendum concinnus, perfectus, politus è ſchola: Quid eſt, Cæſar, quod te ſupplicationes toties decretæ, tot dierum, tantopere delectent? in quibus, homines errore ducuntur: quas dii negligunt; qui, ut noſter ille

[b] *Lomuncio.* [c] *literas.* [d] *venire.* [e] *abreptum.*

33. *C. Curio.*] De Macedoniâ triumphavit.

Ib. *Africane.*] De hoc Africano non conſtat; ſuſpicatur Abrahamus ſocerum fuiſſe Pompeii; cùm enim hic agat de triumphalibus viris, qui viverent, non eſt credibile de illis antiquis Africanis loqui.

35. *Ipſi Pontino.*] Pontinus ille Prætor fuit Cicerone Conſule miſſus in Allobrogas, quos ſuperavit.

36. *Camillos.*] M. Furius Camillus quater triumphavit; 1. de Veientibus. 2. de Gallis. 3. de Volſcis, Æquis, Etruſcis. 4. de Gallis Senonibus.

Ib *Curios.*] Curius Dentatus quater triumphum duxit, de Samnitibus, deinde de Sabinis, iterum de Samnitibus, tandem de Rege Pyrrho.

Ib. *Fabricios.*] Bis; 1. de Etruſcis & Gallis. 2. de Lucanis, Brutiis, Tarentinis, & Rege Pyrrho.

37. *Calatinos.*] M. Attilius Calatinus primò bello Punico de Siciliâ triumphavit.

Ib. *Scipiones.*] Ex illâ familia ſeptem triumpharunt.

Ib. *Marcellos.*] M. Claudius Marcellus quater, ſemel de Gallis, ter de Syracuſanis.

Ib. *Maximos.*] Q. Fabius Maximus Verrucoſus de Liguribus, Æmilius Paullus bis de Liguribus, & de Macedoniâ & Rege Perſeo.

38. *Ruſticum Marium.*] Ruſticum appellat, quia rure inter agricolas juventutem egerat. Hic tamen triumphavit bis de Numidis, & rege Jugurthâ, de Cimbris, Teutonibus, &c.

Ib. *Horum amborum.*] Ambo illi ſunt Pompeius Magnus & Craſſus, quibus Coſſ. habita eſt hæc Oratio. Pater Pompeii de Picentibus, pater Craſſi de Luſitanis triumphavit.

40. *Ex argillâ & luto.*] Appellat Piſonem hominem ex argillâ & luto fictum, propter ejus ſordes, & voluptatum turpitudinem.

42. *Genero ſuo.*] Gener Piſonis fuit Julius Cæſar.

44. *Mitte ad eum.*] Tunc erat in Galliâ Cæſar.

51. *Tot dierum.*] Quindecim dierum ſupplicationes illi decretæ fuerant.

divi-

divinus dixit Epicurus, neque propitii cuiquam esse solent, neque irati. Non facies fidem scilicet, cum hæc disputabis: tibi enim & esse, & fuisse deos videbis iratos; vertes te ad alteram scholam: differes de triumpho. Quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulacra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati in equis & tribuni? quid clamor militum? quid tota illa pompa? inania sunt ista, mihi crede, delectamenta penè puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle: quibus ex rebus, nihil est quod solidum tenere, nihil quod referre ad voluptatem corporis possis; quin tu me vides, qui ex quâ provinciâ T. Flaminius, L. Paullus, Q. Metellus, T. Didius, innumerabiles alii, levi cupiditate commoti triumpharunt, ex eâ sic redii, ut ad portam Esquilinam, Macedonicam lauream conculcarim; ipse cum hominibus quindecim male vestitis ad portam Cœlimontanam sitiens pervenerim: quo in loco mihi libertus, præclaro imperatori, domum [f] ex hâc die biduo ante conduxerat: quæ vacua si non fuisset, in campo Martio mihi tabernaculum collocassem; [g] nummus interea

[f] *biduo ante adventum meum.* [g] *pecunia.*

53. *Divinus Epicurus.*] Epicurus Deus ab antiquis habitus est, ut testatur Lucretius lib. 5. de nat. rerum, & Plin. lib. 35. cap. 2.

Ib. *Neque propitii cuiquam.*] Censebat Epicurus Deos humanas res non curare, ideoque neque iratos, neque propitios esse hominibus.

55. *Ad alteram scholam.*] Id est, ad eam, quæ omnia ad voluptatem corporis refert.

56. *Iste currus.*] Vehebantur curru triumphantes, & illo quidem eburneo, vel ex aliquâ alii pretiosâ materiâ, & in turris speciem efformato, ut à Zonarâ libro secundo scriptum est.

57. *Quid vincti ante currum duces.*] Ducebantur ante currum vincti hostium duces ad triumphi pompam. Verùm ubi triumphator flectere in Capitolium incipiebat, more planè crudeli & barbaro, abripiebantur illi in carcerem, ubi securi feriebantur. Vide Zonar. lib. 1.

Ib. *Simulacra oppidorum.*] Lignea illa, vel eburnea, vel etiam argentea captarum urbium in triumpho præferebantur.

58. *Quid aurum? quid argentum?*] Ferebatur tum aurum collectum ex manubiis, tum coronarium, tum aureæ coronæ, vel argenteæ, quæ cum legatis in præmium victoriæ à variis civitatibus missæ fuerant.

Ib. *Quid legati in equis & tribuni.*] Honestabant illi triumphi pompam.

59. *Quid clamor militum.*] His vulgò vocibus utebantur milites, *Io triumphe!* juxta illud Ovid. 4. Trist. Eleg. 2. *Ioque Miles, Io, magna voce, triumphe, canet*; refert tamen in Libycis Appianus, fas fuisse militibus, aliis Imperatorem laudibus, aliis cavillis, aliis vituperils prosequi.

63. *Quin tu me vides.*] Ridiculè hîc fingit à Pisone Cæsarem edoceri triumphorum contemptum.

Ib. *T. Flaminius.*] T. Quinctius Flaminius de Macedoniâ & Philippo rege triumphavit anno urbis 559.

Ib. *L. Paullus.*] L. Paullus de Macedoniâ & rege Perse triumphavit anno urbis 586.

64. *Q. Metellus.*] Q. ille Metellus Macedonicus dictus est à devictâ Macedoniâ anno 607.

Ib. *T. Didius.*] T. Didius è Macedoniâ Thraces expulit.

66. *Conculcarim.*] Lauream illam quam obtinuerat à militibus appellatus imperator contempto triumpho abjecit, neque deferre voluit ad Capitolium, more triumphantium, ut eam in sinu Jovis deponeret.

mihi, Cæsar, neglectis ferculis [h] triumphalibus, domi manet & manebit; rationes ad ærarium retuli continuo, sicut tua lex jubebat: neque aliâ ullâ in re legi tuæ parui, quas rationes si cognoris, intelliges nemini plus, quàm mihi literas profuisse: ita enim sunt perscriptæ [i] scitè & literatè, ut scriba, ad ærarium qui eas retulit, perscriptis rationibus, secum ipse caput siniſtrâ manu perfricans commurmuratus sit, *Ratio quidem hercle apparet, argentum* [k] οἴχεται. Hac tu oratione non dubito, quin illum jam ascendentem in currum possis revocare. O tenebræ, ô lutum, ô sordes, ô paterni generis oblite, materni vix memor! ita nescio quid istuc fractum, humile, demissum, sordidum, inferius etiam est, quàm ut Mediolanensi præcone, avo tuo dignum esse videatur. L. Crassus homo sapientissimus nostræ civitatis, spiculis propè scrutatus est Alpes: ut, ubi hostis non erat, ibi triumphi causam aliquam quæreret. Eâdem cupiditate vir summo ingenio præditus, C. Cotta, nullo certo hoste, flagravit; eorum neuter triumphavit, quòd alteri illum honorem collega, alteri mors ademit. Irrisa est abs te paulò ante M. Pisonis cupiditas triumphandi, à quâ te longè dixisti abhorrere; qui etiamsi minus magnum bellum gesserat, ut abs te dictum est, tamen istum honorem contemnendum non putavit. Tu eruditior quàm Piso, prudentior quàm Cotta, abundantior consilio, ingenio, sapientiâ, quàm Crassus, ea contemnis, quæ illi idiotæ, ut tu appellas, præclara duxerunt. Quòd si reprehendis, quòd cupidi laureæ fuerint, cum bella aut parva, aut nulla gessissent; tu, tantis nationibus subactis,

[h] *gestaminibus pomparum.* [i] *callide.* [k] *periit.*

72. *Tua lex jubebat.*] Tulit legem Julius Cæsar Consul cum Bibulo, ut duabus in civitatibus provinciæ suæ Magistratus decedentes rationes suas relinquerent, easdemque totidem verbis ad ærarium referrent.

76. *Perscriptis rationibus.*] Id est, qui eas descripsit ut secundum consuetudinem in ærario servarentur.

82. *Mediolanensi præcone.*] Mediolanum caput Insubriæ fuit, in quâ fuit Placentia ex quâ avus maternus ejus fuit. Unde nobiliorem civitatem ipsius regionis sumit pro minus nobili, ut ironicè eum extollat.

Ibi *L. Crassus.*] L. Crassus collegam habuit Q. Scævolam Pontificem: qui cum animadvertisset Crasso, propter summam ejus in Repub. potentiam ac dignitatem, Senatum in decernendo triumpho gratificari, non dubitavit Reipub. magis, quàm collegæ haberi rationem: ac ne fieret Senatusconsultum intercessit. Sed idem provinciam, cujus cupiditate plerique etiam viri boni delinquebant, deposuerat, ne sumptui esset ærario. Ita *Ascon. Pedian.*

86. *C. Cottæ.*] Cotta Orator fuit, de quo Cicero sæpe in libris de Orat. qui, decreto sibi triumpho, ante diem triumphi mortuus est, cùm citatrix illius vulneris, quòd ante plures annos in prælio acceperat, rescissa est repente.

88. *M. Pisonis.*] Pupius Piso eisdem temporibus quibus Cicero vixit, sed tamen eo senior, ad quem pater Ciceronem puerum dedocebat, quòd in eo & antiquæ vitæ similitudo, & multæ erant literæ. Proconsul triumphavit de Hispanis, Q. Hortensio & Q. Metello Cretico Coss.

93. *Idiotæ.*] Homines omni Philosophiæ cognitione destituti, *idiotæ* dicuntur; ita Lucilius.

95. *Tu tantis nationibus.*] Irônia.

tantis

tantis rebus gestis, minime fructum laborum tuorum, præmia periculorum, virtutis insignia contemnere debuisti; neque verò contempsisti, licet Themistâ sapientior, si os tuum ferreum Senatûs convicio verberari noluisti. Jam vides (quandoquidem ita mihimet fui inimicus, ut me tecum compararem) & digressum meum, & absentiam, & reditum ita longè tuo præstitisse, ut mihi illa omnia immortalem gloriam dederint, tibi sempiternam turpitudidem inflixerint.

98. *Themistâ.*] Themista mulier fuit studio Philosophiæ nobilis, quam Lactantius citat de falsâ sapientiâ 3. cap. 25 Lipsius lib. 1. variarum lect. cap. 18. reponit *Themis*, quam deam putabant esse, quæ docebat petere id quod fas esset, & quod liceret; jocatur enim Cicero in Pisonem, qui triumphum, scelerum suorum conscientiâ, ab irato Senatu petere ausus non erat, & ipsâ Themi sapientiorem fuisse dicit ac longe melius providisse, quid expediret sibi petere aut non petere, quàm Dea illa ipsa, quæ mentem hominibus dat justa & æqua petendi, suadere potuisset; acutè enim Piso, quoniam neque triumphum meruisset, & si maxime meruisset, repulsam tamen à Senatu accepturum se certo prævidebat, omnino petere triumphum destitit, ut videretur eum potius consequi noluisse, quàm non potuisse.

ALTERA PARS INSECTATIONIS.

De privatis flagitiis.

Hæc pars tres continet alias partes, quarum prima vitam Pisonis privatam seu domesticam continet: Secunda confutationem, quòd objiciebatur à Pisone Ciceroni quòd versu Pompeium & Cæsarem offendisset: Tertia enumerationem scelerum, quæ Piso in provinciæ administratione commisit.

XI. Nunc etiam in hâc quotidianâ, assiduâ, urbanâque vitâ splendorem tuum, gratiam, celebritatem domesticam, operam forensem, consilium, auxilium, auctoritatem, sententiam Senatoriam nobis, aut, ut verius dicam, cuiquam es infimo ac desperatissimo antelaturus? Age, Senatus odit te, quòd eum tu facere jure concedis, afflictorem & perditorem non modò dignitatis & auctoritatis, sed omnino ordinis ac nominis sui: videre equites Romani non possunt, quo ex ordine vir præstantissimus, L. Ælius est, te Consule, relegatus: plebs Romana perditum cupit, in cujus tu infamiam ea, quæ per latrones & per servos de me egeras, contulisti: Italia cuncta execratur, cujus idem tu superbissime decreta & preces repudiasti. * Fac hujus

* *Experire tantum odium,*

2. *Celebritatem domesticam.*] Clientes frequentes adesse mane apud magnates, ut patrónos suos salutarent.

Ib. *Operam forensem.*] Vel ipsi viri potentissimi civitatis defendere in judicio cives gloriæ ducebant.

9. *L. Ælius.*] L. Ælius Lamia Pisone Consule relegatus est. Equestri ordine natus princeps fuit; de eo dictum est in Orat. pro Sext.

12. *Et preces repudiasti.*] Repudiavit preces totius Italiæ, quæ pro Ciceronis salute Pisoni & Gabinio Coss. factæ sunt.

odii tanti, ac tam universi periculum, si audes. Instant post hominum memoriam apparatissimi magnificentissimique ludi, quales non modò nunquam fuerunt, sed ne quomodo fieri quidem posthac possint, possum ullo pacto suspicari. [b] Da te populo, committe ludis. Sibilum metuis? ubi sunt vestræ scholæ? ne acclametur? ne id quidem est curare philosophi: manus tibi ne afferantur, times; dolor enim est malum, ut disputas: existimatio, dedecus, infamia, turpitudo, verba sunt atque ineptiæ; sed de hoc non dubito; nam non audebit accedere ad ludos; convivium publicum non dignitatis causâ inibit (nisi forte, ut cum P. Clodio, hoc est, cum amoribus suis cœnet) sed plane animi sui causâ; ludos nobis idiotis relinquet; solet enim, in disputationibus suis, oculorum & aurium delectationi abdominis voluptates anteferre; nam quòd vobis iste tantummodo improbus, crudelis olim furunculus, nunc verò etiam rapax, quòd sordidus, quòd contumax, quòd superbus, quòd fallax, quòd perfidiosus, quòd impudens, quòd audax esse videatur: nihil scitote esse luxuriosius, nihil libidinosius, nihil protervius, nihil nequius; luxuriam autem in isto nolite hanc cogitare; est enim quædam, quanquam omnis est vitiosa atque turpis, tamen ingenuo ac libero dignior; nihil apud hunc lautum, nihil elegans, nihil exquisitum (laudabo inimicum) ne magnopere quidem quidquam, præter libidines, sumptuosum; toreuma nullum: maximi calices; & hi, ne con-

[b] *offer.*

14. *Magnificentissimi ludi.*] Spectacula intelligit, quæ data sunt à Pompeio cùm constructum est ab eo Theatrum. De his agit Epistola 1. lib. 7. ad Marium.

17. *Sibilum metuis.*] Quos populus oderat, venientes ad ludos sibilis excipiebat: contrà verò sibi gratis applaudebat.

Ib. *Vestræ scholæ.*] Epicurei, quorum sectabatur Piso doctrinam, dedecus contemnebant. Quare non est quod infamia notari timeat in ludis. [*Scholæ* autem vocantur disputationes sive dissertationes Philosophicæ de quovis argumento. Sic supra p. 279. *Vertes te ad alteram Scholam.*]

Ib. *Ne acclametur.*] Timebat Pisone sibi acclamaretur faustis apprecationibus. Sic enim viri populo grati vulgò excipiebantur, ut Epist. 29. Seneca refert.

19. *Dolor est malum.*] Sententiam profert Epicureorum, de quâ fusiùs in Tusc. Quæst. agit.

21. *Convivium publicum.*] Indicat illud convivium, quod à Pompeio in celebratione ludorum illorum datum est.

23. *Cum amoribus suis.*] Vocat Clodium amores suos, quia pari libidinum & voluptatis fœdissimæ desiderio tenebantur; amant verò pares esse cum paribus.

25. *Abdominis voluptates.*] Fœdissimas omnium tum gulæ, tum luxuriæ voluptates intelligit.

27. *Furunculus.*] Furunculus dicitur qui occultè furatur, qualis erat Piso antequam provinciam obtinuisset.

Ib. *Rapax.*] Rapax est apertus & publicus latro, qui provinciam suam latrocinüs & rapinis diripuit.

35. *Toreuma.*] Toreumatis nomine vas quodlibet intelligitur, quod artis elegantiâ exsculptum est.

Ib. *Maximi calices.*] Vasa plerumque fictilia, quibus tenuioris fortunæ homines utebantur, ut patet ex Martiali lib. 14. Epig. 110. *Vilia futoris calicem monumenta, Vatini, Accipe.*

temnere

temnere ſuos videatur, Placentini: exſtructâ mensâ, non conchyliis, aut piſcibus, ſed multâ carne ſubrancidâ, ſervi ſordidati miniſtrant: nonnulli etiam ſenes: idem coquus, idem atrienſis: piſtor domi nullus, nulla cella: panis, & vinum à propolâ, atque de cupâ: Græci [c] ſtipati, quini in lectulis, ſæpe plures: ipſe ſolus: bibitur uſque eo, dum de ſolio miniſtretur; ubi galli cantum audivit, avum ſuum revixiſſe putat: menſam tolli jubet. Dicet aliquis, Unde tibi hæc nota ſunt? non mehercule, contumeliæ causâ deſcribam quemquam, præſertim ingenioſum hominem, atque eruditum, cui generi eſſe ego iratus, ne ſi cuipiam quidem, poſſum. Eſt quidam Græcus, qui cum iſto vivit, homo, vere ut dicam (ſic enim cognovi) humanus, ſed tamdiu, quamdiu cum aliis eſt, aut ipſe [d] ſecum; is cùm iſtum adoleſcentem jam tum cum hâc diis iratâ fronte vidiſſet, non fugit ejus amicitiam, cùm eſſet præſertim appetitus: dedit ſe in conſuetudinem, ſic ut prorſus unà viveret, nec ferè ab iſto unquam diſcederet. Non apud indoctos, ſed, ut ego arbitror, in hominum eruditiſſimorum & humaniſſimorum cœtu loquor: audiſtis profectò dici, philoſophos Epicureos, omnes res, quæ ſunt homini expetendæ, voluptate metiri: recte an [e] ſecus, nihil ad nos: aut ſi ad nos, nihil ad hoc tempus; ſed tamen lubricum genus orationis adoleſcenti non acriter intelligenti eſt ſæpe præceps. Itaque admiſſarius iſte, ſimulatque

[c] *compreſſi.* [d] *ſolus.* [e] *male.*

36. *Placentini.*] Ad contemptum Piſonis loquitur; quaſi materni generis memor vilioribus ejuſmodi calicibus uteretur; nam avus ejus maternus præco Placentinus fuit.

Ib. *Conchyliis aut piſcibus.*] Menſas ſuas Romani delicatiſſimis conchyliis, & piſcibus longiùs aſportatis ad faſtum exſtruebant. Unde Plinius lib. nat. Hiſt. 9. cap. 34. hanc luxuriam conchyliorum cenſoriis legibus, auctore M. Scauro, fuiſſe prohibitam ſcribit.

37. *Carne ſubrancidâ.*] Intellige carnem ſalitam, & jam putidam ad acuendam ſitim.

38. *Atrienſis.*] Atrienſes ſive Atriarii illi ſervi dicuntur, quibus atrii cura commiſſa erat, quique venientes excipiebant, & ad dominum intromittebant.

39. *Piſtor.*] Piſtor panem conficit.

Ib. *Propola.*] Propola is eſt, qui mercatur à mercatoribus quod ſtatim vendit. Cic. 1. Off.

40. *De cupâ.*] Cupa vas vinarium eſt, in quo muſta coquuntur, & deferuntur. Ulpianus lib. 15.

Ib. *Quini in lectulis.*] Reddit rationem quare compreſſi illi fuerint, quia vulgò in lectulis, tres tantùm menſæ accumbebant, ut videre eſt apud Horatium lib. 2. Sat. ult.

41. *Dum de ſolio.*] Feſtus ait *Solia* dici *alveos lavandi cauſa inſtitutos, quò ſinguli deſcendunt,* ſeu vaſa, in quo lavabantur ſedentes.

Ib. *Ubi Galli cantum audivit.*] Ubi totam noctem traduxit Piſo compotationibus, aut audit Galli cantum, tum meminit avi ſui materni Calventii Galli, qui præco fuit Placentinus, ſeu Mediolanenſis.

46. *Eſt quidam Græcus.*] Aſconius Pedianus Philodemum Philoſophum Epicureum ſignificari arbitratur, cujus laſciva fuerunt carmina.

48. *Jam tum.*] In adoleſcentiâ ſuâ jam tum, ſeveritatis quâdam ſpecie multa vitia contegebat Piſo.

50. *Appetitus.*] Philodemum optabat Piſo habere vitæ comitem.

56. *Adoleſcenti.*] Adoleſcentes non ſatis diſtinguunt, cùm de voluptate, utrum de corporis, an animi agatur.

57.] *Admiſſarius iſte.*] Piſonem admiſſarium vocat, quia omni mulierculârum impe-

atque audivit à philoſopho voluptatem tantopere laudari, nihil [f] expiſcatus eſt: ſic ſuos ſenſus voluptarios omnes incitavit, ſic ad illius hanc orationem adhinniit, ut non magiſtrum virtutis, ſed auctorem libidinis à ſe illum inventum arbitraretur. Græcus primò diſtinguere, atque dividere illa, quemadmodum dicerentur; iſte claudus (quomodo aiunt) pilam retinere, quod acceperat [g] teſtificari, tabulas obſignare velle, Epicurum [h] diſertum decernere; & tamen dictum, ut opinor, ſe nullum bonum intelligere poſſe, demptis corporis voluptatibus. Quid multa? Græcus facilis, & valdè venuſtus, nimis pugnax contra Senatorem populi Romani eſſe noluit. Eſt autem hic, de quo loquor, non Philoſophiâ ſolùm, ſed etiam literis, quod ferè cæteros Epicureos negligere dicunt, perpolitus. Poëma porrò facit ita feſtivum, ita concinnum, ita elegans, nihil ut fieri poſſit argutius; [i] in quo reprehendat eum licet, ſi qui volet, modò leviter, non ut impurum, non ut improbum, non ut audacem, ſed ut Græculum, ut aſſentatorem, ut poëtam; devenit, aut potius incidit in iſtum eodem deceptus ſupercilio Græcus atque advena, quo tam ſapiens & tanta civitas; revocare ſe non poterat, familiaritate implicatus: & ſimul inconſtantiæ famam verebatur: rogatus, invitatus, coactus, ita multa ad iſtum, de iſto quoque, ſcripſit, ut omnes hominis libidines, omnia ſtupra, omnia cœnarum conviviorumque genera, adulteria denique ejus delicatiſſimis verſibus expreſſerit; in quibus ſi quis velit, poſſit iſtius tanquam in ſpeculo vitam intueri: ex quibus multa à multis lecta & audita recitarem, niſi vererer ne hoc ipſum genus orationis, quo nunc utor, ab hujus loci more abhorreret: & ſimul de ipſo qui ſcripſit, detrahi nihil volo: qui, ſi fuiſſet in diſcipulo comparando meliore fortunâ, fortaſſe auſterior & gravior eſſe potuiſſet; ſed eum [k] caſus in hanc conſuetudinem ſcribendi induxit, philoſopho valde indignum: ſiquidem philoſophia, ut fertur,

[f] *examinavit.* [g] producere *teſtes.* [h] *diſtincte locutum.* [i] *ſi qui velit reprehendere eum, reprehendat leviter.* [k] *neceſſitas,*

impudicarum libidini ſe expoſuerat, ſumpta allegoria ab equo, qui ſexturæ ſuppleudæ causâ in equarum armenta adducitur.

60. *Adhinniit.*] Remanet in eâdem allegoriâ.

63. *Iſte claudus.*] Proverbium quod de illis dicitur, qui, quod acceperunt à præceptoribus, ſive illud doctum ſit, ſive indoctum, mordicus tenent.

Ib. *Retinere.*] Supple *incepit.*

64. *Tabulas obſignare velle.*] Voluit ut præceptor ille ſcripto obſignaret quod de voluptate protulerat.

69. *Quod ferè cæteros.*] Cicero loquens de Epicuro lib. de finibus, ait, non ſatis iis artibus non modò politum fuiſſe, quas qui tenent, eruditi appellantur, ſed etiam deterruiſſe alios à ſtudiis.

73. *Græculum.*] Græci malè audiebant apud Romanos propter adulationem.

74. *Poëtam.*] Poëtæ aſſentationibus ſuis placere volunt, ideoque figmentis ſæpe veritatem diſſimulant.

78. *Ad iſtum, de iſto quoque.*] Id eſt, multa carmina de Piſone ſcripſit, ſed illa impudica, utpote quibus ejus infames libidines deſcribebantur.

80. *In quibus.*] Verſibus ſcilicet.

83. *Ab hujus loci more.*] In Senatu oppo-

tur, virtutis continet, & officii, & bene vivendi disciplinam: quam qui profitetur, graviſſimam mihi ſuſtinere perſonam videtur.

XII. Sed idem caſus illum ignarum quid profiteretur, cùm ſe philoſophum eſſe diceret, iſtius impuriſſimæ atque intemperantiſſimæ pecudis cœno & ſordibus inquinavit: qui modò cùm res geſtas conſulatûs mei collaudaſſet (quæ quidem laudatio hominis turpiſſimi mihi ipſi erat penè turpis) Non ulla tibi, inquit, invidia nocuit, ſed verſus tui. Nimis magna pœna, te Conſule, conſtituta eſt, ſive malo poëta, ſive libero. Scripſiſti enim CEDANT ARMA TOGÆ. Quid tum? Hæc res tibi fluctus illos excitavit. At hoc nuſquam, opinor, ſcriptum fuiſſe in illo elogio, quod, te Conſule, in ſepulchro reipublicæ inciſum eſt. VELITIS, JUBEATIS, UT, non quòd Marcus Cicero verſum fecerit, ſed quod vindicarit. Veruntamen, quoniam te non Ariſtarchum, ſed Phalarim grammaticum habemus, qui non notam apponas ad malum verſum, ſed poëtam armis perſequare; ſcire cupio, quid tandem iſto in verſu reprehendas, CEDANT ARMA TOGÆ. Tuæ dicis, inquit, togæ ſummum imperatorem eſſe ceſſurum. Quid nunc te, aſine, literas doceam? non opus eſt verbis, ſed fuſtibus; non dixi hanc togam, quâ ſum amictus; nec arma, ſcutum, & gladium unius imperatoris; ſed, quod pacis eſt inſigne & otii, toga: contrà autem arma tumultûs atque belli: more poëtarum locutus, hoc intelligi volui, BELLUM AC TUMULTUM PACI ATQUE OTIO CONCESSURUM. Quære ex familiari tuo, Græco illo poëta: probabit genus ipſum & agnoſcet, neque te nihil ſapere mirabitur. At in illo

oportet agere de rebus ſeriis, & gravioribus.

1. *Sed idem caſus.*] Id eſt, eadem neceſſitas, quæ Philodemum impulit ad ſcribendas Piſonis libidines, iiſdem eum flagitiis inquinavit.

3. *Pecudis.*] Piſonem intelligit.

5. *Erat pene turpis.*] Turpe eſt laudari à turpi viro, & honorificum à laude ſigno.

Ib. *Inquit.*] Piſo, videlicet.

7. *Scripſiſti enim.*] Piſo in ſuâ Oratione Ciceroni objecerat, quòd verſus de ſuo conſulatu ſcripſiſſet, quibus offenſus ei fuerat Pompeius.

Ib. *Cedant arma togæ.*] Verſus à Cicerone editus.

9. *Illo elogio.*] Elogia & tituli ſepulchrorum inſcriptiones dicebantur.

10. *Velitis, jubeatis.*] Formulam fingit Cicero, quâ à Piſone ejectus eſt in exilium.

12. *Sed quòd vindicarit.*] Non quòd ſcripſerit Cicero verſus, ejiciebatur à Piſone, ſed quòd vindicarit rempublicam à conjuratione, eâque de causâ nefario Conſule igni & aquâ interdicebatur.

Ib. *Ariſtarchum.*] Ariſtarchus Grammaticus fuit, qui quos verſus nota probabat Homericos non eſſe contendebat, eoſque liturâ, vel ſtellulâ notabat.

13. *Phalarim.*] Tyrannus Agrigentinorum fuit, qui æneo Tauro ignibus ſubjecto morte damnatos includebat, in quo ipſe combuſtus eſt.

19. *Quod pacis eſt inſigne.*] Romani pacis tempore togis utebantur.

20. *Tumultûs atque belli.*] Supple, belli ſunt inſignia & ſeditionum.

23. *Genus ipſum.*] Nempe dicendi poëticè.

24. *At in altero.*] In alterâ hujus carminis parte difficultatem reperire Piſonem ſignificat.

altero,

lo altero, inquit, hæres, [a] CONCEDAT LAUREA LAUDI. Immò mehercule habeo tibi gratiam; hærerem enim, niſi tu me expediſſes; nam cùm tu tumidus ac tremens tuis ipſe furaciſſimis manibus detractam è cruentis faſcibus lauream ad portam Eſquilinam abjeciſti; indicaſti non modò ampliſſimæ, ſed etiam miniमæ laudi lauream conceſſiſſe. Atque iſtâ ratione hoc tamen intelligi, ſcelerate, vis, Pompeium inimicum mihi iſto verſu eſſe factum; ut, ſi verſus mihi nocuerit, ab eo, quem is verſus offenderit, videatur mihi [b] pernicies eſſe quæſita. Omitto, nihil iſtum verſum pertinuiſſe ad illum? non [c] fuiſſe meum, quem quantum potuiſſem, multis ſæpe orationibus ſcriptiſque decoraſſem, hunc uno violare verſu. Sed ſit offenſus; primò, non-ne compenſabit cum uno verſiculo tot mea volumina laudum ſuarum? Quod ſi eſt [d] commotus, [e] ad perniciem-ne, non dicam amiciſſimi, non ita de ſuâ laude meriti, non ita de republicâ, non Conſularis, non Senatoris, non civis, non liberi; in hominis caput ille tam crudelis propter verſum fuiſſet? tu quid, tu apud quos, tu de quo dicas, intelligis? complecteris ampliſſimos viros ad tuum & Gabinii ſcelus: neque id occulte; nam paulò antè dixiſti, me cum iis confligere, quos deſpicerem; non attingere eos, qui plus poſſent, quibus iratus eſſe deberem; quorum quidem (quis enim non intelligit quos dicas?) quanquam non eſt una cauſa omnium, tamen eſt omnium mihi

[a] *victoriæ inſignia cedant eloquentiæ laudi.* [b] *infortunium comparatum.* [c] *me voluiſſe.* [d] *iratus.* [e] *tam crudelis fuiſſet, ut perderet propter verſum, non dicam amiciſſimum, non ita meritum de Repub. &c. ſed hominem.*

26. *Hærerem.*] Fatetur Cicero ſe reperire hoc in carmine difficultatis aliquid, niſi eum ab eâ liberaſſet Piſo.

27. *Ac tremens.*] Timebat Piſo ne repetundarum accuſaretur propter furta ſua & rapinas in provinciâ.

28. *Lauream abjeciſti.*] Cum Romam ingrederetur, ad portam Eſquilinam faſces ſuos laureatos abjecit, ne provincialium ſanguine cruentati viderentur.

30. *Lauream conceſſiſſe.*] Ait reverà lauream linguæ [laudi] conceſſiſſe, cùm timuit in judicio accuſari.

35. *Orationibus decoraſſem.*] Neminem frequentiùs Pompeio laudat Cicero, ut videre eſt in Orat. pro lege Manil.

37. *Tot mea volumina.*] Sæpiſſime de Pompeio loquitur in Orationibus ſuis Cicero, quem ubique triumphaſſe commemorat. Porrò volumina à volvendo dicta ſunt; neque enim pluribus paginis & quaternionibus olim libri compingebantur, ſed ſpiræ inſtar convolvebantur.

42. *Complecteris ampliſſimos viros.*] Adjungere dicit Pompeium & Cæſarem, ut videantur illius & Gabinii ſceleris participes.

44. *Quos deſpicerem.*] Piſo objecerat Ciceroni eum aggredi ſe, & Gabinium, quos ſuadebat è ſuis provinciis eſſe revocandos, quia eos non metuebat, utpote debiles & infirmos hoſtes.

45. *Qui plus poſſent.*] Significabat Pompeium & Cæſarem, quorum longe major erat auctoritas & potentia in Republicâ.

47. *Non eſt una cauſa omnium.*] Pompeii cauſam ab aliorum causâ diſtinguit,

probata

probata; me Cn. Pompeius, multis obsistentibus ejus erga me studio atque amori, semper dilexit, semper suâ conjunctione dignissimum judicavit, semper [f] non modò incolumem, sed etiam amplissimum atque ornatissimum voluit esse; vestræ fraudes, vestrum scelus, vestræ criminationes insidiarum mearum, illius periculorum, nefariè fictæ, simul eorum, qui familiaritatis licentiâ suorum improbissimorum sermonum [g] domicilium in auribus ejus, impulsu vestro, collocaverunt, vestræ cupiditates provinciarum effecerunt, ut ego excluderer, omnesque, qui me, qui illius gloriam, qui rempublicam salvam esse cupiebant, sermone atque aditu prohiberentur. Quibus rebus est perfectum, ut illi planè [h] suo stare judicio non liceret: cùm certi homines non studium ejus à me alienassent, sed auxilium retardassent. Non-ne ad te L. Lentulus, qui tum erat Prætor, non Q. Sanga, non L. Torquatus pater, non M. Lucullus venit? qui omnes ad eum, multique mortales, oratum in Albanum obsecratumque venerant ne meas fortunas desereret cum reipublicæ salute conjunctas; quos ille ad te & ad tuum collegam remisit, ut causam publicam susciperetis, ut ad Senatum referretis: se contra armatum tribunum pleb. sine consilio publico decertare nolle: consulibus ex S. C. rempublicam defendentibus, se arma sumpturum. Ecquid infelix recordaris; quid responderis? in quo illi omnes quidem, sed Torquatus præter cæteros, furebat contumacia responsi tui; te non esse tam fortem quàm ipse Torquatus in consulatu fuisset, aut ego: nihil opus esse armis, nihil contentione: me posse iterum

[f] *non modo optavit meam salutem, sed etiam amplitudinem & gloriam.* [g] *obsederunt aures improbissimis sermonibus.* [h] *manere* in *sua voluntate* erga me.

48. *Multis obsistentibus.*] Piso, Gabinius, Clodii, aliique omnes Clodiani Pompeium abalienare à Cicerone conati sunt.

52. *Criminationes insidiarum.*] Ciceronem illi detulerunt ad Pompeium, quasi ejus vitæ insidias collocasset; de quibus fusè loquitur pro Sextio.

56. *Ego excluderer.*] Affert, per conglobationem, omnes rationes quibus conati sunt à familiaritate Pompeii Ciceronem excludere.

61. *L. Lentulus.*] Hic anno primo belli civilis Consul fuit.

Ib. *Q. Sanga.*] Q. Fabius Sanga is fuit qui indicia conjurationis Catilinariæ ad Ciceronem detulit.

Ib. *L. Torquatus pater.*] Torquatum patrem nominat, ad filii discrimen, qui tum florebat in Republicâ.

63. *In Albanum.*] Fundus Albanus pertinuit ad Pompeium, quo secessisse de induſtriâ scribit Plutarchus, ut cùm ad eum Cicero venisset, sese per posticum subduceret.

66. *Armatum tribunum.*] Cum Clodio decertare, & venire in contentionem noluit Pompeius.

67. *Coss. ex Senatusconsulto.*] Senatûs illud consultum fuit, cùm dicebat Senatus, *Videant Consules ne quid detrimenti capiat Respublica*: quo verbo ait Cicero, satis armatos fuisse Consules.

71. *Torquatus in Consulatu.*] Fuit ille quidem agresti vir ingenio, quo Consule erupit prima Catilinæ conjuratio, in quâ eum cum Cottâ Collegâ suo interficere volebant socii conjurationis Cn. Piso, Catilina, & Antonius.

72. *Aut ego.*] Cicero alteram conjurationem oppressit, de quâ dictum est in Orat. contra Catilinam.

rempub.

rempub. ſervare, ſi ceſſiſſem: infinitam cædem fore, ſi reſtitiſſem: deinde ad extremum, neque te, neque generum, neque collegam tuum, tribuno-plebis defuturum; hic tu hoſtis ac proditor, aliis me inimiciorem, quàm tibi, debere eſſe dicis?

XIII. Ego C. Cæſarem non eadem de republicâ ſenſiſſe, quæ me, ſcio: ſed tamen, quod jam de eo, his audientibus, ſæpe dixi, me ille ſui totius Conſulatûs, eorumque honorum, quos cum proximis communicavit, ſocium eſſe voluit, detulit, invitavit, rogavit; non ſum ego, propter nimiam fortaſſe conſtantiæ cupiditatem, adductus ad cauſam: non poſtulabam ut ei chariſſimus eſſem, cujus ego ne beneficiis quidem ſententiam meam tradidiſſem. Adducta res in certamen, te Conſule, putabatur, utrum quæ ſuperiore anno ille geſſiſſet, manerent, an reſcinderentur; quid loquar plura? ſi tantùm illa in me eſſe uno roboris & virtutis putavit, ut ea, quæ ipſe geſſerat, conſiderent, ſi ego reſtitiſſem; cur ei non ignoſcam, ſi antepoſuit ſuam ſalutem meæ? Sed præterita omitto; me ut Cn. Pompeius omnibus ſuis ſtudiis, laboribus, vitæ periculis complexus eſt, cùm municipia pro me adiret, Italiæ fidem imploraret, P. Lentulo Conſuli, auctori ſalutis meæ, frequens aſſideret, Senatui ſententiam præſtaret, in concionibus non modò ſe defenſorem ſalutis meæ, ſed etiam ſupplicem pro me profiteretur: hujus voluntatis eum, quem multum poſſe intelligebat, mihi non inimicum eſſe cognorat, ſocium ſibi & adjutorem C. Cæſarem adjunxit. Jam vides, me tibi non inimicum, ſed hoſtem: illis, quos deſcribis, non modò non iratum, ſed etiam amicum eſſe debere? quorum alter, id quod meminero ſemper, æque mihi fuit amicus ac ſibi: alter, id quod obliviſcar aliquando, ſibi amicior quàm mihi. Deinde hoc ita fit, ut viri fortes, etiam ſi ferro inter ſe cominûs decertarint, tamen illud contentionis odium ſimul cum ipsâ pugnâ armiſque ponant. Atque me ille odiſſe nunquam potuit, ne tum quidem cum diffidebamus; habet hoc virtus, [a] quam tu ne de facie quidem noſti, ut vi-

[a] *cujus ne noſti quidem faciem externam.*

73. *Si ceſſiſſem.*] Tempori videlicet, & armis Clodianorum.

74. *Neque te.*] Polliciti fuerant Piſo, Cæſar, & Gabinius ſuam opem Clodio, ſi quid à Cicerone ſuſceptum fuiſſet pro Republicâ contra furioſum illum tribunum-plebis.

1. *Non eadem de Repub.*] Cicero reſtitit Cæſari, quando tulit legem de dividendo agro Campano.

3. *Cum proximis.*] Duumviros creavit Piſonem ſocerum ſuum, & generum Pompeium; unde eum, ut ait Orat. de provinciis conſ. rogavit ut quinqueviratum acciperet, & in tribus ſibi conjunctiſſimis conſularibus eſſe vellet.

9. *Reſcinderentur.*] Prætores [illegible] & Domitius volebant abolere omnia Cæſaris acta in conſulatu.

12. *Si antepoſuit ſuam ſalutem.*] Maluit Cæſar, ut abiret in exſilium, quàm acta ſua reſcinderentur.

15. *Auctori ſalutis meæ.*] [illegible] ſul retulit ad Senatum de [illegible] cando.

16. *Sententiam præſtaret.*] [illegible] eſſet paratus ad ſenten[illegible] dicendam.

24. *Sibi amicum.*] [illegible] de Cæſare.

tos fortes ſpecies ejus & pulchritudo etiam in hoſte poſita delectet. Equidem dicam ex animo, P. C. quod ſentio, & quod, vobis audientibus, ſæpe jam dixi: Si mihi nunquam amicus C. Cæſar fuiſſet, ſed ſemper iratus; ſi aſpernaretur amicitiam meam, ſeſeque mihi implacabilem, [b] inexplicabilemque præberet; tamen ei, cùm tantas res geſſiſſet, gereretque quotidie, non amicus eſſe non poſſem; cujus ego imperio non Alpium vallum contra adſcenſum tranſgreſſionemque Gallorum, non Rheni foſſam gurgitibus illis redundantem, Germanorum immaniſſimis gentibus objicio & oppono; perfecit ille, ut ſi montes [c] reſediſſent, amnes exaruiſſent, non naturæ præſidio, ſed victoriâ ſuâ rebuſque geſtis Italiam munitam haberemus. Sed cum me expetat, diligat, omni laude dignum putet; tu me à tuis inimicitiis ad ſimultatem revocabis? ſic tuis ſceleribus reipublicæ præterita fata [d] refricabis? quod quidem tu, qui bene noſſes conjunctionem meam & Cæſaris, eludebas, cùm à me trementibus omnino labris, ſed tamen, cur [e] tibi nomen non deferrem, requirebas. Quanquam, quod ad me attinet, [f] *Nunquam illam imminuam curam inficiando tibi:* tamen eſt mihi conſiderandum, quantum illi, tantis reipublicæ negotiis tantoque bello impedito, ego homo amiciſſimus, ſolicitudinis atque oneris imponam; nec deſpero tamen, quanquam languet juventus, nec perinde atque debeat in laudis & gloriæ cupiditate verſatur, futuros aliquos qui abjectum hoc cadaver conſularibus ſpoliis nudare non nolint, præſertim tam affli..o, tam infirmo, tam enervato reo: qui te ita geſſeris, ut timeres ne indignus beneficio videreris, niſi ejus, à quo miſſus eras, ſimillimus extitiſſes.

XIV. An verò tu parum putas inveſtigatas eſſe à nobis latebras imperii tui, ſtrageſque provinciæ? quas quidem nos non veſtigiis odorantes

[b] *inexorabilem.* [c] *plani eſſent.* [d] *renovabis.* [e] *non facerem te reum.* [f] *nunquam liberabo te ab hâc curâ.*

35. *Alpium vallum.*] Italia Alpibus tanquam vallo munitur; quod ei à natura conceſſum eſt.

36. *Rheni foſſam.*] Galli à Germanis per Rhenum fluvium ſeparantur.

45. *Requirebas.*] Credebat Piſo, Ciceronem metu generi ſui Cæſaris deterritum fuiſſe à ſuo nomine deferendo.

46. *Inficiando tibi.*] Verſus eſt Accii Poëtæ in Atreo.

48. *Tantoque bello.*] Bellum tunc in Galliâ contra Britannos & Germanos gerebat Cæſar.

49. *Languet juventus.*] Accuſabant potiſſimum juvenes, in quibus hæc laus jam ſtigere videbatur.

51. *Conſularibus ſpoliis nudare.*] Minatur judicium repetundarum pecuniarum, quas Piſo Proconſul ex Macedonia ſuâ abſtulit.

53. *Indignus beneficio.*] Macedonia provincia Piſoni decreta fuit à Clodio, quaſi beneficium & merces pro Ciceronis exilio.

54. *Niſi ejus.*] Non decreviſſet Piſoni Clodius Macedoniam, niſi ei ſuis ſceleribus ſimillimus fuiſſet.

1. *An verò tu parùm.*] Oſtendit jam Cicero, non deeſſe crimina propter quæ poſſit in judicium apellari.

Ib. *Inveſtigatas.*] Innuit ſatis eſſe cognita Piſonis ſcelera, ob quæ comparari contra eum poſſit accuſatio.

2. *Veſtigiis odorantes.*] Metaphora à belluis,

rantes ingreſſus tuos, ſed totis volutationibus corporis & cubilibus perſecuti ſumus. Notatâ à nobis ſunt & prima illa ſcelera in adventu, cùm, acceptâ pecuniâ à Dyrrhachinis ob necem hoſpitis tui Platoris, ejus ipſius domum evertiſti, [a] cujus ſanguinem addixeras; eumque, ſervis ſymphoniacis & aliis muneribus acceptis, timentem & multum dubitantem confirmaſti, & Theſſalonicam fide tuâ venire juſſiſti; quem ne majorum quidem more ſupplicio affeciſti, cùm miſer ille ſecuribus hoſpitis ſui cervices ſubjicere geſtiret: ſed ei medico, quem tecum eduxeras, imperaſti, ut venas hominis incideret: cùm equidem [b] tibi etiam acceſſio fuit ad necem Platoris, Pleuratus ejus comes, quem necaſti verberibus, ſummâ ſenectute confectum. Idemque tu Rabocentum, Beſſicæ gentis principem, cùm te trecentis talentis regi Cotto vendidiſſes, ſecuri percuſſiſti: cùm ille ad te legatus in caſtra veniſſet, & ibi magna præſidia & auxilia à Beſſis peditum equitumque polliceretur: neque eum ſolùm, ſed etiam cæteros legatos, qui ſimul venerant: quorum omnium capita regi Cotto vendidiſti. Denſeletis, quæ natio ſemper obediens huic imperio, etiam in illâ omnium barbarorum defectione Macedonicâ C. Sentium Prætorem tutata eſt, nefarium bellum & crudele intuliſti: eiſque cùm fideliſſimis ſociis uti poſſes, hoſtibus uti acerrimis maluiſti. Ità perpetuos defenſores Macedoniæ, vexatores, ac perditores effeciſti; vectigalia noſtra perturbarunt, urbes ceperunt, vaſtarunt agros, ſocios noſtros in ſervitutem abduxerunt, familias abripuerunt, pecus abegerunt, Theſſalonicenſes, cùm oppido deſperaſſent, munire arcem coëgerunt. A te Jovis Urii fanum antiquiſſimum barbarorum ſanctiſſimumque direptum eſt; tua ſcelera dii

[a] *cujus vendideras vitam.* [b] *adjunxiſti ad mortem Platoris mortem Pleurati.*

belluis, quæ ex veſtigiis & volutationibus ſuis deprehenduntur.

3. *Cubilibus.*] Cubilia dicuntur illa loca ubi delitescunt belluæ, quaſi ſtabulantur.

5. *Dyrrhachinis.*] Dyrrhachium urbs in Macedoniâ ad mare Adriaticum, unde ſolvitur in Italiam; olim *Epidamnus* vocabatur, nunc *Durazzo*; uni Cicero tempore ſui exilii commoratus eſt, donec Senatuſconſulto revocaretur.

6. *Platoris.*] De hoc dictum eſt in Orat. de Haruſp. reſponſis.

7. *Servis ſymphoniacis.*] Servos illos acceperat à Platore.

8. *Theſſalonicam.*] Theſſalonica urbs Macedoniæ, olim ſedes Proconſulis.

10. *Securibus hoſpitis.*] Supplicia hæc conſueta apud Romanos fuere, crux, ſecuris, et dejectio de rupe.

11. *Ei medico.*] Medicum pro Chirurgo dicit.

15. *Regi Cotto.*] Cottus, aut Cotys, nomen fuit Regum Thraciæ, ut Arſaces Perſarum, teſte Livio.

20. *Denſeletis.*] Denſeleti cùm initio pacem ingenti pecuniâ emiſſent à Romanis bello laceſſiti, acerrimè ſeſe ulti ſunt.

21. *Barbarorum.*] Cùm Thraces in Macedoniam incurriſſent, atque eam effent populati, Sentium, ut Sigonius ait, non Sextium, Denſeleti tutati ſunt, à quibus iſti Barbari ſuperati ſunt.

28. *Jovis Urii.*] Jupiter Urius à ſecundo vento dictus eſt, cui in faucibus Ponti Euxini templum poſitum fuiſſe ſcribit Turnebus adverſ. lib. 21. cap. 15.

immor-

immortales in noſtros milites expiaverunt: qui cùm uno genere morbi affligerentur, neque ſe recreare quiſquam poſſet, qui ſemel incidiſſet; dubitabat nemo, quin violati hoſpites, legati necati, pacati atque ſocii nefario bello laceſſiti, fana vexata, hanc tantam efficerent vaſtitatem. Cognoſcis ex particulâ parvâ ſcelerum & crudelitatis tuæ genus univerſum. Quid avaritiæ, quæ criminibus infinitis implicata eſt, ſummam nunc explicem? generatim ea quæ maximè nota ſunt dicam; nonne ſeſtertiûm centies & octogies, quod, quaſi vaſarii nomine, in venditione mei capitis adſcripſeras, ex ærario tibi attributum Romæ in [c] quæſtu reliquiſti? nonne cum CC talenta tibi Apolloniatæ Romæ dediſſent, ne pecunias creditas ſolverent, ultro Fufidium equitem Romanum, hominem ornatiſſimum, creditorem debitoribus ſuis addixiſti? nonne, hiberna cùm legato præfectoque tuo tradidiſſes, evertiſti miſeras funditùs civitates, quæ non ſolùm bonis ſunt exhauſtæ, ſed etiam nefarias libidinum contumelias turpitudineſque ſuſtinerunt? Qui modus tibi fuit frumenti æſtimandi? qui honorarii? ſi quidem poteſt vi & metu extortum honorarium nominari; quod cùm pleræque omnes, tum acerbiſſimè Bœotii, & Byzantii, Cherronenſes, Theſſalonica ſenſit; unus tu dominus, unus æſtimator, unus venditor totâ in provinciâ per triennium frumenti omnis fuiſti. Quid ego [d] rerum capitalium quæſtiones, reorum pactiones, redemptiones, acerbiſſimas damnationes, libidinoſiſ-

[c] *fœnore.* [d] *judicia capitalia.*

32. *Violati hoſpites.*] Plator, ut ſuperius dictum eſt, ab eo interfectus eſt, in eoque jus hoſpitii à Piſone violatum eſt; hoſpites autem violare ſummum apud veteres ſcelus fuit.

37. *Seſtertium centies & octogies.*] Quadringenta quinquaginta millia aureorum, quorum quilibet valet ſexaginta duodenarios.

38. *Vaſarii nomine.*] Ea omnia *vaſarii* nomine dicebantur, quæ magiſtratibus in provinciam ituris, ad eorum uſus domeſticos ex ærario concedebantur.

Ib. *In venditione mei capitis.*] Pactionem fecerat cum Piſone Clodius, ut ſi perderet Ciceronem, pecunia illi ex ærario in ſumptum exercitûs attribueretur.

40. CC *talenta.*] Gallicorum nummorum millia centum viginti efficiunt.

Ib. *Apolloniatæ.*] Apollonia urbs eſt Illyrici.

42. *Addixiſti.*] Addici proprie bona dicuntur, cum Prætor aut ſecundo decreto bonorum poſſeſſionem largitur, hoc eſt, poſſidere jubet: aut cum ejus bona, qui judicatum facere non poteſt, petitori attribuit. At Piſo non creditoribus bona debitorum, ſed creditorum bona debitoribus addixit, quia milites ad domum Fufidii, ad hiberna miſſi ſunt.

47. *Honorarii.*] Honorarium frumentum intelligit, quod gratis & honoris causâ Prætoribus provinciarum dabatur.

48. *Bœotii.*] Bœotii populi olim ſtupiditate ſuâ male audierunt: à Bœotiâ regione in finibus Græciæ dicti, & hæc à bove, cujus ductu huc Cadmus pervenit.

Ib. *Byzantii.*] Byzantii à Byzantio Thraciæ civitate ſic dicti; quæ Conſtantinopolis à Conſtantino poſtea nuncupata eſt.

49. *Cherronenſes.*] Cherroneſus hæc in Thraciâ fuit ad Pontum Euxinum, inter Apolloniam & Thyrriadem.

51. *Reorum pactiones.*] Conveniebat cum reis pecuniâ quâ ſe redimerent à judicio.

simas liberationes proferam? tantùm locum aliquem cùm mihi notum esse senseris, tecum ipse licebit, quot in eo genere & quanta sint crimina, recordere. Quid? illam armorum officinam ecquid recordaris, cùm omni totius provinciæ pecore [e] compulso, pellium nomine omnem quæstum illum domesticum paternumque renovasti? videras enim grandis jam puer, bello Italico, repleri quæstu vestram domum, cum pater armis faciendis tuus præfuisset: quid? vectigalem provinciam, singulis rebus, quæcunque venirent, certo portorio impositio, servis tuis publicanis à te factam esse meministi? quid? centuriatus palam venditos? quid? per tuum servulum ordines assignatos? quid? stipendium militibus per omnes annos à civitatibus, mensis palam propositis, esse numeratum? quid illa in Pontum profectio, & conatus tuus? quid debilitatio atque abjectio animi tui, Macedonia Prætoria nunciata, cùm tu non solùm, quòd tibi succederetur, sed quòd Gabinio non succederetur, exsanguis & mortuus concidisti? quid Quæstor Ædilitius rejectus? præpositus legatorum tuorum optimus abs te quisque violatus? Tribuni militum non recepti? M. Bæbius, vir fortis, interfectus jussu tuo? quid, quod tu toties diffidens ac desperans rebus tuis, in sordibus, lamentis, luctuque jacuisti? quòd populari illi sacerdoti sexcentos ad bestias amicos socioque misisti?

XV. Quid,

[e] *coacto.*

57. *Pellium nomine.*] Pellibus officinæ, in quibus arma fiebant, tegebantur, ficut etiam papiliones, loricæ, clypei.

Ib. *Paternumque renovasti.*] Initio hujus Orationis vocat eum furacissimi hominis filium.

58. *Bello Italico.*] Bellum illud Italicum Marsicum seu Sociale dictum est, quod à populis anno urbis 663. excitatum est, petentibus jus civitatis.

6 . *Vectigalem provinciam.*] Macedonia provincia libera erat & immunis, & eam reddidit vectigalem Piso.

61. *Certo portorio.*] Portorium vectigal dicitur, quod pro exportandis mercibus solvitur. Unde qui hoc vectigal publicani redemerunt, portitores dicebantur.

62. *Centuriatus.*] Arguit Pisonem, quòd dignitates militares, quæ militum virtuti gratis dabantur, vendiderit. Centuriones vero sex in quâlibet erant cohorte; cohortes verò decem in legione.

Ib. *Per tuum servulum.*] Piso dedit servo suo potestatem ordines assignandi, quæ tantùm penes tribunos esse debuit.

63. *Stipendium militibus.*] Stipendium militum ex ærario accipiebatur, quod sibi retinuit Piso: & aliud militibus persolvi imperabat.

64. *Mensis propositis.*] Mensas argentariorum proponi in foris & locis publicis justit, ut militibus stipendium numeraretur.

65. *In Pontum profectio.*] Irruptionem in Pontum, ad prædandam illam provinciam, fecit: unde turpiter cum multâ suorum clade repulsus est.

66. *Macedonia Prætoria.*] Ut ab hâc provinciâ revocaretur Piso, facta est Prætoria: ut statim in illam illius anni Prætores proficiscerentur.

67. *Quæstor Ædilitius rejectus.*] Piso rejecit Quæstorem, qui Ædilis fuerat, & ei prætulit unum ex legatis, qui omnium esset turpissimus, & quem sibi Quæstorem esse, quàm illum Ædilitium maluit; licet autem sorte Quæstores obvenirent, si grati proconsulibus non essent, ab eis tamen rejici poterant. [*Hotteman.*]

72. *Populari illi sacerdoti.*] Sacerdotem Clodium vocat, quia in operta Bonæ Deæ irrepserat vestitu muliebri, ubi matronæ pro pop. Rom. facere sacra consueverant.

73. *Ad bestias.*] Piso è suâ provinciâ mul-

XV. Quid, quòd cùm ſuſtentare vix poſſes mœrorem tuum, doloremque deceſſionis, Samothraciam te primùm, poſt inde Thaſum cum tuis teneris ſaltatoribus, & cum Autobulo, Athamante & Timocle, formoſis fratribus, contuliſti? quid, quòd cum inde te recipiens, in villâ Euchadiæ, quæ fuit uxor Exegiſti, jacuiſti, mœrens aliquot dies; atque inde [a] obſoletus Theſſalonicam, omnibus inſcientibus, noctuque veniſti? qui cùm concurſum plorantium, ac tempeſtatem querelarum ferre non poſſes, in oppidum devium Beroëam profugiſti: quo in oppido cùm tibi ſpe falſâ, quòd Q. Ancharium non eſſe ſucceſſurum putares, animos rumor inflaſſet; quo te modo ad tuam intemperantiam, ſcelerate, innovaſti? Mitto aurum coronarium, quod te diutiſſimè torſit; cùm modò velles, modò nolles; lex enim generi tui & decerni, & te accipere vetabat, niſi decreto triumpho; in quo tu, acceptâ tamen & devoratâ pecuniâ, ut in Achæorum centum talentis, evomere non poteras: vocabula tantùm pecuniarum, et genera mutabas. Mitto diplomata totâ in provinciâ paſſim data: mitto numerum navium, [b] ſummamque prædæ: mitto rationem exacti imperatique frumenti: mitto ereptam libertatem populis, ac ſingulis, qui erant affecti præmiis nominatim: quorum nihil eſt, quod non ſit lege Juliâ, ne fieri liceat, ſancitum diligenter. Ætoliam, quæ procul à barbaris disjuncta gentibus, in ſinu pacis poſita, medio ferè Græciæ gremio continetur (ô pœna, ô furia ſociorum!)

[a] *ſordidus.* [b] *magnamque prædam.*

multos miſit, qui cum beſtiis pugnarent in iis ludis, quos Publii Clodii amici populo præbebant. Arguit autem Piſonem crudelitatis & perfidiæ, quod ad id & ſocios & amicos populi Romani miſerit.

2. *Samothraciam.*] Samothracia inſula eſt in mari Ægeo juxta Lemnon.

3. *Thaſum.*] In eodem mari Ægeo inſula.

7. *Concurſum plorantium.*] Eos deſignat qui vexati fuerant à Piſone.

9. *Beroëam.*] Berœa Macedoniæ urbs, Thraciæ Theſſalonicæ proxima.

10. *Ancharium.*] Ancharius ſucceſſor Piſonis in provinciâ Macedonicâ.

12. *Aurum coronarium.*] Aurum coronarium dicitur, quod à victis gentibus datur; imponebant autem illud imperatores propter conceſſam vitam, vel, ut ait Gellius lib. 5. cap. 6. *Triumphales coronæ ſunt aureæ, quæ imperatoribus ob honorem triumphi mittuntur. Hæ antiquitùs è lauro erant, poſtea fieri ex auro cœptæ.*

13. *Lex enim generi tui.*] Lex Julia lata à Julio Cæſare vetabat, ne cui, qui in provinciâ cum poteſtate imperiove eſſet, pecuniam capere, conciliare liceret: extra quam ſi ad monumentum, templumve capiat.

15. *Ut in Achæorum.*] Sic locum hunc reſtituunt Turnebus, Gruterus, & Græv ius è MSS. Olim editi habent *Utinachorum*, quæ vox nihili eſt. Sed, *Quis ignorat Achæos ingentem pecuniam pendere L. Piſoni quotannis?* inquit Cic. in Orat. de Prov. Conſ. c. 3.

Ib. *Evomere non poteras.*] Metaphora, id eſt, rependere illam pecuniam quam à provinciâ abſtulerat.

16. *Vocabula tantùm.*] Pecuniam acceptam non coronarium aurum, ſed alio nomine appellabat.

Ib. *Mitto diplomata.*] Diplomata edicta ſunt & mandata principum regio ſigno ſancta. Nos vulgo dicimus patentes literas.

18. *Imperatique frumenti.*] Frumentum imperabantur dare provinciales ad alendum exercitum Proconſulis.

21. *Ætoliam.*] Ætolia Achaiæ regiuncula eſt, Epiro, Acarnaniæ, & Locris finitima.

decedens miſeram perdidiſti. Arſinoën, Stratum, Naupactum, ut modò tutè indicaſti, nobiles urbes atque plenas, fateris ab hoſtibus eſſe captas; quibus autem hoſtibus? nempe iis, quos tu Ambraciæ ſedens, primo tuo adventu ex oppidis Agrinarum atque Dolopum demigrare, & aras & focos relinquere coegiſti. Hoc tu in exitu, præclare imperator, cùm tibi ad priſtinas clades acceſſio fuiſſet Ætoliæ repentinus interitus, exercitum dimiſiſti: neque ullam pœnam, quæ tanto facinori deberetur, non maluiſti ſubire, quàm numerum tuorum militum reliquiaſque cognoſcere. Atque ut duorum Epicureorum ſimilitudinem in re militari imperioque videatis: Albucius cùm in Sardiniâ triumphaſſet, Romæ damnatus eſt; hic cùm ſimilem exitum ſperaret, in Macedoniâ tropæa poſuit: eaque, quæ bellicæ laudis victoriæque omnes gentes inſignia & monumenta eſſe voluerunt, noſter hic præpoſterus imperator, amiſſorum oppidorum, cæſarum legionum, provinciæ præſidio & reliquis militibus orbatæ, ad ſempiternum dedecus ſui generis & nominis funeſta indicia conſtituit; idemque, ut eſſet, quod in baſi tropæorum incidi inſcribique poſſet, Dyrrhachium ut venit, decedens, obſeſſus eſt ab iis ipſis militibus, quos paulò ante Torquato reſpondit beneficii causâ abs ſe eſſe dimiſſos; quibus cum juratus affirmaſſet, ſe, quæ deberentur, poſtero die perſoluturum, domum ſe abdidit: inde nocte intempeſtâ, crepidatus, veſte ſervili, navem conſcendit, Brunduſiumque vitavit, & ultimas Hadriani maris oras petivit: cùm interim Dyrrhachii milites domum, in quâ iſtum eſſe arbitrabantur, obſidere cœperunt, & cum latere hominem putarent, ignes circumdederunt; quo metu commoti Dyrrhachini, pro-

24. *Arſinoen.*] Ætoliæ oppidum eſt Arſinoë.

Ib. *Stratum.*] Urbs Acarnaniæ, quam & Stratopolim Diodorus nominat.

Ib. *Naupactum.*] Naupactum ſeu Naupactus urbs Ætoliæ & regionis caput in orâ ſinûs Corinthiaci.

27. *Ambraciæ.*] Ambracia civitas Theſprotiæ, quam Auguſtus Nicopolim à victoriâ nominavit, quando vicit Antonium.

Ib. *Agrinarum.*] Turnebus *Agrianum* legit; populi, qui & Agræi dicuntur, in Pæoniâ.

28. *Dolopum.*] Dolopes Theſſaliæ populi, ut vult Stephanus: Plinius eos Ætoliæ annumerat, & Epiro Ptolomæus.

33. *Duorum Epicureorum.*] Intelligit Albucium & Pitonem; de Albucio vide Orat. de provinciis Conſul.

36. *Tropæa poſuit.*] Tropæa quædam erant virtutis bellicæ monumenta, quæ vel fuſis vel fugatis hoſtibus ad gloriam victorum erigebantur; primis temporibus fuerunt arborum trunci hoſtilibus armis veſtiti, deinde è lapidibus excitata ſunt; ultimis verò Romanorum temporibus, quibus floruit imperatorum nomen & gloria, pro tropæis arcus magnifici inſculptis undequaque eorum victoriis erecti ſunt.

43. *Beneficii causâ abs ſe eſſe dimiſſos.*] Quadruplex fuit miſſio, honeſta, ignominioſa, gratioſa, cauſaria: honeſta, quæ emeritis ſtipendiis datur: ignominioſa, quæ datur in pœnam: gratioſa, quæ beneficii loco: cauſaria, quæ ob morbum.

46. *Crepidatus.*] Græci crepidis utebantur.

47. *Hadriani maris.*] Adrianum ſive Adriaticum mare ad ſeptentrionem Italiam alluit, Inferum ſive Tyrrhenum ad meridiem.

fugiſſe

fugisse noctu crepidatum imperatorem indicaverunt; illi autem statuam istius persimilem, quam stare celeberrimo in loco voluerat, ne suavissimi hominis memoria moreretur, deturbant, affligunt, comminuunt, dissipant; sic odium, quod in ipsum attulerant, id in ejus imaginem ac simulacrum profuderunt.

PERORATIO.

Peroratio conficitur brevi enumeratione eorum omnium quæ per totam orationem sparsa sunt.

XVI. Quæ cùm ita sint, non dubito, quin, cùm hæc, quæ excellunt, me nosse videas, non existimes, mediam illam partem & turbam flagitiorum tuorum mihi esse inauditam; nihil est, quod me hortere; nihil est, quod invites; admoneri me satis est; admonebit autem nemo alius, nisi reipublicæ tempus: quod mihi quidem magis videtur, quàm tu unquam arbitratus, appropinquare. Ecquid vides, ecquid sentis lege judiciariâ latâ, quos posthac judices simus habituri? non æque legetur; quisquis voluerit; nec, quisquis noluerit, non legetur; nulli conjicientur in illum ordinem, nulli eximentur: non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad simulationem conjicietur; judices judicabunt ii, quos lex ipsa, non quos hominum libido delegerit. Quod cùm ita sit, mihi crede, neminem invitus invitabis: res ipsa, et reipublicæ tempus aut me ipsum, quod nolim, aut alium quempiam, aut invitabit, aut dehortabitur. Equidem, ut paulò ante dixi, non eadem supplicia esse in hominibus existimo, quæ fortasse plerique, damnationes, expulsiones, neces: de-

3. *Nihil est, quod me hortere.*] Ostendit Cicero nihil esse, quod Piso eum hortetur, ut ipsi litem intendat. Nondum tempus esse, quia, fortasse Cæsar offensus esset, qui nunc gravissimis bellis in Galliâ detinebatur.

7. *Lege judiciariâ.*] Legem judiciariam ante aliquot annos, quibus temporibus accusatus est Verres à Cicerone, tulit Aurelius Cotta Prætor, quâ communicata sunt judicia Senatui, & equitibus Rom. & Tribunis ærariis; rursus deinde Pompeius in Consulatu secundo, quo hæc Oratio dicta est, promulgavit, ut amplissimo ex censu ex centuriis aliter, quàm antea lecti judices, æque tamen ex illis tribus ordinibus res judicarent.

8. *Non æque legetur.*] Pompeius legi huic superiori addidit, ut quinque & septuaginta judicarent, & ex censu legerentur, adeo ut nemo posset se eximere à judicio, nec per gratiam, aut fraudem se immittere.

11. *Ad simulationem conjicietur.*] Translatum ab eo more quo lecti per gratiam, aut probitatis simulationem judices conjiciebantur in numerum, id est, decuriabantur; quare aberit à judiciis omnis fraus, quæ specie probitatis & justitiæ committebatur.

13. *Invitus invitabis.*] Id dicit, quia Piso, quanquam invitus, Ciceronem invitabat ut ei litem intenderet.

14. *Quod nolim.*] Cicero non vult intendere Pisoni litem, ne Cæsari displiceat, quia socer ejus erat Piso.

17. *Quæ fortasse plerique.*] Subauditur *existimant*; damnationes, expulsionesque revera non sunt supplicia, quia viris bonis possunt accidere.

nique nullam mihi pœnam videtur habere id, quod accidere innocenti, quod forti, quod ſapienti, quod bono viro & civi poteſt. Damnatio iſta, quæ [a] in te flagitatur, obtigit P. Rutilio: quod ſpecimen habuit hæc civitas innocentiæ. Major mihi judicum, & reipublicæ pœna illa viſa eſt, quàm Rutilii. L. Opimius ejectus eſt patriâ, is qui Prætor & Conſul maximis rempubl. periculis liberabat; non in eo, cui facta eſt injuria, ſed in iis quæ fecerunt, ſceleris ac conſcientiæ pœna remanſit. At contra bis Catilina abſolutus: emiſſus etiam ille auctor tuus provinciæ, cùm ſtuprum Bonæ Deæ pulvinaribus intuliſſet; quis fuit in tantâ civitate, qui illum inceſto liberatum, non eos, qui ita judicarunt, pari ſcelere adſtrictos arbitraretur? An ego expectem, dum de te quinque & ſeptuaginta tabellæ diribeantur, de quo jampridem omnes mortales omnium generum, ætatum, ordinum judicaverunt? quis enim te aditu, quis ullo honore, quis denique communi ſalutatione dignum putet? omnes memoriam conſulatûs tui, facta, mores, faciem denique ac nomen à republicâ deteſtantur. Legati, qui unà fuere, alienati; tribuni militum inimici: centuriones, & ſi qui ex tanto exercitu reliqui milites exiſtunt, non dimiſſi abs te, ſed diſſipati te oderunt, tibi peſtem [b] exoptant, te execrantur. Achaia exhauſta: Theſſalia vexata: laceratæ Athenæ: Dyrrhachium & Apollonia exinanita: Ambracia direpta: Parthini & Bullienſes illu-

[a] *quæ exigitur in te.* [b] *mortem.*

20. *P. Rutilio.*] Rutilius ab equitibus de repetundis pecuniis damnatus eſt, qui graviſſimè in eum erant offenſi quòd Q. Mucii Quæſtor in Aſiâ, provinciam à Publicanorum fraudibus vindicaverat. Cicero in Bruto.

22. *L. Opimius.*] L. Opimius Prætor Fregellas cepit: quo facto cæteros nominis Latini ſocios malè animatos repreſſit. Conſul Fulvium Flaccum Conſularem & triumphalem, & C. Gracchum tribunum optimatibus infenſos oppreſſit; quod indignè ferentes Equites eum accuſatum in exilium ejecerunt. Ita Aſconius Pedian.

25. *Bis Catilina abſolutus.*] Catilina repetundarum à Clodio adoleſcente accuſatus eſt, cùm rediit ex Africâ, & inceſtûs cum Fabiâ veſtali.

26. *Emiſſus etiam.*] Clodius evaſit etiam judicium, à quo Piſo Macedoniam obtinuit.

29. *Quinque & ſeptuaginta.*] Lege Pompeia latum eſt, ut quinque et ſeptuaginta judices cauſam cognoſcerent, & ſententiam ferrent tabulâ.

30. *Diribeantur.*] Id eſt, diſtribuantur ſive ſeparentur; quod verbum non tantùm in comitiis ſed etiam in judiciis uſurpabatur; diribebant verò in comitiis, quando ſuffragantes tabulas à refragantibus, et in judiciis, cùm condemnantes ab abſolventibus ſeparabant.

34. *Deteſtantur.*] Omnes Piſonem tanquam malum auſpicium deteſtabantur.

37. *Achaia.*] Achaia Græciæ regio eſt, quæ à ſeptentrione Theſſaliâ terminatur.

38. *Theſſalia.*] Theſſalia regio & pars Macedoniæ eſt, cum ejuſdem nominis oppido.

Ib. *Athenæ.*] Athenæ Græciæ civitas inter Macedoniam & Achaiam, in eâ littorali religione, quæ olim Acta, deinde Attica dicta eſt.

Ib. *Dyrrhachium.*] Dyrrhachium urbs eſt Macedoniæ mari Adriatico incumbens.

Ib. *Apollonia.*] Apollonia quæ Tauſantinorum dicitur, in Macedoniâ oppidum eſt ad Ionicum mare. Ptol.

39. *Ambracia.*] De eâ ſuperius dictum.

Ib. *Parthini.*] Populi Macedoniæ. Plinius, l. 3. cap. 23.

Ib. *Bullienſes.*] Macedoniæ populi non procul ab Apolloniâ, quorum urbs Bullis dicitur in eâ parte quâ mari Adriatico adjacet.

ſi; Epirus exciſa; Locri, Phocii, Bœotii exuſti: Acarnania, Amphilochia, Perrhœbia, Athamanumque gens vendita: Macedonia [c] condonata barbaris: Ætolia amiſſa: Dolopes finitimique montani oppidis atque agris exterminati: cives Rom. qui in iis locis negotiantur, te unum ſolum ſuum [d] depeculatorem, vexatorem, prædonem, hoſtem, veniſſe ſenſerunt. Ad horum omnium judicia tot atque tanta, domeſticum judicium acceſſit ſententiæ damnationis tuæ: occultus adventus, furtivum iter per Italiam, introitus in urbem deſertus ab amicis, nullæ ad Senatum è provinciâ literæ, nulla ex trinis æſtivis gratulatio, nulla triumphi mentio: non modò, quid geſſeris, ſed ne quibus in locis quidem fueris, dicere audes. Ex illo fonte & ſeminario triumphorum cùm arida folia laureæ retuliſſes, cùm ea abjecta ad portam reliquiſti, tum tu ipſe de te FECISSE VIDERI pronunciaviſti; qui ſi nihil geſſeras dignum honore, ubi exercitus? ubi ſumptus? ubi imperium? ubi illa uberrima ſupplicationibus triumphiſque provincia? ſin autem aliquid ſperare voluerâs, ſi cogitaras id, quod imperatoris nomen, quod laureati faſces, quod illa tropæa, plena dedecoris & risûs, te [e] commentatum eſſe declarant: quis te miſerior? quis te damnatior, qui neque ſcribere ad Senatum à te bene rempublicam eſſe geſtam, neque præſens dicere auſus

[c] *conceſſa.* [d] *latronem.* [e] *cogitaviſſe.*

40. *Epirus.*] Epirus regio eſt Græciæ finitima, Acheloo fluvio ad ortum terminata, ad occaſum Acrocerauniis montibus, ad ſeptentrionem Macedoniâ, ad meridiem Ionio mari.

Ib. *Locri.*] Locri iſti Achaiæ populi ſunt qui à Pauſania Ozolæ nominantur.

Ib. *Phocii.*] Achaiæ populi Bœotiam inter & Ætoliam.

Ib. *Bœotii.*] De his dictum eſt.

Ib. *Acarnania.*] Acarnania regiuncula & pars Epiri eſt, merſa medio ſinu Ambracio. Vide Plinium lib. 2. cap. 90.

41. *Amphilochia.*] Amphilochia urbs in Acarnaniâ vel in Ætoliâ, ut placet Straboni

Ib. *Perrhœbia.*] Perrhœbe vicus Theſſaliæ, unde populi Perrhœbi, qui Lapitharum potentiâ fracti fugerunt in Ætoliæ montana Pindo monti proxima; quæ regio ab ipſis Perrhœbia dicta eſt. Ita Steph.

Ib. *Athamanum gens.*] Athamanes ex Plinio lib. 4. cap 2. Ætoliæ populi ſunt.

42. *Finitimique montani.*] Mœſiâ montanâ à ſeptentrione Macedonia terminatur.

46. *Domeſticum judicium.*] Judicium intelligit, quo ſe Piſo condemnavit, cùm ſine comitatu, &c. in urbem introivit.

49. *Trinis æſtivis.*] Per has voces deſignat tres annos, quibus Piſo Macedoniam adminiſtravit ſine ullâ laude victoriæ.

53. *Feciſſe videri.*] Verba ſunt judicum, qui condemnabant. Non enim cùm reus damnabatur ab eis, feciſſe dicebant, ſed feciſſe videri. Cicer. ad Att. lib. 4.

58. *Tropæa, plena dedecoris.*] De tropæis ſuperiùs dictum eſt, Paragr. xv. not. ad l. 36. plena autem, quæ ſibi Piſo erexit, dedecoris dicit, quia non victoriarum, quas reportavit, ſed perditarum urbium fuere monumenta.

60. *Bene rempub. eſſe geſtam.*] Formula fuit ſupplicationis aut decernendæ aut petendæ, vel etiam triumphi.

Ib. *Præſens dicere.*] Non ſolùm imperatores abſentes miſſis ad Senatum literas laureatis, verùm etiam præſentes in Senatu extra pomœrium antequam triumphantes urbem ingrederentur, triumphum, aut ſupplicationes ſibi decerni petebant. Vide Livium lib. 48.

es? An tu mihi (cui ſemper ita perſuaſum fuerit, non eventis, ſed factis cujuſque fortunam ponderari, neque in tabellis paucorum judicum, ſed in ſententiis omnium civium famam noſtram fortunamque pendere) te indemnatum videri putas, quem ſocii, quem fœderati, quem liberi populi, quem ſtipendiarii, quem negotiatores, quem publicani, quem univerſa civitas, quem legati, quem tribuni militares, quem reliqui milites, qui ferrum, qui famem, qui mortem effugerunt, omni cruciatu digniſſimum putant? cui non apud Senatum, non apud ullum ordinem, non apud equites Romanos, non in urbe, non in Italiâ maximorum ſcelerum venia ulla ad ignoſcendum dari poſſit? qui ſe ipſum oderit, qui metuat omnes, qui ſuam cauſam nemini committere audeat, qui ſe ipſe condemnet? Nunquam ego ſanguinem expetivi tuum: nunquam illud extremum, quod poſſet eſſe improbis & probis commune, ſupplicium legis ac judicii: ſed abjectum, contemptum, deſpectum à cæteris, à te ipſo deſperatum & relictum, circumſpectantem omnia, quidquid increpuiſſet pertimeſcentem, diffidentem tuis rebus, ſine voce, ſine libertate, ſine auctoritate, ſine ullâ ſpecie Conſulari, horrentem, trementem, adulantem omnes videre te volui: vidi. Quare ſi tibi evenerit, quod metuis, ne accidat; equidem non moleſtè feram: ſin id tardiùs forte fiet, fruar tamen tuâ indignitate: nec minùs libenter metuentem videbo, ne reus fias, quàm reum: nec minùs lætabor, cùm te ſemper ſordidum, quàm ſi pauliſper ſordidatum viderem.

64. *Socii.*] Socii illi populi dicebantur, quibuſcum æquis conditionibus, et æquo jure ſe Romani adſtringebant.

65. *Fœderati.*] Fœderati non diſtinguuntur à ſociis, niſi quod aliquid ex fœdere populo Romano deberent. Verbi gratiâ mittebant auxilia, eaque ſumptu proprio cùm res exigebat.

Ib. *Liberi.*] Liberi populi erant, qui neque leges accipiebant à populo Rom. quibus neque populus Rom. jus dicebat.

Ib. *Stipendiarii.*] Stipendiarii populi dicti ſunt, qui aliquid populo Romano pendebant.

83. *Semper ſordidum.*] Sordidum hîc intelligit, qui in lamentis & luctu ſemper jacet.

84. *Sordidatum.*] Sordidatum verò intelligit, qui obſoletis veſtibus reus amictus eſt ad miſericordiam in ſe excitandam.

PRO

PRO

T. ANNIO MILONE.

ARGUMENTUM.

Summæ erant inimicitiæ Titum Annium Milonem inter & Publium Clodium, utrumque civem Romanum. Odii Clodiani in Milonem hæc causa fuit, quòd Milo peteret Consulatum eo anno, quo Clodius Prætura. Itaque Clodius summâ vi ac studio nitebatur, ne Milo eo anno Consul esset; quod cùm impedire non posset, Milo enim omnium voce Consul futurus pronunciabatur, Clodius de Milone interficiendo cogitavit. Egressus urbem, in villam quandam in Albano se recepit: unde vesperi rediens, obviam in viâ Appiâ Milonem habuit penulatum cum uxore, ancillis & pueris; ibi ante fundum Clodianum ortâ inter servos rixâ, & impetu in Milonem facto, Clodius occiditur. Reus cædis Milo in jus vocatur; qui plura volet, consulat Asconium Pedianum, qui rem fusissimè pertractat.

PERSONÆ.

Reus cædis Milo; accusatores Appius Major, M. Antonius, & P. Valerius Nepos. Patronus solus Cicero. Quæsitor extra ordinem, populi suffragio, creatus L. Domitius Ænobarbus: judices quinquaginta & unus, Senatores nempe octodecim, Equites septendecim, Tribuni ærarii sexdecim.

TEMPUS.

Habita est hæc oratio III. *Idus April. Pompeio magno tertium Consule sine collegâ, anno urbis conditæ* 701. *Ciceronis ætatis* 54. *qui cùm incipere diceret, Clodianorum clamoribus exceptus est, unde non eâ libertate, & vi, quâ solitus erat, pronunciavit.*

LOCUS.

LOCUS.

Acta fuit in foro, quod dispositis armatis militibus complevit Pompeius: ipse verò cum præsidio ad ærarium stabat.

CAUSA.

Publica est de vi, & in genere judiciali; & quia non ambiguum erat, quin à Milone Clodius interfectus fuisset, quæritur uter utri insidias fecerit.

PARTES.

Illius orationis partes sunt Exordium, Propositio cum distributione, Confutatio, Narratio, Constitutio causæ, Confirmatio, Peroratio.

EVENTUS.

Triginta & octo judicum suffragiis damnatus est Milo. Sciebant illi quidem, insscio Milone, Clodium vulneratum esse, sed compererant, inquit Asconius Pedianus, postquam vulneratus esset, jussu Milonis interfectum fuisse. Statim atque condemnatus est Milo, in exilium Massiliam profectus est, quo cùm ei delata fuisset hæc oratio tantâ ingenii subtilitate elaborata, dixisse fertur: Si sic egisses, M. Tulli, barbatos pisces Milo non ederet.

EXORDIUM.

Exorditur Cicero ab adjunctis hujus judicii.

I. ETSI vereor, Judices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere; minimeque [a] deceat, cùm T. Annius [Milo] ipse magis de reipub. salute, quàm de suâ perturbetur, me

INTERPRETATIO.

[a] *decorum sit.*

NOTÆ.

9. *Quàm de suâ perturbetur.*] Moris fuit, ut quicunque in judicium vocaretur, sordidatus veniret. Cùm autem non minùs splendide vestitus Milo staret coram judicibus, periculum erat, nè illi offenderentur. Quare ut hanc ab illo invidiam removeret, eique benevolos suos judices conciliaret, ait eum non tam de suâ, quàm de totius Reipubl. salute perturbari; verebatur enimvero, ne quid suâ causâ tumultûs in civitate nasceretur.

ad

ad ejus cauſam parem animi magnitudinem afferre non poſſe; tamen hæc novi judicii nova forma terret oculos, qui, quocunque [b] inciderunt, veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem judiciorum requirunt: non enim coronâ conſeſſus veſter cinctus eſt, ut ſolebat; non uſitatâ frequentiâ ſtipati ſumus; nam illa præſidia, quæ [c] pro templis omnibus cernitis, etſi contra vim collocata ſunt, non afferunt tamen oratori aliquid, ut in foro & in judicio, quanquam, præſidiis ſalutaribus & neceſſariis ſepti ſumus, tamen [d] ne non timere quidem ſine aliquo timore poſſimus; quæ ſi oppoſita Miloni putarem, cederem tempori, Judices, nec inter tantam vim armorum exiſtimarem oratori locum eſſe; ſed me recreat & reficit Cn. Pompeii, ſapientiſſimi & juſtiſſimi viri, conſilium: qui profectò nec juſtitiæ ſuæ putaret eſſe, quem reum ſententiis judicum tradidiſſet, eundem telis militum [e] dedere; nec ſapientiæ, [f] temeritatem concitatæ multitudinis auctoritate publicâ armare. Quam-

[b] *reſpexerunt.* [c] *in.* [d] *ne poſſimus quidem audere ſine aliquo timore.* [e] *exponere.* [f] *audaciam commotæ plebis.*

5. *Novi judicii.*] Judicium illud novum vocat, quia inſuetum fuit; 1. quia lex nova lata eſt à Pompeio præter morem, ut de morte Clodii quæreretur, cui factas fuiſſe inſidias à Milone Appius Claudius adoleſcens dixerat centeſimo & altero die poſt cædem Clodii. 2. quia tulerat, ut priuſquam cauſa hæc ageretur teſtes per triduum audirentur, & dicta eorum judices conſignarent; quartâ die adeſſe omnes in poſterum diem juberentur, & coram accuſatore ac reo pilæ, in quibus nomina judicum inſcripta eſſent, æquarentur; deinde rurſus poſtero die ſortitio fieret unius & 80. qui numerus cum ſorte obtigiſſet, ipſi protinus ſeſſum irent: tum ad dicendum accuſator duas horas, reus tres haberet, reuſque illo eodem die judicaretur. Prius autem quàm ſententiæ ferrentur, quinos ex ſingulis ordinibus accuſator, totidem reus rejiceret: ita ut numerus judicum relinqueretur, qui ſententias ferrent, quinquaginta & unus: ita Aſconius in Milonianæ argumento. 3. quia quæſitor fuit, non Prætor de more, ſed L. Domitius Ænobarbus, vir Conſularis, creatus populi ſuffragiis.

Ib. *Nova forma.*] Nova judicii forma fuit, quia Pompeius exercitum in foro & in omnibus templis armatos homines collocaverat,

7. *Non enim coronâ.*] Quando cauſæ agebantur, confluebat ut plurimum magna civium multitudo, qui in morem coronæ circumſtabant judicum ſubſellia, tum ut oratores, tum ut exitum judicii audirent.

9. *Contra vim.*] Ut conciliet Pompeium ſibi & Miloni, ait, hæc præſidia eſſe diſpoſita ad tutelam, contra vim quæ à Clodianis huic judicio inferri poſſet.

10. *Non afferunt tamen oratori aliquid.*] Corrigit ſe, atque non tamen efficere, ut Orator non timeat, etiamſi ipſi non timendi cauſa ſit.

12. *Sine aliquo timore.*] Plutarchus de Cicerone ſcribit, dicere incipientem ſemper timuiſſe; quare cum ipſe Milo vereretur ne Cicero militum armatorum præſentiâ percelleretur, ei ſuaſit, ut lectica delatus in forum, quieſceret quoad judices conveniſſent: viſis verò militibus armatis, quibus undequaque forum cingebatur, tanto timore correptus eſt, ut trepide admodum inceperit. Itaque ſic attentos facit judices, ut ex cauſis ſuum metum excuſet.

19. *Auctoritate publicâ.*] Auctoritas penes Pompeium erat, quia conſulatum gerebat; quâ, ut ſibi faventem Pompeium reddat, teſtatur, illum abuti nolle ad Milonem opprimendum.

obrem

20obrem illa arma, centuriones, cohortes, non periculum nobis, ſed præſidium denunciant: neque ſolùm, ut quieto, ſed etiam ut magno animo ſimus, hortantur: neque auxilium modò defenſioni meæ verùm etiam ſilentium pollicentur. Reliqua verò multitudo, quæ quidem eſt civium, tota noſtra eſt: neque eorum quiſquam, quos 25undique intuentes ex hoc ipſo loco cernitis, unde aliqua pars fori aſpici poteſt, & hujus [g] exitum judicii expectantes videtis, non cùm virtuti Milonis favet; tum de ſe, de liberis ſuis, de patriâ, de fortunis hodierno die [h] decertari putat. Unum genus eſt adverſum infeſtumque nobis, eorum quos P. Clodii furor 30rapinis, incendiis, & omnibus exitiis publicis pavit: qui heſternâ etiam concione incitati ſunt, ut vobis voce [i] præirent, quid judicaretis; quorum clamor, ſi quis forte fuerit, admonere vos debebit, ut eum civem retineatis, qui ſemper genus illud hominum, clamoreſque maximos pro veſtrâ ſalute neglexit. 35Quamobrem adeſte animis, Judices, & timorem, ſi quem habetis, deponite. Nam ſi unquam de bonis & fortibus viris, ſi unquam de bene meritis civibus poteſtas vobis judicandi fuit: ſi denique unquam [k] locûs ampliſſimorum ordinum delectis viris datus eſt, ubi ſua ſtudia erga fortes & bonos cives, quæ vultu & 40verbis ſæpe ſignificaſſent, re & ſententiis declararent: hoc profecto tempore eam poteſtatem omnem vos habetis, ut ſtatuatis, utrum nos, qui ſemper veſtræ auctoritati dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus; an diu vexati à perditiſſimis civibus, aliquando per

[g] *eventum.* [h] *contendit.* [i] *præſcriberent.* [k] *occaſio.*

20. *Centuriones.*] Centuriones ſingulis Centuriis præerant.

Ib. *Cohortes.*] In cohorte ſexcenti erant milites.

24. *Quæ quidem eſt civium.*] Tria aderant huic judicio hominum genera: milites, quos oppoſuit Pompeius: cives, ut exitum hujus judicii viderent: & Clodiani, ut Miloni nocerent. Porro cives compellat, ut eos à Clodianis ſeparet, qui cives non ſunt, quia ſeditioſi.

30. *Rapinis.*] Malos cives rapinis ſibi Clodius devinxerat: nam Piſoni & Gabinio vendidit provincias Conſulares, cum eis partitus eſt ærarium, & Brogitaro Peſſinuntem vendidit.

Ib. *Incendiis.*] Idem Clodius Quinti Ciceronis & Marci Ciceronis domum cum prædiis, & Nympharum templum incendit.

Ib. *Exitiis.*] Exitioſus fuit Reipublicæ Clodius, quando ſæpius ſeditiones excitavit in foro, ac maximè cum de reditu Ciceronis actum eſt: immiſit enim gladiatores, à quibus multi interfecti ſunt, ut in Sextianâ dictum eſt.

Ib. *Heſterna etiam concione.*] Munatius Plancus tribunus plebis, pridie quàm hæc haberetur oratio, in concione populum adhortatus eſt, ne Milonem elabi pateretur, ut refert *Aſconius.*

38. *Ampliſſimorum ordinum.*] Selecti ſunt judices à Pompeio ex Senatorio & equeſtri ordine, & ex tribunis ærariis, quibus nunquam ſanctiores & clariores ſelectos fuiſſe *Aſconius* ſcribit.

41. *Ut ſtatuatis.*] Videlicet in ferendâ ſententiâ ſtatuere debebant, utrum boni cives ab improbis ſemper opprimendi, aut liberandi ſint.

42. *Veſtræ auctoritati dediti fuimus.*] Cicero ſemper addictus fuit Senatui & equeſtri ordini, cujus utriuſque ſemper auctoritatem ubique defendit contra ſeditiones Clodianorum.

vos ac veſtram fidem, virtutem, ſapientiamque recreemur. Quid enim nobis duobus, Judices, laborioſius? quid magis ſolicitum, magis exercitum dici aut fingi poteſt? qui ſpe ampliſſimorum præmiorum ad rempublicam adducti, metu crudeliſſimorum ſuppliciorum carere non poſſumus. Equidem cæteras [m] tempeſtates & procellas in illis duntaxat [n] fluctibus concionum ſemper putavi Miloni eſſe ſubeundas, quòd ſemper pro bonis contra improbos ſenſerat; in judicio verò & in eo conſilio, in quo ex cunctis ordinibus ampliſſimi viri judicarent, nunquam exiſtimavi ſpem ullam eſſe habituros Milonis inimicos, ad ejus non ſalutem modo [o] extinguendam, ſed etiam gloriam per tales viros [p] infringendam.

[m] *contentiones.* [n] *commotionibus.* [o] *perdendam.* [p] *minuendam.*

44. *Ac veſtram fidem.*] Per fidem intelligit juramentum, quo ſe judices adſtringebant ſe ſanctè judicaturos; inde poſt juramentum adſtricti religione tenebantur.

Ib. *Quid enim nobis duobus, &c.*] Excitat in ſe & in Milonem judicum commiſerationem à laboribus, quibus uterque à Clodianis exercitatus eſt.

46. *Spe ampliſſimorum præmiorum.*] Honores notat ſeu magiſtratus, quos ſuâ virtute Milo obtinuit: nam tribunus fuerat, & mòdo conſulatum petebat.

47. *Crudeliſſimorum ſuppliciorum.*] Conatus fuerat ſemper Clodius Miloni nocere; & eo jam mortuo Clodiani ejus furoris hæredes de Milonis pernicie cogitant.

PROPOSITIO.

Proponit quòd jure Milo occidit Clodium; 1. *quia Clodius fuit inſidiator*: 2. *quia pernicioſus fuit Reipublicæ civis.*

II. Quanquam in hac cauſâ, Judices, T. Annii tribunatu, rebuſque omnibus pro ſalute reipublicæ geſtis, ad hujus criminis defenſionem non [a] abutemur, niſi oculis videritis inſidias Miloni à Clodio eſſe factas: nec deprecaturi ſumus, ut crimen hoc nobis multa propter præclara in rempublicam merita [b] condonetis: nec poſtulaturi, ut, ſi mors P. Clodii ſalus veſtra fuerit, idcirco eam virtuti Milonis potiùs quàm populi Romani felicitati aſſignetis; ſin illius inſidiæ clariores hac luce fuerint, tum denique obſecrabo obteſtaborque vos, Judices, ſi cætera amiſimus, hoc ſaltem no-

[a] *utemur.* [b] *remittatis.*

1. *Quanquam in hac cauſâ.*] Æquitatem ſuæ cauſæ prædicat, eamque totam informat.

Ib. *Annii tribunatu.*] Anno ſequenti, poſt tribunatum Clodii, Milo tribunus factus eſt.

Ib. *Rebuſque.* Compeſcuit excitatas à Clodio ſeditiones tribunus Milo, & revocandum Ciceronem ab exilio curavit.

bis ut relinquatur, ab inimicorum audaciâ teliſque vitam ut impune liceat defendere.

CONFUTATIO.

Continet hæc refutatio tria præjudicia, quæ contra Milonem à Clodianis jactabantur. Primùm, nefas eſſe ei vivere, qui à ſe hominem interfectum eſſe fateatur. Secundùm, Milonem jam damnatum eſſe Senatûs judicio. Tertiùm, eundem Milonem eſſe damnatum ſententiâ Cn. Pompeii.

III. Sed antequam ad eam orationem venio, quæ eſt propria noſtræ quæſtionis, videntur ea eſſe refutanda, quæ & in Senatu ab inimicis ſæpe jactata ſunt, & in concione ſæpe ab improbis, & jam paulo ante ab accuſatoribus; ut omni errore ſublato, rem planè, quæ venit in judicium, videre poſſitis. Negant intueri lucem eſſe fas ei, qui à ſe hominem occiſum eſſe fateatur. In quâ tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in eâ, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortiſſimi viri: qui nondum liberâ civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus eſt, cùm ſuâ manu ſororem interfectam eſſe fateretur. An eſt quiſquam qui hoc ignoret, cum de homine occiſo quæratur, aut negari ſolere omnino eſſe factum; aut rectè ac jure factum eſſe defendi? Niſi verò exiſtimatis dementem P. Africanum fuiſſe, qui cùm à C. Carbone, tribuno-

2. *Noſtræ quæſtionis.*] Judicium publicum quæſtio vocatur, quoniam in eâ reus in judicium vocatur, & quæritur utrum nocens ſit, an innocens.

5. *Negant.*] Clodiani, & inter eos Munatius Plancus & Q. Pompeius, tribuni plebis, volunt Milonem morte damnari. Primum autem eſt præjudicium, quo illi contra Milonem utebantur; præjudicium verò proprie eſt prius judicium quo ſequens aliqua controverſia, jam tum quodammodo judicata & terminata ſit. Primum autem iſtud præjudicium refutat argumento petito ab auctoritate, exemplo, & Majorum inſtituto.

8. *Horatii fortiſſimi viri.*] Tullo Hoſtilio regnante, cum tres Curiatii duos Horatios occidiſſent, ipſeque M. Horatius ſolus ſupereſſet, occidiſſet tres Curiatios. Redeunte igitur Horatio à tantâ victoriâ, obviam venit ejus ſoror, quæ nupſerat uni è Curiatiis, quæ triumphanti occurrit, flens, & querens de ſuo marito, & dolens ob victoriam Romanorum. Indignatus frater eam occidit; ob eam rem captus, & cum ad populum provocaſſet, abſolutus eſt.

9. *Nondum liberâ civitate.*] Id facinus patratum eſt Tullo Hoſtilio regnante, cum nondum per Conſules & populum Roma regebatur.

Ib. *Populi Romani comitiis.*] Comitia nihil aliud fuêre quàm populi Romani conventus, qui in urbe prope forum & curiam fiebant: qui locus inde Comitium dictus eſt, ubi etiam conciones ad populum habebantur. Comitia verò pro creandis Magiſtratibus fiebant in campo Martio.

14. *Dementem Pub. Africanum.*] Factum id exponit T. Liv. epit. lib. 58. *Tiberius Gracchus, poſt multas excitatas ſeditiones, cùm iterùm tribunis plebis creari vellet, auctore Pub. Cornelio Naſica, in Capitolio ab optimatibus occiſus eſt, ictus primùm fragmentis ſubſelliorum; & inter alios, qui in eadem ſeditione occiſi erant, inſepultus, ejſ in flumen dejectus.*

Ib. *Carbone Tribuno.*] Cùm poſt Numantiam deletam *Carbo tribunus plebis legem*

tribuno-plebis in concione ſeditioſe interrogaretur, quid de Tiberii Gracchi morte ſentiret, reſpondit, jure cæſum videri. Neque enim poſſet aut Ahala ille Servilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut, me Conſule, Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos cives interfici nefas eſſet. Itaque hoc, Judices, non ſine causâ etiam fictis fabulis doctiſſimi homines memoriæ prodiderunt, eum, qui patris ulciſcendi causâ matrem necaviſſet, variatis hominum ſententiis, non ſolum divina, ſed etiam Deæ ſapientiſſimæ ſententiâ liberatum. Quod ſi duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, ſi ſe telo defenderit, interfici impûne voluerunt; quis eſt, qui, quoquo modo quis interfectus ſit, puniendum putet, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipſis porrigi legibus? Atqui ſi tempus eſt ullum jure hominis necandi, quæ multa ſunt, certe illud eſt non modo juſtum, ve-

gem tuliſſet, ut eundem tribunum-plebis, quoties quidem vellet, creari liceret, rogationem ejus P. Africanus graviſſima oratione diſſuaſit, in quâ dixit, Tib. Gracchum jure cæſum videri. Liv. epit. lib. 59.

15. *Seditiosè interrogaretur.*] Interrogabat ſeditiosè, quia ſperabat eum aliter reſponſurum, quòd Sempronium Gracchi ſororem in matrimonio haberet.

17. *Ahala ille Servilius.*] Ex epitome Liv. lib. 4. *Cum fame populus Romanus laboraret, Spurius Melius eques Romanus frumentum populo ſuâ impensâ largitus eſt: & ob id factum conciliatâ ſibi plebe, regnum affectans à C. Servilio Ahala magiſtro equitum, juſſu Quintii Cincinnati Dictatoris, occiſus eſt* anno urbis 314.

Ib. *Aut P. Naſica.*] Cum Tiberius Gracchus in tribunatu, profuſis largitionibus favore populi occupato Rempublicam oppreſſam teneret, in ædem Fidei convocatus Senatus à Conſule Mucio Scævolâ, juſſit ut Conſul armis Rempublicam tueretur. Scævolâ negante, Scipio Naſica ſe ducem obtulit; atque eo proclamante, *Qui ſalvam Rempublicam eſſe volunt, me ſequantur*, Gracchus cum ſuâ factione interemptus eſt anno urbis 620. Valer. Maxim. lib. 3. cap. 2.

18. *L. Opimius.*] Opimius C. Gracchum Tiberii fratrem novas ſeditiones excitantem occidit anno urbis 632.

Ib. *C. Marius.*] C. Marius Saturninum interfecit. Vide Orat. pro Rabirio perduellionis reo, ubi fusè id agitur.

Ib. *Aut, me Conſule.*] Cicero Conſul, jubente Senatu, Lentulum & Cethegum cum aliis conjuratis Catilinariæ ſeditionis interfecit.

21. *Qui patris.*] De Oreſte loquitur, qui matrem Clytæmneſtram occiderat, quæ patrem ipſius Agamemnonem interfecerat; cùm in judicium adductus eſſet, variatis judicum ſententiis, deorum quæſtio conſtituta eſt, eum Minerva abſolvendum judicavit.

22. *Variatis hominum ſententiis.*] In Areopago à ſexdecim judicibus Oreſtes damnabatur, & à quindecim abſolvebatur: acceſſit Minervæ calculus, atque ità exæquatis ſententiis liberatus eſt.

23. *Deæ ſapientiſſimæ.*] Minerva Dea ſapientiæ fingebatur.

Ib. *Quod ſi duodecim tabulæ.*] Leges duodecim tabularum illæ ſunt, quæ à decemviris perlatæ ſunt, & in duodecim tabulis æreis inciſæ. Hæc autem de furto lex perlata eſt, de quâ Macrobius lib. 1. Saturn. *Si nox furtum factum ſit, ſi is* (i. e. *eum*) *aliquis occidit, jure cæſus eſto.* Priſco autem idiomate hæc verba poſita ſunt, id eſt enim, *nocte, eum, occidit.*

24. *Quoquo modo.*] Sive de telo defenderit, ſive non, ſine exceptione licet occidere; hîc autem telum ſumitur pro pugione, aut parvo aliquo gladio.

27. *Ab ipſis porrigi legibus.*] Dicuntur leges porrigere, cum aliquid nobis permittunt.

rûm

rùm etiam neceſſarium, cùm vi vis illata defenditur. Pudicitiam cùm eriperet militi tribunus militaris in exercitu C. Marii, propinquus ejus imperatoris, interfectus ab eo eſt, cui vim afferebat; facere enim probus adoleſcens periculosè, quàm perpeti turpiter malit; atque hunc ille vir ſummus ſcelere ſolutum periculo liberavit. Inſidiatori vero & latroni quæ poteſt inferri injuſta nex? Quid comitatus noſtri, quid gladii volunt? quos habere certe non liceret, ſi uti illis nullo pacto liceret. Eſt enim hæc, Judices, non ſcripta, ſed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex naturâ ipsâ arripuimus, hauſimus, expreſſimus; ad quam non docti, ſed facti; non inſtituti, ſed imbuti ſumus: ut ſi vita noſtra in aliquas inſidias, ſi in vim, ſi in tela aut latronum, aut inimicorum incidiſſet; omnia honeſta ratio eſſet [a] expediendæ ſalutis. Silent enim leges inter arma, nec ſe expectari jubent, cùm ei qui expectare velit, antè injuſta pœna [b] luenda ſit, quàm juſta repetenda. Etſi perſapienter, & quodammodo tacitè, dat ipſa lex poteſtatem defendendi; quæ non modò hominem [c] occidi, ſed eſſe cum telo hominis occidendi causâ vetat: ut, cùm cauſa, non telum quæreretur, qui ſui defendendi causâ telo eſſet uſus, non hominis occidendi causâ habuiſſe telum judicaretur. Quapropter hoc maneat in cauſa, Judices; non enim dubito quin probaturus ſim vobis defenſionem meam, ſi id memineritis, quod obliviſci non poteſtis, inſidiatorem jure interfici poſſe.

[a] *vitæ liberandæ.* [b] *patienda.* [c] *occidere.*

30. *Pudicitiam cùm eriperet.*] Cùm Caius Luſcius, ſive Luſius, ſororis Marii filius, Trebonium quendam militem ſtupri causâ ſæpe appellaſſet, noctu in tabernaculum vocavit ad ſe: morem gerit tribuno, ſed Luſium vim adhibentem ſtricto gladio confodit. Is Mario mortis cauſam aperit, teſtes producit. Laudatus is à Mario, & coronâ donatus liberatur. Hæc æquitas Marii tertium ei conſulatum promeruit. Vide Plutarchum in Mario, & Val. Max. lib. 6. cap. 1.

33. *Periculosè.*] Impendebat militi periculum, quòd imperatoris propinquum, quòd indemnatum, quòd tribunum ſuum miles occidiſſet.

37. *Eſt enim hæc.*] Amplificatio egregia legis naturæ, ubi vis ejus & facultas exprimitur; quem ipſe locum Cicero laudat in Oratore ad Brutum.

45. *Quam juſta repetenda.*] Sic licet ut vi legis ſcriptæ ſupplicio afficiatur is qui eum occiderit.

Ib. *Etſi.*] Correctio eſt oratoria, quaſi diceret, *etſi, quid dico leges ſilere inter arma, cum lex dat facultatem ſe defendendi?*

46. *Lex.*] Intelligit legem Corneliam de ſicariis, quæ lata eſt à L. Cornelio Sylla Dictatore.

48. *Ut, cùm cauſa, &c.*] Senſus ſatis implicatus ſic videtur explicandus: Non homines condemnantur, cum juſtâ de causâ geſtant arma; neque præſumitur, eum qui ea geſtat, ut ſe defendat, idcirco ea geſtare, ut homines occidat. Lex enim Cornelia non de geſtatione, ſed de fine geſtationis teli vel enſis agit; quare non reus eſt qui gerit telum vel enſem, ſed qui eo conſilio gerit ad interficiendum hominem ſine causâ.

50. *Hoc maneat in causâ.*] Id eſt, hoc conſtans & fixum maneat in iſtâ causâ, licere aliquando hominem interficere impunè, inſidiatorem videlicet.

IV. Se-

IV. Sequitur illud, quod à Milonis inimicis ſæpiſſimè dicitur, Cædem, in quâ P. Clodius occiſus eſt, Senatum judicaſſe contra rempublicam eſſe factam. Illam verò Senatus, non ſententiis ſuis ſolùm, ſed etiam ſtudiis comprobavit. Quoties enim eſt illa causâ à nobis acta in Senatu? quibus aſſenſionibus univerſi ordinis? quàm nec tacitis, nec occultis? quando enim frequentiſſimo Senatu quatuor, ad ſummum quinque ſunt inventi, qui Milonis cauſam non probarent? declarant hujus ambuſti tribuni-plebis illæ intermortuæ conciones, quibus quotidie meam potentiam invidiosè criminabatur, cùm diceret, Senatum non quod ſentiret, ſed quod ego vellem, decernere. Quæ quidem ſi potentia eſt appellanda potius, quàm propter magna in rempublicam merita, mediocris in bonis cauſis auctoritas, aut propter officioſos labores meos, nonnulla apud bonos gratia; appelletur ita ſane, dummodo eâ nos utamur pro ſalute bonorum contra amentiam perditorum. Hanc vero [a] quæſtionem, etſi non eſt iniqua, nunquam tamen Senatus conſtituendam putavit: erant enim leges, erant quæſtiones vel de cæde, vel de vi: nec tantum mœrorem ac luctum Senatui mors P. Clodii afferebat, ut nova quæſtio conſtitueretur. Cujus enim Senatui de illo inceſto

[a] *judicium.*

1. *Sequitur illud.*] Aggreditur convellere ſecundum præjudicium; dicebant enim adverſarii, Senatum Pub. Clodii cædem contra Rempub. factam judicaſſe. Ubi autem Senatus audivit cædem factam fuiſſe in Appiâ viâ, fecit quod in magnis periculis fieri ſolebat, ut viderent Conſules ne quid detrimenti Reſpublica caperet. Erat autem hoc quaſi præjudicium, quia tali decreto Senatûs interfectus eſt & condemnatus Saturninus. Sed reſpondet Cicero, hoc tantùm voluiſſe decreto Senatum, ut animadverterent uter utri inſidias fecerat.

4. *Quoties enim eſt illa cauſa acta.*] Poſt interfectum Clodium pene jam centum dies effluxerant.

8. *Ambuſti tribuni-plebis.*] Munatius Plancus, & Pompeius Rufus, tribuni-plebis, concionibus ſuis plebem in Milonem accenderunt; itaque ortâ ſeditione, cùm Clodii corpus cremaretur, curia incenſa eſt; nec priùs deſtiterunt, quàm ejus incendii flammâ è concione fugati ſunt.

9. *Intermortuæ conciones.*] Cœlius interpretatur futiles, vanas, & nullius momenti; Manutius verò interruptas incendio curias.

14. *Officioſos labores.*] Officioſi labores dicuntur, qui ad innocentes defendendos ſuſcipiuntur.

17. *Erant leges, erant quæſtiones.*] Veteres leges erant, & quæſtiones de cæde, vel de vi, quibus ſummi Prætores & Quæſtores præerant, quibuſque reus poſtulari Milo poterat. Erat lex Cornelia de ſicariis, erat lex Q. Catuli de vi. Sed his omiſſis legibus & judiciorum conſuetudine, nova lex, nova quæſtio contra Milonem à Pompeio ſancita fuit, & novus quæſitor Cn. Domitius Ænobarbus populi ſuffragio creatus eſt.

20. *De illo inceſto ſtupro.*] Sententia eſt; erepta eſt, Q. Fufii interceſſione, Senatui poteſtas decernendi quæſtionem novam de ſtupro inceſto Clodii: quia credat de ejus interitu judicium novum conſtituendum, Senatum putaſſe?

Ib. *Inceſto ſtupro.*] Per inceſtum ſtuprum illud facinus intelligit, quod admiſſum eſt à Clodio, cum veſte muliebri indutus, in ſacra bonæ Deæ irrepſit, quæ à mulieribus celebrabantur, ut ſtuprum uxori Cæſaris inferret, à quo tamen ſcelere abſolutus eſt, corruptis pecuniâ judicibus.

ſtupro judicium decernendi poteſtas eſſet erepta; de ejus interitu quis poteſt credere Senatum judicium novum conſtituendum putaſſe? Cur igitur incendium curiæ, oppugnationem ædium M. Lepidi, cædem hanc ipſam, contra rempub. Senatus factam eſſe decrevit? Quia nulla vis unquam eſt in libera civitate ſuſcepta inter cives non contra rempublicam. Non enim eſt ulla defenſio contra vim unquam optanda, ſed nonnunquam eſt neceſſaria: niſi verò aut ille dies, in quo Tiberius Gracchus eſt cæſus, aut ille, quo Caius, aut quo arma Saturnini oppreſſa ſunt, etiamſi è republ. remp. tamen non vulnerarunt. Itaque ego ipſe decrevi, cum cædem in Appiâ viâ factam eſſe conſtaret, non eum, qui ſe defendiſſet, contra rempubl. feciſſe, ſed,

23. *Cur igitur incendium curiæ, &c.*] Hanc totam actionem Aſconius Pedianus ſic exponit: *Poſt biduum medium quam Clodius occiſus erat, Interrex primus proditus eſt M. Æmilius Lepidus; non fuit autem moris ab eo qui primus Interrex proditus erat, comitia haberi: ſed Scipionis & Hypſæi factiones, quia recens invidia Milonis erat, cum contra jus poſtularent ut interrex ad comitia conſulum creandorum deſcenderet; idque ipſe non faceret, domum ejus per omnes interregni dies (fuerant autem ex more quinque) obſederunt: deinde omni vi januâ expugnatâ, & imagines majorum dejecerunt, & lectulum adverſum uxoris ejus Corneliæ, cujus caſtitas pro exemplo habita eſt, fregerunt; itemque tolas, quæ ex vetere more in atrio texebantur, diruerunt. Poſtque ſupervenit Milonis manus, & ipſa poſtulans comitia: cujus adventus fuit ſaluti Lepido: in ſe enim ipſæ converſæ ſunt factiones inimicæ, atque ita oppugnatio domûs Interregis omiſſa eſt.*

Ib. *Incendium curiæ, oppugnationem ædium.*] Hæc tria ſimul complectitur, quæ uno Senatuſconſulto facta ſunt, quia videlicet non fas fuit eodem die plura Senatuſconſulta fieri.

25. *Quia nulla vis unquam.*] Reddit rationem cur Senatus judicarit cædem Clodii factam eſſe contra Rempub. quia vis omnis ſemper contra eam eſt, licet qui eam fecerit, non ipſe fecerit contra Rempub. quando nempe vis illata vi repellitur.

28. *Tiberius Gracchus.*] Gracchus ille cæſus eſt auctoritate Scipionis Naſicæ anno urbis 620. de eo dictum eſt Paragr. III. l. 17.

29. *Caius Gracchus.*] Repulſam in petitione tertii Tribunatus plebis tulit, ac cum videret plures leges ſuas Senatu applaudente abrogandas eſſe, deque ea re L. Opimium Conſulem referre velle: ipſe vim parans, cum M. Fulvio Flacco collega in Treviratu Agrario, & ſeditionis altero capite, concionis diſturbandæ causâ venit armatâ manu in Capitolium. Ubi cum quidam Conſulis miniſter in turba à Gracchanis occideretur, orto tumultu Gracchani diffugiunt, eoque die de legibus nihil actum amplius. Interim Conſul Opimius nocte Capitolium præſidio firmat: indictoque primâ luce per viatorem Senatu, de cæde facta ſtatuque rerum urbano refert. Jubet Senatus videre Conſulem, ne quid Reſpub. detrimenti capiat. L. Opimius cum Senatu, atque equitibus armatis in forum deſcendit, Gracchus & Flaccus cum ſuis item armatis Aventinum occupant. Citati mox per Conſulem ad cauſam dicendam, cùm non parerent, à Conſule atque optimatibus armâ manu Aventino pulſi, in fugâ trucidati ſunt.

Ib. *Saturnini.*] Marius anno urbis 653. Saturninum interfecit civibus ad arma convocatis. Vide Orat. pro Rab. perd. reo.

Ib. *Ego ipſe decrevi.*] Cicero judicavit cædem illam Clodii non eſſe contra Rempub. nam Senator erat Cicero, & erat in Senatu cùm de illa cæde ad Senatum relatum eſt.

Ib. *In Appiâ viâ.*] Appia via ab Appio Clodio Cæco dicta eſt, quam ille ſtravit à porta Capena uſque ad urbem Capuam.

cùm ineſſet in re vis, & inſidiæ, crimen judicio reſervavi, [b] rem notavi. Quod ſi per furioſum illum tribunum Senatui, quod ſentiebat, perficere licuiſſet, novam quæſtionem nunc nullam habe- 35
remus; decernebat enim, ut veteribus legibus tantummodò extra ordinem quæreretur; diviſa ſententia eſt, poſtulante neſcio quo; nihil enim neceſſe eſſe omnium me flagitia proferre; ſic reliqua auctoritas Senatûs, emptâ interceſſione, ſublata eſt.

V. At enim Cn. Pompeius rogatione ſuâ & de re & de causâ ju- 1
dicavit; tulit enim de cæde, quæ in Appiâ viâ facta eſſet, in quâ P. Clodius occiſus fuit; quid ergo tulit? nempe, ut quæreretur; quid porro quærendum eſt? factumne ſit? at conſtat; à quo? at patet; vidit etiam in confeſſione facti, juris tamen defenſionem ſuſ- 5
cipi poſſe; quod niſi vidiſſet, poſſe abſolvi eum, qui fateretur: cùm videret nos fateri; neque quæri unquam juſſiſſet, nec vobis tam ſalutarem hanc in judicando literam, quam illam triſtem dediſſet.

[b] *condemnavi vim factam.*

33. *Judicio reſervavi.*] Senſit Cicero pertinere ad judices inquirere uter utri feciſſet inſidias.

34. *Quod ſi per furioſum.*] Cùm prius decreviſſet Senatus, ut de cæde Clodii veteribus legibus quæreretur, quanquam extra ordinem, tamen, id ubi promulgandum fuit, interceſſit Munatius Plancus, atque ita coactus eſt Senatus contra omnium ſententiam hoc facere decretum de novâ quæſtione: erat quippe ea tribunorum plebis auctoritas, ut nullum poſſet confirmari Senatûs conſultum, quod illi non approbaſſent.

Ib. *Furioſum.*] Furioſus dicitur is, qui nimium popularis Senatui non paret, ſed ſeditionem per populum excitat.

36. *Extra ordinem.*] De causâ quæri extra ordinem dicitur, cùm non ſervata juris formula, nec ordine judiciario, in causâ proceditur.

37. *Diviſa ſententia eſt.*] Cùm aliquis in dicendâ ſententiâ duas, pluresve res eſſet complexus, eæ ſi non omnes probarentur, poſtulari ſolitum fuit à quovis ſedente, ut divideret, id eſt, ut de ſingulis rebus referretur.

Ib. *Poſtulante neſcio quo.*] Is fuit Q. Fufius Senator, qui à Munatio Planco pecuniâ corruptus fuit, quem non appellat, quia Senator erat.

1. *At enim Cn. Pompeius.*] Jam tertium præjudicium refutandum aggreditur, quod jactabatur ab adverſariis, Milonem videlicet ſententiâ Cn. Pompeii damnatum eſſe.

Ib. *Rogatione ſuâ.*] Rogatio ſic dicta eſt, quòd populus Romanus per trinundinum, ab aliis qui rogandi poteſtatem habebant, rogaretur; vellet, juberetne talem fieri legem, ratamque habere.

Ib. *De re.*] Res hic ſumitur pro generali quæſtione cædis.

4. *At patet.*] Nempe à Milone cædem factam eſſe apparet. Id enim Milo non negabat.

5. *Vidit etiam.*] Probat Cicero ex vi legis à Pompeio latæ eum cauſæ Milonis favere; quia Miloni factam à ſe cædem confitenti Pompeius fecit poteſtatem ſui defendendi; quam poteſtatem nunquam dediſſet, cùm fateretur, Milo ſe, & Cicero cum ipſo, Clodium occidiſſe.

8. *Salutarem hanc in judicando literam.*] Salutaris litera fuit A, quæ apponebatur in tabulâ, quam à Prætore accipiebant judices, ac in urnam projiciebant, ſi abſolverent. Unde *ſalutaris* dicitur à Cicerone.

Ib. *Illam triſtem.*] Litera C triſtis dicitur, quia illa quoque in tabulâ judicibus dabatur, quam in urnam projiciebant, ſi condemnarent. Has autem literas Pompeius judicibus non dediſſet, niſi Milonem abſolvi poſſe judicaſſet; igitur damnandi & abſolvendi eum poteſtatem judicibus dedit.

Mihi verò Cn. Pompeius non modò nihil gravius contra Milonem judicaſſe, ſed etiam ſtatuiſſe videtur, quid vos in judicando ſpectare oporteret; nam qui non pœnam confeſſioni, ſed defenſionem dedit, is cauſam interitûs quærendam, non interitum putavit. Jam illud dicet ipſe profectò, quod ſuâ ſponte fecit, Publione Clodio tribuendum putarit, an tempori. Domi ſuæ nobiliſſimus vir, Senatûs propugnator, atque illis quidem temporibus penè patronus, avunculus hujus noſtri judicis, fortiſſimi viri, M. Catonis, tribunus-pleb. M. Druſus occiſus eſt; nihil de ejus morte populus conſultus, nulla quæſtio [a] decreta à Senatu eſt. Quantum luctum in hac urbe fuiſſe à noſtris patribus accepimus, cùm P. Africano domi ſuæ quieſcenti illa nocturna vis eſſet illata? quis tum non gemuit? quis non arſit dolore? quem immortalem, ſi fieri poſſet, omnes eſſe cuperent, ejus ne neceſſariam quidem expectatam eſſe mortem? Num igitur ulla quæſtio de Africani morte lata eſt? certe nulla. Quid ita? quia non alio facinore clari homines, alio obſcuri necantur.

[a] *conſtituta.*

9. *Mihi vero.*] Interpretatur Pompeii mentem in lege ſuâ ferendâ: ea enim voluit eum defendi, non ergo condemnari; hoc eſt igitur quod ſequi judices debent; non enim tantum debent attendere, quòd Milo occidit Clodium, ſed ulteriùs debent pergere, & intendere ad cauſam propter quam à Milone interfectus eſt.

13. *Jam illud dicet.*] Pompeius dicet nec Senatu nec populo poſtulante ſe illam legem tuliſſe.

14. *Publione Clodio tribuendum.*] Oſtendit Cicero non propter Clodium Pompeium legem tuliſſe, ſed ut tempori ſerviret, ne videlicet lætari de morte Clodii videretur, quocum paucis diebus ante fuerat reconciliatus.

Ib. *Domi ſuæ.*] Probat Pompeii legem ſeu rogationem novam eſſe, & inauditam comparatione clariſſimorum hominum, de quibus nulla lata lex eſt. Id autem facit, ut oſtendat iniquè hanc tuliſſe Pompeium, aut tempori ſerviiſſe.

15. *Nobiliſſimus vir.*] M. Livius Druſus, quem virum nobiliſſimum, potentiſſimum, eloquentiſſimum nominat Velleius lib. 2. & quem Plutarchus tunc principem Senatûs fuiſſe ait, cùm videret Senatum totum ſeditioſis Tiberii Gracchi legibus oppreſſum, cupiens eum ad priſtinam dignitatem revocare contra Equeſtris ordinis potentiam, ad quem tota Senatorii ordinis auctoritas devoluta erat, ſe populærem ſimulavit, ac Latinis omnibus jus civitatis promiſit, quod cùm differret, inflabant acriter, ut promiſſis ſtaret. Tandem cùm intelligeretur à populo ſimulatè egiſſe, in ædibus ab ignotâ multitudine occiſus eſt. Vide Liv. lib. 71.

16. *Avunculus hujus noſtri judicis.*] Judex ſedebat M. Cato, qui dictus eſt Uticenſis, cujus mater Livia M. Druſi ſoror fuit, apud quem educatus eſt. Val. Max. lib. 3. cap. 1.

18. *Populus conſultus.*] Conſuli populus dicebatur Romæ, cùm lex rogabatur, hac ſcilicet formulâ, *Velitis, jubeatis, Quirites?*

20. *P. Africano.*] Africanus minor cùm adverſaretur C. Graccho, Cn. Fulvio, & Cn. Carboni triumviris agros dividere conantibus, ſeque domum fortis & validus pridie è Senatu recepiſſet, manè in cubiculo mortuus inventus eſt. Appianus; de tanti viri morte nulla quæſtio lata eſt.

22. *Ejus ne neceſſariam.*] Omnes ſingulari dolore affecti ſunt, quòd naturalem vitæ curſum non attigerit, nam occiſus eſt anno ætatis ſuæ 56. ut Cicero in Somnio Scipionis dicit.

inter-

interſit inter vitæ dignitatem ſummorum atque infimorum: mors quidem illata per ſcelus iiſdem pœnis teneatur & legibus; niſi fortè magis erit parricida, ſi quis conſularem patrem, quàm ſi quis humilem necaverit, aut eo mors atrocior erit P. Clodii, quòd is in monumentis majorum ſuorum ſit interfectus; hoc enim ſæpe ab iſtis dicitur; perinde quaſi Appius ille Cæcus viam munierit, non quâ populus uteretur, ſed ubi impune ſui poſteri latrocinarentur. Itaque in eâdem iſtâ Appiâ viâ, cùm ornatiſſimum equitem Rom. P. Clodius M. Papirium occidiſſet, non fuit illud facinus puniendum; homo enim nobilis in ſuis monumentis equitem Roman. occiderat. Nunc ejuſdem Appiæ nomen quantas tragœdias excitat? quæ cruentatâ antea cæde honeſti atque innocentis viri ſilebatur, eadem nunc crebrò uſurpatur, poſteaquam latronis & parricidæ ſanguine imbuta eſt. Sed quid ego illa commemoro? comprehenſus eſt in templo Caſtoris ſervus P. Clodii, quem ille ad Cn. Pompeium interficiendum collocarat; extorta eſt confitenti ſica de manibus; caruit foro poſtea Pompeius, caruit Senatu, caruit publico; janua ſe ac parietibus, non jure legum judiciorumque texit. Num quæ rogatio lata? num quæ nova quæſtio decreta eſt? atqui ſi res, ſi vir, ſi tempus ullum dignum fuit, certe hæc in illâ causâ ſumma omnia fuerunt; inſidiator erat in foro collocatus, atque in veſtibulo ipſo Senatûs: ei viro autem mors parabatur, cujus in vitâ nitebatur ſalus civitatis: eo porrò reipub. tempore, quo ſi unus ille occidiſſet, non hæc ſolùm civitas, ſed gentes omnes concidiſſent; niſi fortè, quia perfecta res non eſt, non fuit punienda: perinde quaſi exitus rerum, non hominum conſilia legibus vindicentur; minùs dolendum fuit, re non perfectâ, ſed puniendum certe nihilò minùs. Quo-

27. *Niſi forte magis erit parricida.*] Loquitur Cicero ex mente Stoicorum, qui omnia peccata æqualia eſſe contendebant. Neque enim ea ex rerum eventu, ſed ex vitiis hominum metiebantur.

29. *Aut eo mors atrocior.*] Objectio Clodianorum, quam refutat ironicè.

30. *In monumentis.*] Monumentum dicitur non tantum ſepulcrum, ſed quicquid etiam rei alicujus conſervandæ gratiâ extructum eſt. Per illa vero monumenta Appiam viam intelligit, quam Appius Claudius cenſor, qui poſtea Cæcus dictus eſt, lapidibus ſternendam curavit.

34. *M. Papirium occidiſſet.*] Tigranis filius Romæ apud Valerium Equitem Romanum ſervabatur. Petiit eum à Flavio inter epulas Clodius, hunceque catenis ſolvit, ac mari commiſit, ſed relatus eſt tempeſtate. Cum igitur Sexto Clodio reducendus ad Pompeium, à quo repetebatur, datus eſſet, Flavius ad diripiendum Tigranem profectus eſt; ad quartum ab urbe lapidem pugna commiſſa eſt, in quâ Papirius Eques Romanus interfectus eſt. *Aſcon.*

39. *Latronis.*] Clodium latronem vocat, quia ex improviſo Milonem aggreſſus eſt.

40. *In templo Caſtoris.*] Templum Caſtoris foro & curiæ proximum fuit.

41. *Extorta eſt confitenti ſica.*] Servum Clodius in inſidiis collocaverat, ut Pompeius interficeret.

44. *Num quæ rogatio.*] Clodium in odium adduci, & novam illam rogationem arguit exemplo, & amplificat ab adjunctis & à perſonâ Pompeii.

ties ego ipſe, Judices, ex P. Clodii telis & ex cruentis ejus manibus effugi? ex quibus ſi me non vel mea, vel reipub. fortuna ſervaſſet, quis tandem de interitu meo quæſtionem tuliſſet? Sed ſtulti ſumus, qui Druſum, qui Africanum, Pompeium, noſmet-ipſos, cum P. Clodio conferre audeamus; tolerabilia fuerunt illa; P. Clodii mortem æquo animo nemo ferre poteſt; luget Senatus: mœret equeſter ordo: tota civitas confecta [b] ſenio eſt: ſqualent municipia: afflictantur coloniæ: agri denique ipſi tam beneficum, tam ſalutarem, tam manſuetum civem deſiderant. Non fuit ea cauſa, Judices, profectò non fuit, cur ſibi cenſeret Pompeius quæſtionem ferendam: ſed homo ſapiens, & altâ & divinâ quadam mente præditus, multa vidit; fuiſſe ſibi illum inimicum, familiarem Milonem; in communi omnium lætitiâ, ſi etiam ipſe gauderet, timuit ne videretur infirmior fides reconciliatæ gratiæ, multa etiam alia vidit, ſed illud maxime; quamvis atrociter ipſe tuliſſet, vos tamen fortiter judicaturos. Itaque delegit è florentiſſimis ordinibus ipſa lumina: neque vero, quod nonnulli dictitant, ſecrevit in judicibus legendis amicos meos; neque enim hoc cogitavit vir juſtiſſimus, neque in bonis viris legendis id aſſequi potuiſſet, etiamſi cupiiſſet; non enim mea gratia familiaritatibus continetur, quæ latè patere non poſſunt, propterea quod conſuetudines victûs non poſſunt eſſe cum multis; ſed ſi quid poſſumus, ex eo poſſumus, quod reſpublica nos conjunxit cum multis; ex quibus ille cum optimos viros legeret, idque maxime ad fidem ſuam pertinere arbitraretur, non potuit legere non ſtudioſos mei. Quod vero te, L. Domiti, huic quæſtioni præeſſe maxime voluit, nihil quæſivit aliud, niſi juſtitiam, gravitatem, humanitatem, fidem, tulit ut Conſularem neceſſe eſſet: credo, quod principum munus eſſe ducebat reſiſtere levitati multitudinis, & perditorum temeritati; ex conſularibus te creavit potiſſimum; dederas enim, quam contemneres populares inſanias, jam ab adoleſcentiâ documenta maxima. Quamobrem, Judices, ut ali-

[b] *ægritudine.*

67. *Infirmior fides, &c.*] Ex hoc loco patet ſimultates fuiſſe Clodium inter & Pompeium, ſed eas reconciliatione gratiæ fuiſſe ſopitas, & ne ejus parum fida crederetur reconciliatio, gaudere noluit Pompeius.

69. *E florentiſſimis ordinibus.*] E Senatorio videlicet, Equeſtri, & ex Tribunis Ærariis judices ſelecti ſunt.

75. *Conſuetudines victûs.*] Patet familiares eos dici proprie, inter quos victûs conſuetudo intercedit, hic autem ſubtiliter Pompeium & judices ſibi conciliat.

77. *Optimos viros legeret.*] Pompeius optimos omnium ordinum viros legit, qui poſtea ſortiti ſunt, ut eorum numerus, qui judicarent, compleretur.

79. *Domiti.*] Domitius Ænobarbus quæſitor huic cauſæ præpoſitus fuit, cujus laudatione captat benevolentiam.

83. *Perditorum.*] Clodianos intelligit.

84. *Contemneres populares inſanias.*] Cn. Manlius Tribunus plebis legem ferebat ſeditioſe, ut libertini in omnibus tribubus ſuffragium ferrent. Cumque per vim Capitolium occupaſſet, à Cn. Domitio Prætore dejectus fuit, multis è Manliana ſeditione interfectis.

quando

quando ad cauſam crimenque veniamus; ſi neque omnis confeſſio facti eſt inuſitata, neque de causâ quidquam noſtrâ aliter, ac nos vellemus, à Senatu judicatum eſt; & lator ipſe legis, cùm eſſet controverſia nulla facti, juris tamen diſceptationem eſſe voluit: & electi judices, iſque præpoſitus quæſtioni, qui hæc juſtè ſapienterque diſceptet: reliquum eſt, Judices, ut nihil jam aliud quærere debeatis, niſi uter utri inſidias fecerit; quod quo facilius argumentis perſpicere poſſitis, rem geſtam vobis dum breviter expono, quæſo diligenter attendite.

86. *Si neque omnis confeſſio*] Breviter repetit Cicero, quæcunque in iſta refutatione præjudiciorum dicta ſunt, primum quod adverſarii jactabant fas non ei eſſe tueri lucem, &c. Secundum, eadem, in quâ Clodius occiſus eſt, Senatum judicaſſe contra Rempub. Tertium, voluiſſe Pompeium, ut Milo jus ſuum tueretur.

90. *Præpoſitus quæſtioni.*] Domitius quæſitor datus eſt.

NARRATIO.

Tria capita continet hæc narratio. 1. *Clodii Conſilia.* 2. *Præfectionem.* 3. *Pugnam.*

VI. P. Clodius cùm ſtatuiſſet omni ſcelere in Prætura vexare rempub. videretque ita tracta eſſe comitia anno ſuperiore, ut non multos menſes Prætura gerere poſſet: qui non honoris gradum ſpectaret, ut cæteri, ſed & L. Paullum collegam effugere vellet, ſingulari virtute civem, & annum integrum ad dilacerandam rempubl. quæreret; ſubito reliquit annum ſuum, ſeque in annum proximum tranſtulit, non, ut fit, religione aliqua, ſed ut haberet, quod ipſe dicebat, ad Prætura gerendam, hoc eſt, ad evertendam rempubl. plenum annum atque integrum; occurrebat ei, mancam ac debilem Prætura ſuam futuram, Conſule Milone: eum porro ſummo conſenſu populi Romani Conſulem fieri videbat; contulit ſe ad ejus com-

2. *Ita tracta eſſe comitia.*] Ita dilata fuerunt comitia propter inſanas candidatorum contentiones, ut ſeptimo ferè tantùm menſe Domitius Calvinus & Valerius Meſſala Conſulatum inierint.

4. *L. Paullum.*] L. Paullus vir fuit ſingularis, & ad conſervandam Rempub. natus, inquit Cicero in Vatinium. Hunc propter ſummam probitatem collegam habere Clodius nolebat.

5. *Annum integrum.*] Propter dilata comitia medium tantùm annum habere poterat, cùm circa ferè ſeptimum menſem inierint Magiſtratum Conſules.

6. *Reliquit annum ſuum.*] Annus ſuus dicebatur, quo quis honorem petere ex lege poterat: ut Prætura poſt Ædilitatem poſt Prætura Conſulatum. Requirebatur autem, ut quis Prætor fieret, ut annum ætatis nonum & trigeſimum ageret.

10. *Mancam.*] Mancus dicitur cui altera manus inutilis eſt, ſumpta metaphora à corpore ad magiſtratum.

12. *Ejus competitores.*] Petebant cum Milone *Conſulatum P. Plautius, Hypſæus, & Q. Metellus Scipio, non ſolùm largitionepalam profuſâ, ſed etiam factionibus armatorum ſuccinctâ.* Pedianus.

petitores: ſed ita, totam ut petitionem ipſe ſolus, etiam invitis illis, gubernaret: tota ut comitia ſuis, ut dictitabat, humeri ſuſtineret: convocabat tribus: ſe interponebat: coloniam novam, delectum perditiſſimorum ſcribebat civium; quantò ille plura [a] miſcebat, tantò hic magis in dies convaleſcebat. Ubi vidit homo ad omne facinus paratiſſimus fortiſſimum virum, inimiciſſimum ſuum, certiſſimum Conſulem; idque intellexit non ſolum ſermonibus, ſed etiam ſuffragiis populi Rom. ſæpe eſſe declaratum; palam agere cœpit, & apertè dicere, occidendum Milonem; ſervos agreſtes & barbaros, quibus ſilvas publicas depopulatus erat, Etruriamque vexarat, ex Apennino deduxerat, quos videbatis; res erat minime obſcura; etenim palam dictitabat, conſulatum Miloni eripi non poſſe, vitam poſſe; ſignificavit hoc ſæpe in Senatu, dixit in concione: quin etiam Favonio, fortiſſimo viro, quærenti ex eo, quâ ſpe fureret Milone vivo, reſpondit, triduo, illum, ad ſummum quatriduo periturum; quam vocem ejus ad hunc M. Catonem ſtatim Favonius detulit. Interim cum ſciret Clodius (neque enim erat difficile ſcire) iter ſolemne, legitimum, neceſſarium ante diem XIII. Kalend. Febr. Miloni eſſe Lanuvium ad Flaminem [b] prodendum, quod erat Dicta-

[a] *perturbabat.* [b] *nominandum.*

15. *Convocabat tribus.*] Primum totus populus Romanus in tres partes eſt diviſus, unde tribus dictæ ſunt. Sed poſtea creſcente populo ad triginta quinque ſervato priori nomine pervenerunt. Porro illæ in curias diviſæ ſunt, in quibus tanquam in ſeptis unaquæque tribus continebatur tempore comitiorum. At Clodius agebat cum curiis, ut rejecto Milone, Metellum, vel Hypſæum Coſ. renunciarent.

Ib. *Coloniam novam ſcribebat.*] Clodius pollicebatur ſe deducturum coloniam novam ſi Prætoram aſſequeretur. Id autem dicebat, ut ad ſuas partes pauperes adduceret, eorumque ferret ſuffragia, ſpe agrorum, ſi ipſi deducerentur.

16. *Scribebat civium.*] Eos porro ſcribebat non tam ad ferendum ſuffragium, quàm ad vim faciendam.

17. *Hic.*] Milo certior Conſulatus fiebat.

21. *Servos agreſtes.*] Fuit Romanorum divitum conſuetudo, ut multos ſervos in agris alerent, & ſæpe ſuis in prædiis decem eorum millia haberent.

22. *Barbaros.*] Qui convocabantur ex aliis nationibus barbari dicebantur, vel quia peregrinâ linguâ utebantur, vel quia moribus erant immanes.

Ib. *Silvas publicas depopulatus erat.*] Invidioſe in Clodium loquitur, utpote qui illorum ſervorum numero ad perniciem Reipub. abutebatur.

23. *Ex Apennino.*] Mons eſt Apenninus perpetuo fere dorſo Italiam in duas partes dividens.

26. *Favonio.*] Favonius vir fuit amiciſſimus Catoni, & ejus conſtantiæ & doctrinæ æmulus.

29. *Ad hunc Catonem.*] Is eſt Cato qui poſtea Uticenſis dictus eſt, & tum judex ſedebat.

30. *Iter ſolemne.*] Solemne dicitur quod certis temporibus fit.

31. *Legitimum.*] Legitimum eſt quod lege fit & more, ideoque neceſſarium cenſetur.

Ib. *Ante diem* XIII. *Kal. Febr.*] Id eſt, diem Januarii vigeſimum.

32. *Lanuvium.*] Lanuvium municipium fuit quod diſtat ab urbe Româ ſtadia fere centum, quod à Diomede poſt everſam Trojam in Italiam advecto conditum eſt, ut refert Appianus lib. 2. bell. civil. ibi erat Junonis Soſpitæ templum celeberrimum, cui à Dictatore ſingulis annis ſacerdos conſtituebatur.

Ib. *Flaminem.*] Flamen nomen commune fuit ſacerdotum, nam Flamen erat

Dictator Lanuvii Milo, Româ ſubito ipſe profectus pridie eſt, ut ante ſuum fundum (quod re intellectum eſt) Miloni inſidias collocaret; atque ita profectus eſt, ut concionem turbulentam, in quâ ejus furor [c] deſideratus eſt, quæ illo ipſo die habita eſt, relinqueret: quam, niſi obire facinoris locum tempuſque voluiſſet, nunquam reliquiſſet. Milo autem cùm in Senatu fuiſſet eo die, quo ad Senatus dimiſſus eſt, domum venit: calceos & veſtimenta mutavit: paulíſper dum ſe uxor, ut fit, comparat, commoratus eſt: deinde profectus eſt [d] id temporis, cùm jam Clodius, ſi quidem eo die Romam venturus erat, redire potuiſſet; obviam fit ei Clodius expeditus, in equo, nullâ rhedâ, nullis impedimentis, nullis Græcis comitibus, ut ſolebat; ſine uxore, quod nunquam fere: cùm hic inſidiator, qui iter illud ad cædem faciendam apparaſſet, cum uxore veheretur in rhedâ, penulatus, magno & impedito, & muliebri ac delicato ancillarum puerorumque comitatu; fit obviam Clodio ante fundum ejus, horâ fere undecimâ, aut non multo ſecus; ſtatim complures cum telis

[c] *neceſſarius erat.* [d] *eo tempore.*

rat Dialis, Flamen Martialis, Quirinalis, Junonis. Porro Flamen dictus eſt, inquit Voſſius à *flameo*, hoc eſt, velamento capitis quo utebantur. *Flameum* autem vocatum eſt à flammeo colore. Putant alii quamplurimi quòd dictus ſit flamen, quaſi filamen à *filo*, quod vel pileo ſacerdotis erat annexum, vel quod æſtu urgente ſolo filo caput cingebat: ita Priſcianus, lib. 4.

33. *Dictator.*] In municipiis Dictator dicebatur, qui nunc magiſter civitatis dicitur.

34. *Suum fundum.*] Fundus in jure propriè ager cum ædificio dicitur.

Ib. *Quod re intellectum eſt.*] Id eſt, eventu pugnæ, quæ hîc commiſſa eſt.

35. *Concionem turbulentam.*] Eodem die quò Clodius occiſus eſt C. Salluſtius & Q. Pompeius Tribunus-plebis, & Milonis inimici, concionati ſunt, inquit Aſconius, ſed potiſſimum Q. Pompeius, qui omnium ſeditioſiſſimus fuit.

39. *Calceos & veſtimenta.*] Senatores calceis utebantur auratis. Penula autem veſtimentum itinerarium fuit contra frigus & pluviam.

40. *Commoratus eſt.*] Nihil tumultuoſe, nihil feſtinanter Milo fecit, ſed placato & tranquillo animo.

43. *Expeditus.*] Id eſt, paratus ad pugnam,

Ib. *Nullâ rhedâ.*] Rheda vehiculi genus eſt.

Ib. *Nullis impedimentis.*] Impedimenta ſarcinæ ſunt, quæ ad viam neceſſariæ ſunt.

Ib. *Nullis Græcis comitibus.*] Comites illi Græci vel ſunt Muſici, vel Philoſophi, quos ut plurimùm ditiores Romani alebant apud ſe eruditionis causâ, ut Cicero Orat. in Piſonem notavit.

44. *Sine uxore.*] Clodius Fulviam uxorem habuit, quæ poſtea nupſit Antonio, quæque caput Ciceronis demortui ſputis fœdavit, & linguam acu perforavit.

45. *Cum hic inſidiator.*] Milonem ironicè inſidiatorem vocat, quia nihil in eo eſt quod cædis ſuſpicionem movere poſſit.

46. *Cum uxore.*] Milo Fauſtam Syllæ Dictatoris filiam uxorem habuit.

47. *Ancillarum.*] Ancillas ſecum uxor ducebat.

Ib. *Puerorum.*] Per pueros intelligit juniores ſervos.

48. *Comitatu.*] Delicatum appellat hunc comitatum, quia tum ancillæ, tum illi pueri ad certamen erant inepti.

Ib. *Fundum ejus.*] Fundus ille fuit in Albano.

49. *Hora fere undecima.*] Romani horas duodecim ab oriente ad occidentem ſolem numerabant, quæ proinde vel longiores,

telis in hunc faciunt de loco superiore impetum: adversi rhedarium occidunt; cum autem hic de rhedâ, rejectâ penulâ, desiluisset, seque acri animo defenderet; illi, qui erant cum Clodio, gladiis [a] eductis, partim, recurrere ad rhedam, ut à tergo Milonem adorirentur; partim, quòd hunc jam interfectum putarent, cædere incipiunt ejus servos, qui post erant: ex quibus, qui animo fideli in dominum & præsenti fuerunt, partim occisi sunt, partim, cum ad rhedam pugnari viderent, & domino succurrere prohiberentur, Milonemque occisum etiam ex ipso Clodio audirent, & revera putarent; fecerunt id servi Milonis (dicam enim non derivandi criminis causa, sed ut factum est) neque imperante, neque sciente, neque præsente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

[a] *evaginatis.*

giones, vel breviores fuere secundum longitudinem vel brevitatem dierum. Primam autem ab ortu solis numerabant, & sic de reliquis; cùm autem committa fuerit hæc pugna die Januarii vicesimo; hæc hora undecima fere tertiæ nostræ pomeridianæ cum dimidiâ respondet.

30. *In hunc.*] In Milonem.

Ib. *De loco superiore.*] Superior locus aptior est ad pugnandum.

Ib. *Adversi.*] Illi videlicet qui erant ex parte adversâ oppositâ antrigæ Milonis.

31. *Hic.*] Milo quem aggrediebantur.

60. *Derivandi criminis.*] Derivari crimen dicitur, cùm culpa quâ quis tenetur, in alium, in quo non est, rejicitur.

CONSTITUTIO CAUSÆ.

VII. Hæc, sicut exposui, ita gesta sunt, Judices: insidiator superatus, vi victa vis, vel potius, oppressa virtute audacia est. Nihil dico, quid respublica consecuta sit, nihil, quid vos, nihil, quid omnes boni: nihil sane id profit Miloni, qui hoc fato natus est, ut ne se quidem servare potuerit, quin unà rempublicam, vosque servaret: si id jure non posset; nihil habeo quod defendam: sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, à corpore, à capite, à vitâ suâ propulsarent; non potestis hoc facinus improbum judicare, quin simul judicetis, omnibus qui in latrones inciderint, aut illorum telis, aut vestris sententiis esse pereundum. Quod si ita putasset; certe optabilius Miloni fuit dare [a] jugulum P. Clo-

[a] *se jugulandum.*

8. *Et mos gentibus.*] Alludit ad jus gentium, quæ ad Romanum imperium non pertinebant.

Ib. *Et feris natura.*] Loquitur de jure naturæ, nam feræ naturaliter se defendunt, ut corpus tueantur.

dio,

dio, non ſemel ab illo, neque tum primùm petitum; quàm jugulari à vobis, quia ſe illi non jugulandum tradidiſſet; ſin hoc nemo veſtrûm ita ſentit: illud jam in judicium venit, non, occiſuſne ſit, quod fatemur: ſed, jure, an injuria: quod multis antea in cauſis jam quæſitum eſt. Inſidias factas eſſe conſtat: & id eſt quod Senatus contra rempùblicam factum judicavit: ab utro factæ ſint, incertum eſt; de hoc igitur latum eſt ut quæreretur. Ita & Senatus [b] rem, non hominem notavit, & Pompeius de jure, non de facto, quæſtionem tulit. Numquid igitur aliud in judicium venit, niſi uter utri inſidias fecerit? profectò nihil; ſi hic illi; [c] ut ne ſit impune: ſi ille huic; tum nos ſcelere [d] ſolvamur.

[b] *inſidias.* [c] *ut puniatur.* [d] *liberemur.*

20. *Ut quæreretur.*] Hîc de re Pompeius tulit legem, de quâ dictum eſt.

23. *Si hic.*] Milo videlicet.

24. *Ille.*] Clodius.

CONFIRMATIO.

Duas partes continet hæc confirmatio. In primâ oſtendit, inſidias feciſſe Clodium Miloni. In ſecundâ glorioſum Miloni fuiſſe Clodium interfeciſſe. Primam partem tractat, 1. per conjecturam, ab antecedentibus, ſive perſonis: 2. à concomitantibus, ſeve ab ipſis factî circumſtantiis: 3. à confutatione quorundam quæ ab adverſariis objiciuntur: 4. à conſequentibus.

PRIMA PROBATIO.

Ab antecedentibus: *non Miloneni Clodio, ſed Clodium Miloni ſtruxiſſe inſidias.*

VIII. Quonam igitur pacto probari poteſt, inſidias Miloni feciſſe Clodium? ſatis eſt quidem in illâ tam audaci, tam nefariâ belluâ docere, magnam ei cauſam, magnam ſpem in Milonis morte propoſitam, magnas utilitates fuiſſe. Itaque illud Caſſianum, [a] CUI

[a] *quis percipit utilitatem.*

2. *Nefariâ bellua.*] Clodium belluam appellat invidioſo nomine.

4. *Illud Caſſianum.*] *Caſſius*, inquit Aſconius, *vir fuit ſummæ ſeveritatis: quoties quæſitor alicujus judicii eſſet, in quo quæreretur de homine occiſo, ſuadebat, atque etiam præcipiebat judicibus hoc quod Cicero nunc admonet, ut quæreretur, cui bono fuiſſet perire eum, de cujus morte quæreretur.* Valerius lib. 3. cap. 7. ait quod *ejus tribunal, propter nimiam ſeveritatem, ſepulcrum reorum dicebatur.*

BONO FUERIT, in his perſonis valeat; etſi boni nullo emolumento impelluntur in fraudem, improbi ſæpe parvo. Atqui, Milone interfecto, Clodius hoc aſſequebatur, non modò ut Prætor eſſet non eo Conſule, quo ſceleris nihil facere poſſet; ſed etiam ut his conſulibus Prætor eſſet, quibus ſi non adjuvantibus, at [b] conniventibus certe ſperaſſet ſe poſſe rempublicam [c] eludere in illis ſuis cogitatis furoribus; cujus illi conatus, ut ipſe ratiocinabatur, nec, ſi poſſent, reprimere cuperent, cùm tantum beneficium ei ſe debere arbitrarentur: &, ſi vellent, fortaſſe vix poſſent frangere hominis ſceleratiſſimi corroboratam jam vetuſtate audaciam. An verò, Judices, vos ſoli ignoratis? vos hoſpites in hâc urbe verſamini? veſtræ peregrinantur aures, neque in hoc pervagato civitatis ſermone verſantur, quas ille leges (ſi leges nominandæ ſunt, ac non faces urbis & peſtes reipublicæ) fuerit impoſiturus nobis omnibus, atque inuſturus? Exhibe, quæſo, Sexte Clodi, exhibe librarium illud legum veſtrarum, quod te aiunt eripuiſſe è domo, & ex mediis armis turbâque nocturnâ, tanquam Palladium, ſuſtuliſſe, ut præclarum videlicet

[b] *permittentibus.* [c] *fallere.*

7. *Ut Prætor eſſet.*] De Prætoribus ſuprà dictum eſt in Orat. pro lege Manil. Parag. 1. not. ad lin. 13.

9. *His Conſulibus.*] Plautius Hypſæus & Q. Metellus Scipio deſignantur, qui cum Milone petebant conſulatum.

11. *Cogitatis furoribus.*] Statuerat Clodius in Prætura totam remp. evertere.

12. *Tantum beneficium.*] Conſules Hypſæus & Metellus Scipio nunquam auſi fuiſſent Rempublicam contra Clodii conatus defendere, quia ejus beneficio conſulatum fuiſſent adepti.

14. *Corroboratam vetuſtate audaciam.*] Metaphora ſumpta ab arboribus, quæ, quò vetuſtiores, eò duriores ſunt, ut quercus.

16. *Peregrinantur aures.*] Videtur quaſi ignorantiæ arguere Judices: peregrinari enim dicuntur qui domi non ſunt: & peregrini ſæpe rerum ignari ſunt, quæ in eo loco ubi ſunt geruntur.

19. *Atque inuſturus.*] Vel reſpicit ad incendium quo curia deflagravit, cùm Clodii cadaver ambuſtum eſt; vel ad ipſius Clodii tyrannidem, qui leges odioſas omnibus impoſuiſſet, ſi Præturam fuiſſet aſſecutus; ſumpta metaphora à ſervis, qui ferro candenti inurebantur.

20. *Sexte Clodi.*] Sextus ille Clodius Clodii fuit conſanguineus, quem ejus ſcribam ſæpe vocat Cicero, & quem Auſonius ait Clodii cadaver in curiam intuliſſe.

Ib. *Librarium.*] Id eſt, codicem, in quo acta omnia deſcribuntur.

21. *Turbaque nocturna.*] Poſtquam interfectus eſt Clodius, Romam, ut refert, Pedianus, perlatum eſt ejus cadaver ante primam noctis horam: infimæque plebis, & ſervorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domûs poſitum circumſtetit.

22. *Palladium.*] Palladium ſimulacrum fuit Palladis, quod, Ilo avo Priami regnante apud Trojanos, è cœlo decidit. Delato in urbem ſimulacro, Ilus Apollinem conſuluit, qui incolumem Trojam fore reſpondit, dum illud in Ilio conditum ſervatur. Alii ferunt Diomedem, Ulyſſem alii abſtuliſſe. Hoc illud ipſum ſimulacrum Romam pervenit, à quo perlatum fuerit non conſtat. Cedrenus à Diomede petenti Æneæ redditum fuiſſe ſcribit, à quo in Italiam perlatum eſt; at certum eſt, Romæ in æde Veſtæ repoſitum fuiſſe; quod cùm arſiſſet, ab incendio Metellus pontifex eripuit.

munus

munus ac inſtrumentum Tribunatûs ad aliquem, ſi nactus eſſes, qui tuo arbitrio Tribunatum gereret, deferre poſſes. Et aſpexit me quidem illis oculis, quibus tum ſolebat, cùm omnibus omnia minabatur; movet me quippe lumen curiæ. Quid? tu me iratum, Sexte, putas tibi, cujus tu inimiciſſimum multò crudeliùs etiam punitus es, quàm erat humanitatis meæ poſtulare? Tu P. Clodii cruentum cadaver ejeciſti domo: tu in publicum abjeciſti: tu ſpoliatum imaginibus, exequiis, pompâ, laudatione, infeliciſſimis lignis [d] ſemiuſtulatum, nocturnis canibus dilaniandum reliquiſti; quam rem etſi neceſſariò feciſti, tamen, quoniam in meo inimico crudelitatem [e] exprompſiſti tuam, laudare non poſſum, iraſci certe non debeo.

[d] *ſemiuſtum.* [e] *oſtendiſti.*

23. *Inſtrumentum.*] Inſtrumentum hîc ſumitur pro iis quas Cicero literas publicas appellat: hoc eſt, quod vel à perſonâ publicâ veluti ſcribâ magiſtratûs, vel tabellione ſcriptum eſt.

25. *Omnibus omnia minabatur.*] Sextus ille Clodius ſcriba fuit Pub. Clodii (de quo in oratione pro domo ſuâ) qui quo anno Publius geſſit conſulatum, potentiſſimus fuit, & ejus furoris adminiſter.

26. *Movet me quippe lumen curiæ.*] Jocatur hîc ambiguè Cicero: Videtur enim indicare incendium curiæ & per ironiam Sextum Clodium Senatorem ampliſſimum.

27. *Quid? tu me iratum.*] Digreditur à continuâ Oratione ad Sextum illum Clodium; cui iratum non eſſe ſe profitetur, cùm longè graviùs ſævierit in Clodium amicum & conſanguineum ſuum, quàm ipſe Cicero in hoſtem agere voluiſſet.

28. *Punitus es.*] Ut impertio & impertior, ita punio & punior in eâdem ſignificatione à Cicerone dicta ſunt.

29. *Cruentum cadaver.*] Exponit figillatim quid à Sexto Clodio actum eſt in Publii cadavere; quod cùm cruentum eſſet à recenti cæde, ne quid illud lavandum curavit; moris enim fuit apud illos veteres, ut mortui lavarentur, & ungerentur; unde Ennius, *Tarquinii corpus bonâ fœmina lavit & unxit.*

Ib. *Ejeciſti domo.*] In odium Sexti Clodii, ait, *ejeciſti*: quia viri conſanguinitate propinquiores ſolebant multo honore efferre; ejecit autem Sextus quaſi ea quæ inviſa ſunt.

30. *In publicum abjeciſti.*] Aſconius Pedianus ſcribit vulgus imperitum corpus nudum, diſcalceatum, ficut in lectulo erat poſitum, ut vulnera videri poſſent, in forum detuliſſe, & in roſtris poſuiſſe.

Ib. *Spoliatum imaginibus.*] Plinius lib. 35. cap. 2. refert, atria nobilium virorum plena fuiſſe ceratis imaginibus; & ſi quando ſepeliendus eſſet aliquis è familiâ, tum ferri omnes eas imagines eorum qui in familiâ vixerant.

Ib. *Exequiis.*] Servius in lib. 2. Æneid. ſic ſcribit: *Funus, ardens cadaver: dum portabatur, exequias; dum crematum eſt, reliquias & buſtum; dum conditum eſt, ſepulcrum dici.*

31. *Laudatione.*] Ex nobili & illuſtri familiâ ſi quis excederet è vitâ, tum aliquis è propinquis aſſumebatur, qui mortuum laudaret; hinc orationes funebres habendi conſuetudo defluxit.

Ib. *Infeliciſſimis lignis.*] Pedianus ait quod *Sexto Clodio duce, populus corpus Pub. Clodii in curiam intulit, cremavitque ſubſolliis, & tribunalibus, & menſis, & codicibus librariorum: quo igne & ipſa curia flagravit, & item Porcia Baſilica, quæ erat ei juncta, ambuſta eſt.* Infeliciſſima autem hæc ligna appellat, quod in funeribus illuſtrium virorum vulgò amomo, balſamo, &c. uterentur.

Ib. *Nocturnis canibus.*] Canes intelligit, qui noctu vagantur, neque certas domos habent.

32. *Quam rem etſi neceſſariò.*] Coactus eſt Sextus Clodius ſtatim effugere, & relinquere ſemiuſtum illud corpus propter periculum infeſtæ curiæ.

P. Clodii Præturam non ſine maximo rerum novarum metu proponi, & ſolutam fore videbatis, niſi eſſet is Conſul, qui eam auderet poſſetque conſtringere. Eum Milonem eſſe cùm ſentiret univerſus populus Romanus, quis dubitaret ſuffragio ſuo, ſe metu, periculo rempublicam liberare? At nunc, P. Clodio remoto, [f] uſitatis jam rebus enitendum eſt Miloni, ut tueatur dignitatem ſuam; ſingularis illa huic uni conceſſa gloria, quæ quotidie augebatur frangendis furoribus Clodianis, jam morte Clodii cecidit; vos adepti eſtis, ne quem civem metueretis: hic exercitationem virtutis, ſuffragationem conſulatûs, fontem perennem gloriæ ſuæ perdidit. Itaque Milonis conſulatus, qui vivo Clodio [g] labefactari non poterat, mortuo denique [h] tentari cœptus eſt. Non modò igitur nihil prodeſt, ſed obeſt etiam P. Clodii mors Miloni. At valuit odium: fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor injuriæ, punitor doloris ſui; quid, ſi hæc, non dico majora fuerunt in Clodio quàm in Milone, ſed in illo maxima, nulla in hoc? quid vultis amplius? quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiem ſuæ gloriæ, præter hoc civile odium, quo omnes improbos odimus? ille erat ut odiſſet, primum defenſorem ſalutis meæ; deinde vexatorem furoris, domitorem armorum ſuorum; poſtremò etiam accuſatorem ſuum; [i] reus enim Milonis lege Plotiâ fuit Clodius, quoad vixit; quo tandem animo hoc tyran-

[f] *certandum more ſolito.* [g] *certiſſimus erat.* [h] *concuti.* [i] *Milo enim potuit accuſare Clodium.*

35. *Clodii Præturam.*] Poſt digreſſionem, redit ad Præturam quam Clodius petebat.

Ib. *Rerum novarum.*] Vulgo per res novas ſeditiones & motus intelligunt Hiſtorici, quibus veteres leges intringunt. Ad hoc autem maximè Pub. Clodius ſpectabat, cùm Prætor fieri voluit.

37. *Eum Milonem.*] Totus populus Romanus optabat Milonem fieri Conſulem, quaſi is unus eſſet qui Clodio poſſet reſiſtere.

39. *At nunc, P. Clodio.*] Objectionem proponit Cicero, & oſtendit Clodii mortem nihil utilem Miloni fuiſſe.

44. *Fontem perennem.*] Locum hunc citat Quintilianus lib. 8. ubi de egregiis metaphoris loquitur.

48. *At valuit odium.*] Occurrit objectioni, quæ informari ſic ab adverſariis poterat: ſi Milo oderat Clodium, ſed Clodius non oderat Milonem, credibilius videtur quòd Milo Clodio, non Clodius Miloni ſtruxerit inſidias. At hanc objectionem ſolvit à cauſis, quia nemo odit eum, à quo ei accrevit gloria, at maxima frangendis Clodii furoribus Miloni accrevit gloria.

52. *Præter hoc civile.*] Ait Milonem non alio odio fuiſſe Clodium perſecutum, quàm quo omnes naturali quâdam propenſione oderunt improbos.

53. *Ille erat ut odiſſet.*] Jam cauſas profert quare Clodius odiſſet Milonem. Prima cauſa eſt, quia Tribunus plebis Milo ſtuderat Ciceroni ab exilio revocando. Secunda, quia ſæpiùs Rempublicam vexaverat Clodius, cujus Milo ſæpius arma impedivit. Tertia, quia Clodium accuſaverat Milo.

56. *Lege Plotiâ.*] Tulit M. Plotius Silvanus Tribunus plebis, Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone Coſſ. anno urbis conditæ 664. ſecundo anno belli Italici, cùm equeſter ordo in judiciis dominaretur, ut de iis qui vim publicam armatis hominibus feciſſent, quæſtio conſtitueretur. Certè Cicero lib. 4. epiſt. ad Att. ait quòd auſus eſt Milo reum

tyrannum tuliſſe creditis? quantum odium illius? & in homine injuſto, quàm etiam juſtum eſſe?

IX. Reliquum eſt, ut jam illum natura ipſius conſuetudoque defendat; hunc autem hæc eadem coarguant; nihil per vim unquam Clodius: omnia per vim Milo. Quid ergo, Judices? cum mœrentibus vobis urbe ceſſi, judicium-ne timui? non ſervos, non arma, non vim? quæ fuiſſet igitur cauſa reſtituendi mei, niſi fuiſſet injuſta ejiciendi? * Diem mihi, credo, dixerat, mulctam irrogarat, actionem perduellionis intenderat; & mihi videlicet in causâ aut malâ, aut meâ, non & præclariſſimâ & veſtrâ, judicium timendum fuit; ſervorum, & egentium civium & facinoroſorum armis meos cives, meis conſiliis periculiſque ſervatos, pro me objici nolui. Vidi enim, vidi hunc ipſum Q. Hortenſium, lumen & ornamentum

* *vocaverat me in jus.*

ſum Clodium de vi lege Plotiâ facere, quod impreſſionem feciſſet in fabros Ciceronis domum ædificantes, quæ publicâ pecuniâ reſtaurabatur, & quam ipſe Clodius, dum Cicero exularet, diruendam curaverat.

57. *Tyrannum.*] Clodium tyrannum vocat.

Ib. *In homine injuſto.*] Id eſt, in Clodio, cujus, licet ille injuſtus eſſet, cauſæ tamen odii in Milonem accuſatorem ſuum juſtæ erant.

1. *Reliquum eſt, ut jam illum natura.*] Hactenus Cicero uſus eſt argumentis ſumptis à conjecturis, nunc ab naturâ & conſuetudine deſumit; incipit autem ab Ironiâ, quâ pungit Clodium.

Ib. *Illum.*] Clodium ait, cujus mores, naturam, & anteactam vitam conſiderat.

2. *Hunc.*] Milonem.

Ib. *Nihil per vim unquam.*] Clodium nihil per vim egiſſe ironicè dicit.

4. *Mœrentibus vobis.*] Senatores qui in ſuis periculis veſtem nunquam mutabant, in Ciceronis periculo mutaverunt. Hîc autem vim factam à Clodio deſcribit.

Ib. *Urbe ceſſi.*] Pridiè quàm Clodius rogaret ſuum privilegium, abiit Cicero in voluntarium exilium: atque adeò dicit ſe urbe ceſſiſſe, cùm injuſtè exularet.

5. *Non ſervos, non arma.*] Cùm Cicero reus factus eſt à Clodio, mutatâ veſte ſordidatus populo ſupplicavit; tum Clodius illi omnibus vicis occurrebat ſtipatus hominibus contumeliosis, qui petulanter mutationem veſtis, & ejus habitum exagitantes, multiſque locis luto & lapidibus in eum conjectis, ſupplicationes impediebant. Ita Dio lib. 38.

Ib. *Quæ fuiſſet igitur.*] Argumentum à repugnantibus, quia Cicero non fuiſſet reſtitutus, niſi per vim improbè ejectus eſſet.

7. *Mulctam irrogârat.*] Mulctam irrogare, eſt rogare populum, ut mulctam alicui velit imponere.

Ib. *Perduellionis.*] *Perduelles dicebantur ab antiquis, quos nos hoſtes appellamus,* inquit Caius in lib. de verb. ſignif. Perduellionis autem crimen in eos cadebat, qui ſummam Reipublicæ labefactare conati erant.

Ib. *Intenderat.*] Intendere ſeu intentare verbum eſt juris; & nihil aliud notat, quàm crimen in adverſarium jacere: hinc intentio criminis, cui opponitur recuſatio.

8. *Et mihi videlicet in causâ aut malâ.*] Ironia, dicit cauſam judicium fuiſſe, cùm puniviſſet Lentulum & Cethegum qui in conjuratione Catilinæ fuiſſent; idque ex juſſu populi & Senatûs.

9. *Servorum & egentium.*] Suadebant multi Ciceroni, antequam cederet in exilium, rem ipſam contra Clodium armis experiri, & vim vi repellere: ſed maluit abire in exilium, quàm cives ſuos in periculum adducere.

12. *Q. Hortenſium.*] Cùm factus fuiſſet

tum reipublicæ, pene interfici ſervorum manu, cum mihi [b] adeſſet: quâ in turbâ C. Vibienus Senator, vir optimus, cum hoc cùm eſſet unà, ita eſt [c] mulctatus, ut vitam amiſerit. Itaque quando illius poſtea ſica illa, quam à Catilinâ acceperat, conquievit? hæc intentata nobis eſt: huic ego vos objici pro me non ſum paſſus: hæc inſidiata Pompeio eſt: hæc iſtam Appiam viam, monumentum ſui nominis, nece Papirii cruentavit: hæc, hæc eadem longo intervallo converſa rurſus eſt in me: nuper quidem, ut ſcitis, me ad regiam pene confecit. Quid ſimile Milonis? cujus vis omnis hæc ſemper fuit, ne P. Clodius, cùm in judicium [d] detrahi non poſſet, vi oppreſſam civitatem teneret; quem ſi interficere voluiſſet, quantæ, quoties occaſiones, quàm præclaræ fuerunt? potuit-ne, cùm domum ac deos penates ſuos, illo oppugnante, defenderet, jure ſe ulciſci? potuit-ne, cive egregio & viro fortiſſimo P. Sextio, collegâ ſuo, vulnerato? potuit-ne, Q. Fabricio, viro optimo, cùm de reditu meo legem ferret, pulſo, crudeliſſimâ in foro cæde facta? potuit-ne, L. Cæcilii, juſtiſſimi, fortiſſimique Prætoris, oppugnatâ domo? potuitne illo die, cùm eſt lata lex de me? cum totius Italiæ concurſus, quem mea ſalus concitarat, facti illius gloriam libens agnoviſſet:

[b] *patrocinaretur.* [c] male *tractatus.* [d] *pertrahi.*

iſſet Cicero reus à Pub. Clodio, voluit Senatus decernere, ut populus Rom. veſtem mutaret; ſed contra ſentiebant Conſules Piſo & Gabinius. Clodius paludatus circa curiam cum ſatellitibus vagabatur, è Senatu prorupêre quidam Senatores, qui laceratis veſtibus, tumultûs ſpeciem dedêre, ut Plut. refert in Cic. In eo tumultu Hortenſius & Vibienus aliquid à militibus paſſi ſunt.

16. *A Catilinâ.*] Catilinæ Clodius amicus fuit.

Ib. *Conquievit.*] Non eo facinore conquievit furor Clodii, ſed erupit ſemper ulteriùs: Ciceronem enim & Pompeium perſecutus eſt.

18. *Pompeio.*] Collocaverat Clodius ſicarium in inſidiis ad Pompeium occidendum, de quo ſæpe Cicero.

19. *Nece Papirii.*] De hoc ſuperiùs.

21. *Me ad regiam pene confecit.*] Lib. 4. ad Att. ſic ait: *Cùm ſacra via deſcenderem, inſecutus eſt me cum ſuis: clamor, lapides, fuſtes, gladii, hæc improviſa omnia.* Eſt autem Regia locus in Viâ Sacrâ extra Romam, ubi Numa Pompilius Rex Romanorum ſecundus habitavit. Regia enim Regis domus dicitur.

Ib. *Quid ſimile Milonis.*] Jam confert Milonem cum Clodio.

25. *Domum ac deos penates.*] Lib. 4. Epiſt. 3. ad Attic. ſic ait: Milonis domum, meamque in Ceramio pridie Idus Novembris expugnare & incendere ita conatus eſt, ut palam horâ quintâ cum ſcutis homines eductis gladiis, alios cum accenſis facibus adduxerit. Ipſe domum P. Syllæ pro caſtris ad eam oppugnationem ſumpſerat, tum ex Annianâ Milonis domo Q. Flaccus eduxit viros acres, occiditque homines ex omni latrocinio Clodiano notiſſimos, ipſum cupivit, ſed ille ſe in interiorem partem ædium abdidit.

27. *P. Sextio, collegâ.*] Milo & Sextius Tribuni plebis fuerunt anno poſt Clodium proximo. In Oratione pro Sextio dicit eum viginti accepiſſe vulnera, & mortem evaſiſſe ſe mortuum ſimulando.

28. *Q. Fabricio.*] Fabricius Tribunus plebis cum Sextio, octavo Kalendas Februarii armatos homines in templum Caſtoris deduxit.

29. *L. Cæcilii.*] De eo Cæcilio nihil loquitur Aſconius; de eo tamen loquitur Cicero in Oratione poſt reditum in Senatu.

ut,

ut, etiam si id Milo feciſſet, cuncta civitas eam laudem pro ſua vindicaret? Atqui erat id temporis clariſſimus & fortiſſimus Conſul, inimicus Clodio, P. Lentulus, ultor ſceleris illius, propug- 35
nator Senatûs, defenſor veſtræ voluntatis, patronus illius publici conſensûs, reſtitutor ſalutis meæ: ſeptem Prætores; octo tribuni plebis, illius adverſarii, defenſores mei: Cn. Pompeius auctor & dux mei reditûs, illius hoſtis: cujus ſententiam Senatus omnis de ſalute meâ graviſſimam & ornatiſſimam ſecutus eſt: qui po- 40
pulum Romanum cohortatus eſt; qui, cùm de me decretum Capuæ feciſſet, ipſe cunctæ Italiæ cupienti & ejus fidem implo-ranti ſignum dedit, ut ad me reſtituendum Romam concurrerent; omnia tum denique in illum odia civium ardebant deſiderio mei: quem qui tum interemiſſet, non de impunitate ejus, 45
ſed de præmiis cogitaretur. Tamen ſe Milo continuit, & P. Clodium ad judicium bis, ad [e] vim nunquam vocavit. Quid? privato Milone, & reo [f] ad populum, accuſante P. Clodio, cùm in Cn. Pompeium pro Milone dicentem impetus factus eſt; quæ tum non modò occaſio, ſed etiam cauſa illius opprimendi fuit? Nuper 50
vero cùm M. Antonius ſummam ſpem ſalutis bonis omnibus attuliſſet, graviſſimamque adoleſcens nobiliſſimus reipub. partem fortiſſime ſuſcepiſſet, atque illam belluam, judicii laqueos declinantem,

[e] *arma.* [f] *apud.*

33. *Eam laudem.*] Intelligit eam laudem quam ſibi Milo peperit ob interfectum Clodium.

34. *Fortiſſimus Conſul.*] Lentulus Spinther.

37. *Septem Prætores.*] Omnes illi Prætores volebant Ciceronem revocari.

38. *Cn. Pompeius auctor.*] Pompeius cum M. Craſſo & Julio Cæſare gloriæ Ciceronis invidebat, quia ſummâ auctoritate apud omnes valebat ob extinctam Catilinæ conjurationem. Quâ de causâ paſſus eſt Pompeius ut in exilium à Clodio pelleretur, cui obſiſtere facile Pompeio fuiſſet. Verum cùm intellexit Pompeius, hinc ſibi ſuccenſere Senatores & Equites univerſos, quòd non opem & homini de ſe, & totâ Repub. benè merito tuliſſet, & idem ſibi periculum à Clodio impendere, primus omnium, licèt Clodii lege cautum eſſet, ne quis Prætor, Tribunus, aut alius quiſpiam de Ciceronis reditu mentionem faceret, retulit ad Senatum de Cicerone revocando, cujus laudes mirificè prædicavit.

41. *Decretum.*] Capuani decretum fecerunt, ut Cicero reſtitueretur. Ex totâ Italiâ venerunt legati ad Pompeium, qui bus imperavit venire Romam, idque à Senatu petere.

43. *Signum dedit.*] Verbum militare, id eſt, cohortatus eſt, quemadmodum milites dat teſſeram, quando ineundum eſt certamen.

47. *Privato Milone.*] Qui functus fuerat Magiſtratu, privatus dicebatur; dum quem gereret, accuſare nemo poterat.

49. *In Cn. Pompeium impetus.*] Cùm Pompeius incepit pro Milone dicere, Clodiani clamorem ſuſtulere. Idque ei perpetuâ Oratione contigit, non modò ut acclamaretur, ſed etiam ut convicio & maledictis impediretur. Sed à dicendo non eſt deterritus, ſex enim horas dixit.

51. *M. Antonius.*] M. Antonius inſecutus eſt Clodium, ut eum interficeret, remque tranſegiſſet, niſi ille ſe ſub ſcalas tabernæ librariæ conjeciſſet, hiſque oppilatis impetum Clodii compreſſiſſet. Is autem Antonius fuit, qui poſtea civile bellum cum Auguſto geſſit, prius qui idem amicus Ciceronis, poſtea vero hoſtis capitalis, & ejus necis auctor.

53. *Illam belluam.*] Clodium intelligit

tem, jam irretitam teneret: qui locus, quod tempus illud, dii immortales, fuit? cùm se ille fugiens in scalarum tenebras abdidisset, magnum Miloni fuit conficere illam pestem nullâ suâ invidiâ, Antonii vero maximâ gloriâ? Quid? comitiis in campo quoties potestas fuit? cùm ille vi in septa irruisset, gladios distringendos, lapides jaciendos curasset, deinde subito, vultu Milonis perterritus, fugeret ad Tiberim, vos & omnes boni vota faceretis, ut Miloni uti [g] virtute suâ liberet? Quem igitur cum omnium gratiâ noluit; hunc voluit cum aliquorum querelâ? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impunè non est ausus; hunc injuriâ, iniquo loco, alieno tempore, periculo capitis non dubitavit occidere? præsertim, Judices, cum [h] honoris amplissimi contentio, & dies comitiorum [i] subesset; quo quidem tempore (scio enim [k] quàm timida sit ambitio, quantaque & quàm sollicita cupiditas Consulatûs) omnia, non modò quæ reprehendi palam, sed etiam quæ obscurè cogitari possunt, timemus: rumorem, fabulam fictam, falsam perhorrescimus: [l] ora omnium atque oculos intuemur; nihil enim est tam molle, tam tenerum, tam aut fragile, aut flexibile, quàm voluntas erga nos sensusque civium: qui non modò improbitati irascuntur candidatorum, sed etiam in recte factis sæpe fallidiunt. Hunc diem igitur [m] campi speratum atque exoptatum sibi proponens Milo, cruentis manibus scelus & facinus præ se ferens & confitens, ad illa augusta centuriarum auspicia veniebat? quàm hoc non credibile in hoc? quàm idem in Clodio non dubitandum quin se ille, interfecto Milone, regnaturum putaret? Quid? quod caput audaciæ est, Judices: quis ignorat, maximam illecebram esse peccandi impunitatis spem? in utro igitur hæc fuit? in Milone, qui etiam nunc reus

[g] *fortitudine.* [h] *consulatûs.* [i] *instaret.* [k] *quàm timidi sint ambientes.* [l] *vultus.* [m] *comitiorum.*

git & allegoriâ utitur ductâ à belluis, quæ venatorum laqueos devitant.

57. *In campo.*] Martio videlicet, ubi comitia habebantur.

58. *In septa.*] Cum comitia celebrabantur, populus quibusdam septis, seu ligneis repagulis concludebatur.

60. *Fugeret ad Tiberim.*] Tiberis campum Martium præterfluebat.

61. *Quem igitur cum omnium.*] Aliam interficiendi Clodii opportunitatem ostendit, quâ cùm non fit usus, manifeste patet eum non habuisse voluntatem occidendi: tum enim Clodium occidere summâ omnium gratiâ ac summo jure potuisset. Advertè alias loci, temporis, &c. circumstantias, quibus suum firmat argumentum.

73. *Candidatorum.*] Qui petebant magistratum candidâ veste utebantur, ut omnibus viderentur.

74. *Sæpe fallidiunt.*] Id est, cum fallunt quodam irascuntur.

76. *Augusta centuriarum auspicia*] Id est, ad comitia centuriata, quibus Consules fiebant; de his comitiis dictum est, pro Rabirio Perd. reo, Parag. ii. l. 54. Augusta porro dicuntur, quia sancta, quod Auguriis consecrata essent. De Auguriis illis captandis fusissimè loquitur Abrahamus in hac Oratione pro Milone num. 44.

77. *In hoc.*] Milone videlicet.

80. *Impunitatis spem.*] A spe iam impunitatis probat Clodium Miloni struxisse insidias; quam spem longè mejorem

reus eſt facti aut præclari, aut certe neceſſarii? an in Clodio, qui ita judicia pœnamque contempſerat, ut eum nihil delectaret, quod aut per naturam fas eſſet, aut per leges liceret?

X. Sed quid ego argumentor? quid plura diſputo? te, Q. Petilli, appello, optimum & fortiſſimum civem; te, M. Cato, teſtor: quos mihi divina quædam ſors dedit Judices; vos ex M. Favonio audiſtis, Clodium ſibi dixiſſe, & audiſtis, vivo Clodio; periturum Milonem triduo; poſt diem tertium geſta res eſt, quam dixerat; cùm ille non dubitaret aperire, quid cogitaret: vos poteſtis dubitare, quid fecerit? Quemadmodum igitur eum dies non fefellit? dixit equidem modò. Dictatoris Lanuvini ſtata ſacrificia nôſſe, negotii nihil erat; vidit neceſſe eſſe Miloni proficiſci Lanuvium illo ipſo, quo profectus eſt, die: itaque antevertit; at quo die? quo, ut ante dixi, fuit inſaniſſima concio ab ipſius mercenario tribuno-plebis concitata: quem diem ille, quam concionem, quos clamores, niſi ad cogitatum facinus approperaret, nunquam reliquiſſet. Ergo illi ne cauſa quidem itineris, etiam cauſa manendi: Miloni manendi nulla facultas, exeundi non cauſâ ſolùm, ſed etiam neceſſitas fuit. Quid, ſi, ut ille ſcivit, Milonem fore eo die in viâ, ſic Clodium Milo ne ſuſpicari quidem potuit? Primùm quæro, quî ſcire potuerit: quod vôs idem in Clodio quærere non poteſtis; ut enim neminem alium, niſi T. Patinam, familiariſſimum ſuum, rogaſſet, ſcire potuit, illo ipſo die Lanuvii à Dictatore Milone prodi flaminem neceſſe eſſe; ſed erant permulti alii, ex quibus id facillime ſcire poſſet, omnes ſcilicet Lanuvini. Milo de Clodii reditu unde quæſivit? quæſierit ſane. Videte, quid vobis largiar; ſervum etiam, ut Arrius, meus a-

jorem in Clodio quàm in Milone fuiſſe contendit, tum ex judiciis, tum ex pœnis quas contempſit.

82. *Aut præclari.*] Præclarum eſſe contendit Cicero Clodium interfeciſſe, quia perturbator erat Reipub.

Ib. *Aut neceſſarii.*] Coactus fuit Milo Clodium interficere, ut vitam ſuam tueretur.

Ib. *Qui ita judicia.*] Cùm accuſatus eſt ſacrilegii, quòd in ſacris Bonæ Deæ, veſte muliebri irrepſerat, pecuniâ judices corrupit, deinde cùm de vi à Milone vocatus eſt in judicium, illud auctoritate declinavit.

84. *Per naturam fas eſſet.*] Per ſummum nefas ſororem ſuam Clodius conſtupravit.

Ib. *Per leges liceret.*] Vetabant leges nè quis vir adeſſet illis ſacrificiis, quæ à matronis Romanis in honorem Bonæ Deæ celebrabantur.

1. *Sed quid ego argumentor.*] Jam probat Cicero conſilium habuiſſe Clodium Milonis interficiendi ab ipſius teſtimonio. Suam enim palàm voluntatem declaravit. Idque efficit tum ab antecedentibus, tum à conſequentibus.

5. *Triduo.*] Id eſt, intra triduum, ea fere omnia quæ ſequuntur, expoſita ſunt in narratione. Hanc conſule.

11. *Mercenario.*] Mercenarius hic ſumitur pro eo, qui pecuniâ corruptus eſt. Is autem fuit Quintus Pompeius, qui quo die Pub. Clodius occiſus eſt, turbulentam concionem habuit, in quâ multa contumelioſe tum contra Milonem, tum contra Ciceronem dixit.

19. *T. Patinam.*] Patinas ille Lanuvinus fuit Clodii familiaris, à quo potuit edoceri Milonem Lanuvium venturum eſſe.

21. *Flaminem.*] De eo dictum eſt in narratione, parag. vi. l. 32.

24. *Arrius.*] De hoc Arrio loquitur in Orat. contra Vatinium

micus, dixit, corruperit. Legite teſtimonia teſtium veſtrorum; dixit C. Caſſinius, cognomento Schola, Interamnas, familiariſſimus & idem comes P. Clodii (cujus jampridem teſtimonio Clodius eâdem horâ Interamnæ fuerat & Romæ) P. Clodium illo die in Albano manſurum fuiſſe; ſed ſubitò ei eſſe nunciatum, Cyrum architectum eſſe mortuum: itaque Romam repentè conſtituiſſe proficiſci; dixit hoc comes item P. Clodii, C. Clodius. Videte, Judices, quantæ res his teſtimoniis ſint confectæ. Primùm certe liberatur Milo, non eo conſilio profectus eſſe, ut inſidiaretur in viâ Clodio: quippe qui ei obvius futurus omnino non erat; deinde (non enim video, cur non meum quoque agam negotium) ſcitis, Judices, fuiſſe, qui in hac rogatione ſuadendâ dicerent, Milonis manu cædem eſſe factam, conſilio vero majoris alicujus. Videlicet me latronem ac ſicarium abjecti homines & perditi deſcribebant. [a] Jacent ſuis teſtibus ii, qui Clodium negant eo die Romam, niſi de Cyro auditum eſſet, rediturum fuiſſe. Reſpiravi: liberatus ſum: non vereor, ne, quod ne ſuſpicari quidem potuerim, videar id cogitaſſe. Nunc perſequar cætera; nam occurrit illud: Igiturne Clodius quidem de inſidiis cogitavit, quoniam fuit in Albano manſurus, ſi quidem ex iturus ad cædem è villâ non fuiſſet, video enim illum, qui dicitur de Cyri morte nunciaſſe, non id nunciaſſe, ſed Milonem appropinquare; nam quid de Cyro nunciaret, quem Clodius Româ proficiſcens reliquerat morientem?

[a] *convincuntur.*

25. *Legite teſtimonia.*] Teſtimonia ſunt teſtium dicta, quæ ſæpe in judiciis à ſcribis legi jubebantur. Et hic lecta ſunt.

26. *Interamnas.*] Interamnas vel Interamnanus gentile fuit nomen, ab Interamnâ Umbriæ civitate: dicta porro eſt quaſi inter amnes.

28. *Interamnæ fuerat & Romæ.*] Cicero oſtendit non eſſe credendum hujus Caſſinii teſtimonio, qui dixit, ſe tum cum Clodio fuiſſe, cùm occiſus eſt à Milone. Nam quâ horâ Clodius deprehenſus eſt Romæ habitu muliebri in ſacris bonæ Deæ, eum fuiſſe Interamnæ dixerat idem ipſe Caſſinius juratus teſtis.

Ib. *In Albano manſurum.*] In agro Albano villam habuit Clodius. Porro Albanus ager ab Albâ urbe dictus eſt, & hæc ab albâ ſue, quam Aſcanius, cùm eam conderet, invenîſſe dicitur. Tenuit illa imperium 330 annis antequam Roma conderetur.

29. *Cyrum architectum.*] Illius Cyri meminit Cicero ad Quintum fratrem, & ad Atticum. Is autem fuit ædificandi magiſter.

31. *C. Clodius.*] C. Clodius Publii frater fuit, cujus filios duos accuſatores fuiſſe Milonis Aſconius tradit.

Ib. *Videte, Judices.*] Concludit Cicero Milonem non feciſſe inſidias Clodio, idque adverſariorum teſtimonio: quia nemo ei inſidiatur, quem neſcit ſibi obviam futurum; id autem ſcire Milo non potuit.

37. *Majoris alicujus.*] Ciceronis nempe, qui, cùm eſſet Conſularis, majore dignitate Miloni præſtabat.

38. *Abjecti homines.*] Q. Pompeius Rufus, & C. Salluſtius, ut ex *Aſconio* conſtat.

43. *Clodius quidem de inſidiis cogitavit.*] Dicebant Clodiani quòd ne Clodius quidem de inſidiis cogitavit, quia eo die remanſurus erat in Albano. At ex eo exiviſſe, ut Romam rediret, quis ei de morte Cyri nunciatum eſt. At id Cicero refellit, quia effiantem eum animam reliquerit. Non agitur ei de Cyro, ſed de Milonis adventu renunciatum eſt.

unà fui: teſtamentum ſimul obſignavi cum Clodio: teſtamentum autem palam fecerat, & illum hæredem & me ſcripſerat; quem pridie horâ tertiâ animam efflantem reliquiſſet, eum mortuum poſtridie horâ decimâ denique ei nunciabatur? [b] Age, ſit ita factum: quæ cauſa, cur Romam properaret? cur in noctem ſe conjiceret? quid afferebat feſtinatio? quòd hæres erat? primum erat nihil, cur properato opus eſſet: deinde, ſi quid eſſet, quid tandem erat, quod eâ nocte conſequi poſſet; amitteret autem, ſi poſtridie mane Romam veniſſet? Atque ut illi nocturnus ad urbem adventus vitandus potius, quàm expetendus fuit: ſic Miloni, cum inſidiator eſſet, ſi illum ad urbem noctu acceſſurum ſciebat, ſubſiſtendum atque expectandum fuit.

[b] *eſto.*

48. *Teſtamentum ſimul obſignavi.*] In teſtamentis faciendis ſeptem teſtes debebant adeſſe, deinde hæredes ſubſcribebant & obſignabant teſtamentum. Poterat autem quis hæres teſtis eſſe, ut ex hoc Ciceronis loco colligitur.

50. *Horâ tertiâ.*] Id eſt, nonâ noſtrâ.

51. *Horâ decimâ.*] Noſtrâ quartâ ſerotinâ.

51. *Cur in noctem.*] Id eſt, cur viæ ſe committeret horâ quartâ, duabus ante noctem?

54. *Deinde, ſi quid eſſet.*] Nihil tunc Romæ noctu aut de hæreditate, aut apud Senatum agere poterat.

59. *Subſiſtendum.*] Id eſt, in aliquo loco furtim manendum & expectandum in inſidiis, quoad Clodius veniret.

SECUNDA PROBATIO.

A concomitantibus, ſive ab ipſis facti circumſtantiis.

XI. Noctu, invidioſo & pleno latronum in loco occidiſſet; nemo ei neganti non credidiſſet, quem eſſe omnes ſalvum, etiam confitentem, volunt. [a] Suſtinuiſſet hoc crimen primum ipſe ille latronum occultator, & receptator locus, dum neque muta ſolitudo indicaſſet, neque cæca nox oſtendiſſet Milonem: deinde ibi multi ab illo violati, ſpoliati, bonis expulſi, multi etiam hæc timentes in ſuſpicionem caderent; tota denique rea citaretur Etruria. Atque die

[a] *locum ipſum omnes criminarentur.*

4. *Et receptator locus.*] In viâ Appiâ monumentum eſt Baſilii; qui locus latrocinüis fuit infamis, ut refert Aſconius Pedianus. Vocat autem receptatorem locum, quia eò ſe recipere ad latrocinandum fures ſolebant; metaphora ſumpta ab iis qui latrones, & eorum furta recipiunt, & apud ſe recondunt.

Ib. *Muta ſolitudo.*] Muta ſolitudo dicitur, quòd facinus taceat, ut cæca nox, quæ id occultat; tanquam hæc non videat, illa non loquatur.

6. *Ab illo.*] Clodio.

7. *Etruria.*] Etruſcos ſæpe Clodius armis pellere ſuis poſſeſſionibus conatus erat. Etruria porro eſt Italiæ regio, quæ Tyrrheno mari incumbit, & ad primam uſque Tiberis ripam protenditur.

illo certè Aricià rediens divertit Clodius ad Albanum; quod [b] ut sciret illum Milo Ariciæ fuisse suspicari tamen debuit, eum, etiam si Romam illo die reverti vellet, ad villam suam, quæ viam tangeret, diversurum; cur neque ante occurrit, ne in villâ resideret; nec eo in loco subsedit, quo ille noctu venturus esset? Video adhuc constare omnia, Judices: Miloni etiam utile fuisse, Clodium vivere; illi, ad ea quæ concupierat, optatissimum interitum Milonis fuisse: odium fuisse illius in hunc acerbissimum, in illum hujus nullum: consuetudinem illius perpetuam in vi inferendâ; hujus tantùm in repellendâ: mortem ab illo denunciatam Miloni, & prædicatam palàm; nihil unquam auditum ex Milone: profectionis hujus diem illi notum; reditum illius huic ignotum fuisse: hujus iter necessarium; illius etiam potiùs alienum; hunc præ se tulisse se illo die Româ exiturum; illum eo die se dissimulasse rediturum: hunc nullius rei mutasse consilium; illum causam mutandi consilii finxisse: huic, si insidiaretur, noctem prope urbem expectandam; illi, etiam si hunc non timeret, tamen accessum ad urbem nocturnum fuisse metuendum. Videamus nunc id, quod caput est: locus ad insidias ille ipse, ubi congressi sunt, utri tandem fuerit aptior? Id verò, Judices, etiam dubitandum, & diutiùs cogitandum est? ante fundum Clodii: quo in fundo propter [c] insanas illas substructiones facilè mille hominum versabatur valentium? edito atque excelso loco superiorem se fore putabat Milo, & ob eam rem eum locum ad pugnam potissimùm delegerat? an in eo loco est potiùs expectatus ab eo, qui ipsius loci spe facere impetum cogitarat? Res loquitur, Judices, ipsa: quæ semper valet plurimum; si hæc non gesta audiretis, sed picta videretis: tamen appareret, uter esset insidiator, uter nihil cogitaret mali; cùm alter veheretur in rhedâ penulatus, unà sederet uxor; quid horum non impeditissimum? vestitus, an vehiculum, an comes? quid minus promptum ad pugnam? cùm penulâ irretitus, rhedâ impeditus, uxore penè constrictus esset. Videte nunc illum, primum egredientem è villâ subito: cur vesperi? quid necesse est tarde? qui convenit, præsertim id temporis?

[b] *etsi.* [c] *magna ædificia.*

8. *Aricià.*] Clodius redibat Aricià quando Miloni obvius factus est, ubi Aricinorum decuriones allocutus fuerat. Aricia porrò Latii oppidum est in viâ Appiâ.

12. *Subsedit.*] Id est, furtim sedit in insidiis.

28. *Ante fundum.*] Fundus dicitur in jure proprie ager cum ædificio; nam *omnino fundus integrum aliquid est*, inquit Ulpianus.

29. *Mille hominum.*] Non fabros intelligit, sed operas quas multas habebat in hoc fundo Clodius, ut margines & ripas defenderet, & reficeret.

30. *Edito atque excelso loco.*] Occurrit objectioni adversariorum, qui vosebant Milonem editum & superiorem locum occupasse ad Clodium interficiendum. Sed respondet Cicero potiùs ibi à Clodio Milonem expectatum fuisse.

36. *Penulatus.*] Penula vestis est, quæ supra tunicam accingitur, quam sumebant viatores, ut se contra vim imbrium & frigoris tegerent.

41. *Id temporis.*] Mense Februario.

Diver-

Divertit in villam Pompeii. Pompeium ut videret? ſciebat in Alſienſi eſſe; villam ut perſpiceret? millies in eâ fuerat; quid ergo erat moræ & tergiverſationis? dum hic véniret, locum relinquere noluit. Age, nunc iter expediti latronis cum Milonis impedimentis comparate. Semper ille antea cum uxore: tum ſine eâ: nunquam non in rhedâ; tum in equo: comites Græculi, quocunque ibat, etiam cùm in caſtra Etruſca properabat: tum nugarum in comitatu nihil. Milo, qui nunquam, tum caſu pueros ſymphoniacos uxoris ducebat & ancillarum greges: ille qui ſemper ſecum [d] ſcorta, ſemper exoletos, ſemper [e] lupas duceret; tum neminem, niſi ut virum à viro lectum eſſe diceres. Cur igitur victus eſt? quia non ſemper viator à latrone, nonnunquam etiam latro à viatore occiditur: quia quanquam paratus in imparatos Clodius, tamen mulier inciderat in viros; [f] nec viro ſic erat unquam non paratus Milo contra illum, ut non ſatis fere eſſet paratus; ſemper ille, & quantum intereſſet P. Clodii ſe perire, & quanto illi odio eſſet, & quantum ille auderet, cogitabat; quamobrem vitam ſuam, quàm maximis præmiis propoſitam & pene [g] addictam ſciebat. Nunquam in periculum ſine præſidio & ſine cuſtodiâ projiciebat. Adde caſus, adde incertos exitus pugnarum, [h] Martemque communem: qui ſæpe ſpoliantem jam & exultantem evertit & perculit ab abjecto; adde inſcitiam [i] pranſi, poti, oſcitantis ducis; qui cum à tergo hoſtem intercluſum reliquiſſet, nihil de ejus extremis comitibus cogitavit: in quos incenſos irâ vitamque domini deſperantes cùm incidiſſet, [k] hæſit in iis pœnis, quas ab eo ſervi fideles pro domini vitâ expetiverunt.

[d] impudicas *mulieres.* [e] *meretrices.* [f] *nec verò tam parum paratus erat Milo contra Clodium, quin ſatis eſſet ſemper.* [g] *deſtinatam.* [h] *pugnam anceps.* [i] *ſaturi, ebrii, negligentis.* [k] *dedit hæc pœnas.*

42. *Alſienſi eſſe.*] Alſium oppidum eſt ad oſtia Tiberina.

47. *Comites Græculi.*] Aſiaticos ſervos notat, quorum alii muſici fuerunt, alii ad voluptatem comparati.

48. *In caſtra Etruſca properabat.*] Commemorat Tullius conjurationem Catilinæ, ut in odium judicum Clodium adducat, utpote quondam illius conjurationis ſocium; voluit enim ſe Catilinæ adjungere præmetu Ciceronis Conſulis atque adeo ſe in Catilinæ caſtra, qui tum Feſulis erat in Etruriâ, conferebat: cùm eum in itinere pœnituit, ac Romam reverſus eſt. Ita *Aſconius.*

Ib. *Nugarum.*] Tum Clodius neque ſecum ancillas, neque pueros ad nugas & delectionem comparatos habuit.

49. *Pueros ſymphoniacos.*] Habebat Milo ſecum muſicos, qui cantu uxorem ſuam Fauſtam oblectarent.

51. *Exoletos.*] Iſtum verbum *Exoletus* ſubſtantivè ſumptum, ut docet Valla, ſemper tum eſt maſculum, propriè tamen adultæ ætatis.

52. *Virum à viro.*] Moris olim fuit apud Romanos, ut militibus poteſtas fieret, ut ſinguli ſingulos ſibi notos diligerent, cùm majus aliquod ſibi periculum imminere perſpicerent. Vide T. Livium lib. 9.

55. *Mulier inciderat in viros.*] Vocat mulierem Clodium, quia vir fuit effœminatus, qui à Milone viro forti facilè potuit ſuperari.

62. *Perculit ab abjecto.*] Sæpe accidit in certaminibus, ut qui proſtratus eſt, ſurgat & vincat jam ſuperantem.

TERTIA PROBATIO.

Ubi refutantur quæ de ſervis objiciebantur.

XII. Cur igitur eos manumiſit? metuebat ſcilicet ne indicarent: ne dolorem perferre non poſſent: ne tormentis cogerentur, occiſum eſſe à ſervis Milonis in Appiâ viâ P. Clodium confiteri. Quid opus eſt tortore? quid quæris? occideritne? occidit? jure, an injuria? nihil ad tortorem; facti enim in equuleo quæſtio eſt, juris in judicio; quod igitur in causâ quærendum eſt, id agamus hic: quod tormentis invenire vis, id fatemur. Manu verò cur miſerit, ſi id potius quæris, quam cur parum amplis affecerit præmiis; neſcis inimici factum reprehendere; dixit enim hic idem, qui omnia ſemper conſtanter & fortiter, M. Cato; dixitque in turbulentâ concione, quæ tamen ejus auctoritate placata eſt, non libertate ſolùm, ſed etiam omnibus præmiis digniſſimos fuiſſe, qui domini caput defendiſſent. Quod enim præmium ſatis magnum eſt tam benevolis, tam bonis, tam fidelibus ſervis, propter quos vivit? etſi id quidem non tanti eſt, quàm quod propter eoſdem non ſanguine & vulneribus ſuis crudeliſſimi inimici mentem oculoſque ſatiavit; quos niſi manumiſiſſet, tormentis etiam dedendi fuiſſent, conſervatores domini, ultores ſceleris, defenſores necis. Hic verò nihil habet in his malis, quod minus moleſtè ferat, quàm, etiam ſi quid ipſi accidat, eſſe tamen illis meritum præmium perſolutum. Sed quæſtiones urgent Milonem, quæ ſunt habitæ nunc in atrio Libertatis; quibuſnam de ſervis?

1. *Manumiſit.*] Manumitti ſervus dicebatur, cùm dominus ejus aut caput ejuſdem ſervi, aut aliud membrum tenens dicebat, *Hunc hominem liberum eſſe volo:* & eum emittebat manu. Poſtero enim die quo occiſus eſt Clodius, Milo ex ſervis ſuis duodecim manumiſit.

4. *Tortore.*] Tortor is vulgò dicebatur, qui torquebat in equuleo, non interficiebat.

5. *In Equuleo.*] Equuleus genus eſt tormenti, in quo ad inveniendum alicujus facti veritatem ſervi aut malefici torquebantur. Equuleus autem Cataſta fuit lignea, cochleata ad intendendum ac remittendum apta. Cataſtæ huic ubi brachia, pedeſque nervis quibuſdam, quæ fidiculæ dicebantur, alligaverant; tum cataſtâ intentâ, atque in altum erectâ, ut ex eâ quaſi ex cruce quâdam, miſer ille penderet, primum compagem *ipſam* oſſium ejus divellebant: deinde candentibus ejuſdem corpori laminis admotis, atque biſulcis ungulis ferreis lateribus laniatis, doloris acerbitatem augebant. Sozomenus Hiſt. Eccl. lib. 5.

10. *M. Cato.*] Judex in hac causâ erat M. Cato.

16. *Crudeliſſimi inimici.*] Clodii.

21. *Sed quæſtiones urgent Milonem.*] Cùm ſervi Milonis manumiſſi fuiſſent ab eo, non potuerunt quæſtioni ſubjici. Appius Clodius, qui erat filius C. Clodii, filius Clodii de quo hîc agitur, frater, poſtulavit ut patrui ſui ſervi quæſtioni ſubjicerentur.

22. *In atrio libertatis.*] Juxta templa atria fuerunt, ubi ſæpe vel exercebantur judicia, vel Senatus habebatur, quia alibi quàm in loco ſacro haberi nefas fuit.

16. *Libertatis.*] Veteres Romani Libertatem pro Deâ coluerunt, ut Cicero ſcribit,

vis? rogas? de P. Clodii; qui eos poſtulavit? Appius; quis produxit? Appius; unde? ab Appio. Dii boni! quid poteſt agi ſeveriùs? de ſervis nulla quæſtio eſt in dominum, niſi de inceſtu, ut fuit in Clodium; proxime deos acceſſit Clodius, propiùs quàm tum, cùm ad ipſos penetrarat: cujus de morte, tanquam de cæremoniis violatis quæritur. Sed tamen majores noſtri in dominum de ſervo quæri noluerunt, non quia non poſſet verum inveniri, ſed quia videbatur indignum eſſe, & domini morte ipsâ triſtius; in reum de ſervis accuſatoris cùm quæritur, verum inveniri poteſt? Age verò, quæ erat, aut qualis quæſtio? heus ubi Ruſcio, ubi Caſca? Clodius inſidias fecit Miloni? fecit: certa crux. Nullas fecit: ſperata libertas. Quid hâc quæſtione certius, ſubito arrepti in quæſtionem, tamen ſeparantur à cæteris, & in arcas conjiciuntur; ne quis cum iis colloqui poſſit; hi centum dies [a] penes accuſatorem cùm fuiſſent, ab eo ipſo accuſatore producti ſunt; quid hac quæſtione dici poteſt integrius? quid incorruptius?

[a] *apud.*

ſcribit lib. 2. de naturâ Deorum. Huic Sempronius Gracchus, Gracchorum pater, in Aventino monte ædem ex multatitiâ pecuniâ extruendum curavit. T. Liv. lib. 24.

24. *Dii boni.*] Severitatem accuſatorum arguit, quia non Clodii ſervi, ſed rei Milonis accuſari debuerant, neque enim audiuntur in judicio ſervi contra dominum, niſi accuſetur inceſtûs; ut aliquando in Clodium actum eſt, cùm de inceſtu cum ſorore commiſſo accuſatus eſt.

27. *Cum ad ipſos penetrarat.*] Clodius, ut ſæpe dictum eſt à Cicerone, veſte muliebri irrepſit in locum abditum, ubi mulieres ſacra Bonæ Deæ faciebant, quæ tum in domo Cæſaris, utpote Conſulis, per uxorem ejus, & virgines Veſtales peragebantur. Ad ea ſacra ne quidem imprudenti viro accedere fas fuit: quòd ita religioſè obſervatum eſt, ut ab omni memoriâ his adfuiſſe per ſummum nefas unus Clodius legatur.

Ib. *Tanquam de cæremoniis violatis.*] Jocatur hîc Cicero, dum ait, de ejus ſervis quæri, perinde ac ſi deorum cæremoniæ violatæ eſſent.

32. *Heus ubi Ruſcio, ubi Caſca?*] Servorum nomina ſunt, qui appellantur ab Appio, priùs interrogante, quàm eos quæſtioni ſubjiciat.

33. *Inſidias fecit Miloni.*] Interrogatio Appii.

Ib. *Fecit.*] Reſponſio ſervi.

Ib. *Certa crux.*] Minatur Appius crucem ſervo, quo vulgò ſupplicio ſervi afficiebantur.

34. *Nullas fecit.*] Servus reſpondet, metu crucis, nullas feciſſe.

Ib. *Sperata libertas.*] Reſpondet Appius, huic eſſe ſervo ſperandum libertatem, ne ille vacillet in reſponſionibus.

Ib. *Quid hac quæſtione certius?*] Ironia.

35. *Arrepti.*] A tortore.

36. *In arcas adjiciuntur.*] Arcæ foſſæ ſunt ſeparatæ, quas Juriſconſulti, ut refert Hottomannus, *malas manſiones* appellant; tormentorum autem ad exprimendam veritatem genera hæc fuerunt, ignis, rota, flagella, equuleus, aculeus, fidiculæ.

Ib. *Hi centum dies.*] Interceſſêre centum dies à tempore quo Clodius interfectus eſt, ad hoc uſque tempus quo in jus vocatus eſt Milo.

QUARTA

QUARTA PROBATIO.

A conſequentibus, Milonem non feciſſe inſidias.

1 XIII. Quod ſi nondum ſatis cernitis, cùm res ipſa tot tam claris argumentis ſigniſque luceat, purâ mente atque integrâ Milonem, nullo ſcelere imbutum, nullo metu perterritum, nullâ conſcientiâ exanimatum Romam revertiſſe: recordamini, per deos 5 immortales, quæ fuerit celeritas reditûs ejus; qui ingreſſus in forum, ardente curiâ: quæ magnitudo animi: qui vultus: quæ oratio. Neque verò ſe populo ſolùm, ſed etiam Senatui commiſit: neque Senatui modò, ſed etiam publicis præſidiis & armis: neque his tantùm, verùm etiam ejus poteſtati, cui Senatus totam 10 rempublicam, omnem Italiæ [a] pubem, cuncta populi Rom. arma commiſerat; cui ſe nunquam hic profecto tradidiſſet, niſi cauſæ ſuæ confideret; præſertim omnia audienti, magna metuenti, multa ſuſpicanti, nonnulla credenti. Magna vis eſt conſcientiæ, Judices, & magna in utramque partem: ut neque timeant, qui 15 nihil commiſerint, & pœnam ſemper ante oculos verſari putent, qui peccarint. Neque verò ſine ratione certâ cauſa Milonis ſemper à Senatu probata eſt; videbant enim ſapientiſſimi homines facti rationem, [b] præſentiam animi, defenſionis conſtantiam. An verò obliti eſtis, Judices, recenti illo nuncio necis 23 Clodianæ, non modò inimicorum Milonis ſermones & opiniones, ſed nonnullorum etiam imperitorum, qui negabant eum Romam eſſe rediturum? Sive enim illud animo irato ac [c] percito feciſſet, ut incenſus odio trucidaret inimicum, arbitrabantur eum tanti mortem P. Clodii putaſſe, ut æquo animo patriâ careret, 25 cùm ſanguine inimici expleſſet odium ſuum: ſive etiam illius morte patriam liberare voluiſſet, non dubitaturum fortem vi-

[a] *juventutem.* [b] *ſecuritatem.* [c] *commoto.*

5. *Celeritas reditûs ejus.*] Quâ nocte incenſa fuit curia, eâdem Milo Romam rediit, ut ait Aſconius, licèt arbitrarentur bene multi, eum abiiſſe in exilium.

6. *Ardente curiâ.*] His verbis docet nos Aſconius: *Populus, duce Sexto Clodio Scribâ, corpus Pub. Clodii in curiam intulit, cremavitque ſubſellîis, & tribunalibus, & menſis, & codicibus librariorum, quæ in igne & ipſa quoque curia flagravit; ei item Porcia Baſilica, quæ erat ei juncta, ambuſta eſt.*

7. *Neque ſe populo ſolum, ſed etiam Senatui.*] Populus Rom. ferebat aliquando judicium, ut videre eſt in causâ Rabirii perduellionis rei: & Senatus in rebus atrocioribus; ut in causâ eorum qui Catilinam ſecuti ſunt; tum denique Conſules, cum decreto Senatûs eis mandatum eſt, ut viderent ne quid detrimenti caperet Reſpub.

9. *Ejus poteſtati.*] Pompeium ſignificat, cui Conſuli Senatus omnem poteſtatem commiſerat, ut videret ne quid detrimenti caperet Reſpublica, vel propter Milonis potentiam, vel ob Clodianorum factiones.

rum,

rum, quin, cùm ſuo periculo ſalutem reipublicæ attuliſſet, cederet æquo animo legibus, ſecum auferret gloriam ſempiternam, nobis hæc fruenda linqueret, quæ ipſe ſervaſſet. Multi etiam Catilinam, atque illa portenta loquebantur: ERUMPET, occupabit aliquem locum, bellum patriæ faciet; miſeros interdum cives optimè de republicâ meritos, in quibus homines non modò res præclariſſimas obliviſcuntur, ſed etiam nefarias ſuſpicantur! Ergo illa falſa fuerunt: quæ certè vera extitiſſent, ſi Milo admiſiſſet aliquid, quod non poſſet honeſtè vereque defendere. Quid, quæ poſtea ſunt in eum congeſta? quæ quamvis etiam mediocrium delictorum conſcientiâ [d] perculiſſent, ut ſuſtinuit? dii immortales! ſuſtinuit? immo verò ut contempſit, ac pro nihilo putavit? quæ neque maximo animo nocens, neque innocens, niſi fortiſſimus vir, negligere potuiſſet; ſcutorum, gladiorum, frenorum, ſparorum, pilorumque etiam multitudo deprehendi poſſe judicabatur: nullum in urbe vicum, nullum angiportum eſſe dicebant, in quo Miloni non eſſet conducta domus: arma in villam Ocriculanam devecta Tiberi; domus in clivo capitolino ſcutis referta; plena omnia malleolorum ad urbis incen-

[d] *permoviſſent.*

27. *Cederet æquo animo legibus.*] Id eſt, pareret legibus quæ jubent eum exulare, qui civem interfecerit.

29. *Multi etiam Catilinam.*] Credebant aliqui quòd Catilinæ ſimilis bellum inferret patriæ.

30. *Atque illa portenta.*] Intelligit pernicioſos illos cives qui Catilinam ducem ſecuti ſunt, quales fuerunt Lentulus, Cethegus, aliique quamplurimi, de quibus in Orat. contra Catil. loquitur.

31. *Miſeros interdum cives.*] Exclamatio eſt quâ concludit hanc brevem narrationem; hos porro miſeros dicit, quòd licet de Repub. bene meriti ſint, tamen ab ipſis collata Reipub. beneficia facile populus obliviſcitur, & mala de iis ſæpe ſuſpicatur.

36. *In eum congeſta.*] Id eſt, tot de eo dicta ſunt ex quo Romam rediit, ut ſi mediocrium etiam delictorum ſibi conſcius fuiſſet, horum conſcientiâ exagitatus ſtatim ſe proripuiſſet ex urbe, ut Catilinæ contigit, qui oratione Ciceronis perculſus, noctu ſtatim Româ abiit.

40. *Frenorum.*] De frenis illis nihil conſtat, ſive iis frenentur equi, ſive quædam inſtrumenta, & obices ad ſiſtendos hoſtium impetus ſunt.

41. *Sparorum.*] Sparus genus eſt exigui teli ruſtici, à ſpargendo dictum, quòd inter noſtes ſpargeretur.

Ib. *Pilorum.*] Pilum telum miſſile eſt, quo pedites in exercitu utebantur. Pilum verò, ut ſcribit Vegetius, aliud majus fuit, quod erat ſeptem pedum & ſemis, habens ferrum novem unciarum: minus autem trium pedûm & ſemis fuit; hoc armorum genere Romani potiſſimùm uſi ſunt.

42. *In urbe vicum.*] Tria in urbe ſunt viarum genera, ut Varro ſcribit; *vici* quæ viæ latiores ſunt, cum exitu ab omni parte; *fundulæ* quæ exitu carent: & *angiportæ*, vel *angiportus*.

Ib. *Angiportum.*] Angiporta vel Angiportus ſunt anguſtiores viæ, ita dictæ, quòd per eas non agi poſſit quidquam ad portum, non jumentum, non currus.

44. *Ocriculanum.*] Ocricula ſive Ocriculum, urbs eſt *in* Umbriâ, verſus Etruriam, prope Tiberim, ubi Milo domum habuit.

45. *Malleolorum.*] Ex Nonio, *Malleoli manipuli ſpartei pice contecti, qui incenſi, aut in muros, aut in teſtudines jaciuntur.* Malleolus quandoque generaliter ſumitur pro omni aliâ materiâ quæ celerrimè ignem corripit.

dia,

dia comparatorum. Hæc non delata ſolùm, ſed penè credita[c] nec ante repudiata ſunt, quàm quæſita. Laudabam equidem incredibilem diligentiam Cn. Pompeii: ſed dicam, ut ſentio, Judices; nimis multa audire coguntur, neque aliter facere poſſunt ii, quibus tota commiſſa eſt reſpublica; quin etiam audiendus ſit popa Licinius neſcio quis de Circo maximo, ſervos Milonis apud ſe ebrios factos, ſibi confeſſos eſſe, de interficiendo Cn. Pompeio conjuraſſe: deinde poſtea ſe gladio percuſſum eſſe ab uno de illis, ne indicaret. Pompeio in hortos nunciavit; arceſſor in primis; de amicorum ſententiâ rem defert ad Senatum; non poteram in illius mei patriæque cuſtodis tantâ ſuſpicione non metu exanimari: ſed mirabar tamen credi popæ; [ebrioſorum] confeſſionem ſervorum audiri; vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari. Verùm tamen, ut intelligo, cavebat magis Pompeius, quàm timebat, non ea ſolùm quæ timenda erant, ſed omnino omnia, ne aliquid vos timeretis. Oppugnata domus C. Cæſaris, clariſſimi & fortiſſimi viri, per multas noctis horas nunciabatur: nemo audierat tam celebri loco, nemo ſenſerat: tamen audiebatur; non poteram Cn. Pompeium, præſtantiſſimâ virtute civem, timidum ſuſpicari: diligentiam, totâ republicâ ſuſceptâ, nimiam nullam putabam. Frequentiſſimo Senatu nuper in Capitolio Senator inventus eſt, qui Milonem cum telo eſſe diceret; nudavit ſe in ſanctiſſimo templo, quoniam vita talis & civis & viri fidem non faciebat, ut, eo tacente,

[c] *rejecta.*

47. *Quàm quæſita.*] Illa arma non inventa ſunt, licet multa uſi ſint inquiſitione Clodiani.

51. *Popa.*] Popa ſacrificulus ille eſt, qui victimas impacto in frontem malleo cædit. Poparum etiam munus fuit domos funeſtas purgare: credebant quippe veteres unius morte totam familiam inquinari.

Ib. *De Circo maximo.*] Id eſt, de plebe ſacrificorum; ſic enim ſolebant de vilioribus hominibus loqui. Certe Suetonius refert, apud Circum maximum fuiſſe collegium hominum perditiſſimorum, ex quibus fortaſſe fuit ille Licinius. Tres porro fuerunt circi, quorum unus Maximus appellatus eſt, inter Palatinum & Aventinum montem: alter Circus Apollinaris: tertius in Vaticano.

Ib. *Apud ſe ebrios.*] Licinius ille popinam habuit in Circo maximo, & ibi vinum vendidit.

52. *Sibi confeſſos eſſe.*] Infirmat Cicero illorum ſervorum teſtimonium, quaſi ebriis hominibus habenda fides non eſſet.

58. *Acu punctum.*] Hyperbolica diminutio, quod nempe vulnus leve inflictum acu, pro maximo vulnere, eóque à gladiatore illato habeatur.

60. *Cavebat magis Pompeius.*] Mitigat hîc animum Pompeii, dum eum ait retuliſſe ad Senatum, non quòd timeret, ſed ut omnes metu liberaret.

63. *Tam celebri loco.*] Erat illa domus Cæſaris in viâ ſacrâ, ubi maxime erat populorum frequentia; tum quia hîc multi fructus vendebantur; tum quia non longè erat à foro.

67. *Senator.*] Narrat Aſconius hunc Senatorem fuiſſe P. Cornificium, aitque tunc Ciceronem exclamaſſe, *Talia omnia ſunt crimina de Milone perlata.*

68. *Nudavit ſe in ſanctiſſimo templo.*] Senatum ſignificat, quia nunquam Senatus, niſi in loco auguriis conſecrato, habebatur.

69. *Quoniam vita talis, &c.*] Repoſ-

tabant

cente, res ipſa loqueretur; omnia falſa, atque inſidiosè ficta comperta ſunt.

XIV. Quod ſi tamen metuitur etiam nunc Milo, non hoc jam Clodianum crimen timemus, ſed tuas, Cn. Pompeii, (te enim jam appello eâ voce, ut me audire poſſis) tuas, tuas, inquam, ſuſpiciones perhorreſcimus. Si Milonem times, ſi hunc de tuâ vitâ nefariè aut nunc cogitare, aut molitum aliquando aliquid putas; ſi Italiæ [a] delectus, ut nonnulli conquiſitores tui dictitant, ſi hæc arma, ſi Capitolinæ cohortes, ſi excubiæ, ſi vigiliæ, ſi delecta juventus, quæ tuum corpus domumque cuſtodit, contra Milonis impetum armata eſt, atque illa omnia in hunc unum inſtituta, parata, intenta ſunt: magna in hoc certè vis, & incredibilis animus, & non unius viri vires atque opes indicantur, ſiquidem in hunc unum & præſtantiſſimus dux electus, & tota reſpublica armata eſt. Sed quis non intelligit, omnes tibi reipublicæ partes ægras & labantes, ut eas his armis ſanares & confirmares, eſſe commiſſas? Quòd ſi Miloni locus datus eſſet, probaſſet profectò tibi ipſi, neminem unquam hominem homini cariorem fuiſſe, quàm te ſibi: nullum ſe unquam periculum pro tuâ dignitate fugiſſe: cum illâ ipsâ teterrimâ [b] peſte ſæpiſſime pro tuâ glorià contendiſſe: tribunatum ſuum ad ſalutem meam, quæ tibi chariſſima fuiſſet, conſiliis tuis gubernatum: ſe à te poſtea defenſum in periculo capitis, adjutum in petitione Prætoræ: duos ſe habere ſemper amiciſſimos ſperaſſe, te tuo beneficio, me ſuo; quæ ſi non probaret; ſi tibi ita penitus [c] inſedisſet iſta ſuſpicio, nullo ut evelli modo poſſet; ſi denique Italia à delectu, urbs ab armis, ſine Milonis clade, nunquam eſſet conquietura; ne iſtæ haud dubitans ceſſiſſet patria, is, qui ita natus eſt, & ita conſuevit;

[a] *collecti milites.* [b] *Clodio.* [c] *infixa eſſet.*

tabant Romani pro maximo crimine, ſi quis ſe nudaſſet, ſed illius improbitate Senatoris Milo coactus eſt, ut à ſe tanti ſceleris ſuſpicionem removeret.

2. *Clodianum crimen.*] Crimen Clodianum dicit, quod objicitur de cæde Clodii, qui cùm juſtiſſimè occiſus ſit, nihil eſt quod Milo vereatur.

4. *Perhorreſcimus.*] Cicero non timet Miloni propter interfectum à ſe Clodium, ſed propter ſuſpiciones quas Pompeius habuit, à Milone paratas ſibi inſidias fuiſſe.

6. *Conquiſitores tui.*] Conquiſitores illi ſunt, ſive lictores, ſive ſatellites, ſive exploratores, quibus aliquid muneris aut à Conſule, aut ab aliquo magiſtratu commiſſum eſt.

7. *Capitolinæ cohortes.*] Cohortes in Capitolio pernebantur ad urbis præſidium, cùm ſeditionis periculum erat aliquod.

15. *Quòd ſi Miloni.*] Milo voluit venire ad Pompeium, in hortis, periculi causâ, commorantem: ſed per propinquum nunciavit ei, ne ad ſe veniret, ut refert Aſconius.

20. *Defenſum.*] De vi accuſatus Milo, poſt ſuum tribunatum à Pompeio defenſus eſt; in quem dicentem à Clodianis impetus factus eſt.

22. *Te tuo.*] Pompeius beneficio ſibi Milonem devinxerat, cum eum defendit.

Ib. *Me ſuo.*] Milo beneficio Ciceronem affecerat, quia ejus in urbem revocationem plurimùm adjuverat.

te, Magne, tamen anteſtaretur; quod nunc etiam facit. Vide quàm ſit varia vitæ commutabiliſque ratio, quàm vaga volubiliſque fortuna, quantæ infidelitates in amicis, quàm ad tempus [d] aptæ ſimulationes, quantæ in periculis fugæ proximorum, quantæ timiditates! erit, erit illud profectò tempus, & illuceſcet aliquando ille dies cùm tu ſalutaribus, ut ſpero, rebus tuis, ſed fortaſſe [e] motu aliquo communium temporum immutatis (qui quàm crebrò accidat, experti debemus ſcire) & amiciſſimi benevolentiam, & graviſſimi hominis fidem, & unius poſt homines natos fortiſſimi viri magnitudinem animi deſideres. Quanquam quis hoc credat, Cn. Pompeium, juris publici, moris majorum, rei denique publicæ peritiſſimum, cum Senatus ei commiſerit, ut videret, NE QUID RESPUBLICA DETRIMENTI CAPERET ([f] quo uno verſiculo ſatis armati ſemper conſules fuerunt, etiam nullis armis datis) hunc exercitu, hunc delectu dato, judicium expectaturum fuiſſe in ejus conſiliis vindicandis, qui vel judicia ipſa tolleret? ſatis judicatum eſt à Pompeio, falsò iſta conferri in Milonem, qui legem tulit, quâ, ut ego ſentio, Milonem abſolvi à vobis oporteret; ut omnes confitentur, liceret. Quòd verò in illo loco, atque illis [g] publicorum præſidiorum copiis circumfuſus ſedet; ſatis declarat, ſe non terrorem inferre vobis (quid enim illo minus dignum quàm cogere ut vos eum condemnetis, in quem animadvertere ipſe, & more majorum, & ſuo jure poſſet?) ſed præſidio eſſe: ut intelligatis contra heſternam concionem illam licere vobis, quod ſentiatis, liberè judicare.

[d] *accommodatæ.* [e] *diſcordiâ civili.* [f] *quo dicto.* [g] *militum.*

27. *Te anteſtaretur.*] Anteſtari aliquem is dicitur, qui prehensâ ejus auriculâ monet, ut meminerit ſe teſtem adhiberi, ubi alii in jus vocantur; eſtque verbum juridicum.

44. *Legem tulit.*] Tulit legem Pompeius, ut de cæde Clodii quæreretur.

49. *Suo jure poſſet.*] Cùm Conſul eſſet Pompeius pro datâ ſibi poteſtate, ne quid detrimenti caperet Reſpublica, poterat ſine judicio Milonem opprimere.

50. *Contra heſternam concionem.*] Pridie quàm hoc judicium haberetur, ſeditioſam concionem habuit Munatius Plancus Tribunus plebis, quâ populum cohortatus eſt, ut frequens ſequenti die huic adeſſet judicio; nec pateretur elabi Milonem; quâ concione videbatur præſcribere judicibus ſententiam; cum verò Pompeius mœreret ne quid ſeditioſè à populo fieret, à Cicerone dicitur præſidia hæc conſtituiſſe.

SECUNDA PARS.

CONFUTATIONIS.

Glorioſum Miloni fuiſſe Clodium interfeciſſe.

XV. Nec verò me, Judices, [a] Clodianum crimen movet: nec

[a] *cædes Clodii.*

tam

tam ſum demens, tamque [b] veſtri ſensûs ignarus atque expers, ut neſciam quid de morte Clodii ſentiatis; de quâ ſi jam nollem ita diluere crimen, ut dilui, tamen impune Miloni palam clamare, atque mentiri glorioſe liceret: Occîdi, occîdi non Sp. Melium qui annonâ levandâ, jacturiſque rei familiaris, quia nimis [c] amplecti plebem putabatur, in ſuſpicionem incidit regni appetendi: non Tiberium Gracchum, qui [d] collegæ magiſtratum per ſeditionem abrogavit: quorum interfectores implerunt orbem terrarum nominis ſui gloriâ: ſed etiam (auderet enim dicere, cùm patriam periculo ſuo liberaſſet) cujus nefandum adulterium in pulvinaribus ſanctiſſimis nobiliſſimæ fœminæ comprehenderunt: eum, cujus ſupplicio Senatus ſolemnes religiones expiandas ſæpe cenſuit: eum, quem cum ſorore germanâ nefarium ſtuprum feciſſe L. Lucullus juratus ſe, quæſtionibus habitis, dixit comperiſſe: eum, qui civem, quem Senatus, quem populus, quem omnes gentes, urbis ac vitæ civium conſervatorem judicabant, ſervorum armis [e] exterminavit: eum, qui regna dedit, ademit; orbem

[b] *ſententiæ veſtræ.* [c] *amare.* [d] *collegam depoſuit magiſtratu.* [e] *expulit.*

5. *Mentiri glorioſè.*] Non Milo, ſed ſervi Milonis Clodium occiderant.

Ib. *Non Sp. Melium.*] Argumento Cicero utitur à minori ad majus: majorem enim ſibi gloriam peperit Milo interficiendo Clodium, quàm Ahala Sp. Melium. Melius enîm cùm videret annonæ caritatem, privata ſuâ pecuniâ frumentum emit, & illud in capita civium largitus eſt: unde venit in ſuſpicionem regni affectati, quâ de causâ juſſu Quintii Dictatoris ab Ahalâ Servilio Magiſtro equitum occiſus eſt.

6. *Annonâ levandâ.*] Annona propriè pro re frumentariâ ſumitur; promiſcuè verò pro quolibet alimentorum genere.

8. *Tiberium Gracchum.*] Gracchus magiſtratu privavit Octavium collegam ſuum, quoniam ſuis rogationibus intercedebat; volebat enim leges Agrarias ferre, quibus publicos agros dividere populo intendebat. Cùm nemo obſiſteret Conſulum vel Tribunorum, Scipio Naſica, qui longè omnium optimus habebatur, irruens in concionem, Tiberium Gracchum interfecit.

11. *Cujus nefandum adulterium.*] Opponit jam flagitia Clodii, ſeu violatam religionem, illorum criminibus: nam ſi illi, quia tantum in ſuſpicionem venerunt criminis, occiſi jure exiſtimantur; quantò æquius Clodius, qui & ſacrificia infami libidine polluit, & deprehenſus eſt?

12. *In pulvinaribus.*] Id eſt, in ipſis penetralibus delubri Deæ Cybeles; in templis enîm erant pulvinaria ſive lectuli, ubi Deorum ſimulacra reponebantur.

Ib. *Nobiliſſimæ fœminæ.*] Et Virgines Veſtales & aliæ matronæ, quæ in C. Cæſaris Conſulis ædibus convenerant.

15. *L. Lucullus.*] Lucullus in jus vocatus, ut teſtimonium diceret de vitâ Clodii, dixit ſe per tormenta ab ancillis ſuis comperiſſe, Clodium nefarium ſtuprum, cum ſuâ ſorore, quæ ipſi Lucullo nupta erat, commiſiſſe.

17. *Conſervatorem.*] Semetipſum Cicero nominat, qui urbis conſervator dictus eſt, quia eam à conjuratione Catilinæ vindicavit.

18. *Regna dedit.*] Cicero de Haruſpicum reſponſis, ait Peſſinuntem, ſedem & domicilium Cybeles, Brogitaro Gallogræco impuriſſimo homini vendidiſſe, & eum regem juſſiſſe appellari.

Ib. *Ademit.*] Tulit legem Clodius, ut Cyprus inſula in provinciæ formam redigeretur, & ut Ptolemæus rex Cypri ſedens cum purpurâ & ſceptro, & illis inſignibus regiis præconi publico ſubjiceretur, & cum bonis omnibus publicaretur: & ut M. Cato cum jure Prætorio, adjecto etiam Quæſtore, mitteretur

in

orbem terrarum, quibuſcum voluit, partitus eſt: eum, qui plu-
rimis cædibus in foro factis, ſingulari virtute & gloriâ civem
domum vi & armis compulit; eum, cui nihil unquam nefas
fuit nec in facinore, nec in libidine: eum, qui ædem nym-
pharum incendit, ut memoriam publicam recenſionis tabulis
publicis [f] impreſſam extingueret: eum denique, cui jam nulla
lex erat, nullum civile jus, nulli poſſeſſionum termini; qui non
calumniâ litium, non injuſtis vindiciis ac ſacramentis alienos
[g] fundos, ſed caſtris, exercitu, ſignis inferendis petebat: qui
non ſolùm Etruſcos (eos enim penitus contempſerat) ſed hunc
Cn. Pompeium, virum fortiſſimum, atque optimum civem,
judicem noſtrum pellere poſſeſſionibus, armis caſtriſque co-
natus eſt: qui cum architectis & decempedis villas multo-
rum hortoſque peragrabat: qui Janiculo & Alpibus ſpem

[f] *deſcriptam.* [g] *poſſeſſiones.*

in inſulam Cyprum, & regiæ gazæ vendendæ, & pecuniæ deportandæ præficeretur; ut qui Byzantii rerum capitalium damnati exularent, populi Rom. nomine in eandem civitatem reducerentur.

19. *Quibuſcum voluit partitus eſt.*] Elatè hoc dicit, quia Macedoniam Piſoni, Syriam Gabinio decrevit.

20. *In foro.*] Id eſt, templo Caſtoris, quod erat foro vicinum, quo in templo Clodius ſervum collocaverat, cui ex manibus extorta fica eſt, et delata ad Gabinium; interrogatus ſervus reſpondit ſibi à Clodio imperatum fuiſſe, ut Pompeium occideret, quâ de causâ ſe domi continuit Pompeius. *Aſconius.*

22. *Ædem nympharum.*] Iis nymphis, quæ fontibus præſunt, Romæ fuit ædificatum templum, ut eſſent adverſus incendia propitiæ, quod à Clodio incenſum eſt. Vide Orat. de Haruſp. reſp.

23. *Ut memoriam publicam recenſionis.*] Solebant Cenſores ſinguli luſtris omnes tribus cenſere, & tabulas habere, in quibus ſcelera omnium civium notabantur. Cum autem non ignoraret Clodius ſua flagitia in acta publica referri, ibique aſſervari, incendit illud templum, ut eorum memoria deleretur.

26. *Calumniâ.*] Calumnia eſt callida & malitioſa juris interpretatio. Vide Dig. l. 2.

Ib. *Injuſtis vindiciis.*] Ex Feſto lib. ult. *vindiciæ appellantur res eæ, de quibus controverſia eſt.* Vindiciæ verò jus eſt lis vindicandæ poſſeſſionis apud Prætorem: Sed quoniam in hâc lite deponebatur ſumma quædam pecuniæ; & qui vincebant, au ferebant partem pecuniæ: & qui vincebatur, ejus pecunia deponebatur in ærarium tanquam res ſacra eſſet; inde ſacramentum alibi dicitur, ex ſponſione agere, & ſacramenta litigare, quæ eadem ſunt.

28. *Etruſcos.*] Dixit ſuperiùs Clodium Etruſcorum ſylvas depopulatum eſſe, quibus jam tanquam hoſtibus bellum intuliſſe conqueritur.

29. *Cn. Pompeium.*] Non eſt dubium quin ille Cn. Pompeius alius ſit à Pompeio Magno, neque enim Magnus Pompeius fuit in hâc causâ judex, quia tùm Conſul erat. Niſi forte Q. Pompeius, quem, licèt Milonis inimicum, appellat ut eidem eum devinciat. [Sed alii rectiùs reponunt *Q. Varium*, pro *Cn. Pompeium.*]

32. *Decempedis.*] Decempeda propriè dicitur pertica decem pedibus longa, quâ architecti, fabri, menſores agrorum uti ſolent; aliquando etiam ſumitur pro ipſis menſoribus, ut hîc à Cicerone videtur ſumi.

32. *Janiculo.*] Janiculum urbs erat olim Etruriæ in ripâ citeriore Tiberis; ſic dicta ea pars urbis, quòd à Jano antiquiſſimo Italiæ Deo condita ſit, cùm totam Italiam cum Saturno diviſiſſet, qui ultra Tiberim etiam urbem ædificavit, quæ ab eo Saturnia dicta eſt, ut ex Virg. lib. 8. Æneid. habemus; vult autem indicare Cicero, quod à Janiculo ſive Româ ad Galliam uſque omnes poſſeſſiones vindicari ſibi voluerit.

Ib. *Alpibus.*] His montibus Italia à Galliâ ſeparatur.

poſſeſ-

poſſeſſionum terminabat ſuarum: qui, cùm ab equite Romano, ſplendido & forti viro, T. Pacavio, non impetraſſet, ut inſulam in lacu Pretio venderet, [h] repente lintribus in eam inſulam materiam, calcem, cæmenta atque arma convexit; dominoque trans ripam inſpectante, non dubitavit ædificium exſtruere in alieno: qui huic T. Furfanio, cui viro, dii immortales! (quid enim ego de mulierculâ Scantiâ? quid de adoleſcente Apronio dicam? quorum utrique mortem eſt minitatus, niſi ſibi hortorum poſſeſſione ceſſiſſet) ſed auſus eſt Furfanio dicere, ſi ſibi pecuniam, quantam popoſcerat, non dediſſet, mortuum ſe in domum ejus illaturum; qua invidia huic eſſet tali viro conflagrandum: qui Appium fratrem, hominem mihi conjunctum fidiſſimâ gratiâ, abſentem de poſſeſſione fundi dejecit: qui parietem ſic per veſtibulum ſororis inſtituit [i] ducere, ſic agere fundamenta, ut ſororem non modò veſtibulo privaret, ſed omni aditu & limine.

XVI. Quanquam hæc quidem jam tolerabilia videbantur, etſi [a] æquabiliter in remp. in privatos, in longinquos, in propinquos, in alienos, in ſuos irruebat: ſed neſcio quomodo jam uſu obduruerat, & percalluerat civitatis incredibilis patientia. Quæ verò aderant jam & impendebant, quonam modò ea aut depellere potuiſſetis, aut ferre? Imperium ſi ille nactus eſſet, omitto ſocios, exteras nationes, reges, tetrarchas: vota enim faceretis, ut in eos ſe potius mitteret, quàm in veſtras poſſeſſiones, veſtra tecta, veſtras pecunias: pecunias dico? à liberis, à liberis medius fidius, & à conjugibus

[h] *ſubito.* [i] *ædificare.* [a] *æqualiter.*

34. *In lacu Pretio.*] Lacus Pretius appellatus Romam inter & Viterbium eſt. [Alii lacum *Prelium* appellare malunt.]

35. *Lintribus.*] Lintres naves parvæ ſunt, quibus utuntur piſcatores.

38. *Furfanio.*] Furfanius amicus fuit Ciceronis, ad quem Prætorem ſcripſit, ut patet ex libro ſexto Epiſt. ad Famil.

42. *Mortuum ſe in domum illaturum.*] Minatus eſt Clodius Furfanio ſe in ejus domum mortuum illaturum, ut cædis reus haberetur, quaſi in ſuâ domo eum interemiſſet; vel quia mortuo illato religioſa domus fiebat, & jus ejus domino peribat, quia res religioſæ nullius juri ſubjectæ ſunt. Vide Caium Juriſc. lib. Pandect. 11. tit. de religioſis locis.

43. *Appium fratrem.*] Appius Claudius frater Pub. Clodii Pulcher dictus eſt, ad quem plures Ciceronis literæ leguntur, & qui paulo poſt cum Piſone cenſor fuit.

45. *Veſtibulum.*] Veſtibulum locus vacuus eſt ante domûs januam, per quem à viâ aditus & acceſſus eſt ad ædes.

4. *Percalluerat.*] Tranſlatio ſumpta à manibus & pedibus, quibus aſſiduo labore callus obducitur.

7. *Socios.*] Socii dicebantur, qui à populo Romano victi aliquod tributum & ex agris ſuis decimas pendebant, tamen ſuis legibus utebantur.

Ib. *Tetrarchas.*] Principes ſunt Tetrarchæ, qui quartam tantùm regni partem occupabant.

10. *Medius fidius.*] Medius fidius vel tres ſunt voces: vel unica; non duæ, ut putant aliqui; nam ut dicimus *mehercule* ita & *medius fidius*; ac utroque per Herculem juratur, ut indicat Tertull. lib. de Idol. cap. 22. Feſtus vult eâ voce ſignificari *Jovis filium*, id eſt, *Herculem*, quod *Jovem* Græci *Dia* appellant; *fidium* autem apponi pro *filio*, quod ſæpe antiqui pro L. litera D. utebantur.

jugibus veſtris nunquam ille effrenatas ſuas libidines cohibuiſſet. Fingi hæc putatis, quæ patent, quæ nota ſunt omnibus, quæ tenentur? ſervorum exercitus illum in urbe conſcripturum fuiſſe, per quos totam rempub. reſque privatas omnium poſſideret? Quamobrem ſi cruentum gladium tenens clamaret T. Annius, ADESTE, quæſo, atque audite, cives; P. Clodium interfeci: ejus furores, quos nullis jam legibus, nullis judiciis frenare poteramus, hoc ferro & hâc dexterâ à cervicibus veſtris repuli; per me unum effectum eſt, ut jus, æquitas, leges, libertas, pudor, pudicitia in civitate manerent: eſſet verò timendum, quonam modo id [factum] ferret civitas; nunc enim quis eſt, qui non probet? qui non laudet? qui non unum poſt hominum memoriam T. Annium plurimum reipublicæ profuiſſe, maximâ lætitiâ populum Romanum, cunctam Italiam, nationes omnes affeciſſe, & dicat, & ſentiat? Nequeo vetera illa populi Romani quanta fuerint gaudia judicare; multas tamen jam ſummorum imperatorum clariſſimas victorias ætas noſtra vidit; quarum nulla neque tam diuturnam attulit lætitiam, nec tantam. Mandate hoc memoriæ, Judices; ſpero multa vos liberoſque veſtros in republicâ bona eſſe viſuros; in his ſingulis ita ſemper exiſtimabitis, vivo P. Clodio, nihil horum vos viſuros fuiſſe; in ſpem maximam, &, quemadmodum confido, veriſſimam adducti ſumus, hunc ipſum annum, hoc ipſo ſummo viro Conſule, compreſſâ hominum licentiâ, cupiditatibus fractis, legibus & judiciis conſtitutis, ſalutarem civitati fore. Num quis igitur eſt tam demens, qui hoc, P. Clodio vivo, contingere potuiſſe arbitretur? Quid? ea, quæ tenetis, privata atque veſtra, dominante homine furioſo, quod jus perpetuæ poſſeſſionis habere potuiſſent? Non timeo, Judices, ne odio inimicitiarum mearum inflammatus, libentiùs hæc in illum evomere videar, quàm veriùs; etenim etſi præcipuum eſſe debebat, tamen ita communis erat omnium ille hoſtis, ut in communi odio pene æqualiter verſaretur odium meum. Non poteſt dici ſatis, nec cogitari quidem, quantum in illo ſceleris, quantum exitii fuerit. Quin ſic attendite, Judices; nempe hæc eſt quæſtio de interitu P. Clodii; fingite animis (liberæ enim ſunt cogitationes noſtræ, &, quæ volunt, ſic intuentur, ut ea cernimus, quæ videmus) fingite igitur cogitatione imaginem hujus conditionis meæ: ſi poſſim efficere, ut Milonem abſolvatis, ſed ita, ſi P. Clodius revixerit. Quid vultu extimuiſtis? quonam modo ille vos vivus afficeret, qui mortuus inani cogitatione percuſſit? Quid? ſi ipſe Cn. Pompeius, qui eâ

utebantur. Porro illud *me* quod in *medius fidius*, primum locum obtinet, nonnullis placet eſſe pronomen, pro *ita me Deus fidius amet*. Volunt alii denique, *me* eſſe adverbium, atque idem ſignificare quod *per*, unde *mehercule*, per Herculem. Vide Voſſium lib. Etymol.

26. *Summorum.*] Hac ætate exitêle Sylla & Marius.

33. *Summo viro Conſule.*] Pompeio.

50. *Quonam modo.*] Argumentum ex mino-

eâ virtute, ac fortunâ eſt, ut ea potuerit ſemper, quæ nemo præter illum: ſi is, inquam, potuiſſet, aut quæſtionem de morte P. Clodii ferre, aut ipſum ab inferis excitare, utrum putatis facturum fuiſſe? etiam ſi propter amicitiam vellet illum ab inferis revocare, propter rempub. non feciſſet. Ejus igitur mortis ſedetis ultores, cujus vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis: & de ejus nece lata quæſtio eſt, qui ſi eâdem lege reviviſcere poſſet, lata lex nunquam eſſet. Hujus ergo interfector qui eſſet, in confitendo ab hiſne pœnam timeret, quos liberaviſſet? Græci homines deorum honores tribuunt iis viris, qui tyrannos necaverunt. Quæ ego vidi Athenis? quæ aliis in urbibus Græciæ? quas res divinas talibus inſtitutas viris? quos cantus? quæ carmina? prope ad immortalitatis & religionem & memoriam conſecrantur. Vos tanti conſervatorem populi, tanti ſceleris ultorem, non modò honoribus nullis afficietis, ſed ad ſupplicium rapi etiam patiemini? Confiteretur, confiteretur, inquam, ſi feciſſet, & magno animo, & libenter, ſe feciſſe libertatis omnium causâ: quod ei certè non confitendum modò fuiſſet, verùm etiam prædicandum. Etenim ſi id non negat, ex quo nihil petit, niſi ut ignoſcatur; dubitaret id fateri, ex quo etiam præmia laudis eſſent petenda? niſi verò gratius putat eſſe vobis ſui ſe capitis, quàm veſtri ordinis defenſorem fuiſſe: cum præſertim in eâ confeſſione, ſi grati eſſe velletis, honores aſſequeretur ampliſſimos: ſin factum vobis non probaretur (quanquam quî poterat ſalus ſua cuique non probari?) ſed tamen ſi minus fortiſſimi viri virtus civibus grata [b] cecidiſſet; magno animo conſtantique cederet ex ingratâ civitate; nam quid eſſet ingratius, quàm lætari cæteros, lugere eum ſolum propter quem cæteri lætarentur? Quanquam hoc animo ſemper omnes fuimus in patriæ proditoribus oppri-mendis, ut, quoniam noſtra futura eſſet gloria, periculum quoque & invidiam noſtram putaremus; nam quæ mihi contribuenda laus eſſet ipſi, cum tantum in conſulatu meo pro vobis ac liberis veſtris auſus eſſem, ſi id, quod conabar, ſine [c] maximis dimicationibus meis me eſſe auſurum arbitrarer? quæ mulier ſceleratum ac pernicioſum civem occidere non auderet, ſi periculum non timeret? Propoſitâ invidiâ, morte, pœnâ, qui nihilo ſegnius rempub. defendit, is vir verè putandus eſt. Populi grati

[b] *fuiſſet.* [c] *periculo & invidiâ.*

minori, & enthymema non ſolùm ex comparatione, ſed etiam à contrariis.

53. *Quæſtionem.*] Id eſt, judicium, in quo habetur quæſtio.

63. *Res divinas.*] Intelligit ſtatuas, monumenta, columnas, quæ in Deorum honorem erecta ſunt.

64. *Religionem.*] Iis habebantur cæremoniæ, quaſi inter deos eſſent.

65. *Ultorem.*] Milo interficiendo Clodio ultus eſt religionem, quam violavit ille cùm in ſacra Bonæ Deæ ſe intulit.

84. *Auſus eſſem*] Loquitur de Catilinæ conjuratione à ſe oppreſsâ.

eſt, præmiis afficere bene meritos de republicâ cives: viri fortis, ne ſuppliciis quidem moveri, ut fortiter feciſſe pœniteat. Quamobrem uteretur eâdem confeſſione T. Annius, quâ Ahala, quâ Naſica, quâ Opimius, quâ Marius, quâ noſmetipſi; &, ſi grata reſpublica eſſet, lætaretur: ſi ingrata, tamen in gravi fortunâ, conſcientiâ ſuâ niteretur. Sed hujus beneficii gratiam, Judices, fortuna populi Romani, & veſtra felicitas, & dii immortales ſibi deberi putant. Nec verò quiſquam aliter arbitrari poteſt, niſi qui nullam [d] vim eſſe ducit, numenve divinum: quem neque imperii veſtri magnitudo, neque ſol ille, nec cœli ſignorumque motus, nec viciſſitudines rerum atque ordines movent, neque, id quod maximum eſt, majorum noſtrorum ſapientia; qui ſacra, qui cæremonias, qui auſpicia & ipſi ſanctiſſimè coluerunt, & nobis ſuis poſteris prodiderunt. Eſt, eſt profectò illa vis: neque in his corporibus, atque in hâc imbecillitate noſtrâ ineſt quiddam, quod vigeat & ſentiat, & non ineſt in hoc tanto naturæ tam præclaro motu; niſi fortè idcircò eſſe non putant, quia non apparet, nec cernitur: proinde quaſi noſtram ipſam mentem, quâ ſapimus, quâ providemus, quâ hæc ipſa agimus ac dicimus, videre, aut planè qualis, aut ubi ſit, ſentire poſſimus. Ea vis, ea eſt igitur ipſa, quæ ſæpe incredibiles huic urbi felicitates atque opes attulit: quæ illam perniciem extinxit, ac ſuſtulit, cui primùm mentem injecit, ut vi irritare ferroque laceſſere fortiſſimum virum auderet, vinceretur que ab eo, quem ſi viciſſet, habiturus eſſet impunitatem & licentiam ſempiternam. Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem, Judices, deorum immortalium curâ res illa perfecta; religiones, mehercule, ipſæ, quæ illam belluam cadere viderunt, commoviſſe ſe videntur, & jus in illo ſuum retinuiſſe; vos enim jam, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro, atque obteſtor, voſque Albanorum obruta

[d] al. *vim cæleſtem exiſtimat.*

91. *Quâ Ahala.*] De eo dictum eſt aliiſque ſuperiùs.

92. *Quâ noſmetipſi.*] Indicat conjurationis participes Lentulum, & Cethegum, quos Conſul Senatûs decreto interfecit.

94. *Conſcientiâ.*] Nempe præclari ſui facinoris.

95. *Fortuna populi Romani.*] Plutarchus in lib. de fortuna Romanorum, eorum imperii initia & incrementa vi fortunæ facta eſſe ſcribit, eâque de causâ plurima Fortunæ templa in urbe dedicata fuiſſe.

110. *Illam perniciem.*] Perniciem appellat Clodium, quòd ſuis ſceleribus, & impietate Reipub. perniciem afferebat.

115. *Religiones.*] Religiones vocat ipſas cæremonias, quibus in ſuis ſacrificiis utebatur. Religiones autem à religendo dictæ ſunt. Unde qui diligenter obſervant, quæ ad cæremonias pertinent, religioſi dicuntur.

117. *Albani tumuli.*] Vel colliculi ſunt, & loci eminentiores in quibus aræ quibuſdam numinibus dedicatæ fuerunt, vel etiam ſepulcra & monumenta veterum Albanorum, qui ibi ante urbem conditam ſepulti ſunt.

118. *Luci.*] Luci nemora opaca ſunt, & denſa, quæ numinibus conſecrata celebrantur, ut ex multis Virgilii locis licet colligere. Luci autem dicti ſunt vel per antiphraſim, quòd minimè lucerent

obrutæ aræ, ſacrorum populi Romani ſociæ & æquales, quas ille præceps amentiâ, cæſis proſtratiſque ſanctiſſimis lucis, ſubſtructionum inſanis[c] molibus oppreſſerat: veſtræ tum aræ, veſtræ religiones viguerunt, veſtra vis valuit, quam ille omni ſcelere polluerat: tuque ex tuo edito monte Latiaris, ſancte Jupiter, cujus ille lacus, nemora, fineſque ſæpe omni nefario ſtupro & ſcelere macularat, aliquando ad eum puniendum oculos aperuiſti: vobis illæ, vobis veſtro in conſpectu feræ, ſed juſtæ tamen & debitæ pœnæ ſolutæ ſunt.

XVII. Niſi forte hoc etiam caſu factum eſſe dicemus, ut ante ipſum ſacrarium Bonæ Deæ, quod eſt in fundo T. Sextii Galli, in primis honeſti & ornati adoleſcentis, ante ipſam, inquam, Bonam Deam, cùm prælium commiſiſſet, primum illud vulnus acceperit, quo[a] teterrimam mortem obiret: ut non abſolutus judicio illo nefario videretur, ſed ad hanc inſignem pœnam reſervatus. Nec verò non eadem ira deorum hanc ejus ſatellitibus injecit[b] amentiam, ut ſine imaginibus, ſine cantu, ſine ludis, ſine exequiis, ſine lamentis, ſine laudationibus, ſine funere, [c] oblitus cruore & luto, ſpoliatus

[c] *ædificiis.* [a] *turpiſſimam.* [b] *furorem.* [c] *ſordidus.*

cerent propter opacitatem, vel quòd etiam cereis, & ignibus, qui in Deorum honorem accendebantur, collucerent.

119. *Sacrorum pop. Rom. ſociæ.*] Illa ſacra ſacrificia ſunt, quæ Latinis cum populo Romano communia fuerunt, & quæ olim à Tarquinio Superbo inſtituta ſunt; eadem illa ſacra feriæ Latinæ dictæ ſunt; celebrabantur autem quotannis à Latinis civitatibus ſeptem & quadraginta, quæ cum populo Rom. in Albanum montem conveniebant ad taurum Jovi Latiali ſacrificandum, cujus partem uniuſcujuſque civitatis populus accipiebat. Vide Dionyſ. Halicar. lib. 4.

123. *Latiaris.*] Sive *Latialis* Jupiter dicitur qui olim humano ſanguine colebatur, cui ſacra fiunt ſolenni feſto *Latinarum*, quod & ipſum *Latiar* vocatur. *Macrob.* Sat. l. 1. cap. 16.

124. *Ille lacus.*] Tres fuerunt lacus in Latio, unus Nemorenſis, alter Juternæ, tertius & omnium celeberrimus Albanus.

126. *Seræ.*] Seras ait pœnas perſolviſſe Clodium, quia Dii tardi ſunt ad puniendum.

2. *Sacrarium Bonæ Deæ.*] Prope eum locum in quo Bonæ Deæ ſacellum eſt, obvius Miloni Clodius factus eſt, ut refert Aſconius, & vulneratus, quaſi ipſa Bona Dea violatæ à Clodio ſuæ religionis pœnas ſumeret.

5. *Abſolutus judicio illo.*] Ob violatam illam religionem Clodius in judicium vocatus fuerat, à quo eum pecuniâ corrupti judices liberaverunt.

7. *Satellitibus.*] Per illos ſatellites deſignat Sextum Clodium & Munatium Plancum, & alios Clodianæ factionis homines.

8. *Sine imaginibus.*] In funeribus imagines eorum, qui in familiâ clarueranf, deferebantur.

Ib. *Sine cantu.*] Tibiæ & cantus in funeribus apud Romanos adhibebantur, qui mos etiam apud Judæos uſurpatus eſt.

Ib. *Sine ludis.*] Gladiatorii Ludi, qui funebres dicebantur, in funeribus clarorum virorum apud Romanos fieri ſoliti ſunt, ut ſanguine eorum manes placarentur.

Ib. *Exequiis.*] Per exequias intelligitur ille comitatus hominum, qui funus perſequuntur.

Ib. *Sine lamentis.*] Lamentum ſive planctus, quem mulier, quæ *præfica* dicebatur, incipiebat, dum corpus cremaretur, cui reliqua turba reſpondebat ſimili lamentatione.

9. *Laudationibus.*] Priuſquam corpus ureretur, ſuſcipiebatur mortui laudatio, quæ funebris oratio dicebatur.

Ib. *Sine funere.*] Per funus exprimitur

atus illius ſupremi diei celebritate, quam concedere etiam inimici ſolent, ambureretur abjectus; non fuiſſe credo fas clariſſimorum virorum [d] formas illi teterrimo parricidæ aliquid decoris afferre, neque ullo in loco potiùs mortem ejus lacerari, quàm in quo vita eſſet damnata. Dura mihi, medius fidius, jam fortuna populi Romani & crudelis videbatur, quæ tot annos illum in hanc rempubl. inſultare videret & pateretur; polluerat ſtupro ſanctiſſimas religiones: Senatûs graviſſima decreta perfregerat: pecuniâ ſe palam à judicibus redemerat; vexarat in tribunatu Senatum: omnium ordinum conſenſu pro ſalute reipublicæ geſta reſciderat: me patriâ expulerat; bona diripuerat; domum incenderat; liberos, conjugem meam vexaverat: Cn. Pompeio nefarium bellum indixerat: magiſtratuum privatorumque cædes effecerat: domum mei fratris incenderat: vaſtarat Etruriam; multos ſedibus ac fortunis ejecerat: inſtabat, urgebat: capere ejus amentiam civitas, Italia, provinciæ, regna non poterant: incidebantur jam domi leges, quæ nos noſtris [e] ſervis addicerent; nihil erat cujuſquam, quod quidem ille adamaſſet, quod

[d] *imagines.* [e] *libertinis.*

mitur funebris pompa, cùm nempe accenſis facibus cadaver efferebatur; unde Virg. *Funereas rapuere faces.*

13. *Mortem lacerari.*] Id eſt, ejus cadaver ſemiuſtulatum à nocturnis canibus lacerari, ut dictum eſt.

14. *Vita eſſet damnata.*] Multis Senatus conſultis Clodius confixus fuit.

17. *Sanctiſſimas religiones.*] Id eſt, cæremonias Bonæ Deæ; de quibus ſæpe dictum.

Ib. *Senatûs graviſſima decreta.*] Cenſuerat Senatus ejus morte violatas religiones eſſe expiandas, & de ejus ſacrilegio habendam eſſe quæſtionem; ſed evaſit judicium corruptis pecuniâ judicibus.

18. *Vexarat in tribunatu Senatum.*] Tribunus contra Senatûs auctoritatem Gabinio & Piſoni provincias decrevit, ut perniciem Ciceronis mercaretur.

19. *Geſta reſciderat.*] Abrogavit Clodius omnia Senatûs acta, cùm exilium Ciceronis machinatus eſt propter interfectos Lentulum & Cethegum, alioſque conjurationis Catilinariæ ſocios: licet illud factum Senatus populuſque Romanus approbaſſet.

20. *Bona diripuerat.*] V. Or. pro Dom. ad Pontif. circa medium.

21. *Liberos, conjugem.*] Vide eandem Orat. ad Pontifices.

Ib. *Cn. Pompeio bellum indixerat.*] Non bellum quidem indixit Clodius Pompeio, ſed eum interficere in inſidiis voluit, cùm eâ de cauſâ ſervus cum ficâ in templo Caſtoris comprehenſus eſt.

22. *Magiſtratuum.*] Non legitur Magiſtratus occidiſſe, ſed tantùm Sextium, Q. Fabricium, & M. Ciſpium ferro appetiviſſe.

Ib. *Cædes effecerat.*] Cùm de Cicerone revocando actum eſt, multi partim vulnerati ſunt, partim eliſi, partim occiſi à Clodianis.

23. *Domum mei fratris incenderat.*] Lib. 4. ad Att. epiſt. 3.

26. *Incidebantur.*] Cogitabat Clodius, ſi Prætor eſſet, ut ſcribit Aſconius, de hâc lege ferendâ, ut libertini in urbanis tribunus ſuffragia ferre poſſent, quod tantùm ab ingenuis præſtari poterat. Exitioſa in primis lex illa erat Reip. dabat enim illa occaſionem tribunis-plebis corrumpendi ſuffragia, & excitandarum ſeditionum contra Senatores, & optimates. Utitur verò hâc voce *incidebantur*, quia olim leges omnes in tabulis æneis ſignabantur.

non

non hoc anno ſuum fore putaret. Obſtabat ejus cogitationibus nemo, præter Milonem. Illum ipſum, quo poterat obſtare, Cn. Pompeium, novo reditu in gratiam quaſi devinctum arbitrabatur: Cæſaris potentiam ſuam potentiam eſſe dicebat: bonorum animos etiam in [f] meo caſu contempſerat: Milo unus [g] urgebat. Hîc dii immortales, ut ſupra dixi, mentem dederunt illi perdito ac furioſo, ut huic faceret inſidias: aliter perire peſtis illa non potuit: nunquam illum reſp. ſuo jure eſſet ulta. Senatus, credo, Prætorem eum [h] circumſcripſiſſet: ne cum ſolebat quidem id facere, in privato eodem hoc aliquid profecerat. An Conſules in Prætore coërcendo fortes fuiſſent? primùm, Milone occiſo, habuiſſet ſuos Conſules: deinde quis [i] in eo Prætore Conſul fortis eſſet, per quem Tribunum, virum Conſularem crudeliſſime vexatum eſſe meminiſſet? omnia poſſideret, teneret: lege novâ, quæ eſt inventa apud eum cum reliquis legibus Clodianis, ſervos noſtros libertos ſuos feciſſet; poſtremò, niſi eum dii immortales in eam mentem impuliſſent, ut homo effœminatus fortiſſimum virum conaretur occidere, hodie rempubl. nullam haberetis. An ille Prætor, ille vero Conſul, ſi modò hæc templa, atque ipſa mœnia ſtare, eo vivo, tamdiu, & Conſulatum ejus expectare potuiſſent, ille denique vivus mali nihil feciſſet, qui mortuus, uno ex ſuis ſatellitibus Sex. Clodio duce, curiam incenderit? quo quid miſerius, quid acerbius, quid luctuoſius vidimus? templum ſanctitatis, amplitudinis, mentis, conſilii publici, caput urbis, aram ſociorum, portum omnium gentium, ſedem ab univerſo populo Romano conceſſum uni ordini, inflammari, exſcindi, funeſtari? neque id fieri à multitudine imperitâ (quanquam eſſet miſerum id ipſum) ſed ab uno, qui cum tantum auſus ſit ultor pro mortuo, quid ſignifer pro vivo non eſſet auſus? In curiam potiſſimum [k] abjecit, ut eam mortuus incenderet, quam vivus ever-

[f] *meo exilio.* [g] *reſiſtebat.* [h] *coercuiſſet.* [i] *eo Prætore.* [k] *intulit.*

29. *Cn. Pompeium.*] Nolebat Clodio Pompeius obſiſtere, quia cum eo redierat in gratiam.

34. *Ut huic.*] Miloni.

37. *Nè tum ſolebat quidem.*] Senſus eſt, cùm Senatus volebat coërcere Clodium privatum, nihil efficiebat; quid igitur efficere poterit, cùm Prætor erit? eſt argumentum à minori.

39. *Habuiſſet ſuos Conſules.*] Optabat Clodius Conſules habere Hypſæum & Scipionem.

40. *Per quem tribunum.*] Clodius Tribunus vexavit Ciceronem virum Conſularem.

41. *Lege novâ.*] Multæ leges, quas tuliſſet Prætor Clodius, poſt ejus mortem inventæ ſunt. Inter quas hæc fuit inventa, ut Ruſticanæ tribus in Conſulibus creandis, ut libertini in tribubus urbanis, jus ſuffragiorum haberent.

46. *Hæc templa.*] Loquitur de foro & de curiâ, ubi hæc Oratio habebatur. Hoſtilia autem ab Hoſtilio rege, à quo condita eſt, curia dicebatur, in quâ erant roſtra.

52. *Portum.*] Reges & populi exteri ad Senatum Rom. tanquam ad refugium confugiebant.

53. *Funeſtari.*] Id dicit, quia in eâ combuſtum eſt cadaver Clodii, quo curia & forum polluta ſunt.

terat. Et ſunt, qui de viâ Appiâ querantur, taceant de curiâ? Et qui ab eo [m] ſpirante forum putent potuiſſe defendi, cujus non reſtiterit cadaveri curia? Excitate, excitate ipſum, ſi poteſtis, ab inferis: frangetis impetum vivi, cujus vix ſuſtinetis furias inſepulti? niſi verò ſuſtinuiſtis eos qui cum facibus ad curiam cucurrerunt, cum falcibus ad Caſtoris, cum gladiis toto foro [n] volitarunt. Cædi vidiſtis populum Romanum, concionem gladiis diſturbari, cum audiretur ſilentio M. Cœlius tribunus-plebis, vir & in repub. fortiſſimus, & in ſuſceptâ causâ firmiſſimus, & bonorum voluntati & auctoritati Senatûs deditus, & in hâc Milonis ſive invidiâ, ſive fortunâ ſingulari, divinâ & incredibili fide.

[m] *vivo.* [n] *diſcurrerunt.*

58. *De viâ Appiâ querantur.*] In viâ Appiâ occiſus eſt Clodius.

63. *Falcibus.*] Falces militares, non meſſorias intelligit; de quibus Vegetius.

65. *Cum audiretur M. Cœlius.*] Cum Romam rediiſſet Milo nocte qua curia incenſa eſt, Cœlius tribunus-plebis, concione advocatâ eorum qui favebant Miloni, oratione expoſuit omnia quæ ſceleratè à Clodio commiſſa ſunt. Verum reliqui tribuni-plebis cum armatâ multitudine in forum irrumpunt. Cœlium ipſum & Milonem interemiſſent, niſi fervorum indumentis veſtiti, fugâ conſuluiſſent ſaluti. Multos cives trucidaverunt, eos præſertim qui habitu veſtituque ſe divites oſtendebant. Prætextu quærendi Milonem, multas domos invadunt, eaſque diripiunt. Ita Aſconius, qui Cæcilium, non Cœlium legit.

66. *In ſuſceptâ causâ firmiſſimus.*] Obſtitit ille firmiſſimè legibus Cn. Pompeii, quibus ferebat, ut in hac causâ eodem die actor & reus orarent, ut actori horæ duæ, reo tres eſſent. Aiebat videlicet Cœlius privilegium in Milonem ferri, & judicia præcipitari: & cùm pertinaciùs legem ille vituperaret, eò proceſſit iræ Pompeius, ut diceret ſi coactus eſſet, armis ſe Rempublicam defenſurum. Ita *Aſconius.*

PERORATIO.

Tota hæc Peroratio ad miſericordiam comparata eſt.

XVIII. Sed jam ſatis multa de causâ: extra cauſam etiam nimis fortaſſe multa. Quid reſtat, niſi ut orem obteſterque vos, Judices, ut eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro, quam ipſe non implorat; ego autem, repugnante hoc, & imploro, & expoſco? Nolite, ſi in noſtro omnium fletu nullam lacrymam adſpexiſtis Milonis, ſi vultum ſemper eundem, ſi vocem, ſi orationem ſtabilem ac non mutatam videtis, hoc ei minus parcere: atque haud cio an multo etiam ſit adjuvandus magis. Etenim ſi in gladiatoriis

1. *Extra cauſam.*] Cicero vagatus eſt extra cauſam, cum tam fuſè de Clodii vi is & ſceleribus dixit.

3. *Quam ipſe non implorat.*] Id dicit, ut placeat judicibus, qui potuiſſent offendi, quod neque ſordidatus venerit ad hoc judicium Milo, neque ſupplex ad eorum pedes deprecaturus accederit.

pugnis,

pugnis, & in infimi generis hominum conditione atque fortunâ, timidos & ſupplices, &, ut vivere liceat, obſecrantes, etiam odiſſe ſolemus: fortes & animoſos, & ſe acriter ipſos morti offerentes ſervare cupimus: eorumque nos magis miſeret, qui noſtram miſericordiam non requirunt, quàm qui illam efflagitant: quanto hoc magis in fortiſſimis civibus facere debemus? Me quidem, Judices, exanimant & interimunt hæ voces Milonis, quas audio aſſiduè, & quibus interſum quotidie. Valeant, inquit, valeant cives mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati: ſtet hæc urbs præclara, mihique patria chariſſima [a] quoquo modo merita de me erit; tranquilla repub. cives mei, quoniam mihi cum illis non licet, ſine me ipſi, ſed per me tamen, perfruantur; ego cedam, atque abibo; ſi mihi republicâ bonâ frui non licuerit, at carebo malâ: &, quam primum [b] tetigero bene moratam & liberam civitatem, in eâ conquieſcam. O fruſtra, inquit, ſuſcepti mei labores! ô ſpes fallaces! ô cogitationes inanes meæ! ego, cùm tribunus-pleb. repub. oppreſsâ, me Senatui dediſſem, quem extinctum acceperam; equitibus Romanis, quorum vires erant debiles; bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abjecerant: mihi unquam bonorum præſidium defuturum putarem? Ego, cùm te (mecum enim ſæpiſſimè loquitur) patriæ reddidiſſem, mihi non futurum in patriâ putarem locum? Ubi nunc Senatus eſt, quem ſecuti ſumus? ubi equites Romani illi, illi, inquit, tui? ubi ſtudia municipiorum? ubi Italiæ voces? ubi denique tua, M. Tulli, quæ plurimis fuit auxilio, vox & defenſio? mihi-ne ea ſoli, qui pro te toties morti me obtuli, nihil poteſt opitulari? Nec verò hæc, Judices, ut ego nunc, flens, ſed hoc eodem loquitur vultu, quo videtis; negat enim ſe, negat ingratis civibus feciſſe, quæ fecerit; timidis, & omnia [c] circumſpicientibus pericula, non negat; plebem & infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce, fortunis veſtris imminebat, eam, quò tutior eſſet vita veſtra, ſuam ſe feciſſe commemorat; ut non modò virtute flecteret, ſed etiam tribus ſuis patrimoniis deliniret: nec timet, ne, cum plebem muneribus placarit, vos

[a] *ſive me damnet, ſive liberet.* [b] *pervenero.* [c] *providentibus.*

24. *Ego, cum Tribunus-plebis.*] Reſpicit Cicero ad illud tempus quo ab exilio revocatus eſt: ad quem revocandum non mediocrem operam tulit Sextius, quitum Tribunus erat: in quo conſenſit cum Senatoribus, quibus fere ſemper Tribuni-plebis infenſi fuerunt.

26. *Vires erant debiles.*] Debiles fuerunt propter Clodium, à quo illi vexati ſunt.

31. *Tui.*] Cicero ex equeſtri ordine erat, ex quo ad Senatorium tranſivit.

36. *Negat.*] Excuſat hic cives, quos non ingratos eſſe ait, ſed timidos.

40. *Tribus patrimoniis.*] Milo habuit tria patrimonia; paternum, maternum, & illud quod à C. Annio avo materno, à quo fuerat adoptatus, acceperat. Hæc autem omnia patrimonia largitionibus & impenſis ludorum impenderat; ob quas, ut ait Aſconius, Milo poſtero die reus ambitûs factus, abſens damnatus eſt; ſed has largitiones eo conſilio à Milone factas eſſe ait Cicero in populum, ut divites à direptione liberaret.

non

non conciliarit meritis in rempublicam ſingularibus. Senatus erga ſe benevolentiam temporibus his ipſis ſæpe eſſe perſpectam: veſtras verò, & veſtrorum ordinum occurſationes, ſtudia, ſermones, quemcunque curſum fortuna dederit, ſecum ſe ablaturum eſſe dicit. Meminit etiam ſibi vocem Præconis [d] modò defuiſſe, quam minimè deſiderarit; populi verò cunctis ſuffragiis, quod unum cupierit, ſe Conſulem declaratum; nunc denique, ſi hæc arma contra ſe ſint futura, ſibi facinoris ſuſpicionem, non facti crimen obſtare: Addit hæc, quæ certe vera ſunt, FORTES ET SAPIENTES VIROS non tam præmia ſequi ſolere rectè factorum, quàm ipſa rectè facta: ſe nihil in vitâ, niſi præclariſſimè, feciſſe: ſiquidem nihil ſit præſtabilius viro, quàm periculis patriam liberare: beatos eſſe, quibus ea res honori fuerit à ſuis civibus: nec tamen eos miſeros, qui beneficio cives ſuos vicerint: ſed tamen ex omnibus præmiis virtutis, ſi eſſet habenda ratio præmiorum, ampliſſimum eſſe præmium gloriam: eſſe hanc unam, quæ brevitatem vitæ poſteritatis memoriâ conſolaretur; quæ efficeret, ut abſentes adeſſemus, mortui viveremus: hanc denique eſſe, cujus gradibus etiam homines in cœlum videantur aſcendere. [e] De me, inquit, ſemper populus Romanus, ſemper omnes gentes loquentur, nulla unquam obmuteſcet vetuſtas: quin hoc tempore ipſo, cùm omnes à meis inimicis faces invidiæ meæ ſubjiciantur, tamen omni in hominum cœtu, gratiis agendis, & gratulationibus habendis, omni ſermone celebramur. Omitto Etruriæ feſtos & actos, & inſtitutos dies: centeſima [f] lux eſt hæc ab interitu P. Clodii, & opinor, altera: quâ fines imperii populi Romani ſunt, eà non ſolum fama jam de illo, ſed etiam lætitia peragravit. Quamobrem ubi corpus hoc ſit, non, inquit, laboro, quoniam omnibus in terris & jam verſatur, & ſemper habitabit nominis mei gloria. Hæc tu mecum ſæpe, his abſentibus: ſed iiſdem audientibus, hæc ego tecum Milo. Te quidem, quòd iſto animo es, ſatis laudare non poſſum, ſed quo eſt illa magis divina virtus, eo majore à te dolore divellor. Nec vero, ſi mihi eriperis, reliqua eſt illa tamen ad conſolandum querela, ut his iraſci poſſim, à quibus tantum vulnus accepero; non enim inimici mei te mihi eripient, ſed amiciſſi-

[d] *tantum.* [e] in *me.* [f] *dies.*

44. *Occurſationes.*] Id eſt, obvias ſalutationes, quæ honoris & benevolentiæ causâ fiunt.

45. *Sermones.*] Qui nempe de Milone abſente circumferuntur.

46. *Vocem præconis.*] Licèt maxima pars ſuffragiorum in aliquem incumberet, neque poſſet in comitiis ignorari, quis Conſul eſſet deſignatus; tamen ille Præconis voce renunciabatur, à quo laudibus efferebatur.

65. *Etruriæ feſtos.*] Hæc regio planè inimica Clodio. Cùm autem audiviſſet, eum à Milone interfectum fuiſſe, feſtos dies in honorem Milonis inſtituit.

76. *Non enim inimici mei.*] Ait quòd ſibi amiciſſimi, hujus tanti mali erunt auctores, quibus iraſci, aut de iis quæri lex amicitiæ vetat. Loquitur autem de judicibus, quos dixit ſibi eſſe amiciſſimos.

mi;

mi: non malè aliquando de me meriti, ſed ſemper optimè. Nullum unquam, Judices, mihi tantum dolorem [g] inuretis (etſi, quis poteſt eſſe tantus?) ſed ne hunc quidem ipſum, ut obliviſcar, quanti me ſemper feceritis; quæ ſi vos cepit oblivio, aut ſi in me aliquid offendiſtis, cur non id [h] meo capite potiùs luitur, quàm Milonis? Præclarè enim vixero, ſi quid mihi acciderit priùs, quàm hoc tantum mali videro. Nunc me una conſolatio ſuſtentat, quòd tibi, O T. Anni, nullum à me amoris, nullum ſtudii, nullum pietatis officium defuit. Ego inimicitias potentium pro te appetivi: ego meum ſæpe corpus & vitam objeci armis inimicorum tuorum: ego me plurimis pro te ſupplicem abjeci: bona, fortunas meas ac liberorum meorum in communionem tuorum temporum contuli: hoc denique ipſo die, ſi qua vis eſt parata, ſi qua dimicatio capitis futura, depoſco. Quid jam reſtat? quid habeo quod dicam, quod faciam pro tuis in me meritis, niſi ut eam fortunam, quæcunque erit tua, ducam meam? Non recuſo, non abnuo: voſque obſecro, Judices, ut veſtra beneficia, quæ in me contuliſtis, aut in hujus ſalute augeatis, aut in ejuſdem exitio occaſura eſſe videatis. His lacrymis non movetur Milo; eſt quodam incredibili robore animi: exilium ibi eſſe putat, ubi virtuti non ſit locus: mortem naturæ finem eſſe, non pœnam. Sit hic eâ mente, quâ natus eſt; quid? vos Judices, quo tandem animo eritis? memoriam Milonis retinebitis, ipſum ejicietis? & erit dignior locus in terris ullus, qui hanc virtutem excipiat, quàm hic qui procreavit? Vos, vos appello, fortiſſimi viri, qui multum pro republicâ ſanguinem effudiſtis! vos in viri & in civis invicti appello periculo, centuriones, voſque milites: vobis non modo inſpectantibus, ſed etiam armatis, & huic judicio præſidentibus, hæc tanta virtus ex hâc urbe expelletur? exterminabitur? projicietur? ô me miſerum! ô me infelicem! revocare tu me in patriam, Milo, potuiſti per hos? ego te in patriâ per eoſdem retinere non potero? Quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, [i] conſorti mecum temporum illorum? me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſervaſſet? at in quâ causâ non potuiſſe? quæ eſt grata gentibus; à quibus non potuiſſe? ab iis qui maximè P. Clodii morte acquierunt; quo deprecante? me. Quodnam ego concepi tantum ſcelus? aut quod in me tantum facinus ad-

[g] *inferetis.* [h] *meâ morte.* [i] *ſocio meæ calamitatis.*

81. *Offendiſtis.*] Id eſt, aliquid inveniſtis offenſionis.

85. *Inimicitias potentium.*] Tanta fuit Ciceronis in Milonem amicitia, ut neque Clodiani, neque Pompeius, qui infenſus erat Miloni, deterrere eum potuerint ab hâc Milonis defenſione ſuſcipiendâ.

86. *Armis.*] Cicero ſemper adfuit Miloni in petitione Conſulatûs, licèt ſæpiùs Clodio armis fuerit Milo appetitus.

89. *Temporum.*] Cicero ſignificat, communicare ſecum omnes ſuas fortunas Milonem voluiſſe.

miſi,

misi, Judices, cùm illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, extinxi? omnes in me meosque redundant ex fonte illo dolores. Quid me reducem esse voluistis? an ut, inspectante me, expellerentur ii, per quos essem restitutus? Nolite, obsecro vos, pati mihi acerbiorem reditum esse, quàm fuerit ille ipse discessus. Nam quî possum putare me restitutum esse, si [l] distrahor ab iis, per quos restitutus sum? Utinam dii immortales fecissent (pace tuâ, patriâ, dixerim: metuo enim ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam piè) ut P. Clodius non modò viveret, sed etiam Prætor, Consul, Dictator esset potiùs, quàm hoc spectaculum viderem. O dii immortales! fortem, & à vobis, Judices, conservandum virum! Minimè, minimè, inquit; immò verò pœnas ille debitas luerit: nos subeamus, si ita necesse est, non debitas. Hiccine vir patriæ natus, usquam nisi in patriâ morietur? aut, si fortè, pro patriâ, hujus vos [m] animi monumenta retinebitis, corporis in Italiâ nullum sepulcrum esse patiemini? hunc suâ quisquam sententiâ ex hâc urbe expellet, quem omnes urbes expulsum à vobis ad se vocabunt? O terram illam beatam, quæ hunc virum exceperit! hanc ingratam, si ejecerit! miseram, si amiserit! Sed finis sit; neque enim præ lacrymis jam loqui possum: & hic se lacrymis defendi vetat; vos oro obtestorque, Judices, ut in sententiis ferendis, quod sentietis, id audeatis. Vestram virtutem, justitiam, fidem (mihi credite) is maximè probabit, qui in judicibus legendis optimum & sapientissimum & fortissimum quemque legit.

[l] *separor.* [m] *memoriam generositatis.*

115. *Illa indicia.*] Catilinæ conjurationem indicat, qui urbem ferro flammâque delere constituerat.

116. *Ex fonte illo dolores.*] Cicero ejectus in exilium à Clodio est, quia Lentulum & Cethegum, conjurationis socios, interfecerat in carcere: & quia Milo studuit, ut qui maximè, ut ab exilio Cicero revocaretur, hinc Clodium inter & Milonem odia gravissima exarserunt.

126. *Minimè, inquit.*] Inducit jam Milonem loquentem.

137. *Is probabit.*] Pompeium significat, qui cùm sapientissimos illos judices ex omnibus ordinibus selegerit, probabit eorum sententias. Id autem dicit, ut amoveat suspicionem odii, quo in Milonem Pompeius ferebatur.

PRO

M. MARCELLO.

ARGUMENTUM.

M. Claudius Marcellus civis Romanus & Consularis, singulari vir eruditione, cùm in Consulatu ante annos quinque Cæsarem palam oppugnavisset, in dissensione civili fuit cum Pompeio, cum multis aliis Senatoribus. Confecto bello Cæsar victor multos ex inimicis suis, Pompeiique fautoribus, in patriam, & pristinam dignitatem restituit. Cùm autem in Senatu à L. Pisone mentio facta esset de Marcello, qui Mitylenas concesserat, C. Marcellus Claudii frater se supplex ad Cæsaris pedes abjecit cum universo Senatu rogante Marcelli reditum. Cæsar multa acerbe de eo questus est, ac se propter injurias & suspiciones, quibus in futurum carere non posset, suo jure contra illum uti posse; se tamen satis vel naturæ, vel gloriæ vixisse. Deinde præter omnium spem dixit se Senatui roganti de Marcello, ne ominis quidem causâ negaturum. Itaque cum omnes ante Ciceronem rogati gratias egissent Cæsari, Cicero rogatus, ei enim ab universo Senatu partes illæ fuerant demandatæ, omnium nomine hâc oratione Cæsari gratias egit.

TEMPUS.

Habita est hæc oratio anno urbis conditæ 707, C. Julio Cæsare tertiùm, M. Æmilio Lepido Consulibus.

PARTES.

Tres habet; Exordium, Contentionem, & Perorationem.

GENUS.

Hæc oratione est in genere demonstrativo: tota enim versatur in laude Cæsaris.

STYLUS.

Stylus elegans est, ornatus, & aureo quodam orationis flumine temperatus.

EXOR-

EXORDIUM.

I. DIUTURNI ſilentii, P. C. quo eram his temporibus uſus, non timore aliquo, ſed partim dolore, partim verecundiâ, finem hodiernus dies attulit; idemque initium, [a] quæ vellem, quæque ſentirem, meo priſtino more dicendi. Tantam enim manſuetudinem, tam inuſitatam inauditamque clementiam, tantum in ſummâ poteſtate rerum omnium [b] modum, tam denique incredibilem ſapientiam ac penè divinam tacitus nullo modo præterire poſſum. M. enim Marcello vobis, P. C. reique publ. reddito, non ſolùm illius, ſed meam etiam vocem & auctoritatem, & vobis & reipublicæ conſervatam ac reſtitutam puto. Dolebam enim, P. C. ac vehementer angebar, cùm viderem, virum talem, qui in eâdem causâ eſſet, in quâ

INTERPRETATIO.

[a] *Iequendi meo priſtino more* ea *quæ vellem, & quæ ſentirem.* [b] *moderationem.*

1. *Diuturni ſilentii.*] Diu ſiluerat Cicero propter illud bellum civile quod Pompeium inter & Cæſarem exarſerat; alii enim in alias urbes ſe Senatores receperant; alii ſecuti fuerant Pompeium, ut ipſe Cicero, cum multis è primoribus: quare Romæ nullus tunc Senatus habebatur. Deinde cùm ipſe à Cæſare reſtitutus eſt, latuit, neque ſententiam dixit in Senatu.

Ib. *Patres conſcripti.*] Ordinum varietatem intulit Romulus in ſuam civitatem. Idem enim Senatum, idem equites inſtituit: ſed qui neque Senatores neque Equites eſſent, eos in tertio Plebis ordine reliquit. Senatores autem nominavit, quos ad Conſultationes de Repub. advocavit, quòd ad ſenes fere & majores natu accideret, ad quos de ſummâ Repub. referret, atque ex eorum auctoritate omnia ageret, quæ publicè ſibi ſuſcipienda exiſtimaret. Eoſdem etiam Patres appellavit nempe à curæ ſimilitudine, ut ſcripſit in Catilinæ conjuratione Salluſtius. Unde procedentibus temporibus Patres Conſcripti nominati ſunt, qui in Novum Senatum erant lecti; quamvis poſtremò uſus obtinuerit, ut omnes Senatores uno Patrum Conſcriptorum nomine vocarentur.

2. *Non timore aliquo.*] Id dicit ad conciliandam Cæſaris ſibi benevolentiam: quid enim ab eo timere poterat, à quo tam humaniter exceptus eſt, præcipuè cùm illi obviam venit redeunti ex Aſiâ in Italiam; ut enim Plutarchus ſcribit in Cicerone, non priùs Cæſar Tullium ante alios ſibi occurrentem vidit, quàm deſcenderit, ſalutaverit, cumque eo ſolo colloquenti multa ſtadia proceſſerit. Adde quod ſingulari clementiâ & animi lenitate præditus eſt Cæſar.

Ib. *Partim dolore.*] Prima cauſa ejus ſilentii dolor fuit; quam ex abſentiâ & caſu Marcelli percipiebat, quòd cùm in eâdem causâ fuiſſet, quâ Cicero, non in eâdem fortunâ jam eſſet: Cicero priſtinæ dignitati redditus eſt, & M. relictus.

Ib. *Partim verecundiâ.*] Verecundia metus eſt infamiæ; pudebat enim Ciceronem fine Marcello ſententiam dicere in Senatu.

12. *In eâdem causâ.*] Secutus fuerat Marcellus Pompeium cum Cicerone contra Cæſarem.

ego

ego fuiſſem, non in eâdem eſſe fortunâ: nec mihi perſuadere poteram, nec fas eſſe ducebam, verſari me in veſtro veteri curriculo, illo æmulo atque imitatore ſtudiorum, ac laborum meorum, quaſi quodam ſocio à me & comite diſtracto. Ergo & mihi, & meæ priſtinæ vitæ conſuetudinem, C. Cæſar, interclusam aperuiſti, & his omnibus ad bene de omni republicâ ſperandum, quaſi ſignum aliquod ſuſtuliſti. Intellectum eſt enim mihi quidem in multis, & maximè in me ipſo, ſed paulò ante omnibus, cùm M. Marcellum Senatui populoque Romano & reipublicæ conceſſiſti, commemoratis præſertim offenſionibus, te auctoritatem hujus ordinis, dignitatemque reipublicæ tuis vel [c] doloribus, vel ſuſpicionibus anteferre. Ille quidem fructum omnis anteactæ vitæ hodierno die maximum cepit, cùm ſummo conſenſu Senatûs, tum præterea judicio tuo graviſſimo & maximo; ex quo profectò intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus, cùm in accepto tanta ſit gloria. Eſt vero fortunatus ille, cujus ex ſalute non minor penè ad omnes, quàm ad illum ventura ſit, lætitia pervenerit. Quod ei quidem merito atque optimo jure contigit; quis enim eſt illo aut nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium ſtudio, aut innocentiâ, aut ullo genere laudis præſtantior? Nullius tantum eſt [d] flumen ingenii; nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis, tanta copia, quæ non dicam exornare,

[c] *iræ tuæ.* [d] *ubertas.*

14. *Veteri curriculo.*] Intelligit Senatum ubi ſæpe cum Marcello ſententiam dixit; metaphora ſumpta à ludis, in quibus currus agi ſolebant.

15. *Illo æmulo.*] Marcellus orator fuit inſignis, qui cum Cicerone de laude eloquentiæ certabat; cujus lib. de claris Oratoribus laudes proſequitur.

16. *Comite diſtracto.*] Longè Marcellus & Cicero à ſe invicem diſtracti erant, nam Romæ Cicero tum erat: Marcellus verò Mitylenis exulabat.

19. *Signum aliquod ſuſtuliſti.*] Tranſlatio à bello, in quo dum ſignum ſtat, ſpes affulget victoriæ; & Cæſar, reſtituto Cicerone & Marcello, ſignificat ſe Rempublicam nolle evertere.

22. *Offenſionibus.*] M. Marcellus Conſul contendit, ut Cæſari in Galliis bellum agenti ſucceſſor mitteretur; iiſque exercitum ſtatim dimitteret, vel hoſtis patriæ declararetur. In oratione prædonem appellavit: imo decurionem Novicomi, quo colonium Cæſar deduxerat, virgis cæcidit, ut civem eum non eſſe oſtenderet, & ita Cæſaris factum improbaret, eique plagarum ſuarum veſtigia oſtenderet.

24. *Suſpicionibus.*] Suſpicabatur Cæſar, ſibi à Marcello mortem intentari.

Ib. *Ille.*] Marcellus.

25. *Summo conſenſu Senatûs.*] Senatus univerſus poſtulavit à Cæſare, ut ab eo revocaretur Marcellus, ut in priſtinam ſuam dignitatem reſtitueretur.

29. *Ad illum ventura.*] Indicat maximam percepturum lætitiam Marcellum cum audiret in exilio ſe à Cæſare revocari.

31. *Nobilitate.*] Licèt Marcellorum gens plebeia fuerit, tamen honoribus illuſtriſſima & nobiliſſima extitit, utpote in quâ ſex fuere Conſules, quorum unus quinque conſulatibus, alter tribus functus eſt.

Ib. *Optimarum artium ſtudio.*] Commentationibus quotidianis ſe exercuiſſe Marcellum ait Cicero lib. de claris Oratoribus; unde nulla ei Oratoris virtus defuit.

sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit; tamen hoc affirmo, & hoc [c] pace dicam tuâ, nullam in his esse laudem ampliorem quàm eam, quam hodierno die consecutus es.

[c] *dicam cum tuâ* veniâ.

CONFIRMATIO.

Duas partes habet Confirmatio. In primâ parte laudat Cæsaris clementiam. In secundâ diluit suspiciones insidiarum.

PRIMA PARS CONFIRMATIONIS.

In quâ laudat Cæsaris clementiam.

II. Soleo sæpe ante oculos ponere, idque libenter [a] crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero [b] præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri; nec verò disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quàm

[a] *sæpe dicere.* [b] *expeditionum.*

1. *Soleo sæpe ante oculos ponere.*] Illustri distributione comparat res gestas à Cæsare, cum aliorum imperatorum victoriis, quas longè ait superasse.

2. *Nostrorum imperatorum.*] Ante Cæsarem claruerunt armorum glòriâ Scævola, Mucius, Cincinnatus, Camillus, Torquatus, Manlius, Curius, Fabius Maximus, Decii, Regulus, Marcellus, Scipiones, Catones, Paullus Æmilius, Pompeius.

Ib. *Exterarum gentium.*] Præ cæteris istæ gentes fortissimæ omnium habitæ sunt Persæ, Macedones, Thebani, Locrenses, Galli.

3. *Potentissimorum populorum.*] Potentissimi olim fuerunt, ante Romanos, Scythæ, Athenienses, Lacedæmonii.

Ib. *Clarissimorum regum.*] Hi reges cæteros vicerunt nominis glorià: Pyrrhus rex Epirotarum, Syphax, Jugurtha, Massinissa, Bocchus, Alexander, Mithridates.

4. *Numero præliorum.*] Cæsar quinquagies cum hoste signa contulit. Vide Plinium, lib. 7. cap. 26. Et præter civiles victorias undecies centum & nonagintaduo millia hominum præliis occidit.

5. *Nec varietate regionum.*] Bellum gessit Cæsar in Hispaniâ, Britanniâ, Galliâ, Ægypto, Germaniâ, Asiâ, Africâ, & Græciâ. Pompeium in Africâ ad Pharsaljam vicit, Ptolomæum in Ægypto, Pharnacem filium Mithridatis in Ponto, Scipionem & Jubam in Africâ, Pompeii filios in Hispaniâ.

Ib. *Nec celeritate conficiendi.*] In Commentariis Cæsaris hoc de se frequenter ait: *Celeriùs opinione hoc aut illud Cæsar fecit,* Et de Pharnace à se superato, *Veni, vidi, vici.*

6. *Disjunctissimas terras.*] Vicit in Germaniâ & Africâ.

tuis,

tuis, non dicam curſibus, ſed victoriis [c] luſtratæ ſunt. Quæ quidem ego niſi tam magna eſſe fatear, ut ea vix cujuſquam mens aut cogitatio capere poſſit, amens ſim: ſed tamen ſunt alia majora. Nam bellicas laudes ſolent quidem extenuare verbis, eaſque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ ſint imperatorum; & certè in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus multùm juvant; maximam verò partem quaſi ſuo jure fortuna ſibi vindicat, & quidquid eſt proſperè geſtum, id penè omne ducit ſuum. At verò hujus gloriæ, C. Cæſar, quam es paulò antè adeptus, ſocium habes neminem; totum hoc quantumcunque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum; nihil ſibi ex iſtâ laude Centurio, nihil Præfectus, nihil cohors, nihil turma

[c] *pervagatæ.*

8. *Curſibus.*] Hyperbole egregia: vix enim quis has regiones poſſet curſibus peragrare.

10. *Sunt alia majora.*] Intelligit clementiam, quæ omnibus victoriis & rebus bellicis videtur anteponenda; quia tota eſt clementia Cæſaris: at victoriæ & res belli cæ ipſi ſunt cum reliquis belli ducibus & militibus communes, unde ſumunt non nulli occaſionem eas extenuandi.

13. *Imperatorum.*] Imperator dictus eſt, qui ſuis auſpiciis exercitum ducebat, & aliquot hoſtium millia in acie ceciderat. Suetonius ſcribit, Julium Cæſarem Imperatoris prænomen perpetuum, & cognomen Patris patriæ à Senatu accepiſſe.

Ib. *Et certe in armis.*] Cauſas profert, ex quibus victoria efficitur.

14. *Commeatus.*] Per commeatum intelligit ea omnia quæ exercitui vel inſtruendo, vel alendo, prorſus neceſſaria ſunt.

15. *Fortuna.*] Fortuna maximè in bellis anceps dicitur; quid enim victoriâ incertius?

17. *At verò hujus gloriæ.*] Apponit diſſimilitudinem, quâ oſtendit laudem clementiæ ſibi propriam Cæſarem vindicare, reſtituendo Senatui Marcellum, quia ipſi unica eſt, nec communis cum aliis.

20. *Centurio.*] Vegetius lib. 2. cap. 8. dicit fuiſſe *Centuriones, qui ſingulas centurias curabant, qui nunc centenarii nominantur.* Centurio vero equitum eſt, & Præfectus peditum dux.

Ib. *Nihil Præfectus.*] Præfecti varii fuerunt; alii legionis, qui propriè judicabant, & qui, abſentibus legatis, tanquam ipſorum vicarii poteſtatem maximam retinebant; alii caſtrorum, ad quos caſtrorum poſitio, valli & foſſæ deſtinatio pertinebat; alii annonæ, qui curabant annonam, & ut equi & veſtes ſemper militibus paratæ eſſent.

Ib. *Cohors.*] Modeſtus & Vegetius in unâ legione Cohortes decem fuiſſe ſcribunt, quarum prima & numero & dignitate militum cæteris præſtabat. Hæc autem ſuſcipiebat Aquilam, quæ præcipuum Romanorum vexillum erat. Hæc habebat pedites mille centum & quinque, cum equitibus loricatis centum triginta duobus, & Cohors milliaria dicebatur, & princeps totius legionis erat, à quâ, cùm ad pugnam veniendum erat, prima acies inſtruebatur. 2. Secunda Cohors habebat pedites 555. & equites 66. & quinquagenaria dicebatur. Tertia tot numerabat pedites, & equites: in quâ validiores probabantur, quia in mediâ erat acie. Quarta pedites 600. & equites 66. Tot in quintâ numerabantur: ſed ſtrenuos quoſque milites exigebat, qua ſicut prima Cohors dextrum, ſic illa finiſtrum cornu tenebat; quinque porro illæ cohortes in primâ acie ſtabant.

Sexta Cohors habebat pedites 555. equites 66. illa autem in ſecundâ acie poſt Aquilam ordinabatur. Septima pedites 555. cum equitibus 56. in ſecundâ acie mediâ conſiſtebat. In octavâ, nonâ, & decimâ totidem erant milites.

sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit; tamen hoc affirmo, & hoc [c] pace dicam tuâ, nullam in his esse laudem ampliorem quàm eam, quam hodierno die consecutus es.

[c] *dicam cum tuâ* veniâ.

CONFIRMATIO.

Duas partes habet Confirmatio. In primâ parte laudat Cæsaris clementiam. In secundâ diluit suspiciones insidiarum.

PRIMA PARS CONFIRMATIONIS.

In quâ laudat Cæsaris clementiam.

II. Soleo sæpe ante oculos ponere, idque libenter [a] crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas cum tuis nec contentionum magnitudine, nec numero [b] prœliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri; nec verò disjunctissimas terras citius cujusquam passibus potuisse peragrari, quàm

[a] *sæpe dicere.* [b] *expeditionum.*

1. *Soleo sæpe ante oculos ponere.*] Illustri distributione comparat res gestas à Cæsare, cum aliorum imperatorum victoriis, quas longè ait superasse.

2. *Nostrorum imperatorum.*] Ante Cæsarem claruerunt armorum glòriâ Scævola, Mucius, Cincinnatus, Camillus, Torquatus, Manlius, Curius, Fabius Maximus, Decii, Regulus, Marcellus, Scipiones, Catones, Paullus Æmilius, Pompeius.

Ib. *Exterarum gentium.*] Præ cæteris istæ gentes fortissimæ omnium habitæ sunt Persæ, Macedones, Thebani, Locrenses, Galli.

3. *Potentissimorum populorum.*] Potentissimi olim fuerunt, ante Romanos, Scythæ, Athenienses, Lacedæmonii.

Ib. *Clarissimorum regum.*] Hi reges cæteros vicerunt nominis glorià: Pyrrhus rex Epirotarum, Syphax, Jugurtha, Massinissa, Bocchus, Alexander, Mithridates.

4. *Numero prœliorum.*] Cæsar quinquagies cum hoste signa contulit. Vide Plinium, lib. 7. cap. 26. Et præter civiles victorias undecies centum & nonaginta duo millia hominum prœliis occidit.

5. *Nec varietate regionum.*] Bellum gessit Cæsar in Hispaniâ, Britanniâ, Galliâ, Ægypto, Germaniâ, Asiâ, Africâ, & Græciâ. Pompeium in Africâ ad Pharsaljam vicit, Ptolomæum in Ægypto, Pharnacem filium Mithridatis in Ponto, Scipionem & Jubam in Africâ, Pompeii filios in Hispaniâ.

Ib. *Nec celeritate conficiendi.*] In Commentariis Cæsaris hoc de se frequenter ait: *Celeritàs opinione hoc aut illud Cæsar fecit*, Et de Pharnace à se superato, *Veni, vidi, vici.*

6. *Disjunctissimas terras.*] Vicit in Germaniâ & Africâ.

tuis,

tuis, non dicam curſibus, ſed victoriis [c] luſtratæ ſunt. Quæ quidem ego niſi tam magna eſſe fatear, ut ea vix cujuſquam mens aut cogitatio capere poſſit, amens ſim: ſed tamen ſunt alia majora. Nam bellicas laudes ſolent quidem extenuare verbis, eaſque detrahere ducibus, communicare cum militibus, ne propriæ ſint imperatorum; & certè in armis, militum virtus, locorum opportunitas, auxilia ſociorum, claſſes, commeatus multùm juvant; maximam verò partem quaſi ſuo jure fortuna ſibi vindicat, & quidquid eſt proſperè geſtum, id penè omne ducit ſuum. At verò hujus gloriæ, C. Cæſar, quam es paulò antè adeptus, ſocium habes neminem; totum hoc quantumcunque eſt, quod certè maximum eſt, totum eſt, inquam, tuum; nihil ſibi ex iſtâ laude Centurio, nihil Præfectus, nihil cohors, nihil turma

[c] *pervagatæ.*

8. *Curſibus.*] Hyperbole egregia: vix enim quis has regiones poſſet curſibus peragrare.

10. *Sunt alia majora.*] Intelligit clementiam, quæ omnibus victoriis & rebus bellicis videtur anteponenda; quia tota eſt clementia Cæſaris: at victoriæ & res belli cæ ipſi ſunt cum reliquis belli ducibus & militibus communes, unde ſumunt non nulli occaſionem eas extenuandi.

13. *Imperatorum.*] Imperator dictus eſt, qui ſuis auſpiciis exercitum ducebat, & aliquot hoſtium millia in acie ceciderat. Suetonius ſcribit, Julium Cæſarem Imperatoris prænomen perpetuum, & cognomen Patris patriæ à Senatu acceptiſſe.

Ib. *Et certe in armis.*] Cauſas proferi, ex quibus victoria efficitur.

14. *Commeatus.*] Per commeatum intelligit ea omnia quæ exercitui vel inſtruendo, vel alendo, prorſus neceſſaria ſunt.

15. *Fortuna.*] Fortuna maximè in bellis anceps dicitur; quid enim victoriâ incertius?

17. *At verò hujus gloriæ.*] Apponit diſſimilitudinem, quâ oſtendit laudem clementiæ ſibi propriam Cæſarem vindicare, reſtituendo Senatui Marcellum, quia ipſi unica eſt, nec communis cum aliis.

20. *Centurio.*] Vegetius lib. 2. cap. 8. dicit fuiſſe *Centuriones, qui ſingulas centurias curabant, qui nunc centenarii nominantur.* Centurio vero equitum eſt, & Præfectus peditum dux.

Ib. *Nihil Præfectus.*] Præfecti varii fuerunt; alii legionis, qui propriè judicabant, & qui, abſentibus legatis, tanquam ipſorum vicarii poteſtatem maximam retinebant; alii caſtrorum, ad quos caſtrorum poſitio, valli & foſſæ deſtinatio pertinebat; alii annonæ, qui curabant annonam, & ut equi & veſtes ſemper militibus paratæ eſſent.

Ib. *Cohors.*] Modeſtus & Vegetius in unâ legione Cohortes decem fuiſſe ſcribunt, quarum prima & numero & dignitate militum cæteris præſtabat. Hæc autem ſuſcipiebat Aquilam, quæ præcipuum Romanorum vexillum erat. Hæc habebat pedites mille centum & quinque, cum equitibus loricatis centum triginta duobus, & Cohors milliaria dicebatur, & princeps totius legionis erat, à quâ, cùm ad pugnam veniendum erat, prima acies inſtruebatur. 2. Secunda Cohors habebat pedites 555. & equites 66. & quinquagenaria dicebatur. Tertia tot numerabat pedites, & equites: in quâ validiores probabantur, quia in mediâ erat acie. Quarta pedites 600. & equites 66. Tot in quintâ numerabantur: ſed ſtrenuos quoſque milites exigebat, qui ſicut prima Cohors dextrum, ſic illa ſiniſtrum cornu tenebat; quinque porro illæ cohortes in primâ acie ſtabant.

Sexta Cohors habebat pedites 555. equites 66. illa autem in ſecundâ acie poſt Aquilam ordinabatur. Septima pedites 555. cum equitibus 56. in ſecundâ acie mediâ conſiſtebat. In octavâ, nonâ, & decimâ totidem erant milites.

turma [d] decerpit: quin etiam illa ipſa rerum humanarum domina Fortuna in iſtius ſe ſocietatem gloriæ non offert: tibi cedit; tuam eſſe totam, & propriam fatetur; nunquam enim temeritas cum ſapientiâ commiſcetur, nec ad conſilium caſus admittitur. Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes; ſed ea tamen viciſti, quæ & naturam, & conditionem ut vinci poſſent, habebant; nulla eſt enim tanta vis, [tanta copia] quæ non ferro ac viribus debilitari frangique poſſit: verùm animum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, adverſarium nobilitate, ingenio, virtute præſtantem, non modò extollere jacentem, ſed etiam amplificare ejus priſtinam dignitatem; hæc qui faciat, non ego eum cum ſummis viris comparo, ſed ſimillimum Deo judico. Itaque, C. Cæſar, bellicæ tuæ laudes celebrabuntur illæ quidem non ſolùm noſtris, ſed penè omnium gentium literis atque linguis: neque [e] ulla unquam ætas de tuis laudibus conticeſcet. Sed tamen ejuſmodi res, neſcio quomodo etiam dum audiuntur, aut dum leguntur, obſtrepi clamore mili-

[d] *aſſumit.* [e] *ullum tempus.*

Hæc ultima in ſecundâ acie ſiniſtrum cornu poſſidebat. Licèt illæ majores & præcipuæ legionis partes fuerint, nullæ tamen primis Romanorum temporibus extitere, ut Vegetius ait, cùm nulla earum apud Livium mentio fiat; quare vulgò plerique credunt à Mario primum cohortes inſtitutas fuiſſe.

21. *Turma.*] Turma hinc dicta eſt, quod terdenis equitibus conflabatur: dividebatur autem in decurias, quæ nomen hinc traxit, quod decem equites unaquæque contineret.

23. *Temeritas.*] Temeritas audacia ſine conſilio dicitur: in bellis autem ſæpe temeritas & fortuna dominantur: at in clementia minimè; tota enim ab animi conſilio proficiſcitur.

25. *Domuiſti.*] Redit Cicero ad enumerationem populorum, quos Cæſar ſuperavit, adhibitaque comparatione cum veniâ quam Marcello dedit, longe hanc omnibus aliis præſtantiorem clementiæ victoriam extollit.

Ib. *Barbaras.*] Tales fuerunt Afri, Ægyptii, Britanni, Galli, Germani, Sarmatæ. Dicuntur autem illi populi immanitate barbari, vel propter morum feritatem, vel corporis magnitudinem.

Ib. *Multitudine innumerabiles.*] Legitur Cæſarem in ſolâ Galliâ viciſſe populos quadringentos; ſed nota per tot illos populos, eos nominari, qui ab urbe aliquâ vel breviore aliquo regionis tractu denominabantur, quales bene multi erant, in quâlibet nunc Galliæ provinciâ.

26. *Locis infinitas.*] Varias nationes in variis orbis partibus vicit Cæſar, ut dictum eſt ſuperius.

Ib. *Copiarum genere.*] Præ cæteris populis qui victi ſunt à Cæſare ditiſſimi fuere Galli, Alexandrini, & Hiſpani.

27. *Vinci poſſent.*] Vicit Cæſar populos qui vinci quidem, ſed non ſine maximâ difficultate, poterant. Neque enim omnino inſuperabiles fuerunt.

29. *Animum vincere.*] Redditio eſt diſſimilitudinis. Nam ſi vincere, quæ non facilè vincuntur, glorioſum eſt, longè eſt glorioſius animum vincere, &c.

30. *Adverſarium.*] Marcellum nempe, qui Philoſophiæ ſtudio vir fuit eximius.

31. *Virtute.*] Vulgo nomine virtutis Romani intelligunt fortitudinem, quæ cum reliquis ſuum virtutis nomen communicat.

38. *Obſtrepi clamore.*] Id eſt, ſtrepitu & acclamatione militum ita obrui, ut minùs audiuntur.] Solebant enim illi veteres, ſive quæ belli, ſive quæ domi res malè vel bene geſtæ videbantur, acclamatione vel probare, vel impro-

militum videntur, & tubarum ſono. At verò cùm aliquid clementer, manſuetè, juſtè, moderatè, ſapienter factum, in iracundiâ præſertim, quæ eſt inimica conſilio, & in victoriâ, quæ natura inſolens & ſuperba eſt, aut audimus, aut legimus; quo ſtudio incendimur, non modò in [f] geſtis rebus, ſed etiam in fictis, ut eos ſæpe, quos nunquam vidimus, diligamus? Te verò, quem præſentem intuemur, cujus mentem ſenſuſque & [g] os cernimus, ut, quidquid belli fortuna reliquum reipub. fecerit, id eſſe ſalvum velis, quibus laudibus efferemus? quibus ſtudiis proſequemur? quâ benevolentiâ complectemur? parietes mediusfidius, C. Cæſar, ut mihi videtur, hujus curiæ tibi gratias agere geſtiunt, quòd brevi tempore futura ſit illa auctoritas in his majorum ſuorum, & ſuis ſedibus. Equidem cùm C. Marcelli, viri optimi, & [h] commemorabili pietate [ac virtute] præditi lacrymas modò vobiſcum viderem, omnium Marcellorum meum pectus memoria [i] effodit: quibus tu etiam mortuis, M. Marcello conſervato, dignitatem ſuam reddidiſti, nobiliſſimamque familiam, jam ad paucos redactam, penè ab interitu [k] vindicaſti.

III. Hunc tu igitur diem tuis maximis & innumerabilibus gratulationibus jure antepones; hæc enim res unius eſt propria C. Cæſaris: cæteræ, duce te, geſtæ, magnæ illæ quidem, ſed tamen multo magnoque comitatu; hujus autem rei tu idem & dux es & comes: quæ quidem tanta eſt, ut tropæis, monumentiſque tuis [nulla unquam] allatura ſit finem ætas; nihil enim eſt opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat & conſumat vetuſtas; at verò hæc tua juſtitia, & lenitas animi floreſcet quotidie magis, ita

[f] *rebus veris.* [g] *vultum.* [h] *commemorandâ.* [i] *vulnèravit.* [k] *liberâſti.*

probare. Nota verò quòd illa vox *obſtrepi* paſſivè ſumpta inſolens ac parum uſitata ſit.

45. *Quidquid belli.*] Hic locus ab Ennio deſumptus eſt, qui ſic cecinit, *quorum virtuti belli fortuna pepercit.* Id eſt, qui in bello non interierunt.

47. *Parietes.*] Tranſlatio à rebus animatis, ad res inanimatas, quibus ſenſus ad lætitiam ſignificandam conceditur.

Ib. *Mediusfidius.*] De hoc dictum eſt pro Milone, parag. 16. not. ad l. 8.

49. *Illa auctoritas.*] Reſtitutò Marcello à Cæſare reſtituitur priſtina Senatus auctoritas; quæ tempore bellorum civilium plànè jacuerat.

50. *C. Marcelli.*] Loquitur de Marcello fratre, qui ſupplex ad Cæſarem venit, ut pro hoc Marcello deprecaretur.

1. *Hunc tu igitur diem.*] Laudat Cæſarem à proprio clementiæ ſuæ facto, quod victoriis anteponendum eſt, quia multos comites victoriarum habet, nullos verò clementiæ, quæ ipſius tota eſt.

Ib. *Tuis gratulationibus.*] Ante bella civilia pro rebus feliciter geſtis in Galliâ dierum 25. gratulationes ſeu ſupplicationes Cæſari decretæ ſunt, quod nulli ante contigerat, ut ipſe ait lib. 2. bell. civil. & confectis bellis civilibus dierum 40. ut Dio refert lib. 2.

5. *Tropæis.*] De his dictum Orat. in Piſonem paragr. 15. not. ad l. 35.

Ib. *Monumentiſque.*] Monumentum generaliter res eſt memoriæ causâ in poſterum prodita, in quâ ſi corpus inferatur, fiet ſepulcrum; ſi nihil erat, monumentum memoriæ causâ factum eſt.

8. *Hæc tua juſtitia, & lenitas.*] Utraque

ita ut, quantum operibus tuis diuturnitas detrahet, tantum afferat laudibus. Et cæteros quidem omnes victores bellorum civilium jam ante æquitate & misericordiâ viceras, hodierno verò die te ipsum vicisti. Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi auditu possit, atque ego ipse cogitans sentio. Ipsam victoriam vicisse videris, cùm ea ipsa, quæ illa erat adepta, victis remisisti; nam cùm ipsius victoriæ conditione jure omnes victi occidissemus, clementiæ tuæ judicio conservati sumus; rectè igitur unus invictus es, à quo etiam ipsius victoriæ conditio visque devicta est. Atque hoc C. Cæsaris judicium, P. C. quàm latè pateat, attendite; omnes enim, qui ad illa arma fato sumus nescio quo reipublicæ misero funestoque compulsi, etsi aliquâ culpâ tenemur erroris humani, à scelere certè liberati sumus; nam cùm M. Marcellum, deprecantibus vobis, reipublicæ conservavit, memet mihi & item reipublicæ, nullo deprecante, reliquos amplissimos viros, & sibi ipsos, & patriæ reddidit; quorum & frequentiam & dignitatem hoc ipso in [a] confessu videtis: non ille hostes induxit in curiam, sed judicavit, à plerisque ignoratione potius, & falso atque inani metu, quàm cupiditate aut crudelitate bellum esse susceptum; quo quidem in bello semper de pace agendum, audiendumque esse putavi; semperque do-

[a] *Senatu.*

traque hæc virtus Cæsaris elucet in moderatione animadvertendi.

9. *Operibus tuis.*] Intelligit illa monumenta & tropæa, quæ opere & manu Cæsaris erecta sunt.

10. *Omnes victores bellorum civilium.*] Victores illi bellorum civilium fuere Sylla, Marius, Octavius, Cinna, qui non contenti effuso civium sanguine in bellis, post victoriam multùm iterum effuderunt.

12. *Te ipsum vicisti.*] Vicit semetipsum Cæsar, cùm, odio deposito, quo in Marcellum exarserat, ei pepercit.

13. *Ipsam victoriam vicisse videris.*] Ait Cicero Cæsarem vicisse victoriam, vel quia veniam eis concessit, in quos victoriæ jure animadvertere poterat, vel quia se victorem clementiâ & lenitate animi vicit.

18. *Atque hoc C. Cæsaris judicium.*] Judicium exprimit, quo Marcellus à Cæsare restitutus est.

19. *Ad illa arma fato.*] Ut illos excuset, qui arma Pompeii secuti sunt, fato causam adscribit, cui parere necessariò oportuit, juxta mentem illius temporis philosophorum, qui bellorum civilium discordias plerumque fato tribuebant, ut videre est apud Horatium Epod. 7. *Sic est, acerba fata Romanos agunt.*

21. *Erroris humani.*] Excusat eos qui contra Cæsarem à Pompeio steterunt, quod arbitrarentur in fraudem inducti, eum aliquid contra Remp. moliri, cùm unicè Reipub. & suam dignitatem conservare ac tueri conaretur.

23. *Memet mihi.*] Cicero primùm secutus fuerat Pompeium contra Cæsarem, sed se restitutum putavit, cum Marcellum vidit Reipub. redditum: quia & omnes alii sese restitutos quoque putaverunt; quare omnes animum resumpserunt, atque iterum Reipub. consulere cœperunt.

25. *Non ille.*] Ostendit judicium Cæsaris ex effectis & signis. Fuit autem judicium, quod putabat Cæsar eos non ex malitiâ, sed ex ignorantiâ peccasse, quia eos restituit in Senatum: quos nunquam restituisset, si eos hostes judicasset.

28. *Semper de pace agendum.*] Semper pacis auctor fuit Cicero. Unde lib. 7. Epist. 14. ad Att. *Pacem hortari non desino, quæ vel injusta utilior est, quam justissimum bellum cum civibus.*

lui,

lui, non modò pacem, ſed orationem etiam civium pacem flagi- 30
tantium repudiari. Neque enim ego illa, nec ulla unquam ſecu-
tus ſum arma civilia; ſemperque mea conſilia pacis & togæ ſocia,
non belli atque armorum fuerunt: hominem ſum ſecutus priva-
to officio, non publico: tantumque apud me grati animi fidelis
memoria valuit, ut nullâ non modò [b] cupiditate, ſed ne ſpe qui- 35
dem, prudens & ſciens, tanquam ad interitum ruerem voluntari-
um. Quod quidem meum conſilium minimè obſcurum fuit; nam
& in hoc [c] ordine, integrâ re, multa de pace dixi; & in ipſo
bello eadem etiam cum [d] capitis mei periculo ſenſi. Ex quo jam
nemo erit tam injuſtus rerum [e] æſtimator, qui dubitet, quæ Cæ- 40
ſaris voluntas de bello fuerit, cùm pacis auctores conſervandos
ſtatim cenſuerit, cæteris fuerit iratior. Atque id minùs mirum
videretur fortaſſe tum, cùm eſſet incertus exitus, & anceps [f] for-
tuna belli; qui verò victor pacis auctores diligit, is profectò de-
clarat, ſe maluiſſe non dimicare, quàm vincere. Atque hujus 45
quidem rei M. Marcello ſum teſtis; noſtri enim ſenſus, ut in
pace ſemper, ſic tum etiam in bello congruebant: quoties ego
eum, & quanto cum dolore vidi, cùm inſolentiam certorum ho-
minum, tùm etiam ipſius victoriæ ferocitatem extimeſcentem?
Quo gratior tua liberalitas, C. Cæſar, nobis, qui illa vidimus, 50
debet eſſe; non enim jam cauſæ ſunt inter ſe, ſed victoriæ
com-

[b] *ambitione.* [c] *Senatu.* [d] *vitæ meæ.* [e] *judex.* [f] *victoria dubia.*

31. *Repudiari.*] Cæſar pacis cupidus fuit, Cicero ſuaſor, hanc Pompeius ſemper repudiavit.

34. *Grati animi fidelis memoria.*] Beneficio Pompeii revocatus fuerat ab exilio Cicero, unde eum Cicero ſecutus eſt, non odio Cæſaris, ſed, ut ait lib. 7. Epiſt. Fam. 3. *quia veritus ſum deeſſe Pompeii ſaluti, cùm ille aliquando non defuiſſet meæ.*

36. *Ad interitum ruerem voluntarium.*] De Pompeii victoriâ nunquam bene Cicero ominatus eſt. Primùm quia neque magnas copias, neque bellicoſas: deinde excepto duce, pauciſque principibus, reliquos in bello rapaces, & in oratione crudeles: deinde ampliſſimorum virorum æs alienum, nihil denique boni præter ipſam cauſam Pompeii invenit. Pompeius ſigna tirone & collectitio exercitu cum Cæſaris legionibus robuſtiſſimis contulit; victus turpiſſimè, amiſſis etiam caſtris, ſolus fugit. Hæc Cicero ſcribit Mario lib. 7. Epiſt. 3. Fam.

38. *Integrâ re.*] Id eſt, nondum diviſâ Repub. bellis civilibus.

39. *Ex quo.*] Concluſio totius argumenti ſuperioris, quàm ſic informat: Is pacem amavit, qui præcipuè pacis auctores conſervavit: ſed me pacis auctorem Cæſar conſervavit, igitur pacem amavit.

48. *Inſolentiam certorum hominum.*] Certos dicit, quaſi odioſum eſſet eos appellare; ſed inter eos potiſſimum fuere L. Lentulus, L. Domitius Ænobarbus, Curius, Antonius, qui bellum ſuadebant pacis conditionibus repudiatis.

49. *Ferocitatem extimeſcentem.*] Hîc videtur indicare, fuiſſe utilius Cæſarem, quàm Pompeium, viciſſe; propter eorum crudelitatem & cupiditatem, qui cum Pompeio erant.

51. *Non enim cauſæ.*] Sæpe Cicero cum multis hiſtoricis, ac præcipuè Velleio Paterculo l. 2. Pompeii cauſam multò meliorem fuiſſe aſſeverat. Verùm hîc non agitur de cauſâ, ſed de victoriâ; nam victoria Cæſaris longè moderatior extitit, quàm quæ à Pom-

comparandæ. Vidimus tuam victoriam præliorum exitu terminatam; [g] gladium vaginâ vacuum in urbe non vidimus; quos amiſimus cives, eos Martis vis perculit, non ira victoriæ: ut dubitare debeat nemo, quin multos, ſi fieri poſſet, C. Cæſar ab inferis excitaret; quoniam ex eâdem acie conſervat quos poteſt. Alterius verò partis nihil ampliùs dicam, quàm id, quòd omnes verebamur, nimis iracundam futuram fuiſſe victoriam; quidam enim non modò armatis, ſed interdum etiam otioſis minabantur: nec, quid quiſque ſenſiſſet, ſed ubi fuiſſet, cogitandum eſſe dicebant: [i] ut mihi quidem videantur dii immortales, etiam ſi pœnas à populo Romano ob aliquod delictum expetiverunt, qui civile bellum tantum & tam luctuoſum excitaverunt, vel placati jam, vel etiam ſatiati aliquando omnem ſpem ſalutis ad clementiam victoris & ſapientiam contuliſſe. Quare gaude tuo iſto tam excellenti bono, & fruere cùm fortunâ & gloriâ, tum etiam naturâ & moribus tuis; ex quo quidem maximus eſt fructus jucunditaſque ſapienti; cætera cùm tua recordabere, etſi perſæpè virtuti, tamen plerumque felicitati tuæ gratulabere: de nobis, quos in repub. tecum ſimul ſalvos eſſe voluiſti, quoties cogitabis, toties de maximis tuis beneficiis, toties de incredibili liberalitate, toties de ſingulari ſapientiâ tuâ cogitabis: quæ non modò ſumma bona, ſed nimirum audebo vel ſola dicere; tantus eſt enim ſplendor in [k] laude verâ, tanta in magnitudine animi & conſilii dignitas, ut hæc à virtute donata, cæ-

[g] *vaginam vacuam gladio.* [h] *ferociorem.* [i] *ita ut.* [k] *virtute.*

peio fuiſſet relata, propter eorum ſuperbiam & ferocitatem, quos ſecum habebat.

52. *Vidimus.*] Probat ab effectu moderationem Cæſarianæ victoriæ, quia poſt eam nemo occiſus eſt, ſed ſuis hoſtibus pepercit Cæſar.

54. *Eos Martis vis perculit.*] Si qui ceciderunt in victoriâ Cæſaris, ceciderunt illi armati. Non verò poſt prælium & victoriam interfecti ſunt, ulciſcente ſe victore.

57. *Alterius verò partis.*] A parte Pompeii ſi ſtetiſſet victoria, plena illa fuiſſet crudelitatis; Pompeiani enim eos pro hoſtibus habebant, qui ſecum unà non eſſent, etiam ſi ſecuti Cæſarem non eſſent; at Cæſar eos tantùm oppugnabat, qui contra eſſent armati, ut dicetur in Ligarianâ; & patet ex Epiſt. 9. ad Marcellum hunc lib. 4. ad Fam.

59. *Otioſis.*] Otioſos hiç dicit, qui neutrius partis fuerunt.

65. *Ad clementiam.*] Mirificè hîc adulatur Cæſari. Ait enim divinâ providentiâ factum eſſe, ut clementi victori victoria concederetur, tum ut populum Rom. ulciſcerentur, tum ut Cæſaris clementiam dii nobilitarent.

66. *Excellenti bono.*] Vocat Cæſaris clementiam bonum excellens.

68. *Cætera cùm tua recordabere.*] Id eſt, omnes victorias à te relatas, & populos ſubactos.

73. *Summa bona.*] Summum & ſolum differunt; ſummum enim bonum in comparatione eorum dicitur, quæ minora ſunt; ſolum bonum ſine comparatione dicitur. Alludit autem ad Peripateticorum & Stoicorum dogmata. Peripatetici ſummum bonum in animi, corporis & fortunæ bonis, Stoici verò in unâ virtute collocabant.

75. *Donata.*] Quæ donantur virtute non poſſunt eripi, quia virtus æterna.

tera à fortunâ commodata esse videantur. Noli igitur in conservandis bonis viris defatigari, non cupiditate præsertim, aut pravitate aliquâ lapsis, sed [m] opinione officii, stulta fortasse, certè non improba, & specie quâdam reipublicæ: non enim tua ulla culpa est, si te aliqui timuerunt; contraque summa laus, quod plerique minimè timendum fuisse senserunt.

[m] *errore.*

76. *Commodata.*] Quæ commodantur, dantur tantùm ad tempus, quia fluxa est fortuna & caduca.

79. *Specie quâdam Reipub.*] Credebant videlicet, qui Pompeium secuti sunt, id ab eis exigere Reipub. conservandæ dignitatem; qui eam à Cæsare censebant oppugnari.

80. *Si te aliqui timuerunt.*] Qui cum Pompeio fuerunt, timuerunt Cæsarem.

Ib. *Plerique.*] Judicarunt fere omnes nihil post victoriam pertimescendum esse à Cæsare, cognitâ tantâ illâ clementiâ ejus, & mansuetudine in condonandis injuriis.

SECUNDA PARS.

In quâ diluit insidiarum suspiciones.

IV. Nunc verò venio ad graviſſimam querelam, & atrociſſimam ſuſpicionem tuam; quæ non tibi ipſi magis, quàm cum omnibus civibus, tum maximè nobis, qui à te conſervati ſumus, [a] providenda eſt; quam etſi ſpero eſſe falſam, nunquam tamen verbis extenuabo: tua enim cautio noſtra cautio eſt; ut, ſi in alterutro peccandum ſit, malim videri nimis timidus, quàm parum prudens: ſed quiſnam eſt iſte tam demens? de tuiſne? tametſi qui magis ſunt tui, quàm quibus tu ſalutem inſperantibus reddidiſti? an ex eo numero, qui unà tecum fuerunt? non eſt credibilis tantus in ullo furor, ut, quo duce omnia ſumma ſit adeptus, hujus vitam non anteponat ſuæ. At ſi tui nihil cogitant ſceleris; cavendum eſt, ne quid inimici: qui? omnes enim qui fuerunt, aut ſuâ pertinaciâ vitam amiſerunt, aut tuâ miſericordiâ retinuerunt: ut aut nulli ſuperſint de inimicis, aut, qui ſuperfuerunt, amiciſſimi ſint. Sed tamen, cum in animis hominum tantæ latebræ

[a] *cavenda.*

1. *Ad graviſſimam querelam.*] Cùm ſe abjecit Marcelli frater Marcellus ad pedes Cæſaris, de ejuſdem Marcelli acerbitate graviter conqueſtus eſt Cæſar, dixitque ſe aliquid ab eo inſidiarum metuere.

5. *Tua enim cautio.*] Dicit Cicero, quod ſi diligenter ſibi caveri Cæſar, omnibus quoque eâdem operâ cavebit; & ſi illi aliquid mali acciderit, omnibus id quoque accidet.

Ib. *In alterutro.*] In timore nempe, vel ſecuritate.

7. *Tam demens?*] Qui ſc. tibi inſidiaretur.

ſint, & tanti receſſus, augeamus ſane ſuſpicionem tuam: ſimul enim augebimus & diligentiam; nam quis eſt omnium tam ignarus rerum, tam rudis in repub. tam nihil unquam nec de ſuâ, nec de communi ſalute cogitans, qui non intelligat, tuâ ſalute contineri ſuam? & ex unius tuâ vitam pendere omnium? Equidem de te dies noctesque, ut debeo, cogitans, caſus duntaxat humanos & incertos eventus valetudinis, & naturæ communis fragilitatem extimeſco; doleoque cum reſpublica immortalis eſſe debeat, eam in unius mortalis animâ conſiſtere: ſi verò ad humanos caſus, incertoſque eventus valetudinis, ſceleris etiam accedat, inſidiarum, que conſenſio; quem deum, etiam ſi cupiat, opitulari poſſe reipublicæ credamus? Omnia ſunt excitanda tibi, C. Cæſar, uni, quæ jacere ſentis, belli ipſius impetu, quod neceſſe fuit, perculſa atque proſtrata: conſtituenda judicia, revocanda fides, comprimendæ [b] libidines, propaganda ſoboles: omnia, quæ dilapſa defluxerunt, ſeveris legibus [c] vincienda ſunt. Non fuit recuſandum in tanto bello civili, tantoque animorum ardore & armorum, quin quaſſata reſpublica, quicunque belli eventus fuiſſet, multa perderet & ornamenta dignitatis, & præſidia ſtabilitatis ſuæ; multaque uterque dux faceret armatus, quæ idem togatus fieri prohibuiſſet: quæ quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda ſunt, quibus præter te mederi nemo poteſt. Itaque illam tuam præclariſſimam & ſapientiſſimam vocem invitus audivi, ſatis te diu vel naturæ vixiſſe, vel gloriæ: ſatis, ſi ita vis, naturæ fortaſſe; addo etiam, ſi placet, gloriæ; at, quod maximum eſt, patriæ certe parùm. Quare omitte, quæſo, iſtam doctorum hominum in contemnendâ morte prudentiam; noli noſtro periculo ſapiens eſſe; ſæpe enim venit ad aures meas, te idem iſtud nimis crebrò dicere, ſatis te tibi vixiſſe; credo:

[b] *improbitates.* [c] *firmanda.*

27. *Omnia ſunt excitanda tibi.*] Hîc Cicero hortatur Cæſarem, ut Reipublicæ formam & dignitatem reſtituat, quæ bellis civilibus tota jacuerat.

29. *Fides.*] Id eſt, creditæ pecuniæ ſolutio.

30. *Propaganda ſoboles.*] Tranſlatio ſumpta à plantis. Curabant diligentiſſimè Romani, ut ſoboles augeretur, ut civium multitudinem haberent.

33. *Quicunque belli eventus fuiſſet.*] Sive Pompeius viciſſet, ſive Cæſar.

35. *Togatus.*] Toga inſigne fuit pacis.

36. *Belli vulnera.*] Intelligit incommoda, quæ bellorum civilium tempore paſſa fuit Reſpub.

37. *Itaque illam tuam.*] Venit ad ſecundam illam partem orationis quam habuit Cæſar in Senatu, ubi poſtquam conqueſtus eſt de Marcelli acerbitate, & de ſuſpicione inſidiarum, dixit demum vixiſſe ſe ſatis; hanc verò propoſitionem Cicero refellendam ſuſcipit.

39. *Vel naturæ vixiſſe.*] Jam quinquageſimum quartum ætatis annum agebat Cæſar.

41. *Iſtam doctorum hominum.*] Non eſt dubium quin hîc de Stoicis Philoſophis loquatur, qui de contemnendâ morte acriter diſputant.

44. *Te tibi vixiſſe.*] Suetonius cap. 86. in Julio refert Cæſarem ſuſpicionem quibuſdam ſuorum reliquiſſe, neque voluiſſe ſe diutiùs vivere, neque curaſſe, quòd valetudine minùs proſperâ uteretur.

ſed

ſed tum id [d] audirem, ſi tibi ſoli viveres, aut ſi tibi etiam ſoli natus eſſes; nunc, cùm omnium ſalutem civium, cunctamque rempublicam res tuæ geſtæ complexæ ſint, tantum abes à perfectione maximorum operum, ut fundamenta, quæ cogitas, nondum jeceris. Hic tu [e] modum tuæ vitæ, non ſalute reipublicæ, ſed æquitate animi definies? quid, ſi iſtud ne gloriæ quidem tuæ ſatis eſt? cujus te eſſe avidiſſimum, quamvis ſis ſapiens, non negabis. Parùmne igitur, inquies, gloriam magnam relinquemus? immo verò aliis, quamvis multis, ſatis; tibi uni parùm; quidquid enim eſt, quamvis amplum ſit, id certe parùm eſt tum, cùm eſt aliquid amplius. Quod ſi rerum tuarum immortalium, C. Cæſar, hic exitus futurus fuit, ut, devictis adverſariis, rempublicam in eo ſtatu relinqueres, in quo nunc eſt? vide, quæſo, ne tua divina virtus admirationis plus ſit habitura, quàm gloriæ: ſiquidem gloria eſt illuſtris ac pervagata multorum & magnorum vel in ſuos, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama [f] meritorum. Hæc igitur tibi [g] reliqua pars eſt: hic reſtat actus: in hoc elaborandum eſt, ut rempublicam conſtituas, eâque tu in primis, cum ſummâ tranquillitate & otio, perfruare: tum te, ſi voles, cum & patriæ, quod debes, ſolveris, & naturam ipſam expleveris ſatietate vivendi, ſatis diu vixiſſe dicito. Quid eſt enim omnino hoc ipſum diu, " in quo eſt aliquid extremum, quod cùm venerit, omnis voluptas præterita pro nihilo eſt, quia poſtea nulla futura ſit? quanquam iſte tuus animus nunquam [i] his anguſtiis, quas natura nobis ad vivendum dedit, contentus fuit: ſemper immortalitatis amore flagravit. Nec vero hæc tua vita dicenda eſt, quæ corpore & [k] ſpiritu continetur: illa inquam, illa vita eſt tua, Cæſar, quæ vigebit memoriâ ſæculorum omnium, quam poſteritas alet, quam ipſa æternitas ſemper tuebitur; huic tu inſervias, huic te oſtentes oportet: quæ quidem quæ

[d] *crederem.* [e] *finem.* [f] *beneficiorum.* [g] *reſtat.* [h] *quod habet aliquem finem.* [i] *hac brevitate,* [k] *reſpiratione.*

58. *Admirationis plus, quàm gloriæ.*] Plus admirationis habebat Cæſar propter res feliciter ubique geſtas, & triumphos ubique reportatos; minùs vero gloriæ, quia Rempub. bellis civilibus labefactatam omnino priſtinæ dignitati non reſtituit.

61. *Hic reſtat actus.*] Verbum iſtud *actus* tranſlatum eſt à comœdiâ. Itaque hic reſtat actus tanquam cataſtrophe in comœdiâ, ut omnia reſtituantur, & habeant lætum exitum.

65. *Satis diu.*] Dixerat Cæſar in ſuâ oratione, ſatis ſe diu vixiſſe: jam hanc vocem refutat Cicero, & explicat oſtendendo in hac voce *diu* erraſſe: quod enim habet finem non eſt diu; nihil autem eſt in rebus humanis, quod non habeat finem; ergo nihil eſt quod ſit diu. Quare Cæſar dicere non poteſt, ſe ſatis diu vixiſſe.

67. *Pro nihilo eſt.*] Voluptas præterita nullo loco habenda eſt, quia non ſentitur.

74. *Huic tu inſervias.*] Significat Cæſari huic immortalitati comparandæ dare operam Rempub. conſtituendo.

Ib. *Oſtentes.*] Debet Cæſar oſtendere æternitati, qualis, quantuſque fuerit in Repub. adminiſtrandâ.

miretur

miretur jampridem multa habet; nunc, etiam quæ laudet exspectet: obstupescent posteri certe Imperia, Provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos; sed nisi hæc urbs stabilita tuis consiliis & institutis erit, vagabitur [m] modò nomen tuum longè atque latè; sedem quidem stabilem, & domicilium certum non habebit. Erit inter eos etiam, qui nascentur, sicut inter nos fuit, magna dissensio; cùm alii laudibus ad cœlum res tuas gestas efferent, alii fortasse aliquid requirent, idque vel maximum, nisi belli civilis incendium salute patriæ restinxeris: ut illud fati fuisse videatur, hoc consilii. Servi igitur iis etiam judicibus, qui multis post seculis de te judicabunt, & quidem [n] haud scio an incorruptiùs, quàm nos; nam & sine amore, ut sine cupiditate, & rursus sine odio, & sine invidiâ judicabunt. Id autem etiam si tunc ad te, ut quidem falsò putant, non pertinebit, nunc certe pertinet, te esse talem, ut tuas laudes obscuratura nulla unquam sit oblivio. Diversæ voluntates civium fuerunt, distractæque sen-

[m] *tantummodo.* [n] *ut arbitror, incorruptiùs.*

76. *Imperia.*] Cæsar imperator fuit in Galliâ, Britanniâ, Germaniâ, & Africâ, quò duxit exercitus.

Ib. *Provincias.*] Cæsari decreta fuit Hispania post Prætoram; post Consulatum Gallia.

Ib. *Rhenum.*] Primus Rhenum fluvium ponte commisit, & cum exercitu transivit, domuitque Germanos quos hic alluit fluvius.

77. *Oceanum.*] Primus cum classe transivit in Britanniam, quæ oceano continetur.

Ib. *Nilum.*] Superavit regem Ptolomæum in Ægypto. Nilus autem alluit Ægyptum.

Ib. *Pugnas innumerabiles.*] De his superiùs dictum parag. II. l. 4.

Ib. *Incredibiles victorias.*] Præter civiles victorias undecies centum & nonaginta duo millia hominum in præliis occidit. Sed nulla illustrior, quàm quæ ab eo de Vercingetorige ad Alesiam relata est, quem cum trecentis hominum millibus superavit.

78. *Monumenta.*] Cæsari post civilem victoriam honores ut deo tributi sunt. Monumenta & statuæ in templis posita sunt & locis publicis, per tribus, municipia, & regiones Romanis amicas. Vide Appianum lib. 2. de bello civili.

Ib. *Munera.*] Post victoriam imperator militibus qui bene rem gesserant dabat munera, quæ congiaria dicebantur. Possunt etiam intelligi Epulæ, Venationes, Ludi Scenici, & Theatrales populo exhibiti, qui nomine munerum significabantur.

Ib. *Triumphos.*] Quinquies Cæsar triumphavit de Galliâ, de Ponto, Ægypto, Africâ, Hispaniâ. Vide Velleium Paterc. lib. 2.

85. *Ut illud fati fuisse.*] Posteri fato Reip. hæc bella civilia tribuent.

Ib. *Hoc consilii.*] Respub. restituta tribuetur Cæsaris prudentiæ.

86. *Iis judicibus.*] Intelligit posteros, qui incorruptiùs judicabunt de Cæsare, quàm qui illius ætate vivunt.

89. *Id autem.*] Hîc leviter perstringit Cæsarem, qui, ut testatur Sallustius, non credidit post mortem hominum animos esse immortales.

90. *Non pertinebit.*] Mortuo corpore & animo nihil homines sentiunt. Loquitur ex mente Cæsaris.

92. *Diversæ voluntates civium.*] In bellis civilibus alii Pompeium, alii Cæsarem secuti sunt.

Ib. *Distractæ sententiæ.*] Alii causam Cæsaris meliorem, alii Pompeii credidérunt.

tentiæ;

tentiæ; non enim conſiliis ſolùm & ſtudiis, ſed armis etiam & caſtris diſſidebamus. Erat autem [o] obſcuritas quædam, erat certamen inter clariſſimos duces: multi dubitabant, quid optimum eſſet; multi, quid ſibi expediret; multi, quid deceret; nonnulli etiam, quid liceret. [p] Perfuncta reſpublica eſt hoc miſero fatalique bello: vicit is, qui non [q] fortunâ inflammaret odium ſuum, ſed bonitate leniret; nec qui omnes, quibus iratus eſſet, eoſdem etiam exilio, aut morte dignos judicaret: arma ab aliis poſita, ab aliis erepta ſunt. Ingratus eſt injuſtuſque civis, qui armorum periculo liberatus, animum tamen retinet [r] armatum: ut etiam ille ſit melior, qui in acie cecidit, qui in causâ animam profudit; quæ enim pertinacia eſt quibuſdam, eadem aliis conſtantia videri poteſt. Sed quia jam omnis fracta diſſenſio eſt armis, & extincta æquitate victoris; reſtat, ut omnes [s] unum velint, qui modò habent aliquid non ſolùm ſapientiæ, ſed etiam ſanitatis. Niſi te, C. Cæſar, ſalvo, & in iſtâ ſententiâ, quâ cùm antea, tum hodie vel maximè uſus es, manente, ſalvi eſſe non poſſumus. Quare omnes te, qui [t] hæc ſalva eſſe volumus, & hortamur, & obſecramus, ut vitæ, ut ſaluti tuæ conſulas: omneſque tibi (ut pro aliis etiam loquar, quod de me ipſe ſentio) quoniam ſubeſſe aliquid putas, quod cavendum ſit, non modò excubias & cuſtodias, ſed etiam laterum noſtrorum [u] oppoſitus & corporum pollicemur.

[o] *error.* [p] *liberata.* [q] *victoriâ.* [r] *hoſtilem.* [s] *conſentiant.* [t] *Rempublicam ſalvam.* [u] *oppoſitiones.*

100. *Aut morte.*] Fauſtum Syllæ filium, Afranium, & L. Cæſarem juvenem Cæſar ne volens quidem interfecit.

Ib. *Arma ab aliis poſita.*] Victo Pompeio, alii omnino quieverunt; alii pertinaciter arma retinuerunt, & ſecuti ſunt Catonem & Scipionem in Africam: quibus victis, arma detracta ſunt.

103. *In causâ.*] Id eſt, cùm poſt victoriam res agitatur, & ſontes puniuntur.

109. *Tum hodie.*] Id eſt, hoc ipſo die quo Marcellus à Cæſare Reipublicæ redditus eſt.

113. *Subeſſe aliquid.*] Id eſt, aliquas tibi inſidias obſcurè parari.

Ib. *Excubias & cuſtodias.*] Cuſtodiæ ad diem, & excubiæ ad noctem pertinent, juxta illud Propertii: *Romulus excubias decrevit in otia ſolvi.*

114. *Laterum noſtrorum.*] Plutarchus in vitâ Cæſaris ait, obſecraviſſe eum amicos, ut præſidio corpus muniret: cùmque ad id operam multi amicorum pollicerentur facere noluiſſe. Dicebat enim ſatius eſſe mori ſemel, quàm aſſiduâ expectatione pendere.

PERORATIO.

Gratias agit Cæſari pro Marcello reſtituto; redditque rationes, cur cæteris tacentibus potiſſimùm ipſe dixerit.

V. Sed ut, unde eſt orſa, in eodem terminetur oratio mea; maximas

mas tibi gratias agimus, C. Cæſar, majores etiam habemus. Nam omnes idem ſentiunt, quod ex omnium precibus & lacrymis [a] ſentire potuiſti. Sed quia non eſt ſtantibus omnibus neceſſe dicere, à me certè dici volunt, cui neceſſe eſt quodammodo, & quod volunt, & quod, M. Marcello à te huic ordini populoque Romano & Reipublicæ reddito, præcipuè id à me fieri debere intelligo; nam lætari omnes, non ut de [b] unius ſolùm, ſed ut de communi omnium ſalute, ſentio: quod autem ſummæ benevolentiæ eſt, quæ mea erga illum omnibus ſemper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo & amantiſſimo fratri, præter eum quidem cederem nemini; cum id ſolicitudine, curâ, labore, tamdiu præſtiterim, quamdiu eſt de illius ſalute dubitatum; certè hoc tempore magnis curis, moleſtiis, doloribus liberatus præſtare debeo. Itaque, C. Cæſar, ſic tibi gratias ago, ut omnibus me rebus à te non conſervato ſolùm, ſed etiam ornato, tamen ad tua innumerabilia in me unum merita, quod fieri jam poſſe non arbitrabar, maximus [c] hoc tuo facto cumulus acceſſerit.

[a] *videre.* [b] *Marcelli.* [c] *Marcello reſtituto.*

16. *Ornato.*] Cæſar priſtinam Ciceroni dignitatem reſtituerat.

PRO

PRO

Q. LIGARIO,

Ad C. Cæsarem.

ARGUMENTUM.

Quintus Ligarius, civis Romanus, cum C. Considio legatus in Africam fuerat profectus. Decedente provinciâ Considio, Ligarius invitus Africæ præfectus est. Bellum interim Cæsarem inter & Pompeium exarsit. A Pompeio verò Attius Varus missus est, ut Africam occuparet. Paulò post, dum in Africâ Ligarius adhuc esset, L. Tubero, cum filio Q. Tuberone, in eam provinciam à Senatu, rei frumentariæ causâ, mittitur. Is à Q. Ligario & Varo non recipitur, ita ut nec filium ægrotum in littore poni pateretur. Pulsus igitur Tubero in Macedoniam, ad Pompeium concessit, ubi etiam adversus Cæsarem arma tulit. Victo autem Pompeio, se ad Cæsarem adjunxit, eumque est ad bellum Alexandrinum & Africanum secutus. Itaque finitis bellis civilibus, cùm multis Cæsar peperciisset, duo Ligarii fratres, T. Brocchus ejus avunculus, & C. Pansa, aliique Ligarii propinqui & amici, sæpe Cæsarem precati fuerunt, ut Ligario ignosceret. Quod cùm animadverteret, Q. Tubero Lucii filius, cujus patri Cæsar pepercerat, injuriæ nondum oblitus, Ligarium in foro apud Cæsarem accusavit, ut ab eo Cæsaris clementiam averteret.

PERSONÆ.

Reus Q. Ligarius, accusator Q. Tubero, patronus Cicero, Judex Cæsar, apud quem causa agitur.

TEMPUS.

Habita est hæc Oratio anno urbis conditæ 707. Julio Cæsare tertium, M. Æmilio Cos. Ciceronis verò 61.

GENUS CAUSÆ.

In genere judiciali est: accusatus enim defenditur à Cicerone Ligarius.

STY-

STYLUS.

Acutus eſt & ſubtilis, & in mediocri dicendi genere; ſuavitate enim condita eſt hæc Oratio, & iis figuris quæ ſuavitatem afferunt.

PARTES.

Quatuor ſunt, Exordium, Narratio, Contentio, & Peroratio.

EVENTUS.

Plutarchus in Ciceronis vitâ refert, Cæſarem dixiſſe, cum Cicero Ligarii patrocinium ſuſcepit, Quid eſt cauſæ cur Ciceronem orantem non audiamus? nam reum quidem hominem improbum & hoſtem eſſe, jampridem certum eſt. Ubi verò Cicero ingreſſus eſt dicere, mirificos motus concitavit: nam oratio viſa fuit tum affectibus varia, tum venuſtate admirabilis. Perſpicuè cognitum aiunt, varios colores Cæſaris vultum ſubiiſſe, ejuſque animum omnibus modis fuiſſe commutatum: ac tandem cum Pharſalici prælii mentionem facere cœpiſſet, immodicis perturbationibus incitatum corpore contremuiſſe, & libellos quoſdam è manu ejeciſſe. Victus igitur orationis vi, Ligarium crimine liberavit.

EXORDIUM.

Totum iſtud Exordium ironicum eſt.

I. NOVUM crimen, C. Cæſar, & ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Q. Ligarium in

NOTÆ.

1. *Novum crimen.*] Ironia eſt, ut vult Aquila, & cum eo ferè Interpretes, quâ videlicet Cæſar in rem minùs novam, tanquam novam ſe intenderet.

Ib. *C. Cæſar.*] Plutarchus quæſt. Rom. 31. ait quod *Caius* idem ſit ac dominus, ſeu paterfamilias. Unde in matrimoniis quæ per coëmptionem fiebant, uſitatum fuit, ut dicerent, Ubi tu Caius, & ego Caia; quibus verbis, ut Plutarchus ſcribit, quaſi paciſcitur ſibi commune cum viro dominium mulier, & par imperium domi; ac ſi diceret: *Ubi tu es familiæ princeps & dominus, ego familiæ princeps ſum & domina.*

Ib. *Cæſar.*] Cæſaris nomen à cæſo matris utero dixit Accurſ. in præfat. inſtitit. dictione, *Imperator:* cui aſtipulatur Servius Virgilii interpres. Primum illud nomen datum eſt Scipioni Africano, ab Elephanto, quem occidit in prælio; qui linguâ Maurorum *Cæſa* dicitur; vel etiam quòd matre mortuâ, cæſo ventre, vel quòd longâ cæſarie ſit natus; vel quòd cæſios oculos habuerit, id eſt, glaucos. Briſſonius in Lex. L. Ælium Verum primum eo nomine appellatum tradit, motus auctoritate Spartiani, qui in vitâ ejus ſic ſcribit: huic naturalis pater fuit L. Ælius Verus, *qui ab Hadriano adoptatus primus Cæſar dictus eſt.* Unde patet, non ſoli Juliæ genti hoc nomen proprium fuiſſe.

Ib. *Inauditum.*] Inauditum dicit, quia novum; nam accuſatores Ligarii factum tanquam grande & ſingulare aliquod ſcelus extulerant: ironicè ſemper loquitur.

2. *Q. Tubero.*] Tubero orator fuit veram

in Africâ fuiſſe: id C. Panſa, præſtanti vir ingenio, fretus fortaſſe eâ familiaritate quæ eſt ei tecum, auſus eſt confiteri. Itaque quò me vertam neſcio; paratus enim veneram cùm tu id neque per te ſcires, neque audire aliunde potuiſſes ut ignoratione tuâ ad hominis miſeri ſalutem abuterer. Sed quoniam diligentiâ inimici inveſtigatum eſt id, quod latebat, confitendum eſt, ut opinor: præſertim cùm meus [a] neceſſarius C. Panſa fecerit, ut id jam integrum non eſſet: omiſsâque controverſiâ omni, oratio ad miſericordiam tuam conferenda eſt, quâ plurimi ſunt conſervati, cùm à te non liberationem culpæ, ſed [b] errati veniam impetraviſſent. Habes igitur, Tubero, quod eſt accuſatori maximè optandum, confitentem reum: ſed tamen ita confitentem, ſe in eâ parte fuiſſe, quâ te, Tubero, quâ virum omni laude dignum patrem tuum. Itaque priùs de veſtro delicto confiteamini neceſſe eſt, quàm Ligarii ullam culpam reprehendatis.

[a] *amiciſſimus.* [b] *imprudentiæ.*

verum cum victus à Cicerone in hac causâ fuiſſet, ita laudem eloquentiæ deſperavit, ut è foro ſe ad jus civile tranſtulerit; quæ fuerit autem cum Tuberonibus Ciceroni propinquitas, non apparet ex aliquo auctore. [*Dicebatur Tubero ſororem Ciceronis duxiſſe uxorem*, ut refert Vet. Scholiaſtes in locum.]

1. *In Africâ fuiſſe.*] Hac voce, *fuiſſe*, utitur, ne offendat Cæſaris animum. De Jubâ rege, & Afris, tacet, quibus ſe contra Cæſarem adjunxerat.

Ib. *C. Panſa.*] Hic Panſa celebris fuit Orator, qui quondam apud Ciceronem declamaverat, & qui jam egerat pro Ligario. Is fuit ſummâ auctoritate apud Cæſarem, & quo, poſt Pharſalicam pugnam, multi qui Pompeium ſecuti fuerant, deprecatore uſi ſunt. Is poſtea anno urbis conditæ 709. Conſul cum Hirtio in pugnâ Mutinenſi interfectus eſt.

4. *Itaque quò me vertam.*] Dubitatio Ironica, quâ conqueritur ſibi rationem negandi facti ereptam eſſe, quâ ſe uti voluiſſe ſimulat.

5. *Cum tu id.*] Neſciebat Cæſar in Africâ fuiſſe Ligarium.

8. *Inimici.*] Id eſt, Tuberonis, qui Ligarium accuſavit. Ironia.

Ib. *Quod latebat.*] Non latebat illud crimen, ſed Tubero ſibi perſuadebat latere. Pergit in Ironiâ.

10. *Integrum non eſſet.*] Integrum id dicitur, quod jure hoc vel illo modo facere vel dicere quis poteſt.

Ib. *Controverſiâ.*] Controverſia tunc eſſe dicitur, cum unus negat, & alter affirmat; aut jure factum eſſe dicitur, vel non. Si quis autem fateatur, aut deprecetur, jam omnis eſt ſublata controverſia: quare cum negari non poſſet à Cicerone, in Africâ fuiſſe Ligarium, totam ſuam orationem ad miſericordiam Cæſaris refert.

12. *Liberationem culpæ.*] Multi qui Pompeium ſecuti fuerant, negare ſuum factum cum non poſſent, erratum confitendo, veniam obtinuerunt à Cæſare.

15. *Fuiſſe, quâ te.*] Ligarius neceſſitate coactus in Africâ, ut dictus eſt in Argumento; at Tubero pater & filius voluntate remanſerunt: in quo gravius peccaverunt.

NARRATIO.

II. Q. igitur Ligarius, cùm eſſet adhuc nulla belli ſuſpicio,

legatus in Africam cum proconſule C. Conſidio profectus eſt: quâ in legatione & civibus & ſociis ita ſe probavit, ut decedens Conſidius provinciâ ſatisfacere hominibus non poſſet, ſi quemquam alium provinciæ præfeciſſet. Itaque Q. Ligarius, cùm diu recuſans nihil profeciſſet, provinciam accepit invitus: cui ſic præfuit in pace, ut & civibus & ſociis gratiſſima eſſet ejus [a] integritas & fides. Bellum ſubitò exarſit: quod, qui erant in Africâ, ante audierunt geri, quàm parari; quo audito, partim cupiditate inconſideratâ, partim cæco quodam timore, primò ſalutis, pòſt etiam ſtudii ſui, quærebant aliquem ducem: cùm Ligarius [b] domum ſpectans, & ad ſuos redire cupiens, nullo ſe implicari negotio paſſus eſt. Interim P. Attius Varus, qui Prætor Africam obtinuerat, Uticam venit: ad eum ſtatim concurſum eſt; atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium: ſi illud imperium eſſe potuit, quod ad privatum, clamore multitudinis imperitæ, nullo publico conſilio defe-

[a] *abſtinentia.* [b] *cupiens domum* redire.

2. *Legatus.*] Legatus, qui vices gereret Proconſulis, vel Prætoris, cum Proconſule vel Prætore mittebatur in provinciam.

Ib. *In Africam.*] Cùm Carthago à Scipione Africano Æmiliano deleta eſſet, anno urbis conditæ 617. pars illa Africæ in provinciam redacta fuit, ut Velleius narrat; eique de more tributum à Romanis, & Romanæ leges impoſitæ ſunt; & miſſus Prætor, & Proconſul qui eam regeret.

Ib. *Proconſule Conſidio.*] Non legitur Conſidius Conſul fuiſſe; itaque intelligendum eſt hîc, non quòd Conſul fuerit, ſed quòd cum imperio Conſulari miſſus fuerit à Senatu in Africam; mittebantur enimvero non tantùm Conſulares aut Conſules, ſed & Prætores & Prætorii cum imperio Conſulari in provincias. Sic Cicero lib. 1. de Legibus, de L. Gellio ait, *Pro conſule ex Prætură in Græciam veniſſe.*

3. *Civibus.*] Intelligit hîc nomine civium illos Romanos qui in Africâ negotiabantur.

Ib. *Sociis.*] Socii dicebantur, qui communi fœdere cum Romanis jungebantur.

5. *Alium provinciæ præfeciſſet.*] Si Proconſules vel Prætores provinciâ decederent antequam ſucceſſor adveniſſet, tum legatum vel quæſtorem provinciæ præficiebant, ſed potius quæſtorem, qui hæc alia dignitas ſuperior erat.

8. *Bellum ſubito exarſit.*] Utitur hac voce, *exarſit*, ſumpta metaphora à flammâ, quo meliùs illius belli civilis pernicies oſtendatur, quod Cæſarem inter & Pompeium exortum eſt, & quidem tam ſubitò ut ne expectatis quidem Tranſalpinis legionibus, cum quinque peditum millibus Rubiconem trajecerit.

11. *Studii ſui.*] Cum ſtudio quodam inclinaret Ligarius in Pompeium, hunc ducem optabat; quia, victo Cn. Domitio, quondam Africæ res compoſuerat.

13. *P. Attius Varus.*] Attius Varus tum privatus, amiſſis ſuis ad Auximum cohortibus, ex fugâ in Africam venit, & eam occupavit; quam paucis ante annis Prætor obtinuerat.

14. *Uticam.*] Utica urbs eſt Africæ, quam Phœnices condidêre, quæ nunc Biſerta dicitur; à quâ Cato Uticenſis dictus eſt, quòd ibi violentas ſibi manus intulit.

15. *Arripuit imperium.*] Cùm Uticam veniſſet Varus ille, ibi collegit exercitum ſibique imperium exercitûs, & poteſtatem adminiſtrandi Africam vindicavit.

16. *Si illud imperium.*] Dictum corrigit, quia imperium magiſtratûs lege Curiatâ privati ſenatuſconſulto accipiebant.

reba-

rebatur. Itaque Ligarius, qui omne tale negotium cuperet effugere, paulùm adventu Vari conquievit. Adhuc, C Cæsar, Q. Ligarius omni culpa vacat: domo est egressus, non modo nullum ad bellum, sed ne ad minimam quidem suspicionem belli: legatus in pace profectus, in provincia pacatissima ita se gessit, ut ei pacem esse expediret. Profectio certe animum tuum non debet offendere; num igitur remansio? multo minus: nam profectio voluntatem habuit non turpem, remansio etiam necessitatem honestam. Ergo hæc duo tempora carent crimine: unum, cum est legatus profectus; alterum, cum efflagitatus à provincia, præpositus Africæ est. Tertium est tempus, quo post adventum Vari in Africa restitit; quod si est criminosum, necessitatis crimen est, non voluntatis. An ille si potuisset illinc ullo modo evadere, Uticæ potius quam Romæ; cum P. Attio, quàm cum concordissimis fratribus; cum alienis esse, quam cum suis maluisset? cum ipsa legatio plena desiderii ac solicitudinis fuisset, propter incredibilem quendam fratrum amorem, hic æquo animo esse potuit, belli diffidio distractus à fratribus?

19. *Conquievit.*] Non impulsus fuit deinceps ad accipiendum illius provinciæ imperium, quia sibi illud Varus assumpserat.

Ib. *Q. Ligarius omni culpa vacat.*] Immiscet commonitionem Orator, ut Cæsar diligenter attendat & observet, nihil peccavisse Ligarium.

20. *Domo est egressus.*] Id est, ex urbe Roma.

25. *Necessitatem honestam.*] Habuit necessitatem Ligarius remanendi in Africa, tum quia jussus est à Considio, à quo illi Provinciæ præfectus est; tum quia ab omnibus Afris petebatur.

26. *Duo tempora.*] Primum est quo Roma profectus est; secundum, quo remansit in Africa.

CONTENTIO.

III. Nullum igitur habes, Cæsar, adhuc in Q. Ligario signum alienæ à te voluntatis; cujus ego causam, animadverte, quæso, quâ fide defendam, cum prodo meam. O clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentisque decorandam! M. Cicero apud te defendit, alium ih ea voluntate non fuisse, in qua se ipsum confitetur fuisse; nec [a] tuas tacitas cogitationes extimescit; nec, quid [b] tibi de alio audienti de seipso occurrat, reformidat. Vide, quam non reformidem: vide, quanta [c] lux liberalitatis & sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur; quantum potero, voce

[a] *quid cogites* de eo. [b] *cum audies de alio.* [c] *laus.*

3. *Cum prodo meam.*] Cicero fatetur se in eadem causa fuisse, qua Ligarius quem defendit.

4. *Monumentis.*] In Oratione pro Marcello dictum est, quid sit monumentum.

10. *Oboriatur.*] Id est, ex insperato oriatur.

contendam, ut hoc populus Romanus exaudiat. Suſcepto bello, Cæſar, geſto etiam ex magna parte, nulla vi coactus, judicio meo ac voluntate ad ea arma profectus ſum, quæ erant ſumpta contra te. Apud quem igitur hoc dico? nempe apud eum, qui, cum hoc ſciret, tamen me, antequam vidit, reipublicæ reddidit: qui ad me ex Ægypto literas miſit, ut eſſem idem qui fuiſſem: qui, cum ipſe imperator in toto imperio populi Romani unus eſſet, eſſe me alterum paſſus eſt: à quo, hoc ipſo C. Panſa mihi nuncium perferente, conceſſos faſces laureatos tenui, quoad tenendos putavi: qui mihi tum denique ſe ſalutem putavit reddere, ſi eam nullis ſpoliatam ornamentis redderet. Vide, quæſo, Tubero, ut qui de meo facto non dubitem dicere, de Ligarii non audeam confiteri. Atque hæc propterea de me dixi, ut mihi Tubero, cum de ſe eadem dicerem, igno-

11. *Suſcepto bello.*] Libere Cicero ſuum factum confitetur, ut inde clementiam Cæſaris extollendo, ejus animum Ligario conciliet; cum enim jam ex magna parte bellum illud civile geſtum eſſet, pulſo ex Italia Pompeio, & profecto in Hiſpaniam Cæſare, Cicero trajecit in Græciam ad Pompeium, ut refert Plutarchus, & ut ex epiſt. Cic. ad Att. patet.

15. *Reipub. reddidit.*] Victo debellatoque Pompeio, permiſit Ciceroni Cæſar ut rediret in patriam.

16. *Ex Ægypto literas miſit.*] Cæſar, poſt victum Pompeium, venit in Ægyptum, ubi novem menſes fuit, Appian. lib. 2. Hinc per Philotimum ſcripſit ad Ciceronem, cujus literas laudat, lib. 14. famil. Epiſt. ult. Oraverat autem Cicero Atticum per literas, ut ipſe ad Balbum, Panſam, & Hirtium ſcriberet, ut pro ſe Cæſarem deprecarentur, quia apud eum valebant familiaritate.

Ib. *Ut eſſem idem qui fuiſſem.*] Permiſit Cæſar ut Cicero ſuam priſtinam dignitatem, quam fuerat ante bellum aſſecutus, retineret.

17. *Qui, cum ipſe imperator.*] Duces nomine imperatoris decorabantur ab exercitu, communi militum conſenſu, qui illos dignos imperio judicabant. Hæc autem appellationis dignitas iis concedebatur, qui decem hominum millia cecidiſſent.

18. *Me alterum paſſus eſt.*] Cicero, Ser. Sulpicio & M. Marcello Coſſ. in Ciliciam Proconſul miſſus eſt; ubi vicit Armenios, & Pindeniſſum urbem cepit. Geſſit etiam bellum cum latronibus, qui Amanum montem tenebant, qua de cauſa à militibus Imperator appellatus eſt. Anno ſequente, L. Paullo & C. Marcello Coſſ. è provincia in Italiam reverſus eſt, & urbem acceſſit, cum jam Lentulo & Marcello Coſſ. bellum civile conflatum eſſet; ſed quia non urbem ingreſſus eſt, imperium retinuit, & Proconſul remanſit. Tamdiu enim imperium retinebant, quoad Romam ingreſſi eſſent. Habemus autem, ex lib. epiſt. ad Atticum nono, epiſtolam tempore belli civilis ſcriptam ad Ciceronem, cujus ſalutatio ſic inſcribitur: *L. Cornelius Balbus M. Tullio Ciceroni Imperatori ſalutem.* Et lib. 10. *Cæſar Imperator M. Tullio Ciceroni Imperatori ſalutem.*

19. *Faſces laureatos.*] Proconſules ſex lictores habuerunt; qui ipſis faſces cum ſecuribus præferebant, ſontesque virgis cædebant, & ſecuri feriebant, ut refert Plutarchus in Rom. Qui autem Imperatores fuerant appellati, inſignia laureæ faſcibus adjungebant.

20. *Quoad tenendos putavi.*] Tenuit ſuos lictores Cicero uſque ad menſem Octobrem, Cæſare iterum Dictatore, quo tempore ad portam eos abjecit, & urbem ingreſſus eſt, poſtquam eos cum imperio annos quatuor tenuiſſet.

22. *Vide, quæſo, Tubero.*] Per Epiphonema ad Tuberonem convertit orationem ſuam, & ait, ſi de ſuo facto non dubitat confiteri, & ipſi ignovit Cæſar, quidni Ligarii factum quoque auſit confiteri, ut eidem ignoſcat?

ſceret;

sceret; cujus ego induſtriæ gloriæque faveo, vel propter propinquam cognationem, vel quod ejus ingenio ſtudiiſque delector, vel quod [d] laudem adoleſcentis propinqui exiſtimo etiam ad meum aliquem fructum redundare. Sed hoc quæro, quis putet eſſe crimen fuiſſe in Africa Ligarium? nempe is, qui & ipſe in Africa eſſe voluit, & prohibitum ſe à Ligario queritur, & certe contra ipſum Cæſarem eſt congreſſus armatus. Quid enim, Tubero, tuus ille diſtrictus in acie Pharſalica gladius agebat? cujus latus ille mucro petebat? qui ſenſus erat armorum tuorum? quæ tua mens? oculi? manus? ardor animi? quid cupiebas? quid optabas? Nimis urgeo: commoveri videtur adoleſcens; ad me revertar; iiſdem in armis fui: quid autem aliud egimus, Tubero, niſi ut, quod hic poteſt, nos poſſemus? Quorum igitur impunitas, Cæſar, tuæ clementiæ laus eſt, eorum ipſorum ad crudelitatem te [e] acuet oratio? Atque in hac cauſa nonnihil equidem, Tubero, etiam tuam, ſed multo magis patris tui, prudentiam deſidero: quod homo cùm ingenio, tum etiam doctrina

[d] *ex laude percipere me aliquem fructum.* [e] *incitabit.*

25. *Vel propter propinquam cognationem.*] Ex materno genere aliquam cum Cicerone cognationem habuit Tubero.

26. *Studiiſque delector.*] Studebat eloquentiæ Tubero, & cauſas agebat, quas victus à Cicerone deſeruit.

27. *Vel quod laudem.*] Cum Cicero & Tubero operam darent eloquentiæ, hac ſe mutua ſtudiorum ſimilitudine amabant.

28. *Sed hoc quæro.*] Incipit jam criminationem refutare.

29. *Nempe is.*] Tubero, in quem criminationem eandem rejicit, qui non ſolum in Africa fuit, ſed & eſſe voluit; & prohibitum ſe fuiſſe queritur à Ligario portu & oppido, cum huc venit, rei frumentariæ cauſa miſſus à Senatu; quare Tubero pulſus à Ligario, venit in Macedoniam ad caſtra Pompeii.

31. *Quid enim, Tubero.*] Confirmat Cicero criminationem in Tuberonem à fine & conſilio armorum quæ cepit contra Cæſarem. Ita autem hac amplificatione Cæſaris animum permovit, ut Cæſar, quaſi elatus iracundia contra Tuberonem, libellos, quos in manu habebat, abjiciens, innuerit Ciceroni, quaſi omnia daturus & conceſſurus quæ peteret pro Ligario.

32. *Diſtrictus.*] Contra Cæſarem nempe tunc pugnavit pro Pompeio.

Ib *In acie Pharſalica.*] Pharſalus Theſſaliæ oppidum eſt à Pharſalo Acriſii filio denominatus. Hinc Pharſalicum prælium quod Cæſarem inter & Pompeium commiſſum eſt verſus Enipeum fluvium. Vide Appianum, lib. 2.

Ib. *Cujus latus.*] Cæſaris nempe. Nota porro quod punctim hoſtem ferire contendebant.

35. *Commoveri videtur adoleſcens.*] Cum Cæſar commoveretur hac oratione, Cicero hanc commotionem transfert in Tuberonem.

36. *Iiſdem in armis fui.*] Fuit quidem in caſtris Pompeii Cicero, cum certatum eſt; ſed non pugnavit, propter infirmam valetudinem, ut Plutarchus ſcribit, & ipſe Cicero Epiſt. 18. lib. 9.

37. *Quod hic poteſt.*] Id eſt, nos in acie Pharſalica id egimus, ut Cæſarem poſſemus interficere: hic autem nunc nos poteſt.

Ib. *Quorum igitur.*] Jam dirigit orationem ad Cæſarem.

40. *Patris tui prudentiam.*] Arguit jam patris temeritatem in accuſando Ligario, quæ utcunque ferenda eſſet in filio, quem junior ætas excuſare poteſt.

41. *Doctrina excellens.*] Excelluit Tubero filius juris doctrina: Tubero vero pater hiſtoriæ cognitione, ut indicat Cicero in Epiſt. ad Q. fratrem,

excellens, genus hoc cauſæ quod eſſet, non viderit; nam ſi vidiſſet, quovis profectò, quam iſto modo à te agi maluiſſet. Arguis fatentem: non eſt ſatis; accuſas eum qui cauſam habet, aut, ut ego dico, meliorem quam tu; aut, ut tu vis, parem. Hæc non modo mirabilia ſunt, ſed prodigii ſimile eſt, quod dicam. Non habet eam vim iſta accuſatio, ut Q. Ligarius condemnetur, ſed ut necetur: hoc egit civis Romanus ante te nemo; externi iſti mores uſque ad [f] ſanguinem incitare ſolent odium aut levium Græcorum, aut immanium barbarorum. Nam quid aliud agis? ut Romæ ne ſit? ut domo careat? ne cum optimis fratribus, ne cum hoc T. Broccho avunculo ſuo, ne cum ejus filio conſobrino ſuo, ne nobiſcum vivat? ne ſit in patria? num eſt? num poteſt magis carere his omnibus, quàm caret? Italia prohibetur, exulat. Non tu ergo hunc patria privare, quâ caret, ſed vita, vis. At iſtud ne apud eum quidem Dictatorem, qui omnes, quos oderat, morte multabat, quiſquam egit iſto modo: ipſe jubebat occidi, nullo [g] poſtulante: præmiis etiam invitabat; quæ tamen crudelitas ab hoc eodem aliquot annis poſt, quem tu nunc crudelem eſſe vis, vindicata eſt. Ego vero iſtud non poſtulo, inquies: ita mehercule exiſtimo, Tubero; novi enim te, novi patrem tuum, novi domum, nomenque veſtrum: ſtudia denique generis, ac familiæ veſtræ, virtutis, humanitatis, doctrinæ plurimarum artium atque optimarum, nota ſunt mihi omnia: itaque certo ſcio, vos non petere ſanguinem: ſed parum attenditis; res enim

[f] *mortem.* [g] *accuſante.*

45. *Meliorem.*] Melior fuit cauſa Ligarii, quàm Tuberonis; quia Ligarius invitus remanſit in Africa, Tubero verò volens nec coactus.

47. *Condemnetur.*] Condemnatio ſumebatur pro quovis pœnæ genere, quo quis, excepta morte, multabatur.

48. *Externi iſti mores.*] Oſtendit, Tuberonem longe abeſſe à moribus Romanorum, qui humanitate pleni ſunt; ſed eos ſumpſiſſe à Græcis, qui & leves ſunt, & crudeles, neque facile ſuis civibus parcunt.

52. *T. Broccho.*] Brocchus cognomen fuit Furiæ familiæ, ut obſervat Abrahamus; quod nomen inditum eſſe ait à vitio corporis, nempe ab ore producto, & dentibus prominentibus.

Ib. *Conſobrino.*] Conſobrinus hic vocatur qui ex matris ejus fratre natus eſt. Natos autem ex fratre & ſorore Juriſconſulti amitinos vocant: at Trebatius eos quoque conſobrinos vocat, ut ſcribit Paulus lib. D. ultimo, de Gradibus.

56. *Dictatorem.*] Syllam intelligit, qui poſt victoriam de Marianis, & finito C. Marii & Carbonis Conſulatu, Dictaturam invaſit.

58. *Præmiis invitabat.*] Multos proſcripſit Sylla, & duo talenta pro morte cujuſque propoſuit.

59. *Ab hoc eodem.*] Cæſar legem tulit, qua inter Sicarios haberentur illi, qui in proſcriptione ob relata civium Romanorum capita pecunias ex ærario acceperant. Suetonius in Julio.

Ib. *Aliquot annis.*] Annis 17.

61. *Mehercule.*] Jurandi adverbium; id eſt, *per Herculem.*

62. *Generis.*] Tuberones è genere ſive gente Æliorum fuerunt, è qua extitere Pæti, Lamiæ, & Tuberones, qui præ cæteris eruditionis laude floruerunt, quorum alii philoſophi, alii oratores, alii juriſperiti, alii hiſtorici fuerunt.

co

eo [h] ſpectat, ut ea pœna, in qua adhuc Q. Ligarius ſit, non videamini eſſe contenti: quæ eſt igitur alia, præter mortem? ſi enim in exilio eſt, ſicuti eſt, quid amplius poſtulatis? an, ne ignoſcatur? hoc vero multo acerbius, multoque eſt gravius; quod nos domi petimus precibus & lacrymis, proſtrati ad pedes, non tam noſtræ cauſæ fidentes, quam hujus humanitati, id ne impetremus [i] pugnabis? & in noſtrum fletum irrumpes? & [k] nos jacentes ad pedes ſupplicum voce prohibebis?

IV. Si, cum hoc domi faceremus, quod & fecimus, & ut ſpero, non fruſtra fecimus, tu derepente irrupiſſes, & clamare cœpiſſes, C. CÆSAR, cave credas, cave ignoſcas, cave te fratrum pro fratris ſalute obſecrantium miſereat; nonne omnem humanitatem exuiſſes? quanto hoc durius, quod nos domi petimus, id à te in foro oppugnari? & in tali miſeria multorum perfugium miſericordiæ tollere? Dicam plane, C. Cæſar, quod ſentio: ſi in hac tanta tua fortuna [a] lenitas tanta non eſſet, quantum [b] tu per te, per te, inquam, obtines, (intelligo quid loquar) acerbiſſimo luctu redundaret iſta victoria; quam multi enim eſſent de victoribus qui te crudelem eſſe vellent, cum etiam de victis reperiantur? quam multi, qui, cùm à te nemini ignoſci vellent, impedirent clementiam tuam, cùm etiam ii, quibus ipſe ignoviſti, nolint te in alios eſſe miſericordem? Quod ſi probare Cæſari poſſemus, in Africa Ligarium omnino non fuiſſe: ſi honeſto & miſericordi mendacio ſaluti civis calamitoſi [c] conſultum eſſe vellemus: tamen hominis non eſſet, in tanto diſcrimine & periculo civis, refellere & coarguere noſtrum mendacium: & ſi eſſet alicujus, ejus certe non eſſet, qui in eadem cauſa & fortuna fuiſſet. Sed tamen aliud eſt [d] errare Cæſarem nolle, aliud nolle miſereri: tum diceres, Cave, Cæſar, credas; fuit in Africa Ligarius; tulit arma contra te; nunc quid dicis? Cave ignoſcas. Hæc nec hominis, nec ad hominem vox eſt: quâ qui apud te, C. Cæſar, utetur, ſuam citius abjiciet humanitatem, quam extorquebit tuam. Ac primus aditus, & poſtu-

[h] *tendit.* [i] *impedies.* [k] *non permittes ſupplicare.* [a] *clementia.* [b] *natura tua.* [c] *conſulere.* [d] *decipi.*

70. *Domi petimus.*] Nempe primum in domo Cæſaris, deinde jam in foro, ubi hæc cauſa agitur.

1. *Si, cum hoc domi.*] A minori amplificat inhumanitatem Tuberonis, atque ita concludit; ſi nos ſupplicare domi Cæſaris impedires, certe eſſes dicendus inhumanus: at in foro ſupplicantes oppugnas, ergo multo es inhumanior.

Ib. *Quod & fecimus.*] Venerunt enim apud Cæſarem ut pro Ligario deprecarentur.

3. *C. Cæſar.*] Proſopopœia.

6. *In tali miſeria multorum.*] Eos indicat qui Pompeium ſecuti ſunt, quorum una ſpes eſt reditûs in Cæſaris clementia.

11. *De victis.*] Inter victos fuere Tuberones, nam erant in caſtris Pompeii: & eſt argumentum à minore ad majus.

24. *Ac primus aditus.*] Poſtquam crudelitatem Tuberonis inſecutus eſt, proponit crimen quod ab illo objectum

postulatio Tuberonis hæc, ut opinor, fuit, velle se de Q. Ligarii scelere dicere: non dubito, quin admiratus sis, vel quod de nullo alio quisquam, vel quod is qui in eadem causa fuisset, vel quidnam novi facinoris adferret. Scelus tu illud vocas, Tubero? cur? isto enim nomine illa adhuc causa caruit: alii errorem appellant, alii timorem: qui durius, spem, cupiditatem, odium, pertinaciam: qui gravissime, temeritatem: scelus, præter te, adhuc nemo. Ac mihi quidem, si proprium & verum nomen nostri mali quæratur, fatalis quædam calamitas incidisse videtur, & improvidas hominum mentes occupavisse: ut nemo mirari debeat, humana consilia divinâ necessitate esse superata. Liceat esse miseros, quanquam hoc victore esse non possumus: sed non loquor de nobis: de illis loquor, qui [e] occiderunt; fuerint [f] cupidi, fuerint irati, fuerint pertinaces: sceleris vero crimine, furoris, parricidii liceat Cn. Pompeio mortuo, liceat multis aliis carere. Quando hoc quisquam ex te, Cæsar, audivit? aut tua quid aliud arma voluerunt, nisi à te contumeliam propulsare? quid egit tuus ille invictus exercitus, nisi ut suum jus tueretur, & dignitatem tuam? quid? tu cum pacem esse cupiebas, id-ne agebas, ut

[e] *mortui sunt.* [f] *ambitiosi.*

est statim ab orationis principio, quam habuit contra Ligarium Tubero. Ostenditque crimen seu scelus non esse appellandum.

25. *Postulatio.*] Antequam nomen alicujus deferretur, potestas à Prætore petebatur; atque hæc postulatio nominis delationem præcedebat. Unde Cicero in Divinatione in Verrem, *Nuper cum in P. Vatinium vir fortissimus & innocentissimus L. Piso delationem nominis postularet.* Deferre vero nomen est reum aliquem facere.

26. *De nullo alio.*] Qui nempe Pompeium secutus fuisset.

29. *Alii errorem.*] Putabant bene multi specie Reipublicæ decepti, meliores esse partes Pompeii, quam Cæsaris.

30. *Alii timorem.*] Verebantur alii ne nimia Cæsaris potentia in Tyrannidem desiceret.

Ib. *Spem.*] Nam alii certo certius sperabant fore ut Pompeius tot victoriis illustris nova potiretur.

Ib. *Cupiditatem.*] Alii non dubitabant quin, si Pompeio cederent, multa bona & magistratus obtinerent.

Ib. *Odium.*] Alii odio flagrabant in Cæsarem.

Ib. *Pertinaciam.*] Quia cum semper in superioribus bellis Pompeio adhæsissent, nolebant jam ab eo recedere.

31. *Temeritatem.*] Inconsulta belli gerendi cupiditate abripiebantur alii.

32. *At mihi quidem.*] Postquam protulit, quid de illo bello civili homines judicarent, jam suum interponit judicium, & totam mali causam ad fatalem necessitatem refert. Nam, ut dictum est in Orat. pro Marcello, omnia bella civilia fatis adscribebant.

36. *Hoc victore.*] Cæsare.

38. *Irati.*] Cæsari videlicet.

39. *Parricidii.*] Non reus tantum parricidii dicebatur, qui patrem interemisset, sed qualemcunque hominem, ut Festus ait.

41. *Contumeliam propulsare.*] Contumelia triplici affectus est Cæsar, ut lib. 1. comment. ejus intelligitur: 1. quod cum per decennium ei fuisset administratio Galliarum credita, successor ei datus sit ante tempus. 2. quod decedenti Galliis & petenti Consulatum, ei denegatus sit. 3. quod recusato ei triumpho voluerit Senatus, ut suæ administrationis rationem redderet.

43. *Pacem esse cupiebat.*] Semper ad pacem Cæsar inclinavit. Nam ante civile

ut tibi cum ſceleratis, an ut cum bonis civibus conveniret? Mihi vero, Cæſar, tua in me maxima merita tanta certe non viderentur, ſi me ut ſceleratum à te conſervatum putarem. Quomodo autem tu de republica benè meritus eſſes, ſi tot ſceleratos incolumi dignitate eſſe voluiſſes? Seceſſionem tu illam exiſtimaviſti, Cæſar, initio, non bellum: non hoſtile odium, ſed civile diſſidium, utriſque cupientibus rempub. ſalvam, ſed partim conſiliis, partim ſtudiis, à communi utilitate aberrantibus. Principum dignitas erat pene par; non par fortaſſe eorum, qui ſequebantur: cauſa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte, quod probari poſſet: nunc melior certe ea judicanda eſt, quam etiam dii adjuverint; cognita vero clementia tua, quis non eam victoriam probet, in qua occiderit nemo, niſi armatus?

V. Sed ut omittam communem cauſam, veniamus ad noſtram. Utrum tandem exiſtimas facilius fuiſſe, Tubero, Ligarium ex Africa exire, an vos in Africam non venire? Poteramus-ne, inquies, cum Senatus cenſuiſſet? ſi me conſulis, nullo modo; ſed tamen Ligarium Senatus idem legaverat. Atque ille eo tempore paruit, cum parere

vile bellum eam petiit, ut ipſe narrat lib. 3. de bello civili, & patet ex ejus Epiſt. ad Oppium Cornelium, quæ extat lib. 9. ad Att. Ep. 8. & ipſe Cic. lib. 6. ad famil. ad Cæcinnam, ubi de Cæſaris & Pompeii bello loquitur: *Admirari ſoleo gravitatem, & juſtitiam, & ſapientiam Cæſaris; qui nunquam niſi honorificentiſſime Pompeium appellat: at in ejus perſonam multa fecit aſperius; armorum iſta, & victoriæ facta ſunt, non Cæſaris.*

44. *Ut tibi cum ſceleratis.*] A probitate Cæſaris, non ſcelus eſſe appellandum contendit, quia non eſſet paſſus ſceleratos in urbe, multo minus cum iis pacem habuiſſet.

45. *Mihi vero.*] Alia ratio cur ſcelus non ſit. Hanc à ſe deſumit Cicero: quia ſi eum tanquam ſceleratum conſervaſſet, non tanti æſtimaret Cæſaris in ſe merita.

48. *Seceſſionem.*] Ex Budæo *dicitur in bello ſeceſſio, quod defectionem dicimus.*

49. *Non bellum.*] Bellum proprie geritur contra externos hoſtes jure gentium.

50. *Diſſidium.*] Per hanc vocem *diſſidium*, & animorum diſſenſio, & corporum disjunctio notatur.

Ib. *Utriſque.*] Tum Pompeiani, cum Cæſariani, ſalvam eſſe Remp. volebant.

52. *Principum dignitas.*] Principes tunc erant in Repub. Pompeius & Cæſar. Pompeius dignitate & factis ſuperior erat Cæſare, at Cæſar Pompeio æquitate cauſæ, ſiquidem eam dii victoria comprobarunt.

55. *Cognita vero clementia.*] A clementia quam exhibuit Cæſar, commendat ejus victoriam.

1. *Communem cauſam.*] Intelligit eam cauſam, quæ ad omnes Pompeianos pertinet.

Ib. *Ad noſtram.*] Id eſt, ad Ligarii cauſam, de qua nunc agitur.

2. *Utrum tandem.*] Jam comparat Ligarii cauſam cum cauſa Tuberonis: Utrum ſcilicet Ligarius meliorem habuerit cauſam in Africa manendi, quam Tubero in eam navigandi. Sic autem utramque comparat, ut juſtiorem fuiſſe Ligarii oſtendat.

3. *Poteramus-ne.*] Introducit loquentes duos Tuberones, qui dicebant ſe Senatus auctoritate in Africam veniſſe.

5. *Senatus idem legaverat.*] Id eſt, Ligarius Senatuſconſulto venerat legatus in Africam; etſi enim Proconſules ſibi legatos aſſumerent, tamen de iis erat per unum Conſulum referendum ad Senatum, qui conſtituebat, quid ea de re ſibi placeret.

Senatui neceſſe erat: vos tunc paruiſtis, cum paruit nemo qui noluit. Reprehendo igitur? minime vero; neque enim licuit aliter veſtro generi, nomini, familiæ, diſciplinæ; ſed hoc non concedo, ut, quibus rebus gloriemini in vobis, eaſdem in aliis reprehendatis. Tuberonis ſors conjecta eſt ex S. C. cum ipſe non adeſſet, morbo etiam impediretur: ſtatuerat [ſe] excuſare. Hæc ego novi propter communes neceſſitudines, quæ mihi ſunt cum L. Tuberone: domi unà eruditi, militiæ contubernales, poſt affines, in omni denique vita familiares: magnum etiam vinculum, quòd iiſdem ſemper ſtudiis uſi ſumus. Scio igitur Tuberonem domi manere voluiſſe, ſed ita quidam agebant, ita reipublicæ ſanctiſſimum nomen opponebant, ut etiam ſi aliter ſentiret, verborum tamen ipſorum pondus uſtinere non poſſet; ceſſit auctoritati ampliſſimi viri, vel potius paruit: unà eſt profectus cum iis, quorum erat [a] una cauſa: tardius iter fecit: itaque in Africam venit jam occupatam. Hinc in Ligarium crimen oritur, vel ira potius; nam ſi crimen eſt prohibere illum voluiſſe, non minus magnum eſt, vos Africam, omnium provinciarum arcem, natam ad bellum contra hanc urbem gerendum, obtinere voluiſſe, quàm aliquem ſe imperatorem eſſe maluiſſe. Atque is tamen aliquis Ligarius non fuit. Varus imperium ſe habere dicebat: faſces certe habebat. Sed quoquo modo ſe illud habeat, hæc querela veſtra,

[a] *eadem,*

7. *Neque enim licuit.*] Non improbat Cicero quod Tuberones paruerunt Senatui, ſed probat juſtiorem habuiſſe cauſam Ligarium manendi in Africa, eos autem nullam Ligarium reprehendendi.

10. *Tuberonis ſors.*] Fatetur Tuberonem patrem non aliqua cupiditate aut ambitione obtinuiſſe Africam, ſed ſortitione juxta leges decernendi provincias. Hanc autem obtinere debuiſſe Tuberonem Cæſar ipſe lib. 1. de bello civili declarat.

13. *Domi una eruditi.*] Eruditi fuerunt Tubero & Cicero in urbe Roma, in eadem ſchola.

Ib. *Contubernales.*] Ex Vegetio lib. 2. de re militari cap. 13. *Centuriæ in contubernia diviſæ ſunt, ut decem militibus ſub uno papilione degentibus unus præeſſet decanus, qui caput contubernii nominatur.* Hinc autem inter milites familiaritates naſcebantur. Contubernales autem fuerunt in bello Marſico, quod & Italicum & Sociale dictum eſt; eo bello Cicero in exercitu Cn. Pompeii Strabonis Conſulis tiro fuit, ut refert ipſe Cic. Phil. 12.

Ib. *Poſt affines.*] Affinitas per nuptias contrahitur, ut docet Modeſtinus in lib. 4. D. de Gradibus; ſorte autem uxor Tuberonis è genere Tullio fuit.

16. *Sanctiſſimum nomen opponebant.*] Excuſat Tuberonem, qui inductus fuit ad illud bellum ſpecie Reipublicæ, cujus jura defendere ſe Pompeian: jactabant.

18. *Ampliſſimi viri.*] Pompeii partes Senatus tuebatur.

21. *Occupatam.*] A Varo.

22. *Prohibere illum voluiſſe.*] In argumento de hoc dictum.

23. *Arcem.*] Aptiſſima fuit Africa ad inferendum populo Romano bellum; hinc enim tria bella Punica eruperunt.

26. *Faſces certe habebat.*] De faſcibus dictum ſuperius. Præferebantur Dictatoribus, Conſulibus, & Prætoribus, velut ſui Magiſtratus inſignia.

Tube-

Tubero, quid valet? recepti in provinciam non ſumus: quid, ſi eſſetis? Cæſari-ne eam traditurі fuiſſetis, an contra Cæſarem retenturi? Vide quid licentiæ, Cæſar, nobis tua liberalitas det, vel potius audaciæ. Si reſponderit Tubero, Africam, quo Senatus eum ſorſque miſerat, tibi patrem ſuum traditurum fuiſſe: non dubitabo apud ipſum te, cujus id eum facere interfuit, graviſſimis verbis ejus conſilium reprehendere; non enim ſi tibi ea res grata fuiſſet, eſſet etiam probata. Sed jam hoc totum omitto, non tam ut ne offendam tuas [b] patientiſſimas aures, quam ne Tubero, quod nunquam cogitavit, facturus fuiſſe videatur. Veniebatis igitur in Africam provinciam, unam ex omnibus [c] huic victoriæ maxime infeſtam: in qua erat rex potentiſſimus, inimicus huic cauſæ, aliena voluntas, conventus firmi atque magni: quæro, quid facturi fuiſſetis? quanquam quid facturi fueritis non dubitem, eum videam quid feceritis. Prohibiti eſtis in provincia veſtra pedem ponere; & prohibiti, ut perhibetis, ſumma cum injuria: quomodo id tuliſtis? acceptæ injuriæ querelam ad quem detuliſtis? nempe ad eum, cujus auctoritatem ſecuti in ſocietatem belli veneratis. Quòd ſi Cæſaris cauſa in provinciam veniebatis, ad eum profectò excluſi provincia veniſſetis: veniſtis ad Pompeium; quæ eſt hæc ergo apud Cæſarem querela, eum eum accuſetis, à quo queramini vos prohibitos contra Cæſarem bellum gerere? Atque in hoc quidem vel cum mendacio, ſi vultis, gloriari per me licet, vos provinciam fuiſſe Cæſari tradituros, etiamſi à Varo & quibuſdam aliis prohibiti eſſetis; ego autem confitebor, culpam eſſe Ligarii, qui vos tantæ laudis occaſione privaverit. Sed vide, quæſo, C. Cæſar, conſtantiam ornatiſſimi viri L. Tuberonis: quam ego, quamvis ipſe probarem, ut probo, tamen non commemorarem, niſi à te cognoviſſem imprimis eam virtutem ſolere laudari. Quæ fuit igitur unquam in ullo homine tanta conſtantia?

[b] *attentiſſimas.* [c] *Cæſarię.*

28. *Recepti in provinciam non ſumus.*] Querelam occupat Tuberonum, qui à Ligario aditu in Africam prohibiti ſunt.

29. *Cæſari-ne.*] Reſpondet autem jam orator, nempe quod illam provinciam Pompeio non Cæſari ſervaſſent, imo potius inde eum oppugnaſſent.

31. *Quo Senatus.*] Id eſt, quò ex Senatuſconſulto, ſortitione facta, miſſus erat.

33. *Cujus id eum.*] Id eſt, cui utile fuit Africam provinciam à Tuberone tradi.

34. *Ejus conſilium.*] Tradendi videlicet Cæſari provinciam, quam à Senatu acceperat.

39. *Rex potentiſſimus.*] Juba Rex Mauritaniæ, devicto Pompeio, viciſſim ipſe in Africa ſuperatus eſt. Is autem infenſiſſimus erat dignitati Cæſaris.

40. *Conventus firmi.*] Ita Feſtus de conventu: *Conventus uno modo intelligitur, cum à Magiſtratibus judicii cauſa populus congregatur.* Hi autem potiſſimum in Italiæ præfecturis, tum etiam in provinciis fiebant.

45. *Nempe ad eum.*] Pompeio Africam tradere voluiſſe Tuberones conſtat.

con-

constantiam dico? nescio an melius patientiam possem dicere: quotus enim istud quisque fecisset, ut, a quibus partibus in dissensione civili non esset receptus, essetque etiam cum crudelitate ejectus, ad eas ipsas rediret? magni cujusdam animi, atque ejus viri est, quem de suscepta causa propositaque sententia nulla contumelia, nulla vis, nullum periculum possit depellere. Ut enim caetera paria Tuberoni cum Varo fuissent, honos, nobilitas, splendor, ingenium, quae nequaquam fuerunt; hoc certe praecipuum Tuberonis fuit, quod justo cum imperio ex S. C. in provinciam suam venerat; hinc prohibitus, non ad Caesarem, ne iratus; non domum, ne iners; non aliquam in regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus esset, videretur: in Macedoniam ad Cn. Pompeii castra venit, in eam ipsam causam a qua erat rejectus cum injuria. Quid? cum ista res nihil commovisset [a] ejus animum, ad quem veneratis, languidiore, credo, studio in causa fuistis: tantummodo in praesidiis eratis, animi vero a causa abhorrebant. An, ut fit in bellis civilibus, nec in vobis magis, quam in reliquis, omnes vincendi studio tenebamur? pacis equidem semper auctor fui; sed tum sero; erat enim amentis, cum aciem videres, pacem cogitare. Omnes, inquam, vincere volebamus; tu certe praecipue, [b] qui in eum locum venisses, ubi tibi esset pereundum, nisi vicisses: quanquam, ut nunc se res habet, non dubito quin hanc salutem anteponas illi victoriae. Haec ego non dicerem, Tubero, si aut vos constantiae vestrae, aut Caesarem beneficii

[a] *Pompeii.* [b] gratum.

66. *Justo cum imperio.*] Justum imperium dicitur, quod ex Senatusconsulto datum est.

67. *Ad Caesarem.*] Tubero non venit ad Caesarem, ne iratus videretur Pompeio.

68. *Aliquam in regionem.*] Qua in regione nullius armorum tumultus, nullum bellum esset.

72. *Credo.*] Ironice loquitur, neque enim coacti in castra Pompeii venerant Tuberones, sed ita concitati, ut contra Caesarem pugnarent.

73. *In praesidiis eratis.*] Non ad castra profecti fuerant Pompeii Tuberones, ut tantum essent in illius praesidio, sed revera ut acie pugnarent.

75. *Pacis equidem semper auctor fui.*] Argumento à minore ac majori & à se sumpto ostendit Cicero summam fuisse in Tuberone vincendi cupiditatem. Nam licet Cicero semper pacis auctor fuisset, tamen ardebat vincendi cupiditate: ergo majori Tuberones, qui [illegible] Pompeium adjuvabant. Quod autem pacem semper suaserit, patet tum ex Plutarcho, qui refert [illegible] de pace [illegible] Caesarem, [illegible] Pompeium [illegible] eam acceptavit, [illegible], tum ex Epist. [illegible] tum ex 16. fam. l. ad Tironem. [illegible] se omnia & fecisse & [illegible] quae ad pacem pertinerent.

76. *Tum sero.*] Jam nulla fieri poterat cum instructa jam esset acies, & ad praelium exercitus.

80. *Hanc salutem.*] Loquitur de salute, quam ipse Tubero obtinuit à Caesare post relatam ab eo victoriam.

81. *Beneficii.*] Indicat beneficium Caesaris, quam ipsi Tuberones obtinuerant à Caesare, cum ipsis ignovit.

sui

ſui pœniteret. Nunc quæro, utrum veſtras injurias, an reipublicæ perſequamini: ſi reipublicæ; quid de veſtra in ea cauſa perſeverantia reſpondebitis? ſi veſtras; videte ne erretis, qui Cæſarem veſtris inimicis iratum fore putetis, cum ignoverit ſuis. Itaque num tibi videor, Cæſar, in cauſa Ligarii [f] occupatus eſſe? num de ejus facto dicere? quicquid dixi, ad unam [g] ſummam referri volo, vel humanitatis, vel clementiæ, vel miſericordiæ tuæ. Cauſas, Cæſar, egi multas & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum: certe nunquam hoc modo; *Ignoſcite, Judices: erravit: lapſus eſt: non putavit: ſi unquam poſthac:* ad parentem ſic agi ſolet; ad judices, *Non fecit, non cogitavit, falſi teſtes, fictum crimen.* Dic te, Cæſar, de facto Ligarii judicem eſſe: quibus in præſidiis fuerit, quære; taceo: ne hæc quidem colligo, quæ fortaſſe valerent etiam apud judicem: legatus ante bellum profectus, relictus in pace, bello oppreſſus, in eo non acerbus: tum etiam fuit totus animo & ſtudio tuus. Ad judicem ſic agi ſolet; ſed ego ad parentem loquor, Erravi, temere feci, pœnitet: ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto: ut ignoſcas oro; ſi nemo impetravit, arroganter; ſi plurimi, tu idem fer opem, qui ſpem dediſti.

[f] *laborare.* [g] *caput.*

82. *Veſtras injurias.*] Quænam iſtæ injuriæ? niſi quibus ſe affectos putaverunt Tuberones cum à portu prohibiti ſunt à Ligario. Vide argumentum Orat.

83. *In ea cauſa perſeverantia.*] Conſtantes illi Tuberones fuerunt in cauſa Pompeii uſque ad Cæſaris victoriam: in quo ſi peccavit Ligarius, illi quoque peccaverunt.

87. *De ejus facto.*] Id eſt, de facto Ligarii, de quo accuſatus eſt à Tuberone, quod nempe in Africa fuerit.

89. *Egi cauſas tecum.*] Antequam Prætor eſſet, multas cauſas egit Cæſar in foro, & orationes edidit in lucem, quas ſe Brutus legiſſe apud Ciceronem libro de Claris Oratoribus ait; & ibidem Cicero de eodem, negat videre ſe, cui Cæſas debeat credere: aitque eum elegantem, ſplendidam, magnificam ac generoſam dicendi rationem tenere.

Ib. *Dum te in foro.*] Ab anno ætatis ſuæ vigeſimo primo, quo Dolabellam repetundarum accuſavit, uſque ad annum trigeſimum nonum verſatus eſt in foro Cæſar, & cauſas egit, ut refert Tacitus.

90. *Nunquam hoc modo.*] Apud Judices non agitur deprecatione; cum ea tantum apud parentem, non apud judicem valere debeat: tacite autem & aſſentatorie Cæſarem patrem patriæ appellat.

94. *Quibus in præſidiis fuerit.*] Nullas urbes contra Cæſarem defendit Ligarius.

PER-

PERORATIO.

Tota hæc Peroratio in comparanda Cæſaris clementia poſita eſt.

VI. An ſperandi Ligario cauſa non ſit, cum mihi apud te ſit [a] locus etiam pro altero deprecandi? Quanquam neque in hac oratione ſpes eſt poſita cauſæ, nec in eorum ſtudiis, qui à te pro Ligario petunt, tui neceſſarii. Vidi enim & cognovi, quid maxime ſpectares, cum pro alicujus ſalute multi [b] laborarent: cauſas apud te rogantium gratioſiores eſſe, quam preces: neque te ſpectare, quam tuus eſſet neceſſarius is qui te oraret; ſed quam illius, pro quo laboraret. Itaque tribuis tu quidem tuis ita multa, ut mihi beatiores illi eſſe videantur interdum, qui tua liberalitate fruuntur, quam tu ipſe, qui illis tam multa concedis. Sed video tamen apud te cauſas, ut dixi, rogantium valere plus, quam preces; ab iiſque te moveri maxime, quorum juſtiſſimum dolorem videas in petendo. In Q. Ligario conſervando multis tu quidem gratum facies neceſſariis tuis: ſed hoc, quæſo, conſidera, quod ſoles. Poſſum fortiſſimos viros, Sabinos, tibi probatiſſimos, totumque agrum Sabinum, florem Italiæ, robur reipublicæ proponere; noſti optime homines; animadverte horum omnium mœſtitiam & dolorem; hujus T. Brocchi, de quo non dubito quid exiſtimes, lacrymas ſqualoremque ipſius, & filii vides. Quid de fratribus dicam? noli, Cæſar, putare, de unius [c] capite nos agere; aut tres tibi Ligarii in civitate retinendi ſunt, aut tres ex civitate exterminandi: quodvis exilium his eſt optatius, quam patria, quam domus, quam Dii Penates, uno illo exulante. Si fraterne, ſi pie, ſi cum dolore faciunt, moveant te horum lacrymæ, moveat pietas, moveat germanitas: valeat tu vox illa, quæ vicit; te enim dicere audiebamus, nos omnes adverſarios putare, niſi qui nobiſcum eſſent; te omnes, qui contra te non eſſent, tuos. Videſ-ne igitur hunc ſplendorem, omnem hanc Brocchorum domum, hunc L. Marcium, C. Cæſetium, L. Corfidium, hoſce omnes

[a] *facultas.* [b] *ſolliciti eſſent.* [c] *ſalute.*

1. *Cum mihi.*] Argumentum à difficiliori; difficilius enim fuit Ciceroni, qui Pompeium ſecutus erat, deprecari pro alio qui Pompeium quoque ſecutus eſt, quàm alium ſperare veniam à Cæſaris clementia.

3. *Nec in eorum ſtudiis.*] Intelligit ſtudia eorum qui Cæſari neceſſitate conjuncti erant.

5. *Cauſas rogantium.*] Id eſt, eorum qui rogant pro aliorum ſalute.

15. *Sabinos.*] Sabinus videtur fuiſſe Ligarius.

25. *Germanitas.*] Germanitas eſt conjunctio inter germanos, qui ſunt quaſi ex eadem ſtirpe geniti.

28. *Brocchorum domum.*] Brocchum patrem, & filium, qui Ligarii conſobrinus fuit.

29. *L. Marcium.*] Marcius eques Romanus fuit, Ligarii affinis.

Ib. *Cæſetium.*] Ille forte fuit Cæſetius, qui factus Tribunus-plebis, ejectus eſt è tribunatu, quod coronam lauream alba faſcia religatam ſtatuæ Cæſaris impoſitam detraxiſſet.

Ib. *L. Corfidium.*] Fatetur Cicero ſe hic

nes equites Rom. qui adſunt veſte mutata, non ſolum notos tibi, verum etiam probatos viros, tecum fuiſſe? Atque his [maxime] iraſcebamur, & hos [d] requirebamus, & his nonnulli etiam minabantur. Conſerva igitur tuis ſuos; ut, quemadmodum cæterâ quæ dicta ſunt à te, ſic hoc veriſſimum reperiatur. Quod ſi penitus perſpicere poſſes concordiam Ligariorum, omnes fratres tecum judicares fuiſſe. An poteſt quiſquam dubitare, quin, ſi Q. Ligarius in Italia eſſe potuiſſet, in eadem ſententia futurus fuiſſet, in qua fratres fuerunt? quis eſt, qui horum conſenſum conſpirantem, & penè conflatum, in hac prope æqualitate fraterna non noverit? qui hoc non ſentiat, quidvis prius futurum fuiſſe, quam ut hi fratres diverſas ſententias fortunaſque ſequerentur? Voluntate igitur omnes tecum fuerunt: tempeſtate [e] abreptus eſt unus; qui ſi conſilio id feciſſet, eſſet eorum ſimilis, quos tu tamen ſalvos eſſe voluiſti. Sed ierit ad bellum: diſſenſerit non à te ſolum, verum etiam à fratribus: hi te orant tui. Equidem cum tuis omnibus negotiis intereſſem, memoria teneo, qualis tum T. Ligarius Quæſtor urbanus fuerit erga te & dignitatem tuam: ſed parum eſt me hoc meminiſſe; ſpero etiam te, qui obliviſci nihil ſoles, niſi injurias, quoniam [f] hoc eſt animi, quoniam etiam ingenii tui, te aliquid de hujus Quæſtoris officio cogitantem, etiam de aliis quibuſdam Quæſtoribus reminiſcentem recordari. Hic igitur T. Ligarius, qui tum nihil egit aliud (neque enim hæc divinabat) niſi ut tu eum tui ſtudioſum, & bonum virum judicares, nunc à te ſupplex fratris ſalutem petit: quam hujus admonitus officio cùm utriſque his dederis, tres fratres optimos & integerrimos, non ſolum ſibi ipſos, neque his tot ac talibus viris,

[d] *deſiderabamus.* [e] *diviſus.* [f] *es hoc animo.*

hic erraſſe Epiſt. 42. lib. 13. ad Att. *Brutus mihi T. Ligarii verbis nunciavit, quod appellatur L. Corſidius in oratione Ligariana, erratum eſſe meum, ſed, ut aiunt, μνημονικὸν ἁμάρτημα. Sciebam Corſidium pernecceſſarium Ligariorum: ſed eum video ante eſſe mortuum. Da igitur, quæſo, negotium Pharnaci, Antæo, Salvio, ut id nomen ex omnibus libris tollatur.*

30. *Adſunt veſte mutata.*] Non ſolum rei in judicio veſtem mutabant, ſed omnes etiam propinqui, & amici qui judicio aderant.

34. *Hoc veriſſimum.*] Dixerat Cæſar, ſe ſuos omnes putare, qui contra ſe non fuiſſent. Cum igitur Ligarius contra eum arma non ſumpſerit, tanquam ſuum debet conſervare.

35. *Omnes fratres tecum.*] Duo alii Ligarii iſtius fratres Cæſarem ſecuti fuerant. Hic ſolus fuerat in Africa, qui ſi Romæ fuiſſet cum fratribus, ab iis non receſſiſſet.

38. *Conſpirantem, & pene conflatum.*] Metaphoræ ſumptæ à ventis.

46. *Qualis tum T. Ligarius Quæſtor urbanus.*] Ligarius Quæſtor urbanus, Lentulo & Philippo Coſſ cum ſtipendium Cæſari decretum eſt, cujus Cicero meminit lib. 2. ad famil. Epiſt. 7. ei præſtitit; quo tempore ipſe Cicero ſtipendium ſe non ſolum ei decreviſſe, ſed etiam ut Senatus decerneret, laboraſſe ait, Orat. de provin. Coſſ. Porro Quæſtores urbani curabant ærarium, ejuſque pecunias expenſas & acceptas in tabulas publicas referebant, ut docet *Aſconius* Verr. 3.

neque

neque nobis neceſſariis ſuis, ſed etiam reipublicæ condonaveris. Fac igitur, quod de homine nobiliſſimo & clariſſimo M. Marcello reſtituto feciſti nuper in curia, nunc idem in foro de optimis, & huic omni frequentiæ probatiſſimis fratribus; ut conceſſiſti illum Senatui, ſic da hunc populo, cujus voluntatem cariſſimam ſemper habuiſti: & ſi ille dies tibi glorioſiſſimus, populo Romano gratiſſimus fuit; noli, obſecro, dubitare, C. Cæſar, ſimilem illi gloriæ laudem quàm ſæpiſſime quærere; nihil eſt enim tam popular quam bonitas: nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior, nec admirabilior, miſericordia eſt; homines enim ad deos nulla re propius accedunt, quàm ſalutem hominibus dando: nihil habet nec fortuna tua majus, quam ut poſſis; nec natura tua melius, quam ut velis, conſervare quamplurimos. Longiorem orationem cauſa forſitan poſtulat, tua certe natura breviorem. Quare, cum utilius eſſe arbitrer te ipſum, quam me, aut quenquam loqui tecum, finem jam faciam: tantum te ipſum admonebo, ſi illi abſenti ſalutem dederis, præſentibus his omnibus te daturum.

58. *M. Marcello.*] Pepercit M. Marcello Cæſar, licet infenſiſſimo ſibi; de hujus acerbitate palam in Senatu conqueſtus fuerat.

59. *In foro.*] In foro agebatur hæc Ligarii cauſa.

IN
M. ANTONIUM
PHILIPPICARUM
LIBER II.
SEU
PHILIPPICA PRIMA.

DE NOMINE.

Quintilianus lib. 10. *ait Philippicas istas orationes in Antonium Ciceronem appellasse, Demosthenem imitatum, qui quatuor ejusdem nominis in Philippum Macedonum regem scripsit: eas tamen veterum aliqui, & in primis Aulus Gellius, Antonianas suo nomine nonnunquam vocaverunt.*

ARGUMENTUM PRIMÆ PHILIPPICÆ.

Cum videret Cicero post mortem Cæsaris ab Antonio ejusdem collega Rempublicam opprimi, Athenas ire statuit, dum Antonius Consulatu suo fungeretur, ut, cum Hircius & Pansâ Consules designati suum Magistratum inissent, statim Romam rediret. Antonius interea factus audacior Dolabellæ alterius Consulis conjunctione, multos cives pessimos restituit, multis immunitates dedit, multorumque decretorum tabulas non tam ex actis Cæsaris, ut dicebat, quam ex libidine sua finxit. Profectus itaque Cicero, & in Siciliam delatus, profectione mutata Romam reversus est. Postridie vero illius diei Antonius Senatum convocavit ac faciendis Cæsari supplicationibus.

Cicero

Cicero non adfuit, amicorum consilio: iratus Antonius milites confestim misit, qui nisi in Senatum veniret, domum ejus demolirentur. Sed nec venit propterea in Senatum Cicero, nec id perfecit Antonius. Aegre tulit hanc injuriam Cicero, & sequenti die venit in Senatum, ubi suæ profectionis & reversionis consilia exposuit, de hesterna injuria conquestus est; contra Antonii sententiam, de Cæsaris morte, de supplicationibus, & actis multum disputavit. Postremò utrumque Consulem, Dolabellam, qui tum præsens aderat, & Antonium, qui absens erat, commonuit, atque summâ sapientiâ cum omnium admiratione reprehendit.

TEMPUS ET LOCUS.

Habitæ sunt hæ orationes partim in Senatu, partim ad populum; & hæc quidem prima Calendis Septembris Antonio & Dolabella Coss. urbis conditæ anno 709. Ciceronis vero 63.

GENUS ET STYLUS.

Quæstio est in genere deliberativo, tenuis stylus, qualis esse debet in ejusmodi dicendi genere.

PARTES.

Quatuor sunt: Expositio suæ profectionis, & reversionis: Confirmatio, ubi docet acta Cæsaris esse servanda: Admonitio ad Consules, & brevis Peroratio.

PRIMA PARS.

In quâ I. *Exponit causas suæ profectionis.*
II. *Exponit causas reversionis.*
III. *Queritur de Antonio.*

I. ANtequam de republica, Patres Conscripti, dicam ea quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breviter consilium & profectionis, & reversionis meæ. Ego cum sperarem[a] ali-

INTERPRETATIO.

[a] *tandem.*

NOTÆ.

1. *Patres conscripti.*] De his dictum est Orat. pro Marcello Parag. I. 1. 1.

quando

quando ad veſtrum conſilium auctoritatemque rempublicam eſſe revocatam, manendum mihi ſtatuebam, quaſi in vigilia quadam Conſulari ac Senatoria; nec vero uſquam diſcedebam, nec à republica dejiciebam oculos, ex eo die, quo in Ædem Telluris convocati ſumus; in quo templo, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis: Athenienſiumque renovavi vetus exemplum: Græcum etiam verbum uſurpavi, quo tum in ſedandis diſcordiis uſa erat civitas illa; atque omnem memoriam diſcordiarum oblivione ſempiterna delendam cenſui. Præclara tum oratio M. Antonii; egregia etiam voluntas; pax denique per eum & per liberos ejus cum præſtantiſſimis civibus confirmata eſt. Atque his principiis reliqua conſentiebant; ad deliberationes eas, quas habebat domi de republica, principes civitatis adhibebat:

4. *Ad veſtrum conſilium.*] Per Julium Cæſarem Patribus ſublata fuerat auctoritas adminiſtrandæ Reipublicæ: verùm eo occiſo, eis reſtituta eſt.

5. *In vigilia.*] Metaphora ſumpta eſt à militibus qui in ſtatione excubant. Hanc autem vocat *Conſularem & Senatoriam*; quia Conſul fuerat Cicero, & Senator erat, ad quos potiſſimum pertinet invigilare Reipublicæ.

6. *Uſquam.*] Per illam vocem oſtendit, ita ſe invigilaſſe Reipublicæ conſervandæ, ut nec in locum aliquem, nec ex aliquo loco diſceſſerit, milites in ſtatione ſua imitatus.

7. *Ex eo die.*] Decimo quinto Kalend. April. venit in Ædem Telluris. Vide Epiſt. 11. & 16. lib 14. ad Att.

Ib. *In Ædem Telluris.*] Poſt cædem Cæſaris ab Antonio convocatus eſt Senatus in Telluris templum, quod ad Forum Romanum, & Viam Sacram erat, non procul à Capitolio & Palatio. Huic ædi vicinior fuit ædes Antonii, ut ait Appianus; ibique potius quàm in curia Senatum haberi voluit, quòd ſubjecta hæc erat Capitolio, unde facile à conjuratis ad cædem gladiatores evocari potuiſſent.

9. *Athenienſium.*] Cum Athenienſes victi eſſent à Lacedæmoniis, triginta rectoribus, qui tyranni dicti ſunt, regendi dati ſunt; qui cùm tyrannidem in eos exercerent, tandem à Thraſybulo victi ſunt & expulſi, reſtitutaque civitatis libertate, lex ab eodem lata eſt, ne quis rerum anteactarum accuſaretur; ne qua præteritarum injuriarum mentio fieret, ne quis multaretur.

10. *Verbum uſurpavi.*] Legem illam Græci dixêre ἀμνηςίαν, id eſt, oblivionem injuriarum. De hac lege loquitur Valer. Max. lib. 4. tit. de moderatione.

12. *Delendam cenſui.*] Scribit Dio, ita à Cicerone permotum fuiſſe Senatum, ut Senatuſconſultum factum ſit, ne quis acceptæ ab alio injuriæ in poſterum meminiſſet.

Ib. *Oratio M. Antonii.*] Antonius in Æde Telluris de concordia habuit orationem.

13. *Per liberos ejus.*] Plures pro uno ſic reponit Cicero; unum enim tantum habuiſſe ex prima ſua conjuge Fabia legitur. Cum interfectores Cæſaris in Capitolio tutius remanerent, non auſi ad Senatum venire, parvum filium Antonius obſidem in Capitolium miſit: &, ut Plutarchus in Bruto ſcribit, è Capitolio deſcenderunt; ac Brutus apud Lepidum, Caſſius apud Antonium, cæteri apud alios cœnarunt. Poſtero die provinciæ eiſdem in Senatu decretæ, Bruto Creta, Caſſio Africa, Trebonio Aſia, Cimbro Bithynia, D. Bruto Gallia Citerior. Sed cum Cæſar funere elatus, & à M. Antonio laudatus eſſet, plebs cum facibus ad domum Bruti, Caſſii, & aliorum concurrit, & ægrè depulſa eſt. Cicero de his ſcribit lib. 14. ad Att. Tum M. Brutus & Caſſius urbem reliquerunt, & Antium atque Lanuvium profecti, ibi otioſi fuerunt. Lib. 14. & 15. ad Att.

ad hunc ordinem res optimas deferebat: ſumma cum dignitate & conſtantia ad ea, quæ quæſita erant, reſpondebat: nihil tum, niſi quod erat notum omnibus, in C. Cæſaris commentariis reperiebatur. Num qui exules reſtituti? unum aiebat, præterea neminem. Num immunitates datæ? nullæ, reſpondebat. Aſſentiri enim nos Ser. Sulpicio, clariſſimo viro, voluit, ne qua tabula, poſt Idus Martias, ullius decreti Cæſaris, aut beneficii, figeretur. Multa prætereo, eaque præclara: ad ſingulare enim M. Antonii factum feſtinat oratio. Dictaturam, quæ vim jam regiæ poteſtatis [b] obſederat, funditus ex republica ſuſtulit, de qua ne ſententias quidem diximus: ſcriptum Senatuſconſultum, quod fieri vellet, attulit; quo recitato, auctoritatem ejus ſummo ſtudio ſecuti ſumus, eique ampliſſimis verbis per Senatuſconſultum gratias egimus. [c] Lux quædam videbatur oblata, non modo regno, quod pertuleramus, ſed [d] etiam regni timore ſublato: magnumque pignus ab eo reipublicæ datum, ſe liberam civitatem eſſe velle, cùm Dictatoris nomen, quod

[b] *obtinuerat.* [c] *felicitas.* [d] *ſublata poteſtate regia.*

17. *Ad hunc ordinem.*] Senatorium ordinem intelligit, ad quem res majoris momenti deferebantur. Inde autem ſperabatur ut priſtinæ libertati Reſpublica reſtitueretur ab Antonio.

19 *Cæſaris commentariis.*] Commentaria, ſive Commentarii, libri ſunt, in quibus ſumma tantùm capita, & velut initia deſcribuntur.

20. *Unum aiebat.*] Quis fuerit ille exul reſtitutus, non facile judicatur, niſi ſit Sextus Clodius, Publii Clodii filius, qui Ciceroni fuit infenſiſſimus. Certe id aperte teſtatur Antonius epiſtolâ quadam ad Ciceronem, lib. 14. ad Att.

21. *Immunitates datæ.*] Dabatur alicui populo vel civitati immunitas, cum à tributo, quod populo Romano pendebant, liberabantur.

22. *Ser. Sulpicio.*] Sulpicius Juriſconſultus fuit doctiſſimus & eloquentiſſimus. Is, cum videret multas immunitates tum civitatibus, tum hominibus qui Cæſari faverant contra Pompeium, ab eodem eſſe datas, atque illarum immunitatum edicta in tabulas æreas incidi, & in Capitolio figi ad memoriam ſempiternam; Senatuſconſultum fieri obtinuit, ne id deinceps fieret.

Ib. *Ne qua tabula.*] Leges, fœdera, & decreta quæ lata fuerant, in tabulas æreis inciſa, in locis publicis, ſed maxime in Capitolio, clavis ad parietes aut columnas figebantur.

25. *Dictaturam.*] Dictator hinc dictus eſt, quod à Conſule dicebatur; aliquando etiam à populo nominatus eſt: ſed qui tamen à Conſule diceretur, ut Livius obſervat lib. 27. quandoque vero ab interrege, ut à Valerio Flacco Cornelius Sylla, teſte Appiano lib. 1. bell. civil. denique etiam à Senatu; ſic enim Caius Julius Cæſar Dictator creatus eſt, ut Plutarchus in ejus vita ſcribit. Porro creabatur quando diſcordiæ civium graviores poſcebant, ut notavit Cicero lib. 3. de Legibus; vel crebra bella eaque graviora à finitimis populis oriebantur. Tantum autem illius fuit imperium, ut eo creato, Magiſtratus omnes, præter Tribunos, auctoritate ſeſe abdicarent: haud amplius quam per ſex menſes ſine provocatione, & majore quam Conſules poteſtate imperabat. Primus omnium Sylla, deinde Cæſar, perpetuam hanc ſibi poteſtatem uſurparunt; unde ait, Cæſarem uſurpaviſſe ſibi regiam poteſtatem, qua ſumma uti apud omnes videbatur.

31. *Non modo regno.*] Intelligit Dictaturam, quam perpetuam invaſerat Cæſar.

ſæpe

ſæpe juſtum fuiſſet, propter perpetuæ Dictaturæ recentem memoriam funditùs ex republica ſuſtuliſſet. Liberatus cædis periculo paucis poſt diebus Senatus videbatur; uncus impactus eſt fugitivo illi, qui in C. Marii nomen invaſerat. Atque hæc omnia communiter cum collega; alia porro propria Dolabellæ: quæ, niſi collega abfuiſſet, credo eis fuiſſe futura communia. Nam cum ſerperet in urbe infinitum[e] malum, idque manaret in dies latius; iidemque buſtum in foro facerent, qui illam inſepultam ſepulturam effecerant; & quotidie magis magiſque perditi homines, cum ſui ſimilibus ſervis, tectis ac templis urbis minarentur: talis animadverſio fuit Dolabellæ, cum in audaces ſceleratoſque ſervos, tum in impuros & nefariòs liberos; taliſque everſio illius execratæ columnæ, ut mirum mihi videatur, tam valde reliquum tempus ab uno illo die diſſenſiſſe. Ecce enim Kalend. Juniis, quibus ut adeſſemus edixerat, mutata omnia: nihil per Senatum, multa & magna per ſeipſum, & abſente populo & invito. Conſules deſignati ſe audere negabant in Senatum venire:

[e] *Seditio domeſtica.*

34. *Sæpe juſtum fuiſſet.*] Dictatoris dignitas ſæpe juſta fuit, cum legitime concedebatur à Conſule, populo vel Senatu; & poſt ſex menſes deponebantur.

Ib. *Recentem memoriam.*] Antonius decreverat, ne quis deinceps Dictator crearetur, propter recentem illam dictaturam quam ſibi Cæſar perpetuam vindicarat contra leges.

35. *Liberatus cædis periculo.*] Periculum indicat, quod naſci poterat ex quodam fugitivo & incognito homine, qui à Livio Epit. lib. 116. *Chamaces*; Valerio lib. 9. cap. 15. *Herophilus equarius Medicus*; ab Appiano lib. 3. *Amatius* nominatur. Is itaque ſe filium C. Marii, & propterea Cæſaris affinem dictitabat. Hominem popularem & ſeditiolum Antonius, indictâ causâ, ſumma cum approbatione Senatûs, interfecit: & interfectus unco ferreo ad Gemonias ſcalas, ad rupem Tarpeiam tractus eſt; unde in Tiberim fluvium damnati projiciebantur.

41. *Iidem buſtum.*] Buſtum proprie locus dicitur, ubi cadaver combuſtum eſt. Verùm hic ſumitur pro ipſo monumento quod in honorem Cæſaris erectum eſt, & ad quod plurimæ ejus imagines appenſæ ſunt.

Ib. *Inſepultam ſepulturam.*] Vocat Cæſaris ſepulturam inſepultam, quia quotidie novæ quædam imagines Cæſaris comburebantur, ut illius mortui ac ſepulti memoria ſemper ſupereſſet.

44. *In audaces ſceleratoſque.*] Plebs ſolidam columnam, duce Amatio, prope viginti pedum lapidis Numicidi in Foro in buſto Cæſaris ſtatuerat, & inſcripſerat, *Parenti patriæ*; atque apud eandem ſacrificabat, vota ſuſcipiebat, & controverſias quaſdam, interpoſito per Cæſarem jurejurando, diſtrahebat, ut Suetonius ſcribit. Hanc Dolabella, Conſulum alter, ſuſtulit, & homines ſeditioſos, qui illam everſionem moleſte ferebant, partim in crucem egit, partim de ſaxo dejecit. Vide epiſt. 17. lib. 14. ad Att. & epiſt. 14. lib. 9. ad famil.

46. *Execratæ columnæ.*] Hanc eandem columnam buſtum appellavit ſupra, quod Dolabella, abſente collega Antonio, in foro evertit.

47. *Ab uno illo die.*] Intelligit diem quo repreſſi ſcelerati ſunt, & columna dejecta eſt à Dolabella.

48. *Edixerat.*] Antonius Conſul edixit, ut Cicero, qui menſe Aprili & Maio rure fuerat in villis ſuis, adeſſet in Senatu Kal. Juniis.

50. *Conſules deſignati.*] Hirtius & Panſa Conſules deſignati, inire proximo menſe Januario Conſulatum debebant.

patriæ liberatores urbe carebant ea, cujus à cervicibus jugum ſervile dejecerant: quos tamen ipſi Conſules & in concionibus & in omni ſermone laudabant. Veterani, qui appellabantur, quibus hic ordo diligentiſſime caverat, non ad conſervationem earum rerum, quas habebant, ſed ad ſpem novarum prædarum incitabantur. Quæ cum audire mallem, quàm videre, haberemque jus legationis liberum, ea mente diſceſſi, ut adeſſem Kalend. Januariis, quod initium Senatûs cogendi fore videbatur.

II. Expoſui, P. C. profectionis conſilium; nunc reverſionis, quæ plus admirationis habet, breviter exponam. Cum Brunduſium, iterque illud, quod tritum in Græciam eſt, non ſine cauſa vitaviſſem, Kalend. Sextilibus veni Syracuſas, quod ab urbe ea[a] tranſmiſſio in Græciam laudabatur; quæ tamen urbs mihi conjunctiſſima, plus

[a] *trajectio.*

51. *Patriæ liberatores.*] Qui Cæſarem interfecerant, M. Brutus, D. Brutus, Caſſius, aliique; hos liberatores patriæ nominat.

52. *Ipſi Conſules.*] Antonius & Dolabella publicè quidem in concionibus liberatores illos patriæ laudabant, quos tamen ad mortem clam perſequebantur.

53. *Veterani.*] Milites veterani dicebantur, qui viginti annis ſtipendia fecerant, quibus confectis mittebantur in colonias, eiſque agri dividebantur. Cum autem ſe Romam retuliſſet Antonius, peragratis veteranorum illorum coloniis, multos ſecum ex eis adduxit: quod in cauſa fuit cur multi Senatores metu perterriti repente diffugerint.

Ib. *Quibus hic ordo.*] Senatus proſpexerat, ut omnibus veteranis militibus, ac iis maxime qui cum Cæſare fuerant, nihil deeſſet, ut commode & honeſtè vivere poſſent.

55. *Quas habebant.*] Poſſeſſiones agrorum obtinuerant à Cæſare, dum viveret.

Ib. *Incitabantur.*] Veterani illi milites ab Antonio & Lepido impellebantur ad bona civium interficiendorum diripienda.

57. *Legationis liberum.*] Legatio libera dicebatur, quam Senatores privati negotii cauſâ, à Senatu ad aliquod tempus impetrabant. Cicero has legationes annuas lege ſua fecerat; ſed poſtea (ut ſcribit lib. ad Att. 15) lege Julia quinquennium iis præfinitum fuit. Qui libera legatione aberat, non habebatur Reipublicæ cauſâ abeſſe, ſed ſuâ. Tribus autem de cauſis libera legatio dabatur: periculi vitandi cauſâ, voti ſolvendi, & hæreditatis nominumque perſequendorum.

57. *Ut adeſſem Kalendis Jan.*] Cicero profectus fuerat Româ propter potentiam Antonii; qui omnia ad arbitrium gerebat, ſine ulla Senatus auctoritate. Sperabat autem ſe rediturum ad Kalendas Januarias, quibus novi Conſules magiſtratum Panſa & Hirtius inirent; à quibus Senatus cogeretur de rebus publicis deliberaturus.

2. *Brunduſium.*] Urbs eſt Calabriæ, portu ſuo celebris, unde ſolvebant Romani ituri in Græciam; quoque redeuntes in Italiam appellebant.

3. *Non ſine cauſa.*] Brunduſii multi erant è veteranis Cæſariani milites, qui ab Antonio ſolicitati erant, quos evitare voluit.

4. *Kalendis Sextilibus.*] Kal. Sextilibus, id eſt, menſe Auguſto, qui tum Sextilis dicebatur, quique ab Auguſto Cæſare Auguſtus, ſicut Quintilis Julius à Julio Cæſare nominatus eſt.

Ib. *Syracuſas.*] Syracuſæ urbs fuit Siciliæ ampliſſima, ab Archia Corinthio annis ante Chriſtum plus ſeptingentis condita.

5. *Conjunctiſſima.*] Cum Quæſtor eſſet in Sicilia Cicero, omnes Siculos ita humanitate & abſtinentia ſua ſibi devinxerat, ut deinceps Romæ eum patronum & defenſorem habere voluerint.

una

una me nocte cupiens retinere, non potuit; veritus sum, ne meus repentinus ad meos necessarios adventus suspicionis aliquid afferret, si essem commoratus. Cum autem me ex Sicilia ad Leucopetram, quod est promontorium agri Rhegini, venti detulissent, ab eo loco conscendi, ut [b] transmitterem: nec ita multum provectus, rejectus austro sum in eum ipsum locum, unde conscenderam; cumque intempesta nox esset, mansissemque in villa P. Valerii comitis & familiaris mei, postridieque apud eundem, ventum expectans, manerem, municipes Rhegini complures ad me venerunt, ex his quidam Roma recentes: à quibus primum accipio M. Antonii concionem: quæ ita mihi placuit, ut ea lecta de reversione primum cœperim cogitare: nec ita multo post, edictum Bruti adfertur & Cassii; quod quidem mihi, fortasse quod eos etiam plus reipublicæ quàm familiaritatis gratia diligo, plenum æquitatis videbatur. Addebant præterea (fit enim plerumque ut ii, qui boni quid volunt adferre, affingant aliquid, quo faciant id, quod nunciant, lætius) rem conventuram: Kalend. Sextilibus Senatum frequentem fore: Antonium, repudiatis malis suasoribus, remissis Galliis provinciis, ad auctoritatem Sena-

[b] *trajicerem.*

8. *Leucopetram.*] Leucopetra Italiæ in Calabriæ finibus promontorium est, quod montis Apennini finis esse dicitur, ut vult Strabo lib. 6. quod à colore *Leucopetram*, id est, *saxum album*, appellant.

9. *Rhegini.*] Rhegium extremum agri Brutii oppidum est; nunc *Reggio.*

11. *Austro.*] Auster ventus est meridionalis, contrarius iis qui è Sicilia in Græciam navigant.

12. *Intempesta nox.*] Nox intempesta dicitur, in qua nullum est agendi tempus.

13. *Valerii comitis.*] Valerius fuit Jurisconsultus, ad quem scribit Cic. lib. 1. ad familiares; qui eum eo profectus erat.

14. *Municipes.*] Municipes sunt cives Romani, ex municipiis suo jure & legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes; à quo munere capessendo appellati videntur, nullis necessitatibus, neque ulla populi Rom. lege adstricti.

15. *Recentes.*] Id est, qui nuperrime Roma venerant.

16. *Antonii concionem.*] Antonius concionem habuit in Senatu pro Sexto Pompeio, Cn. Pompeii magni filio, qui tunc in Hispania bellum contra Cæsaris legatos gerebat. Hunc in patriam revocandum esse censuit, & pro patris bonis, quæ in Æde Opis in publicum redacta erant, vigesies & quinquagies decies mille drachmas Atticas restituit, & præsidium maris ei institui debere censuit. Ita vulgo omnes Ciceronis interpretes referunt; sed qua auctoritate fulti, non apparet; saltem credibile est multa bene de Republica dixisse, quæ spem quietis afferre videbantur.

17. *Edictum Bruti & Cassii.*] Brutus & Cassius Prætores urbani edictum tulerunt, ne cui intra vigesimum annum provincia obveniret.

22. *Rem conventuram.*] Id est, Rempublicam redituram ad pacem, compositis inter se Cæsaris interfectoribus & Antonio.

24. *Malis suasoribus.*] Multi viri audaces, & parati ad prædam, Antonium in Rempublicam & cives accendebant; quales fuere Capho, Saxa, Mustella, Tamisius.

Ib. *Remissis Galliis.*] In sortitione provinciarum, Cisalpina D. Bruto, Transalpina Planco evenerat. Cisalpinam Macedoniæ loco, quæ ei obtigerat, à Senatu

Senatûs eſſe rediturum. Tum vero tanta ſum cupiditate incenſus ad reditum, ut mihi nulli, neque remi, neque venti ſatisfacerent: non quo me ad tempus occurſurum putarem, ſed ne tardius, quàm cuperem, reipublicæ gratularer. Atque ego celeriter Veliam devectus Brutum vidi, quanto meo dolore, non dico; turpe mihi ipſi videbatur, in eam urbem me audere reverti, ex qua Brutus cederet: & ibi velle tuto eſſe, ubi ille non poſſet. Neque vero illum, ſimiliter atque ipſe eram, commotum eſſe vidi; erectus enim maximi ac pulcherrimi facti ſui conſcientia, nihil de ſuo caſu, multa de noſtro querebatur; ex quo primùm cognovi, quæ Kalend. Sextilibus in Senatu fuiſſet L. Piſonis oratio: qui quanquam parum erat (id enim ipſum à Bruto audieram) à quibus debuerat, adjutus; tamen & Bruti teſtimonio (quo quid poteſt eſſe gravius?) & omnium prædicatione, quos poſtea vidi, magnam mihi videbatur gloriam conſecutus. Hunc igitur ut ſequerer, properavi, quem præſentes non ſunt ſecuti: non ut proficerem aliquid (neque enim ſperabam id, neque præſtare poteram) ſed ut, ſi [c] quid mihi humanitùs accidiſſet (multa autem impendere videbantur præter naturam, præterque fatum) hujus tamen diei vocem hanc teſtem reipublicæ relinquerem meæ perpetuæ erga ſe voluntatis.

III. Quoniam [a] utriuſque conſilii cauſam, Patres Conſcripti, probatam vobis eſſe confido, priàs quàm de republica dicere incipio,

[c] *ſi mors.* [a] *profectionis & reverſionis.*

à Senatu Antonius poſtulabat, ut refert Appianus lib. 2. bellı c vil. Cum autem fraudem Senatus ſuſpicaretur, ſcripſit ad D. Brutum ut provinciam ſibi conſervaret, & exercitum compararet Antonio reſtiturus.

29. *Veliam.*] Velia urbs eſt & portus in agro Lucano in Italia; quam à terra Phocide fugati ab Harpalo, regis Cyri præfecto, condiderunt. Græci *Helian* appellant, quoniam in paludibus ſita eſt, quas Ἕλη Græci dicunt; nunc autem *Baſilicata* ab Italis nomiratur. Veliæ autem Cicero Brutum vidit, quò cum legatione libera venerat, quia vires ſuas confirmante Antonio, non tutum ſe Romæ arbitrabatur.

33. *Pulcherrimi facti ſui conſcientia.*] Laudat Brutum, quod Cæſarem occiderit, & patriam ab ejus ſervitute liberaverit.

35. *L. Piſonis oratio.*] L. Piſo ſocer fuit interfecti Cæſaris. Suadebat autem ille, depoſitis armis, omnia ad Senatûs auctoritatem eſſe deferenda; libertatem eſſe conſervandam; Antonio eſſe obſiſtendum, eaque de cauſa advocandum eſſe Cn. Octavium; quem Julius adoptaverat.

43. *Præter naturam, præterque fatum.*] Clariſſime omnium, meo judicio, hanc explicuit orationem Abrahamus, in eundem locum; ſic autem ait: Illa mors eſt ſecundum naturam, & ſecundum fata, quæ ex principiis naturæ intrinſecis, & ex pugna quatuor primarum qualitatum, una prævalente contingit. Illa præter naturam quidem, ſed tamen ſecundum fata, quæ ab externa cauſarum ſerie infertur; ut ſi quis incendio, vel naufragio, vel alio caſu pereat. Illa præter naturam, præterque fatum, quæ nec à principiis naturæ intrinſecus, nec à cauſis externis agendi neceſſitate conſtrictis, ſed ab hominis libertate dependet; ut cum quis mortem ſibi conſciſcit, vel alterius ſcelere occiditur.

pauca

pauca querar de heſternâ M. Antonii injuriâ, cui ſum amicus: idque me nonnullo ejus officio debere eſſe, præ me ſemper tuli. Quid tandem erat cauſæ, cur in Senatum heſterno die tam acerbe cogerer? ſolus-ne aberam? an non ſæpe minus frequentes fuiſtis? an ea res agebatur, ut etiam ægrotos deferri oporteret? Hannibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam cauſam etiam Appium illum & cæcum & ſenem delatum eſſe, memoriæ proditum eſt. De ſupplicationibus referebatur: quo in genere Senatores deeſſe non ſolent; coguntur enim non pignoribus, ſed eorum, quorum de honore agitur, [b] gratiâ: quod idem fit, cum de triumpho refertur; ita ſine cura Conſules ſunt, ut penè liberum ſit Senatori non adeſſe; qui cum mihi mos notus eſſet, cumque de via [c] languerem, & mihimet diſplicerem, miſi pro amicitia, qui hoc ei diceret. At ille, vobis audientibus, cum fabris ſe domum meam venturum eſſe dixit; nimis iracunde hoc quidem, & valde intemperanter; cujus enim maleficii tanta iſta pœna eſt, ut dicere in hoc ordine auderet, ſe publicis [d] operis diſturbaturum publice ex Senatûs ſententia ædificatam domum? quis autem unquam tanto damno Senatorum coëgit? aut quid eſt ultra pignus, aut multam? qui ſi ſciſſet, quam ſententiam dictu-

[b] *cauſa.* [c] *feſſus eſſem.* [d] *fabris.*

3. *Heſterna Antonii injuria.*] Cum reſciviſſet Antonius Romam adveniſſe Ciceronem, neque adeſſe in Senatu, minatus eſt ſe fabros, ad exturbandam ejus domum, & milites qui eum vi adducerent miſſurum.

4. *Nonnullo ejus officio.*] Officium vocat, quod ab Antonio Brunduſii non ſit occiſus, ubi Ciceronem offendit, quò miſſus fuerat à Cæſare poſt pugnam Pharſalicam, ut Pompeianos aditu Italiæ prohiberet.

7. *Hannibal, credo.*] Ironice deprimit Antonii factum, proferendo periculum quod ab Hannibale Romæ creatum eſt, cum poſt Cannenſem pugnam, ad Anienem fluvium caſtra poſuit, ad tertium ab urbe lapidem; & urbem obequitando, intra muros haſtam injecit: quo tempore ſumma Romæ trepidatio fuit.

8. *Pyrrhi pace.*] Pyrrhus rex Epirotarum fuit, qui à Tarentinis advocatus contra Romanos bella geſſit. Is ad vigeſimum ab urbe lapidem caſtra poſuit: cum de pace cum eo ageretur, Appius ſenex & cæcus, lectica in Senatum delatus, turpes conditiones diſſuaſit. Florus lib. 13. Epit.

10. *De ſupplicationibus.*] Mos fuit apud Romanos, ut à Senatu propter rem bene geſtam, nomine imperatoris, ſupplicationes ad Templa, gratulationis causâ, per aliquot dies cum conjugibus & liberis celebrarent. Quoties autem de ſupplicationibus referendum erat, Senatores convocabantur per amicos illius, cujus gratia illæ inſtituebantur.

11. *Non pignoribus.*] Quotieſcunque Senatus habebatur, adeſſe Senatores debebant, aut multâ cogebantur, niſi juſta abſentiæ cauſa ſubeſſet: quanquam non eadem pœna tenebantur, cum de ſupplicationibus aut triumpho agebatur.

13. *Cum de triumpho.*] Idem fiebat ac de ſupplicationibus, cum de triumpho decernendo agebatur.

Ib. *Sine cura.*] Id eſt, non curant Conſules.

16. *Miſi pro amicitia.*] Tunc amicus erat Antonio Cicero.

20. *Ex Senatus ſententia ædificatam.*] Cum Clodius exulanté Cicerone domum ejus incendiſſet, ex Senatûs decreto publicâ pecuniâ reſtituta eſt.

22. *Aut quid eſt ultra pignus, aut multam.*] Pignus eſt contractus, quo res

dicturus eſſem, remiſiſſet aliquid profecto de ſeveritate cogendi. An me cenſetis, P. C. quod vos inviti ſecuti eſtis, decreturum fuiſſe, ut parentalia cum ſupplicationibus miſcerentur? ut inexpiabiles religiones in rempublicam inducerentur; ut decernerentur ſupplicationes mortuo? Nihil dico cui: fuerit ille L. Brutus, qui & ipſe regio dominatu rempublicam liberavit, & ad ſimilem virtutem, & ſimile factum, ſtirpem jam prope in quingenteſimum annum propagavit: adduci tamen non poſſem, ut quenquam mortuum conjungerem cum deorum immortalium religione; ut, cujus ſepulchrum nuſquam extet, ubi parentetur, ei publice ſupplicetur. Ego vero eam ſententiam dixiſſem, Patres Conſcripti, ut me adverſus populum Romanum, ſi quis accidiſſet gravior reipublicæ caſus, ſi bellum, ſi [e] morbus, ſi fames, facile poſſem defendere; quæ partim jam ſunt, partim timeo ne impendeant. Sed hoc ignoſcant dii immortales, [f] velim, & populo Romano, qui id non probat, & huic ordini, qui decrevit invitus. Quid de reliquis reipublicæ malis? licet-ne dicere? mihi vero licet, & ſemper licebit, dignitatem tueri, mortem contemnere: poteſtas modo veniendi in hunc locum ſit, dicendi periculum non recuſo. Atque utinam, P. C. Kalendis Sextilibus adeſſe potuiſſem! non quo profici potuerit aliquid, ſed ne unus modo Conſularis, quod tum accidit, dignus illo honore, dignus republica inveniretur. Qua quidem ex re magnum accipio dolorem, homines ampliſſimis populi Romani beneficiis uſos, L. Piſonem, ducem optimæ ſententiæ non ſecutos

[e] *peſtis.* [f] *utinam.*

aliqua creditori ea lege obligatur, ut in illa ipſa cum primùm ei ſatisfactum erit, reddenda, dolum & levem culpam præſtet. *Multa* vero ſpecies pœnæ eſt, pecuniaria duntaxat, quæ arbitrio ejus, qui multam pro ſuo jure dicit, cum ſpecialis pœna conſtituta non eſſet, imponitur.

25. *Parentalia cum ſupplicationibus.*] Parentare eſt manibus defunctorum parentum ſacrificare: unde parentalia dicta ſunt ſacra, quæ diis manibus ſolvuntur.

Ib. *Inexpiabiles religiones.*] Inexpiabiles religiones dicuntur, quæ nullo ſupplicio, nullo ſacrificio purgari & lui poſſunt. Talis autem dicit ſupplicationes, quæ pro mortuo fiunt.

27. *Nihil dico cui.*] Id invidioſe dicit contra Cæſarem, quem tyrannum fuiſſe indicat; cuique opponit Brutum libertatis Romanæ aſſertorem, cujus ne quidem ad ſepulchrum fiunt ſupplicationes.

Ib. *L. Brutus.*] Repone Junium Brutum, à quo Tarquinius Superbus cum filiis ejectus eſt.

29. *Stirpem propagavit.*] Extendit ſtirpem ſuam in hæc Ciceronis tempora, ex qua extitit M. Brutus, qui Cæſarem interfecit, qui regium dominatum vindicare ſibi volebat.

31. *Cum deorum immortalium religione.*] Supplicationes ad deos pertinent, non ad mortuos; quibus tantum parentatur.

36. *Partim jam ſunt.*] Bellum gerebatur in Hiſpania contra filios Pompeii.

38. *Huic ordini.*] Senatorio.

42. *Kal. Sextilibus.*] Hoc tempore ab Antonio relatum eſt de ſupplicationibus, & parentalibus Cæſari decernendis.

43. *Unus modo Conſularis.*] Piſo; de quo ſupra, Paragr. II. l. 34.

46. *Ducem optimæ ſententiæ.*] Dux ſententiæ dicebatur, qui primus eam ſpecta-

cutos. Idcirco-ne nos populus Romanus Conſules fecit, ut in altiſſimo ampliſſimoque gradu dignitatis locati, rempublicam pro nihilo haberemus? non modo voce nemo L. Piſoni Conſularis, ſed ne vultu quidem aſſenſus eſt. Quænam (malum!) eſt iſta voluntaria ſervitus? fuerit quædam neceſſaria; nec ego hoc ab omnibus iis deſidero, qui ſententiam loco Conſulari dicunt; alia cauſa eſt eorum, quorum ſilentio ignoſco; alia eorum, quorum vocem requiro; quos quidem doleo in ſuſpicionem populo Romano venire, non modo metu, quod ipſum eſſet turpe, ſed alium alia de cauſa deeſſe dignitati ſuæ. Quare primum maximas gratias & habeo & ago L. Piſoni, qui non, quid efficere poſſet in republica, cogitavit, ſed quid ipſe facere deberet: deinde à vobis, P. C. peto, ut, etiamſi ſequi minus audebitis orationem atque auctoritatem meam, benigne me tamen, ut feciſtis adhuc, audiatis.

aperuiſſet. Auctor autem fuerat Piſo, ne parentalia & ſupplicationes Cæſari fierent.

50. *Malum*] Vox iſta, *malum*, interjectio eſt indignantis hominis.

51. *Quædam neceſſaria.*] Cæſar ſuâ potentiâ quandam tulerat in Rempublicam ſervitutem.

55. *Alium alia de cauſa.*] Multi, quia affecti fuerant beneficiis à Cæſare, tacuerunt.

SECUNDA PARS,

In quâ probat acta Cæſaris eſſe ſervanda.

IV. Primum igitur acta Cæſaris ſervanda cenſeo: non quod probem; quis enim id quidem poteſt? ſed quia rationem habendam maxime arbitror pacis atque otii. Vellem adeſſet Antonius, modò ſine advocatis; ſed, ut opinor, licet ei minus valere: quod mihi herì per illum non licebat. Doceret me, vel potius vos, P. C. quemad-

1. *Acta Cæſaris.*] Actum eſt in Senatu, utrum omnia Cæſaris acta reſcinderentur, quibus aliis provincias, aliis alia beneficia conferebat: ſervanda Senatus decrevit, propter bonum pacis. Libellos ejus conjux Calpurnia detulit ad Antonium, verita ne bona fiſco addicerentur. Antonius hæc acta Cæſaris ad arbitrium ſuum mutavit, ac univerſam Rempub. laceravit, Cæſaris nomen & auctoritatem prætexens.

4. *Sine advocatis.*] Per advocatos milites illos veteranos intelligit, & fabros, quibus ſtipatus venit in Senatum; alludens ad conſuetudinem Romanorum, qui in judiciis tum privatis, tum publicis, amicos omnes ſuos advocabant, quorum auctoritate moveri poſſe judices arbitrabantur.

Ib. *Licet ei minus valere.*] Carpit Antonium quod abeſſet à Senatu, qui quidem utebatur excuſatione valetudinis, quàm excuſationem non admiſit erga Ciceronem, qui revera de via languebat.

5. *Doceret me.*] Oſtendit quod Antonius Cæſaris acta non ſervat, quia revera leges ejus non ſervat.

modum

modum ipſe Cæſaris acta defenderet. An in commentariolis & chirographis, & libellis ſe uno auctore prolatis, ac ne prolatis quidem, ſed tantummodo dictis, acta Cæſaris firma erunt? quæ ille in æs incîdit, in quo populi juſſa, perpetuaſque leges eſſe voluit, pro nihilo habebuntur? Equidem ſic exiſtimo, nihil tam eſſe in actis Cæſaris, quam leges Cæſaris; an, ſi cui quid ille promiſit, id erit fixum? quod idem facere non potuit, ut multis multa promiſſa non fecerit; quæ tamen multo plura illo mortuo reperta ſunt, quam vivo beneficia per omnes annos tributa, & data; ſed ea non muto, non moveo: ſummo enim ſtudio præclara illius acta defendo: pecunia utinam ad Opis maneret; cruenta illa quidem, ſed his temporibus, cùm iis, quorum eſt, non redditur, neceſſaria; quanquam ea quoque ſit effuſa, ſi ita in actis fuit. Ecquid eſt, quod tam proprie dici poſſit actum ejus, qui togatus in repub. cum poteſtate imperioque verſatus ſit, quam lex? quære acta Gracchi, leges Semproniæ proferentur: quære Sullæ, Corneliæ: quid? Cn. Pompeii tertius Conſulatus in quibus actis conſtitit? nempe in legibus: à Cæſare ipſo ſi quæreres, quidnam egiſſet in urbe & in toga; leges multas reſponderet ſe & præclaras tuliſſe; chirographa vero aut mutaret, aut non daret: aut ſi dediſſet, non iſtas res in actis [a] ſuis duceret. Sed ea ipſa conce-

[a] *exiſtimaret* eſſe.

6. *Commentariolis.*] Commentarioli libelli ſunt, in quibus princeps eorum omnium nomina perſcribit, quibus alicui qua Reipublicæ procuratio commiſſa eſt.

7. *Chirographis.*] Chirographum eſt privata cautio, manu alicujus vel ſcripta, vel ſubſcripta.

Ib. *Se uno auctore prolatis.*] Solus Antonius hæc dicebat eſſe acta Cæſaris, quæ ab omnibus aliis ignorabantur.

9. *In æs incîdit.*] In æs incidebantur leges, ut perpetuæ ſervarentur.

Ib. *Populi juſſa.*] Plebis ſcita & leges intelligit. Nam lex eſt generale juſſum populi rogante magiſtratu.

13. *Quæ tamen multo plura.*] Carpit Antonii improbitatem, qui longe plura beneficia ſeu immunitates promiſit, quam ipſe Cæſar promiſerit.

16. *Ad Opis.*] Id eſt, ad Opis ædem, ubi erat ærarium. Ops autem mater eſt Deûm, & Cybele dicitur, & Bona Dea, & Matuta.

Ib. *Cruenta illa.*] Mortuo Cn. Pompeio, & omnibus Pompeianis profligatis, bona eorum omnia in fiſcum redacta ſunt, & deportata ad ædem Opis, ut iis populus Romanus uteretur, ſi opus haberet.

18. *Ea quoque ſit effuſa.*] Non conqueritur Cicero diſſipatam eſſe pecuniam illam ab Antonio, ſi in actis Cæſaris reperiatur, ut in aliquos diſſiparetur: quanquam grave ſcelus ab illo committitur, ſi ad arbitrium ſuum, & in quos voluerit, diſſipetur.

19. *Quod tam proprie dici poſſit actum.*] Probat leges eſſe acta per inductionem.

Ib. *Qui togatus.*] Per illam vocem *togatus* pacis tempus intelligit: quia tunc togis Romani utebantur, & ſagis belli tempore.

21. *Acta Gracchi.*] Leges latæ à Graccho acta ejus ſunt, quæ ab ejus nomine Sempronia dictæ ſunt; non enim à prænomine aut cognomine nominabantur.

22. *In quibus actis conſtitit?*] Tertium Conſul Pompeius multas leges tulit, quæ ejus acta appellantur.

25. *Chirographa.*] Chirographa hic ſignificant res promiſſas, & propria manu ſubſcriptas.

do:

do: quibusdam in rebus etiam [b] conniveo: in maximis vero rebus, id est, legibus, acta Cæsaris dissolvi ferendum non puto. Quæ lex melior, utilior, optima etiam republ. sæpius flagitata, quam ne Prætoriæ provinciæ plus quam annum, neve plus quam biennium Consulares obtinerentur? Hac lege sublata, videnturne vobis acta Cæsaris servari? quid? ea lege, quæ promulgata est de tertia decuria, nonne omnes judiciariæ leges Cæsaris dissolvuntur? & vos acta Cæsaris defenditis, qui leges ejus evertitis? nisi forte, si quid memoriæ causa retulit in libellum, id numerabitur in actis, & quamvis iniquum & inutile sit, defendetur: quod ad populum centuriatis comitiis tulit, id in actis Cæsaris non habebitur. At quæ est ista tertia decuria? Centurionum, inquit: quid? isti ordini, [c] judicatus lege Julia, etiam antea Pompeia, Aurelia non patebat? Census præfiniebatur, inquit, non centurioni quidem solum, sed equiti etiam Romano. Itaque viri fortissimi atque honestissimi, qui ordines duxerunt, res & judicant & judicaverunt. Non quæro, inquit, istos:

[b] *consentio.* [c] potestas *judicandi.*

30. *Ne Prætoriæ provinciæ.*] Multas leges & egregias quidem tulerat Cæsar; sed hanc præcipue laudat, ne provinciæ Prætoriæ, ad quas nempe Prætores, plusquam annum; Consulares verò, ad quas nempe Consules mittebantur, ne plusquam biennium obtinerentur. Nam antea quandoque triennium, & quinquennium obtinebantur.

31. *Sublata.*] Hanc legem sustulit Antonius, quia quotidie contrarium illi legi & suadet & facit.

32. *Promulgata est de tertia.*] Tulit Cæsar ut judicia ad duo genera judicum redigerentur, equestris ordinis & Senatorii. Tribuni vero ærarii, quod erat tertium, tollerentur. Tertium genus, seu decuriam judicum, centurionum nempe, adjicere voluit Antonius.

37. *Centuriatis comitiis.*] Comitia centuriata curiatis honestioria fuêre; in illis enim per classes, & secundum dignitatem, honestatem, & censum suffragia rogabantur: in his vero illud non fiebat; unde est comparatio. De comitiis vide Orat. pro Muræna Paragr. I. not. ad lin. 2. ubi fuse de comitiis dictum est.

39. *Centurionum.*] Centuriones dicebantur qui certum militum numerum ducebant. Centuriones autem erant etiam equites Rom. quia verò Cæsar legem tulerat, ut equites Rom. judicarent, volebat Antonius ut Centuriones etiam judicarent.

Ib. *Lege Julia.*] Lege lata à Julio Cæsare, de qua jam jam, soli Senatores & equites: lege lata paulo ante à Pompeio, Senatores, equites, & ærarii Tribuni: lege lata ab Aurelio Cotta, ex tribus illis ordinibus selecti judices judicarunt.

40. *Census præfiniebatur.*] Lege Pompeia præfiniebatur, ut ex iis ordinibus nemo judicaret, nisi qui amplissimo censu erat, & equestribus facultatibus: at Antonius tollebat hoc discrimen; volebat quippe, ut quicunque Centurio fuisset, quacunque fortuna uteretur, posset judicare.

42. *Qui ordines duxerunt.*] Ducere ordinem in militia dicuntur, qui Magistratum aliquem in ea gerunt, sive præsint vel decuriæ, vel centuriæ, manipulis, aut cohorti.

43. *Non quæro, inquit, istos.*] Respondet Antonius non istos quidem quærere in judices, qui censum habent equestrem, vel qui in aliquo nominis splendore clari sunt, sed quicunque ordinem duxit, sive pauper, sive dives, &c. Id autem contendebat Antonius, ut omnes sibi

iſtos : quicunque ordinem duxit, judicet. At ſi ferretis, quicunque equo meruiſſet, quod eſt laudatius, nemini probaretis. In judice enim ſpectari & [d] fortuna debet, & dignitas. Non quæro, inquit, iſta : addo etiam judices manipulares ex legione Alaudarum ; aliter enim noſtri negant poſſe ſe ſalvos eſſe. O contumelioſum honorem iis quos ad judicandum nec-opinantes vocatis ! hic enim eſt legis index, ut ii in tertia decuria judicent, qui libere judicare non audeant : in quo quantus eſt error, dii immortales, eorum, qui iſtam legem excogitaverunt ! ut enim quiſque ſordidiſſimus videbitur, ita libentiſſime ſeveritate judicandi [e] ſordes ſuas eluet : laborabitque, ut honeſtis decuriis potius dignus videatur, quam in turpem jure conjectus.

1 V. Altera promulgata lex eſt, ut & de vi, & de majeſtate damnati, ad populum provocent, ſi velint : hæc utrum tandem lex eſt, an legum omnium diſſolutio ? quis enim eſt hodie, [a] cujus interſit iſtam legem manere ? nemo [b] reus eſt legibus illis, nemo quem futurum putemus ; armis enim geſta nunquam profectò in judicium vocabuntur. At res popularis ; utinam quidem velletis aliquid eſſe populare ; omnes enim jam cives de reipub. ſalute unâ & mente & voce conſentiunt. Quæ eſt igitur iſta cupiditas ejus legis ferendæ, quæ turpitudinem ſummam habeat, gratiam nullam ? quid enim turpius, quàm qui majeſtatem populi Romani per vim minuerit, eum damnatum judicio, ad eam ipſam vim reverti, propter quam ſit jure damnatus ? Sed quid plura de lege diſputo ? quaſi vero id agatur, ut quiſquam provocet ; id agitur, id fertur, ne quis omnino unquam iſtis legibus reus fiat. Quis enim aut accuſator tam amens reperie-

[d] *cauſus.* [e] *illuſtrabit ſuam obſturitatem.* [a] *cui ſit utile.* [b] *accuſatur.*

ſibi militiæ duces addictos haberet, iiſque uteretur ad arbitrium.

44. *At ſi ferretis.*] Id eſt, ſi permittatis, ut quicunque eques eſt, & cujus gradus ſplendidior eſt, judicet, nemo veſtram ſententiam probabit. Porro *equo merere* eſt equum habere ex publico ; oportebat eum præſto eſſe cum equo, quoties Reſp. ejus operâ indigebat.

46. *Non quæro, inquit, iſta.*] Inducit ſemper reſpondentem Antonium, qui nec cenſum nec dignitatem in judicibus requirebat.

47. *Judices manipulares.*] Volebat Antonius etiam ſeligi judices ex iis, qui manipulos duxerant ; erat vero manipulus parva militum manus ex viginti militibus conflata.

Ib. *Ex legione Alaudarum.*] Cæſar Dictator legionem unam ex Tranſalpinis conſcripſit, quam vocabulo quoque Gallico Alaudam appellavit ; eamque poſtea univerſam diſciplina cultuque Romano inſtitutam & ornatam civitate donavit. Suetonius in Cæſare ait hinc dictam eſſe Alaudam, quod in galeis pro criſta Alaudæ formam haberent.

48. *Aliter enim noſtri.*] Loquitur Antonius, aitque ſuæ factionis viros non poſſe ſalvos eſſe, neque evadere judicium, niſi homines ejuſmodi judicent.

50. *Hic enim eſt legis index.*] Antonius virus ad judicandum eligit ex lege ſua, qui neque leges norunt, neque audent conſcientiâ ſcelerum ſuorum conſtricti judicare.

tur,

tur, qui reo condemnato objici ſe multitudini conductæ velit? aut judex, qui reum damnare audeat, ut ipſe ad operas mercenarias ſtatim protrahatur? Non igitur [c] provocatio iſta lege datur: ſed duæ maxime ſalutares leges [d] quæſtioneſque tolluntur. Quid eſt igitur aliud adhortari adoleſcentes, ut turbulenti, ut ſeditioſi, ut pernicioſi cives velint eſſe? quam autem ad peſtem furor Tribunitius impelli non poterit, his duabus quæſtionibus, de vi & de majeſtate, ſublatis? Quid, quod abrogatur legibus Cæſaris, quæ jubent ei, qui de vi, itemque ei, qui majeſtatis damnatus ſit, aqua & igni interdici? quibus cum provocatio datur, nonne acta Cæſaris [e] reſcinduntur? Quæ quidem ego, P. C. qui illa nunquam probavi, ita conſervanda concordiæ cauſa arbitratus ſum, ut non modo, quas vivus Cæſar leges tuliſſet, infirmandas hoc tempore non putarem, ſed ne illas quidem quas poſt mortem Cæſaris prolatas eſſe & fixas videtis. De exilio reducti à mortuo: civitas data non ſolum ſingulis, ſed etiam nationibus & provinciis univerſis à mortuo: immunitatibus infinitis ſublata vectigalia à mortuo. Ergo hæc uno, verum optimo, auctore domo prolata defendimus: eas leges, quas ipſe vobis inſpectantibus recitavit, pronunciavit, tulit, quibus latis gloriabatur, iiſque legibus rempublicam contineri putabat, de provinciis, de judiciis, eas, inquam, Cæſaris leges, nos, qui defendimus acta Cæſaris, evertendas putamus? At de iis tamen legibus, quæ promulgatæ ſunt, ſaltem queri poſſumus: de iis, quæ jam latæ dicuntur, ne illud quidem licuit; illæ enim nulla promulgatione latæ ſunt ante quam ſcriptæ. Quærunt quid ſit, cur

[c] jus *provocandi.* [d] *judicia.* [e] *tolluntur.*

16. *Multitudini conductæ.*] Per multitudinem conductam intelligit viliſſimos è plebe, & mercenariis operis, alioſque ſeditioſos viros, qui pecunia corrumpentur, ut reum abſolvant.

19. *Duæ maxime ſalutares leges.*] Leges de vi & majeſtate quas tulit Cæſar.

22. *Furor Tribunitius.*] Fere per Tribunos plebis omnes Romæ ſeditiones excitabantur: quare ſæpe furioſi illi à Cicerone nominantur.

25. *Aqua & igni interdici.*] Aliquem interdicere aqua & igni eſt illum prohibere ab uſu aquæ & ignis, quibus duobus vita humana maxime continetur.

30. *Et fixas.*] Leges in parietibus in æs inciſæ figebantur, ut poſſent ab omnibus legi.

Ib. *De exilio reducti à mortuo.*] Pungit Antonium, qui multos ab exilio revocavit, multos civitate donavit, quaſi ante mortem id Cæſar in commentariolis ſuis reliquiſſet: illi autem qui ab Antonio his affecti ſunt beneficiis *Charonitæ* per jocum dicti ſunt, quaſi ab inferis tranſmiſſi à Charonte.

31. *Nationibus.*] Nationes dicuntur homines, qui in aliquo loco nati ſunt, neque aliunde venerunt, quos indigenas dicimus.

33. *Uno, verum optimo, auctore.*] Ironia in Antonium: quod enim ipſe domi meditatus eſt profert tanquam à Cæſare ſcriptum; & quod ſcriptum eſt à Cæſare evertit.

40. *Nullæ promulgationes.*] Ut ſæpe ſcripſimus in his orationibus, leges, antequam ferrentur, promulgabantur, id eſt, populo per trinundinum proponebantur; ſi placerent, permittebat populus; ſin minus, intercedebant apud populum Tribuni, ne ferrentur.

aut

aut ego, aut quiſquam veſtrûm, P. C. bonis Tribunis-plebis leges malas metuat; paratos habemus qui intercedant: paratos qui rempublicam religione defendant: vacui metu eſſe debemus. Quas tu mihi, inquit, interceſſiones, quas religiones nominas? eas ſcilicet, quibus reipublicæ ſalus continetur. Negligimus iſta, & nimis antiqua, & ſtulta ducimus. Forum [f] ſepietur: omnes claudentur aditus: armati in præſidiis multis locis collocabuntur: quid tum? quod erit ita geſtum, id lex erit? & in æs incìdi jubebitis? cedo, illa legitima; CONSULES POPULUM JURE ROGAVERUNT (hoc enim à majoribus accepimus jus rogandi) POPULUSQUE JURE [g] SCIVIT: qui populus? iſne, qui excluſus eſt? quo jure? an eo, quod vi & armis omne ſublatum eſt? Atque hæc dico de futuris: quod eſt amicorum, ante dicere ea, quæ vitari poſſunt: quæ ſi facta non erunt, refelletur oratio mea. Loquor de legibus promulgatis, [h] de quibus eſt integrum vobis: demonſtro vitia; tollite: denuncio vim, arma; removete.

[f] *circumdabitur.* [g] *decrevit.* [h] *quas liberum eſt ferre, vel non ferre.*

42. *Bonis Tribunis.*] Id eſt, cum ſint in Repub. boni Tribuni, qui poterunt intercedere.

45. *Quas religiones.*] Per religiones Auſpicia intelliguntur, ſine quibus lex nulla ferri poterat. Unde Augures, cum aliqua ferebatur, de cœlo ſervabant, & obnunciabant, ſi quid obſervatum erat, quo impediri comitia poſſent.

46. *Negligimus iſta.*] Antonius reſpondet à ſe omnes iſtas religiones Auguriorum & interceſſiones negligi.

50. *Cedo, illa legitima.*] Verba ſunt Antonii; legitima autem dicuntur, quæ legibus fiunt & continentur.

52. *Qui populus?*] Reſpondet Cicero, an ille ſit populus qui ſeditioſe partes Antonii, an ille qui partes Reipub. ſequitur? cujus maxima pars excluſa eſt ab Antonio.

53. *Quo jure?*] Negat jus eſſe, ubi armati homines dominantur.

56. *De legibus promulgatis.*] Promulgabantur antequam ferrentur leges, & in æs inciderentur.

TERTIA PARS,

Ubi proponit, quæ tum à Dolabella, tum ab Antonio facta ſunt.

1 VI. Iraſci vos quidem mihi, Dolabella, pro republica dicenti non oportebit; quanquam te quidem id facturum non arbitror: novi enim facilitatem tuam. Collegam tuum aiunt in hac ſua fortuna, quæ

1. *Iraſci.*] Digreditur ad Dolabellam, qui præſens erat, & ad Antonium qui abſens, quos tum vituperat, tum territat, ac demum dat illis conſilium.

3. *Collegam tuum.*] Antonium nominat, qui Conſul erat cum Dolabella, quique Cæſaris dominatum arripuerat.

bona,

bona ipſi videtur: mihi, ne gravius quippiam dicam, avorum & avunculi ſui Conſulatum ſi imitaretur, fortunatior videretur: ſed eum iracundum audio eſſe factum. Video autem, quàm ſit odioſum habere iratum eundem & armatum, cùm tanta præſertim [a] gladiorum ſit impunitas: ſed proponam [b] jus, & opinor æquum; quod M. Antonium non arbitror repudiaturum. Ego, ſi quid in vitam ejus aut in mores cum contumelia dixero, quo minus mihi inimiciſſimus ſit, non recuſabo; ; ſin conſuetudinem meam, [quam ſemper in republica habui] tenuero, id eſt, ſi libere, quæ ſentiam, de republica dixero, primum deprecor, ne iraſcatur: deinde, ſi hoc non impetro, peto, ut ſic iraſcatur, ut civi: armis utatur, ſi ita neceſſe eſt, ut dicit, ſui defendendi cauſa: iis qui pro republ. quæ ipſis viſa erunt dixerint, iſta arma ne noceant. Quid hac poſtulatione dici poteſt æquius? Quod ſi, ut à quibuſdam mihi ejus familiaribus dictum eſt, omnis eum, quæ habetur contra voluntatem ejus, oratio graviter offendit, etiamſi nulla ineſt contumelia, feremus amici naturam: ſed iidem illi ita mecum: Non idem tibi adverſario Cæſaris licebit, quod Piſoni ſocero: & ſimul admonent quiddam, quod cavebimus: nec erit juſtior, P. C. in Senatum non veniendi morbi causâ, quàm mortis. Sed per deos immortales! te enim intuens, Dolabella, qui es mihi cariſſimus, non poſſum de utriuſque veſtrûm errore reticere. Credo enim vos homines nobiles, magna quædam ſpectantes, non pecuniam, ut quidam nimis creduli ſuſpicantur, quæ ſemper ab ampliſſimo quoque clariſſimoque contempta eſt; non opes violentas, & populo Romano minime ferendam potentiam, ſed caritatem civium, & gloriam concupiſſe; eſt autem gloria laus recte factorum, magnorumque in rempublicam meritorum, quæ cùm optimi cujuſque, tum etiam multitudinis teſtimonio comprobatur. Dicerem, Dolabella, qui recte factorum fructus eſſet, niſi te præter cæteros pauliſper eſſe expertum viderem. Quem potes recordari in vita tibi illuxiſſe diem lætiorem, quam cùm, expiato Foro, diſſipato concurſu impiorum, principibus ſceleris pœnâ affectis, urbe incendio

[a] *armorum.* [b] *æquam conditionem.*

4. *Avi ejus & avunculi.*] M. Antonius Orator ille celeberrimus, de quo tam ſæpe Cicero, Avus fuit hujus Marci Antonii. Is partes Syllæ ſecutus eſt, & à Mario interfectus. Avunculus ejuſdem fuit L. Cæſar, Juliæ frater, ex qua natus eſt hic Antonius, qui Conſul fuit vir magni nominis & integritatis in Repub.

20. *Ferimus amici naturam.*] Quandoque amici ferre debent amicorum iracundiam, & eam diſſimulare, neque ſtatim ab iis diſcedere.

Ib. *Sed iidem illi.*] Id eſt, amici Antonii ita mecum loquuntur.

21. *Piſoni.*] Piſo ille, de quo ſupra, ſocer fuit Cæſaris.

22. *Quod cavebimus.*] Indicat tacite ab familiaribus Antonii fuiſſe admonitum, quod ſibi mortis periculum ab Antonio impenderet.

35. *Expiato foro.*] Expiavit Forum Dolabella, cum columnam ſeu aram illam dejecit, quæ ab Amatio, de quo ſupra Paragr. I. not. ad l. 38. Cæſari erecta eſt poſt ejus mortem.

& cædis metu liberatâ, te domum recepiſti? cujus ordinis, cujus generis, cujus denique fortunæ ſtudia tum laudi, & gratulationi tuæ ſe non obtulerunt? Quin mihi etiam, quo [c] auctore te in iis rebus uti arbitrabantur, & gratias boni viri agebant, & tuo nomine gratulabantur. Recordare, quæſo, Dolabella, conſenſum illum theatri, cum omnes earum rerum obliti, propter quas tibi fuerant offenſi, ſignificarunt ſe beneficio novo memoriam veteris doloris abjeciſſe. Hanc tu, P. Dolabella, (magno loquor cum dolore) hanc tu, inquam, potuiſti æquo animo tantam dignitatem deponere? Tu autem, M. Antoni (abſentem enim appello) unum illum diem, quo in æde Telluris Senatus fuit, non omnibus iis menſibus, quibus te quidam, multum à me diſſentientes, beatum putant, anteponis? quæ fuit oratio de concordia? quanto metu veterani, quantâ ſolicitudine civitas tum à te liberata eſt? Tuum collegam, depoſitis inimicitiis, oblitus auſpicia, teipſo augure nunciante, illo primum die collegam tibi eſſe voluiſti: reip. tuus parvulus filius in Capitolium à te miſſus pacis obſes fuit; quo Senatus die lætior? quo populus Romanus? qui quidem nulla in concione unquam frequentior fuit: denique liberati per viros fortiſſimos videbamur: quia, ut illi voluerant, libertatem pax conſequebatur. Proximo, altero, reliquis conſecutis diebus non intermittebas quaſi donum aliquod quotidie adferre reipublicæ; maximum autem illud, quod Dictaturæ nomen ſuſtuliſti; hæc [d] inuſta eſt à te, à te, inquam, mortuo Cæſari nota ad ignominiam ſempiternam. Ut enim propter unius M. Manlii ſcelus, decreto gentis

[c] *ſuaſore.* [d] *impreſſa.*

41. *Conſenſum illum theatri.*] Cum poſt dejectam aram & columnam everſam Dolabella veniſſet ad theatrum, ei plauſus ab omnibus datus eſt.

42. *Earum rerum obliti.*] Omnes fere offenderat Dolabella propter Tribunatum ſeditioſe geſtum; nam promulgarat legem, qua omne contractum æs alienum inter cives remittebatur. Hanc vero offenſionem deſtructa illa execrata columna abolevit.

47. *Telluris Senatus fuit.*] Tertio poſt Caii Cæſaris mortem die, Antonius Senatum in Ædem Telluris convocavit.

48. *Omnibus iis menſibus.*] Idibus Martiis Cæſar interfectus eſt; reliquis aliis menſibus ſummo cum imperio ad Kalendas Septembres, quibus hæc habita fere eſt oratio, in Repub. dominatus eſt Antonius.

49. *Beatum putant.*] Feliciſſimus ſuis amicis Antonius videbatur, quia morte Cæſaris ſtatim rerum potitus eſt.

50. *Quanto metu veterani.*] Unice veterani, ne Cæſaris acta reſcinderentur, timebant, quia in iis conferenda in ipſos beneficia continebantur.

52. *Collegam.*] Cæſar profecturus in Parthos ſubſtituere ſibi Conſulem Dolabellam voluit: obnunciavit Antonius captis auguriis. At interfecto ſtatim Cæſare, eundem ſibi Dolabellam collegam oblitus auſpiciorum accepit.

54. *Obſes fuit.*] De hoc ſuperius Parag. I. not. ad l. 14.

56. *Per viros fortiſſimos.*] Brutum & Caſſium, qui Cæſarem interfecerunt.

62. *Manlii ſcelus.*] Ab hoc Manlio obſeſſum à Gallis liberatum eſt Capitolium. At cum ipſe liberaſſet omnes obæratos, venit in regni affectandi ſuſpicionem, ideoque cum tota ejus familia à [illegible] ſublatus eſt.

Man-

Manliæ, neminem patricium M. Manlium vocari licet: ſic tu propter unius Dictatoris odium, nomen Dictatoris funditùs ſuſtuliſti. Num hujuſce, cùm pro ſalute reipublicæ tanta geſſiſſes, fortunæ te, num amplitudinis, tum claritatis, num gloriæ pœnitebat? Unde igitur ſubitò tanta iſta mutatio? non poſſum adduci, ut ſuſpicer te pecuniâ captum: licet, quod cuique libet, loquatur; credere non eſt neceſſe; nihil enim unquam in te ſordidum, nihil humile cognovi: quanquam ſolent [e] domeſtici depravare nonnunquam: ſed novi firmitâtem tuam; atque utinam ut culpam, ſic etiam ſuſpicionem vitare potuiſſes! Illud magis vereor, ne ignorans verum iter gloriæ, glorioſum putes, plùs te unum poſſe quàm omnes, & metui à civibus tuis, quàm diligi malis. Quod ſi ita putas, totam ignoras viam gloriæ. Carum eſſe civem, bene de republica mereri, laudari, coli, diligi, glorioſum eſt; metui verò, & in odio eſſe, invidioſum, deteſtabile, imbecillum, caducum. Quod videmus etiam in [f] fabula, ipſi illi, qui *Oderint dum metuant* dixerit, pernicioſum fuiſſe. Utinam, Antoni, avum tuum meminiſſes: de quo tamen multa audiſti ex me, eaque ſæpiſſime. Putaſne illum immortalitatem mereri voluiſſe, ut propter armorum habendorum licentiam metueretur? illa erat vita, illa ſecunda fortuna, libertate eſſe parem cæteris, principem dignitate. Itaque, ut omittam res avi tui proſperas, acerbiſſimum ejus diem ſupremum malim, quàm L. Cinnæ dominatum, à quo ille crudeliſſime eſt interfectus. Sed quid oratione te flectam? ſi enim [g] exitus C. Cæſaris efficere non poteſt, ut malis carus eſſe, quàm metui, nihil cujuſquam proficiet, nec valebit oratio; quem qui beatum fuiſſe putant, miſerrimi ipſi ſunt. Beatus eſt nemo, qui ea lege vivit, ut non modo impune, ſed etiam cum ſumma interfectoris gloria, interfici poſſit. Quare flecte te, quæſo, & majores tuos reſpice, atque ita guberna rempublicam, ut natum te eſſe cives tui gaudeant: ſine quo nec beatus, nec clarus quiſquam eſſe poteſt. Et populi quidem Romani judicia multa ambo habetis, quibus vos non ſatis moveri permoleſte fero. Quid enim gladiatoribus clamores innumerabilium civium? quid populi concurſus? quid Pompeii ſtatuæ plauſus infiniti? quid duobus tribunis-plebis qui vobis adverſantur? parum-

[e] *familiares.* [f] *tragœdia.* [g] *mors.*

78. *Oderint dum metuant.*] Sententia iſta uſurpata fuit ab Accio poëta tragico, in Atrei perſona.

79. *Avum tuum.*] De hoc avo Antonii dictum eſt ſuperius not. ad l. 4.

88. *Quem.*] Cæſarem.

94. *Populi Romani judicia.*] Multa judicia populus dedit, quibus mortem Cæſaris comprobavit.

96. *Quid enim gladiatoribus.*] Id eſt, per ludos gladiatorios, in quibus plura hominum paria decertant. De his ludis diximus ſæpe.

97. *Quid Pompeii ſtatuæ.*] Interfecto Cæſare, poſita eſt Pompeii ſtatua à populo, quæ coronâ redimita reperta eſt.

98. *Quid duobus tribunis-plebis.*]

parum-ne hæc ſignificant incredibiliter conſentientem populi Ro-
100 mani univerſi voluntatem? Quid? Apollinaribus ludis plauſus, vel teſtimonia potius, & judicia populi Romani vobis parva eſſe videbantur? O beatos illos, qui, cum adeſſe ipſis propter vim armorum non licebat, aderant tamen, & in medullis populi Romani ac viſceribus hærebant! niſi forte Accio tum plaudi, &
105 ſexageſimo poſt anno palam dari putabatis, non Bruto; qui ſuis ludis ita caruit, ut in illo apparatiſſimo ſpectaculo ſtudium populus Romanus tribuerit abſenti, deſiderium liberatoris ſui perpetuo plauſu & clamore lenierit. Equidem is fum, qui iſtos plauſus, cum à popularibus civibus tribuerentur, ſemper con-
110 tempſerim: idemque cùm à ſummis, mediis, infimis, cum denique ab univerſis hoc idem fit; cùmque ii, qui ante ſequi populi conſenſum ſolebant, fugiunt; non plauſum illum, ſed judicium puto. Sin hæc leviora vobis videntur, quæ ſunt graviſſima, num etiam hoc contemnitis, quod ſenſiſtis tam caram popu-
115 lo Romano vitam A. Hirtii fuiſſe? ſatis enim erat, probatum illum eſſe populo Romano, ut eſt: jucundum amicis, in quo vincit omnes: carum ſuis, quibus eſt ipſe cariſſimus: tantam tamen ſolicitudinem bonorum, tantum timorem omnium in quo meminimus? certe in nullo. Quid igitur? [b] hoc vos,

[b] *non expenditis quale ſit judicium?*

Duo illi tribuni fuerunt Tiberius Canutius, & L. Nonius Aſprenas. Dolabellæ ſibi Syriam provinciam petenti obſtitit Aſprenas. Canutius vero contra Antonium, Octavium Cæſarem produxit in concionem. Appianus lib 3

100 *Apollinaribus ludis.*] Apollinares ludi dicti ſunt, quod in laudem Apollinis, ut volunt alii, peſte averruncatæ. alii victoriæ gratiâ, celebrabantur. Cùm autem Romæ tunc non eſſet Brutus poſt necem Cæſaris, in Aſiam profectus eſt: & quia Prætor tunc erat, Prætor abſens ludos facere curavit, qui ſummâ magnificentiâ ab Attico exhibiti ſunt, cura ei à Bruto demandata, quibus per epiſtolam adeſſe Ciceronem rogavit. In his ludis Bruto, licet abſenti, magnus plauſus datus eſt.

102. *O beatos illos.*] Beatos vocat Brutum & Caſſium, quia, licet abſentes, eos ſummo tamen amore populus Romanus proſequebatur. Id dicit in odium Cæſaris & Antonii.

104. *Niſi forte Accio.*] Lucius Accius ſcriptor fuit Tragœdiarum, natus Mancino & Serrano Conſulibus. Piſaurum ille cum colonis ex urbe deductus fuit. & fundum illic habuit, qui Accianus dictus eſt: non huic autem à populo, cum jam à ſexaginta annis obiiſſet, ex abſenti Bruto liberatori patriæ plaudebatur

110. *A ſummis, mediis infimis.*] Tres ordines diſtinguit, Patricium ſeu Senatorium, qui omnium nobiliſſimus erat; Equeſtrem, clarum quidem illum & nobilem, Plebeium inter & Senatorium; infimum populo & plebe conflatum

112. *Non ſ lauſum, ſed judicium.*] Quando applauditur ab omnibus ordinibus, non tàm plauſus eſt, quàm conſtans populi de alicujus virtute judicium.

114. *Caram pop. Rom. vitam Hirtii.*] Defignatus erat Conſul Hirtius, & inire magiſtratum menſe Januario proximo debebat: cùm autem in morbum incidiſſet, pro ejus incolumitate populus vota fecit; quia ſperabatur reipublicæ conſulturus & libertati.

per

nominari vobis, cum ipſi recordemini; [b] mihi pœnarum illi plùs, quàm optarem, dederunt. Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorreſcere. Atque hoc in aliis minùs mirabar; nemo illorum inimicus mihi fuit voluntarius: omnes à me reipublicæ causâ laceſſiti; tu, ne verbo quidem violatus, ut audacior quàm L. Catilina, furioſior quàm P. Clodius viderere, ultrò maledictis me laceſſiſti; tuamque à me alienationem commendationem tibi ad cives impios fore putaviſti. Quid putem? contemptum-ne me? non video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus geſtis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid deſpicere poſſit Antonius. An in Senatu facillime de me detrahi poſſe credidit? qui ordo clariſſimis civibus bene geſtæ reipublicæ teſtimonium multis, mihi uni conſervatæ dedit. An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium eſt; quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi & pro me, & contra Antonium dicere? Illud profecto eſt; non exiſtimavit ſui ſimilibus probari poſſe, ſe eſſe hoſtem patriæ, niſi mihi eſſet inimicus.

[b] *puniti ſunt gravius quàm optaviſſem.*

6. *Exitus non perhorreſcere.*] Catilina, qui contra Rempublicam & Ciceronem conſpiraverat, armatus in prælio contra patriam occiſus eſt. Socii illius conjurationis in carcere, Senatûs decreto, interfecti ſunt. Cæſus à Milone Clodius eſt Ciceroni perinfenſus, qui eum in exilium factionibus ſuis ejeceret.

1b. *In aliis.*] Clodium, Catilinam, Vatinium, Piſonem & Gabinium intelligit, quos ipſe Cicero laceſſivit.

10. *Ultrò maledictis.*] Antonius prior Ciceronem aggreſſus eſt ſponte, cum minis intentatis eum venire in Senatum, quamvis langventem ex itinere, compulit. Vide ſuperiorem Orat.

12. *Gratii.*] Benevolentiam gratia ſignificat, quam populus in Ciceronem habuit: quæ tanta fuit, ut, cum cedere ab urbe & in exilium per Clodium & Conſules Piſonem & Gabinium exire cogeretur, omnis ferè aquester ordo veſtem mutaverit, nobiliſſimi adoleſcentes ad viginti millia numero ſordidati deprecatores ejus comitatûs fint; Senatus frequens veſtem, tanquam in publico luctu, mutandam cenſuerit. Redeunti verò ab exilio egreſſus Senatus ei obviam venit cum populo univerſo, à quo plauſu maximo à porta Capena uſque ad Capitolium, quaſi triumphans deductus eſt. Accedentem verò ad urbem poſt reverſionem è Græcia nuperam tanta multitudo convenit, ut dum ad portas ingredientem excipiunt, adventumque gratulantur, dies fere conſumptus fuerit. Vide Plutar. in Cicerone.

14. *Detrahi.*] Antonius credidit habendo orationem illam plenam maledictis in Ciceronem, poſſe aliquid immittere de gratiâ, quâ valebat apud populum.

16. *Mihi uni conſervatæ dedit.*] Cum Cicero Rempublicam à Catilinæ conjuratione vindicavit, ei ſupplicationem, quamvis togato, Senatus decrevit. M. Cato ea de re rogatus ſententiam, Ciceronem patrem patriæ nuncupavit; qui honos in liberâ civitate antea nemini datus fuerat.

Absenti quamvis, velut præsenti respondet hâc divinâ oratione: in quâ primò objecta sibi ab Antonio diluit: secundò vitam ejus insectatur.

GENUS.

Partim est in genere judiciali, partim demonstrativo. In judiciali, quia maledictis Antonii respondet: in demonstrativo, quia Antonium vituperat.

PARTES.

Habet Exordium, Refutationem criminum, Confirmationem, & Peroratiomem.

TEMPUS.

Habita fuit hæc oratio eodem anno quo superior, Coss. Antonio & Dolabella, 13. Kal. Octob.

EVENTUS.

Hæc oratio Ciceroni mortem attulit: nam odio furens in eum Antonius, de eo interficiendo cogitavit.

EXORDIUM.

Exordium illum abruptum est & inflammatum, ideoque breve.

1 I. QUONAM meo fato, P. C. fieri dicam, ut nemo his annis viginti reipublicæ hostis fuerit, qui non bellum eodem tempore mihi quoque[a] indixerit? Nec vero necesse est à me quemquam

INTERPRETATIO.

[a] *denunciarit.*

NOTÆ.

1. *Meo fato.*] Fata antiqui definiebant ex Augustico, lib. 5. de Civ. cap. 8. *omnium connexionem seriemque causarum, quâ fit omne quod fit.*

Ib. *His annis viginti.*] A Ciceronis consulatu ad M. Antonii consulatum viginti anni effluxerunt.

nomina-

nominari vobis, cum ipsi recordemini; [b] mihi pœnarum illi plùs, quàm optarem, dederunt. Te miror, Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorrescere. Atque hoc in aliis minùs mirabar; nemo illorum inimicus mihi fuit voluntarius: omnes à me reipublicæ causâ lacessiti; tu, ne verbo quidem violatus, ut audacior quàm L. Catilina, furiosior quàm P. Clodius viderere, ultrò maledictis me lacessisti; tuamque à me alienationem commendationem tibi ad cives impios fore putavisti. Quid putem? contemptum-ne me? non-video nec in vita, nec in gratia, nec in rebus gestis, nec in hac mea mediocritate ingenii, quid despicere possit Antonius. An in Senatu facillime de me detrahi posse credidit? qui ordo clarissimis civibus bene gestæ reipublicæ testimonium multis, mihi uni conservatæ dedit. An decertare mecum voluit contentione dicendi? hoc quidem beneficium est; quid enim plenius, quid uberius, quàm mihi & pro me, & contra Antonium dicere? Illud profecto est; non existimavit sui similibus probari posse, se esse hostem patriæ, nisi mihi esset inimicus.

[b] *puniti sunt gravius quàm optavissem.*

6. *Exitus non perhorrescere.*] Catilina, qui contra Rempublicam & Ciceronem conspiraverat, armatus in prælio contra patriam occisus est. Socii illius conjurationis in carcere, Senatûs decreto, interfecti sunt. Cæsus à Milone Clodius est Ciceroni perinfensus, qui eum in exilium factionibus suis ejecerat.

1b. *In aliis.*] Clodium, Catilinam, Vatinium, Pisonem & Gabinium intelligit, quos ipse Cicero lacessivit.

10. *Ultrò maledictis.*] Antonius prior Ciceronem aggressus est sponte, cum minis intentatis eum venire in Senatum, quamvis langwentem ex itinere, compulit. Vide superiorem Orat.

12. *Gratiâ.*] Benevolentiam gratia significat, quam populus in Ciceronem habuit: quæ tanta fuit, ut, cum cedere ab urbe & in exilium per Clodium & Consules Pisonem & Gabinium cæire cogeretur, omnis fere æquester ordo vestem mutaverit, mobilissimi adolescentes ad viginti millia numero sordidati deprecatores ejus comitati sint; Senatus frequens vestem, tanquam in publico luctu, mutandam censuerit. Redeunti verò ab exilio egressus Senatus ei obviam venit cum populo universo, à quo plausu maximo à porta Capena usque ad Capitolium, quasi triumphans deductus est. Accedentem verò ad urbem post reversionem è Græcia nuperam tanta multitudo convenit, ut dum ad portas ingredientem excipiunt, adventumque gratulantur, dies fere consumptus fuerit. Vide Plutar. in Cicerone.

14. *Detrahi.*] Antonius credidit habendo orationem illam plenam maledictis in Ciceronem, posse aliquid imminuere de gratiâ, quâ valebat apud populum.

16. *Mihi uni conservatæ dedit.*] Cum Cicero Rempublicam à Catilinæ conjuratione vindicavit, ei supplicationem, quamvis togato, Senatus decrevit. M. Cato ea de re rogatus sententiam, Ciceronem patrem patriæ nuncupavit; qui honos in liberâ civitate antea nemini datus fuerat.

REFUTATIO.

Tria potiſſimum Antonius objecerat Ciceroni; 1. violatas amicitiæ leges; 2. Conſulatum crudeliter geſtum; 3. auctorem fuiſſe multorum criminum. Hæc tria refutat Cicero.

PRIMA PARS.

De violatâ amicitiâ.

1 II. Cui priuſquàm de cæteris rebus reſpondeo, de Amicitiâ, quam à me violatam eſſe criminatus eſt, quod ego graviſſimum crimen judico, pauca dicam. Contra [a] rem ſuam me, neſcio quando, veniſſe queſtus eſt. An ego non venirem contra alienum pro familiari & neceſſario meo? non venirem contra gratiam, non virtutis [b] ſpe, ſed ætatis flore collectam? non venirem contra injuriam, quam iſte interceſſoris nequiſſimi beneficio obtinuit, non jure Prætorio? Sed hoc idcirco commemoratum à te puto, ut te infimo ordini commendares; cùm omnes te recordarentur libertini generum, & liberos tuos, nepotes Q. Fadii, libertini hominis, fuiſſe. At enim te in diſciplinam meam tradideras: (nam ita dixiſti) domum

[a] *me cauſam ejus oppugnaſſe.* [b] *opinione, vel expectatione.*

4. *An ego non venirem.*] Venire verbum eſt judici ſe.

Ib. *Cont a alienum pro familiari.*] Quis ille fuerit Ciceronis familiaris, nec indicat, nec cognitum eſt. Quis autem fuerit alienus ille, niſi Q. Fadius Bambalio homo lib rtinus, cujus filiam uxorem duxit? Pro familiari illo tuo Cicero venit advocatus in judicium contra Bambalionem; quo iratus Antonius violatam amicitiæ fidem Ciceroni objecit.

5. *Contra gratiam.*] Id eſt, contra Antonium hominem gratioſum, qui favore ſuo multum poterat

6. *Sed ætatis flore collectam.*] Statim à juventute ſua gratiam multorum fuerat aucupatus Antonius, non tàm virtute ſua, quàm libidine, qua tum infamis fuit.

7. *Iſte.*] Socer Antonii Bambalio.

Ib. *Interceſſoris nequiſſimi.*] Aliquis Tribunus plebis corruptus fuit ab Antonio, vel Bambalione, ut intercederet contra Ciceronis familiarem, ne reus cauſam diceret: quod prohiberi non potuit.

8. *Jure Prætorio.*] Jus Prætorium eſt, quod Prætores introduxerunt, adjuvandi, vel ſupplendi, vel corrigendi juris civilis gratiâ propter utilitatem publicam: quod & honorarium dicitur, ad honorem Prætorum ſic nominatum, l. 7. De juſt. & jur.

9. *Infimo ordini.*] Plebeium ordinem intelligit, vel ſaltem in plebeio ordine libertinos, qui neque aditum ad magiſtratus, vel ad curiam habebant. *Libertini* porrò dicebantur, qui ex juſta ſervitute manumiſſi ſunt, lib. 5. D. de ſtatu hom. quanquam & liberti etiam dicti ſunt, non qui manumittebantur, ſed ingenui ex eis procreati, ut ſcribit Suetonius in Claudio.

11. *In diſciplinam meam tradideras.*] Sumptâ virili togâ adoleſcentes ad viros graves deducendi mos fuit, ut ab eis inſtituerentur ad honeſtam vivendi rationem.

meam

meam [c] ventitaras: [d] næ tu, si id fecisses, meliùs famæ, meliùs pudicitiæ tuæ consuluisses: sed nec fecisti, nec si cuperes, tibi id per C. Curionem facere licuisset. Auguratûs petitionem mihi te conc[e]ssisse dixisti. O incredibilem audaciam! ô impudentiam prædicandam! Quo enim tempore me augurem à toto collegio expetitum Cn. Pompeius & Q. Hortensius nominaverunt (neque enim licebat à pluribus nominari) nec tu solvendo eras, nec te ullo modo, nisi eversâ republica, incolumem fore putabas. Poteras autem eo tempore auguratum petere, cùm in Italia Curio non esset? aut tum, cum es factus, [e] unam tribum sine Curione ferre potuisses? cujus etiam familiares de vi condemnati sunt, quòd tui nimis studiosi fuissent. At beneficio sum usus tuo; quod quanquam illud ipsum, quod commemoras, semper [f] præ me tuli. Malui me tibi debere confiteri, quam cuiquam minus prudenti non satis gratus videri; sed quo beneficio? quod me Brundusii non occideris? quem ipse victor, qui tibi, ut tute gloriari solebas, detulerat ex latronibus tuis principatum, salvum esse voluisset, in Italiam ire jussisset,

[c] *frequentarat.* [d] *certè.* [e] NON *potuisses obtinere suffragium unius tribus.* [f] *confessus sum.*

15. *Per C. Curionem.*] Denotat Curionis filium, qui consuetudine Antonii ita perditus, & corruptus libidinibus evasit, ut grande æs conflaverit, quod cum Curio filius dissolvere conaretur, pater illius domo Antonium expulit: ex quo se Clodio adjunxit, cumque illi vis pararetur, in Asiam se contulit.

Ib. *Auguratus.*] Augurum collegium nobilissimum Romæ fuit, novem tunc auguribus constatum, qui non solùm è patriciis, sed è plebe assumebantur; quorum dignitas erat perpetua.

17. *Augurem à toto collegio.*] Cum apud Parthos M. Crassus obiisset, in ejus locum augur suffectus est Cicero anno urbis septingentesimo, ætatis suæ 54.

19. *Nec tu solvendo eras.*] Objecerat Ciceroni Antonius, desiisse se benevolentiæ causâ à petitione auguratus, cùm eum intellexisset à Cicerone postulari: at refutat Cicero, tum quod Antonius ære alieno opprimeretur, nam lege cautum fuit, ut qui de repetundis damnati essent, vel creditoribus non possent satisfacere, neque peterent auguratum, neque augures nominarent: tum quia Curio erat in Asia Quæstor; cujus intercessionibus hanc potuisset dignitatem obtinere.

22. *Aut tum cum, es factus.*] Postea tamen factus est augur Antonius, acceptâ à Curione pecuniâ, ad obtinenda suffragia populi.

23. *Cujus etiam familiares.*] Cum à Curione productus esset augur Antonius tribunus plebis, ejus amici, propter seditionem in comitiis excitatam, de vi damnati sunt.

28. *Quod me Brundusii non occideris.*] Post pugnam Pharsalicam, victo Pompeio, Lato Uticensis voluit Ciceroni persuadere navalis exercitûs imperium accipere, idque amicis cogantibus. Sed Cæsare pusillante, fugit Cicero, & Brundusium venit Italiam petit rus. Huc cum à Cæsare missus jam fuisset Antonius, persuasit hic Ciceronem, ut Pompeianum & Cæsarianum detrectantem imperia, inte ficere. Appian. lib. 2. bell. civil.

28. *Ipse victor.*] Cæsar nolait ut Cicero interficeretur.

29. *Ex latronibus suis principatum.*] Perstringit & Cæsarem & Antonium: indicat enim, illud bellum non tàm legitimum fuisse, quàm latrocinium, quia contra patriam gerebatur; & in illo bello inter latrones alios Antonium principatum tenuisse, qui ideo à Cæsare missus est in Italiam, ut eam subjectam armis suis & imperio teneret.

cum tu occideres? fac potuisse; quod est aliud, P. C. beneficium latronum, nisi ut commemorare possint, iis se vitam dedisse, quibus non ademerint? Quod si esset beneficium, nunquam ii, qui illum interfecerunt, à quo erant servati, quos tu ipse viros clarissimos appellare soles, tantam essent gloriam consecuti. Quale autem beneficium est, quod te abstinueris nefario scelere? qua in re non tam jucundum videri mihi debuit, non interfectum à te, quàm miserum, id te impune facere potuisse. Sed sit beneficium, quandoquidem majus accipi à latrone nullum potuit: in quo potes me dicere ingratum? an de interitu reipublicæ queri non debui, ne in te ingratus viderer? At in illa querela misera quidem & luctuosa, sed mihi pro hoc gradu, in quo me Senatus populusque Romanus collocavit, necessaria, quid est dictum à me cum contumelia? quid non moderatè? quid non amicè? Et quidem cujus temperantiæ fuit, de M. Antonio querentem, abstinere maledicto? præsertim cum tu reliquias reipublicæ dissipavisses; cum domi tuæ turpissimo mercatu omnia essent venalia; cum leges eas, quæ nunquam promulgatæ essent, & de te, & à te latas confiterere; cum auspicia augur, intercessionem Consul sustulisses; cum esses fœdissimè stipatus armatis; cum omnes impuritates pudicâ in domo quotidie susciperes, vino lustrisque [g] confectus. At ego, tanquam mihi

[illegible] [illegible]

[g] *consumptus.*

34. *A quo erant servati.*] Bruto & Cassio exceptis, qui nunquam acquievère Cæsari, omnes reliqui ejus interfectores fuerant ab eo servati. Hos vide apud Appianum, lib. 2. bell. civil.

38. *Quàm miserum.*] Sane miserum est Ciceronem bene de Republicâ meritum ab Antonio perditissimo cive impune interfici potuisse.

40. *De interitu Reipub.*] Rempublicam perdere voluit Antonius, quia non solùm usurpatam à Cæsare summam potestatem sibi vindicare, sed ipsas latas à Cæsare leges evertere voluit; de quibus in Philippicâ primâ dictum est.

42. *Pro hoc gradu.*] Senator erat & Consularis Cicero, quo honoris gradu nullus illustrior in Republica fuit.

46. *Reliquias Reipub.*] Vocat reliquias Reipublicæ pecuniam publicam, quæ in Opis æde servabatur, quæque ex largitionibus Cæsaris superverat, at quam sibi Antonius vindicavit; vel etiam potest intelligere Cicero quatuor millia talenta, quæ à Calphurniâ Cæsaris uxore accepit.

47. *Turpissimo mercatu.*] Turpissime provincias, immunitates, & magistratus vendebat Antonius; de quibus infra.

48. *Promulgatæ essent.*] Antequam lex ferretur, proponebatur per trinundinum populo, cum his verbis, *Velitis, jubeatis, Quirites, ut lex illa,* &c. Et tunc lex promulgari dicebatur. De legibus ab Antonio latis dictum est superiori Orat. Parag. IV.

49. *De te.*] Voluit Antonius pro arbitrio suo provinciam retinere.

Ib. *Auspicia augur.*] Auspicia augur Antonius sustulit, licet pop. Rom. nihil nisi auspicato faceret.

Ib. *Intercessionem.*] Cum fuit Consul, tribunitiam intercessionem sustulit, quæ semper usurpata est in Republica.

51. *Omnes impuritates.*] Impuritas nihil est aliud, quam libidinum intemperantia.

Ib. *Pudicâ in domo.*] Id dicit propter majores, qui summa virtutis laude in Republica floruerant.

52. *Lustrisque.*] Lustra propriè sunt ferarum in silvis habitacula, quæ ad Lupanaria transferuntur, & ideo lorida & occulta, ubi gulæ & luxuriæ libidinosi & infames dant operam.

cum

cum M. Craſſo contentio eſſet, quocum multæ & magnæ fuerunt, non cum uno gladiatore nequiſſimo, de rep. graviter querens, de homine nihil dixi. Itaque, hodie perficiam, ut intelligat quantum à me beneficium tum acceperit. At etiam literas, quas me ſibi miſiſſe diceret, recitavit, homo & humanitatis expers, & vitæ communis ignarus. Quis enim unquam, qui paululùm modo bonorum conſuetudinem noſſet, literas ad ſe ab amico miſſas, offenſione aliqua interpoſita, in medium protulit, palamque recitavit? Quid eſt aliud tollere è vita vitæ ſocietatem, quàm tollere amicorum colloquia abſentium? quàm multa joca ſolent eſſe in epiſtolis, quæ prolata ſi ſint, inepta eſſe videantur? quàm multa ſeria, neque tamen ullo modo divulganda? Sit hoc inhumanitatis tuæ: ſtultitiam incredibilem videte. Quid habes, quod mihi opponas, homo diſerte, ut Muſtellæ Tamiſio & Tironi Numiſio videris? qui cum hoc ipſo tempore ſtent cum gladiis in conſpectu Senatûs, ego quoque te diſertum putabo, ſi oſtenderis, quo modo ſis eos inter ſicarios defenſurus. Sed quid opponas tandem, ſi negem me unquam iſtas literas ad te miſiſſe? quo me teſte convincas? an chirographo? in quo habes ſcientiam quæſtuoſam: qui poſſis? ſunt enim librarii manu. Jam invideo magiſtro tuo, qui te tanta mercede, quantam jam proferam, nihil ſapere doceat. Quid enim eſt minùs non dico oratoris, ſed hominis, quàm id objicere adverſario, quod ille ſi verbo negarit, longius progredi non poſſit qui objecerit? At ego non nego: teque in iſto ipſo convinco non inhumanitatis ſolùm, ſed etiam amentiæ; quod enim verbum in iſtis literis eſt non plenum humanitatis officii, benevolentiæ? Omne autem crimen tuum eſt, quod te in his literis non malè exiſtimem; quod ſcribam tanquam ad civem, tanquam ad bonum virum; non tanquam ad ſceleratum & latronem. At ego tuas literas, etſi jure poteram à te lacеſſitus, tamen non proferam; quibus petis, ut tibi per me liceat quendam de exilio reducere; adjuraſque id te, invito me, non eſſe facturum; idque à me impetras; quid enim me in-

53. *Cum M. Craſſo.*] Cum illo Craſſo homine ditiſſimo, qui periit in Parthis, multæ & graves fuerunt Ciceroni inimicitiæ; qui cum conjurationis cum Catilinâ infimulavit; ſed tamen propter filium, qui ſtudiorum causâ Ciceronem adſectabatur, cum eo reconciliatus eſt.

66. *Muſtellæ Tamiſio.*] Erant hi adulatores Antonii, ſicarii, indocti homines, quibus tantum doctus & diſertus videri poterat.

71. *An chirographo.*] Solent chirographum appellare quidquid manu ſcriptum.

Ib. *Scientiam quæſtuoſam.*] Id dicit propter acta Cæſaris, cujus manum imitatus multa proferebat Antonius tanquam à Cæſare ſcripta.

72. *Librarii manu.*] Scripta erant à ſcribâ ſive amanuenſi.

Ib. *Jam invideo magiſtro tuo.*] Hoc feſtivè & mordaciter dicitur in Antonium.

84. *Quendam de exilio.*] Ejulabat tunc Sextus Clodius Publii filius, de quo credibile eſt loqui Ciceronem.

Ib. *Adjura qua.*] Adjurare eſt juramento quid confirmare.

85. *Quid me interpercem.*] Cicero petenti Antonio noluit reſiſtere, quia ſciebat ab eo reducendum eſſe Clodium, qui lege lata à Cæſare jam reducendus erat; quæ lex in ejus actis reperta eſt.

ter-

terponerem audaciæ tuæ, quam neque auctoritas hujus ordinis, neque exiſtimatio populi Romani, neque leges ullæ poſſent coercere? Verumtamen quid erat, quod me rogares, ſi erat is, de quo rogabas, Cæſaris lege reductus? ſed videlicet meam gratiam voluit eſſe: in quo ne ipſius quidem ulla poterat eſt, lege latâ.

[b] *id debere mihi.*

REFUTATIONIS SECUNDA PARS.

Conſulatum crudeliter geſſiſſe.

III. Sed cum mihi, Patres Conſcripti, & pro me aliquid, & in M. Antonium multa dicenda ſint; alterum peto à vobis, ut me pro me dicentem benigne; alterum ipſe efficiam, ut contra illum cum dicam, attente audiatis: ſimul illud oro, ſi meam cum in omni vita, tum in dicendo moderationem modeſtiamque cognoſtis, ne me hodie, cum iſti, ut provocavit, reſpondero, oblitum eſſe putetis mei: non tractabo ut Conſulem; ne ille quidem me ut Conſularem: etſi ille nullo modo Conſul, vel quod ita vivit, vel quod ita rempublicam gerit, vel quod ita factus eſt [Conſul]; ego ſine ulla controverſia Conſularis. Ut igitur intelligeretis, qualem ipſe ſe Conſulem profitetur, objecit mihi Conſulatum meum; qui Conſulatus, [a] verbo meus, P. C. re veſter fuit; quid enim conſtitui, quid geſſi, quid egi, niſi ex hujus ordinis conſilio, auctoritate, ſententiâ? Hæc tu homo ſapiens, non ſolùm eloquens, apud eos, quorum conſilio ſapientiâque geſta ſunt, auſus es vituperare? Quis autem meum Conſulatum, præter P. Clodium, qui vituperaret, inventus eſt? cujus quidem tibi fatum, ſicuti C. Curioni, [b] manet: quoniam id domi tuæ eſt, quod fuit illorum utrique fatale. Non placet M. Antonio Conſulatus meus: at placuit P. Servilio, ut eum pri-

[a] *nomine.* [b] *impendet tibi.*

14. *Homo ſapiens.*] Ironia.

17. *Publium Clodium.*] Hic infenſiſſimus fuit Ciceroni, ut ex pluribus ejus orationibus colligere licet, & cum damnavit, quod cives indemna os, ut dicebat, necaviſſet, eos videlicet, qui Catilinariæ conjurationis ſocii fuere.

18. *Sicuti C. Curioni.*] Docet Appianus, Curionem, cum duas legiones duceret in Libyam contra Varum, qui à partibus Pompeii ſtabat, & contra Jubam Mauritaniæ Regem, qui ſe Varo adjunxerat, ad Bagradam fluvium cum ſuis trucidatum eſſe.

19. *Utrique fatale.*] Loquitur de Fulvia, quæ tres duxit nuptias: cum Clodio, qui à Milone occiſus eſt; cum Curione, qui periit in Lybia interfectus à Pompeianis; jam denique cum Antonio, cui ſimile fatum afferet.

20. *Placuit P. Servilio.*] Servilius ille Iſauricos domuit in Cilicia; unde Iſaurici nomen ſortitus eſt: & extrema ſenectute mortuus eſt, Cæſare quintùm & Antonio Coſſ.

mum nominem ex illius temporis Conſularibus, qui proxime eſt mortuus: placuit Q. Lutatio Catulo, cujus ſemper in hac republica vivet auctoritas: placuit duobus Lucullis, M. Craſſo, Q. Hortenſio, C. Curioni, M. Lepido, C. Piſoni, M. Glabrioni, L. Volcatio, C. Figulo, D. Silano, L. Murænæ qui tum erant Conſules deſignati: placuit idem, quod Conſularibus. M. Catoni qui cum multa, vitâ excedens, [c] providit, tum quod te Conſulem non vidit. Maxime vero Conſulatum meum Cn. Pompeius probavit: qui ut me primum decedens ex Syria vidit, complexus & gratulans, meo beneficio patriam ſe viſurum eſſe dixit. Sed quid ſingulos commemoro? frequentiſſimo Senatui ſic placuit, ut eſſet nemo, qui non mihi ut parenti gratias ageret, qui non mihi vitam ſuam, lineros, fortunas, rempublicam referret acceptam. Sed quoniam illis, quos nominavi, tot & talibus viris reſpublica orbata eſt, veniamus ad vivos, qui duo è Conſulari numero reliqui ſunt. L. Cotta, vir ſummo ingenio, ſummâque prudentiâ, rebus iis geſtis, quas tu re-

[c] *proſpexit.*

22. *Q. Lut. Catulo.*] Catulus ille fuit vir magnæ auctoritatis in Repub. qui Ciceronem patrem patriæ nominavit.

23. *Duobus Lucullis.*] Lucius & Marcus Lucilli ambo Conſulares fuerunt, Lucius, ante Pompeio grandior, contra Mithridatem rem bene, eſſet diuſſimus fuit, cujus imprimis hæreſi propter magnificentiam celebrati ſunt.

Ib. *M. Craſſo.*] M. Licinius Craſſus divitiis ſuis famoſus, qui quantum Ciceroni Conſulatum probaverit, intelliges ex ipſo Cicerone ad Att. qui de illius Conſulatu loquens, *is, quod eſſet Senator, quod civis, quod liber, quod viveret, mihi acceptum referre* dicebat; *quoties conjugem, quoties patriam viderat, bo neficium meum videre.*

Ib. *Q. Hortenſio.*] Poſt Ciceronem eloquentiſſimus oratorum habitus eſt Hortenſius, vir Conſularis, cujus laudes ubique Cicero prædicat.

24. *C. Curioni.*] De hoc Curione patre loquitur Cicero in lib. de claris Oratoribus; tredecim annis ante Ciceronem Conſul fuit.

Ib. *M. Lepido.*] Lepidus Magiſter equitum Cæſaris fuit, & poſtea unus è Triumviris [de alio tamen Lepido hîc loquitur.]

Ib. *C. Piſoni.*] Piſo fuit frater Lucii Piſonis ſoceri Cæſaris.

Ib. *Glabrioni.*] Quatuor annis ante Ciceronem Conſul fuit, quem in epiſtolis ad Atticum inter eos nominat, qui ſententiam in Catilinam dixere.

Ib. *L. Volcatio.*] Conſul fuit Volcatius tribus ante Ciceronem annis.

25 *Figulo.*] Ad hunc Figulum ſcribit Cic. lib. 14. Epiſt. vir fuit ſummæ conditionis & probitatis, qui quo Cicero anno Conſul deſignatus eſt, ipſe Conſulatum geſſit.

Ib. *D. Silano.*] D. Junius Silanus & Muræna deſignati ſunt Conſules Ciceronе Conſule, quorum alterum defendit in judicio.

26. *M. Catoni.*] M. Cato non geſſit Conſulatum, ſed Prætoram tantum: Vir ſumma innocentia & auctoritate apud Romanos, Stoicæ doctrinæ addictiſſimus, qui, ne videret ervientem Cæſari patriam, Uticæ ſib violentas manus intulit, unde Uticenſis dictus eſt.

27. *Te Conſulem non vidit.*] Ponit Cicero Antonii Conſulatum inter Reipub. Rom. calamitates.

28. *Cn. Pompeius.*] Statim atque ex Aſia rediit Pompeius, gratias egit Ciceroni, affirmans fruſtra ſe triumphum petere, niſi urbs ſervata fuiſſet à Cicerone, in quâ poſſet triumphare.

36. *L. Cotta.*] L. Aurelius Cotta, vir ſummæ prudentiæ & virtutis, duobus ante Ciceronem annis Conſulatum geſſit.

prehen-

prehendis, supplicationem decrevit verbis amplissimis: eique illi, quos modo nominavi, Consulares, Senatusque cunctus assensus est; qui honos post conditam hanc urbem habitus est togato ante me nemini. L. Cæsar, avunculus tuus, quâ oratione, quâ constantiâ, quâ gravitate sententiam dixit in sororis suæ virum, vitricum tuum? hunc tu cum auctorem, & præceptorem omnium consiliorum, totiusque vitæ debuisses habere, vitrici te similem, quam avunculi esse maluisti: hujus ego alienus consiliis Consul usus sum: tu sororis filius, ecquid ad eum unquam de republica retulisti? At ad quos refert? dii immortales! ad eos scilicet, quorum nobis etiam dies natales audiendi sunt. Hodie non descendit Antonius; cur? dat natalitia in hortis; cui? neminem nominabo: putatote eum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum Ballioni. O fœditatem hominis flagitiosam! ô impudentiam, nequitiam, libidinem non ferendam! tu cum principem Senatorem, civem singularem, tam propinquum habeas, ad eum de republ. nihil referas; ad eos referas, qui suam rem nullam habent, tuam exhauriunt? Tuus videlicet salutaris Consulatus, perniciosus meus: adeone pudorem cum pudicitia perdidisti, ut hoc in eo templo dicere ausus sis, in quo ego Senatum illum, qui quondam florens orbi terrarum præsidebat, consulebam: tu homines perditissimos cum gladiis collocasti? At etiam ausus es (quid autem est, quid tu non audeas? clivum Capitolinum dicere, me consule, plenum servorum armatorum fuisse; ut illa, credo, nefaria Senatusconsulta fierent, vim adferebam Senatui. O miser, sive illa tibi nota non sunt (nihil enim boni nôsti) sive sunt, qui apud tales viros tam impudenter loquare! Quis enim eques Romanus, quis præter te adolescens nobilis, quis ullius ordinis, qui se civem esse

38. *Supplicationem decrevit.*] Vide Orationem præcedentem Paragr. III. not. ad lin. 11.

41. *L. Cæsar.*] Is Lucius Cæsar ante Ciceronem proxime Consul fuit.

Ib. *Avunculus.*] Avunculus dicitur matris frater, & patris frater patruus.

42. *Vitricum tuum.*] Vitricus dicitur matris vir, ex aliis nuptiis, sive matris meæ vir, non pater meus.

44. *Vitrici.*] Vitricus ille Lentulus Sura fuit, qui conjuratus cum Catilinâ in carcere necatus est.

45. *Avunculi.*] Avunculus fuit L. Cæsar.

48. *Dies natales audiendi sunt.*] Dies natales apud Romanos maxima conviviorum magnificentia celebrabantur.

Ib. *Non descendit Antonius.*] Antonius non venit in Senatum, quia conviviis ejusmodi erat impeditus, non quæ propter suos, sed amici alicujus parasiti natalitia celebrabat.

50. *Phormioni, &c.*] Hominum profert nomina, qui famosi partim apud Terentium, partim apud Plautum parasiti sunt.

52. *Principem Senatorem.*] L. Cæsarem avunculum habuit Antonius.

56. *In eo templo.*] In Concordiæ templo, vel in curia quæ sacra erat, ideoque sæpe templi nomine appellatur, neque enim in alio loco, quàm in Sacro, haberi Senatum fas erat.

60. *Clivum Capitolinum.*] Clivus Capitolinus collis fuit, cujus in supremo vertice Capitolium erat, ubi arx fuit, & Jovis templum.

61. *Nefaria Senatusconsulta.*] Ironice loquitur; intelligit enim Senatusconsulta, quæ de conjuratis facta sunt, quibus liberata est Respub. & illi patriæ liberatores pœnâ affecti sunt.

memi-

meminisset, cùm Senatus in hoc templo esset, in clivo Capitolino non fuit? quis nomen non dedit? quanquam nec scribæ sufficere, nec tabulæ nomina illorum capere potuerunt. Etenim cum homines nefarii de patriæ parricidio confiterentur, conscio-
rum indiciis, sua manu, voce penè literarum coacti, se urbem 70
inflammare, cives trucidare, vastare Italiam, delere rempublicam consensisse; quis esset, qui ad salutem communem defendendam non excitaretur? præsertim cùm Senatus populusque Romanus haberet ducem, qualis si quis nunc esset, tibi idem, quod illis accidit, contigisset.

IV. Ad sepulturam corpus vitrici sui negat à me datum. Hoc 75
verò ne P. quidem Clodius dixit unquam: quem, quia jure ei 1
fui inimicus, doleo à te jam omnibus vitiis esse superatum. Quid autem tibi venit in mentem [a] redigere in memoriam nostram, te domi P. Lentuli esse educatum? an verebare, ne non putare- 5
mus natura te potuisse tam improbum evadere, nisi accessisset etiam disciplina? Tam autem eras [b] excors, ut tota in oratione tua tecum ipse pugnares: ut non modò non cohærentia inter se diceres, sed maxime disjuncta, atque contraria: ut non tanta mecum, quanta tecum, tibi esset contentio. Vitricum tuum in tan- 10
to fuisse scelere fatebare, pœnâ affectum querebare. Ita, quod proprie meum est, laudasti; quod totum Senatûs est, reprehendisti: nam comprehensio sontium, mea; animadversio, Senatus fuit: homo disertus non intelligit eum, quem contra dicit, laudari à se; eos, apud quos dicit, vituperari. Jam illud cujus est 15
non dico audaciæ (cupit enim se audacem dici) sed, quod minime vult, stultitiæ, quâ vincit omnes, clivi Capitolini mentionem facere, cum inter subsellia nostra versentur armati? cùm in hac cellâ Concordiæ, ô dii immortales! in quâ, me Consule, salutares sententiæ dictæ sunt, quibus ad hanc diem 20

[a] *revocare.* [b] *stultus.*

66. *Capitolino non fuit.*] Statim atque periculum aliquod seditionis aut tumultûs oriebatur, pergebant Romam cives ad Capitolium, ut inde urbem defenderent.

67. *Quis nomen non dedit.*] Milites dabant nomina, tum eorum delectus habebatur, deinde militiæ sacramento obstringebantur.

69. *Conscierum indiciis.*] Præter multos Cesarius quidam, fide publicâ interpositâ totam conjurationem patefecit; quare, vel, propriâ confessione convicti conjuratores condemnati sunt.

74. *Haberet ducem.*] Detectam hanc conjurationem extinxit Consul Cicero, quem ducem tum cum omni Senatu populus secutus est.

Ib. *Quod illis accidit.*] Si quis jam Consul Ciceroni similis esset, Antonius eodem supplicio, quo Catilinarii conjuratores, afficeretur.

1. *Ad sepulturam.*] Objecit Antonius Ciceroni, quod sepeliendum Lentuli Suræ cadaver denegarat. Quod falsum fuisse docet Plutarchus in Antonio.

5. *Domi Lentuli.*] Lentulus ille nobilis quidem fuit; sed omnibus flagitiis inquinatus. Vide Plutarch in Cic.

19. *In hac cellâ Concordiæ.*] Templum Concordiæ in clivo Capitolino fuit; cella vero pars erat templi, ubi res divina fiebat, & ubi numinis simulachrum.

vixi-

viximus, cum gladiis homines collocati ſtent? Accuſa Senatum: accuſa equeſtrem ordinem, qui tum cum Senatu copulatus fuit: accuſa omnes ordines, cives, dum confiteare hunc ordinem, hoc ipſo tempore ab Ityræis circumſederi. Hæc tu non propter audaciam dicis tam impudenter, ſed quia tantarum rerum repugnantiam non videas: nihil profectò ſapis; quid eſt enim dementius, quàm, cum ipſe reipublicæ pernicioſa arma ceperis, objicere alteri ſalutaria? At etiam quodam loco facetus eſſe voluiſti: quàm id te, dii boni! non decebat? in quo eſt tua culpa nonnulla; aliquid enim [c] ſalis ab uxore mima trahere potuiſti: *Cedant arma togæ*; quid tum? nonne ceſſerunt? At poſtea tuis armis ceſſit toga. Quæramus igitur utrum melius fuerit libertati populi Romani ſceleratorum arma, an libertatem noſtram armis tuis cedere? Nec vero tibi de verſibus plura reſpondebo: tantùm dicam breviter, te neque illos, neque ullas omnino literas noſſe: me nec reipublicæ, nec amicis unquam defuiſſe, & tamen omni genere monumentorum meorum perfeciſſe operis ſubſecivis, ut meæ [d] vigiliæ meæque literæ & juventuti utilitatis, & nomini Romano laudis aliquid adferrent.

[c] *facetiarum.* [d] *elucubrationes.*

24. *Ityræis.*] Ityræi ab Ityræa Paleſtinæ Judeæ regione oicti, unde Antonius, cùm ibi militaret Gabinio Proconſule multos ſatellites abduxit.

30. *Uxore mima.*] Antonius nobili licet, mimam quandam nomine Hippiam uxorem accepit, quam Volumniam appellavit.

Ib. *Cedant arma togæ.*] Verſus à Cicerone editus de ſuo Conſulatu, in quo licet togatus conjurationem excitatam à Catilina extinxit, & arma fregit: de quo verſu multa in Oratione in Piſonem dicta ſunt, Parag. XII. Locum conſule.

37. *Monumentorum meorum.*] Monumentum id omne dicitur, quod memoriæ ſervandæ gratia exiſtit. Quare cum ad poſteritatem tranſmittenda eſſent, quæ in omni genere diſciplinæ & eruditionis à Cicerone ſcripta ſunt, recte monumentorum nomine conſignantur.

Ib. *Subſecivis.*] Subſeciva opera dicuntur, quæ à conſuetis & quotidianis operis detracta ſunt.

TERTIA PARS.

Auctorem fuiſſe multorum ſcelerum Antonium.

1 V. Sed hæc non hujus temporis: majora videamus. P. Clodium meo conſilio interfectum eſſe, dixiſti. Quidnam homines putarent, ſit tum occiſus eſſet, cum tu illum in foro, inſpectante populo Romano, gladio ſtricto inſecutus es: negotiumque [a] tranſegiſſes, niſi ille

[a] *confeciſſes.*

se in scalas tabernæ librariæ conjeciſſet, hiſque oppilatis [b] impetum tuum [c] compreſſiſſet? Quod quidem ego faviſſe me tibi fateor, ſuaſiſſe ne tu quidem dicis; at Miloni ne favere quidem potui; priùs enim rem tranſegit, quàm quiſquam eum id facturum ſuſpicaretur. At ego ſuaſi. Scilicet is animus erat Milonis, ut prodeſſe reipublicæ ſine ſuaſore non poſſet. At lætatus ſum; quid ergo? in tanta lætitia cunctæ civitatis me unum triſtem eſſe oportebat? Quanquam de morte P. Clodii fuit quæſtio non ſatis prudenter illa quidem conſtituta: quid enim attinebat nova lege quæri de eo, qui hominem occidiſſet, cum eſſet legibus quæſtio conſtituta? quæſitum eſt tamen. Quod ergo, cum res agebatur, nemo in me dixit; id tot annis poſt tu es inventus, qui diceres? Quod vero dicere auſus es, idque multis verbis, opera mea Pompeium à Cæſaris amicitia eſſe disjunctum, ob eamque cauſam meâ culpâ civile bellum eſſe natum: in eo non tu quidem tota re, ſed, quod maximum eſt, temporibus erraſti. Ego M. Bibulo, præſtantiſſimo cive, Conſule, nihil prætermiſi, quantum facere enitique potui, quin Pompeium à Cæſaris conjunctione avocarem: in quo Cæſar fuit felicior; ipſe enim Pompeium à mea familiaritate disjunxit. Poſtea vero quam ſe totum Pompeius Cæſari tradidit, quid ego illum ab eo diſtrahere conarer? ſtulti erat ſperare: ſuadere impudentis. Duo tamen tempora inciderunt, quibus aliquid contra Cæſarem Pompeio ſuaſerim: ea velim reprehendas, ſi potes: unum, ne quinquennii imperium Cæſari prorogaret: alterum, ne pateretur fieri, ut abſentis ejus ratio haberetur: quorum ſi utrumvis perſuaſiſſem, in has miſeri-

as

[b] *clauſis.* [c] *repreſſiſſet.*

12. *Fuit quæſtio.*] Legem tulit Pompeius, ut de cæde in Appia via facta quæreretur. Vide Orat. pro Mil. ubi iſta fuſe tractantur Paragr. V.

13. *Non ſatis prudenter.*] Fruſtra nova quæſtio de Clodii cæde lata eſt, cùm jam de morte civium lege XII. tabularum eſſet conſtitutum.

19. *Non quidem tota re.*] Pompeium quidem abducere à Cæſare Cicero conatus eſt, dum verebatur, ne conjunctis armis Reipublicæ & Senatus auctoritatem convelerent; non vero cum bellum civile inter eos vidit exardere. Nam revera ſemper & auctor & ſuaſor pacis fuerat Cicero. Vide Orat. pro Marcello Paragr. III. I. 29

20. *M. Bibulo.*] Marcus ille Bibulus Conſul fuit cum Cæſare, qui ſibi totius Conſulatûs poteſtatem arripuit, imo Bibulum collegam ſuum à Senatu prohibuit. Tunc inita eſt Cæſarem, Pompeium, & Craſſum inter ſocietas: adeo ut eorum arbitrio tota Reſpublica gubernaretur. Tunc autem temporis optabant omnes boni cives, ut Cæſar à Pompeio ſejungeretur.

24 *Pompeius Cæſari tradidit.*] Pompeius Juliam Cæſaris filiam uxorem duxit, ex quo matrimonio firmata eſt Cæſarem inter & Pompeium amicitia.

28. *Ne quinquennii imperium.*] Galliam utramque cum Illyrico lege Vatinia Cæſar obtinuerat in quinquennium. Quo elapſo effecit per Pompeium & Craſſum iterum ut per tot annos idem imperium ſibi prorogaretur. Cui legi cùm Cato adverſaretur, à Trebonio Tribuno plebis in vincula conjectus eſt.

29. *Abſentis ejus ratio haberetur.*] Cum unus eſſet tantum Conſul Pompeius in Republicâ poſt mortem Clodii, egit

as nunquam incidiſſemus. Atque idem ego, cùm jam omnes opes & ſuas, & populi Rom. Pompeius ad Cæſarem detuliſſet, ſeròque ea ſentire cœpiſſet, quæ ego ante multo provideram, inferrique patriæ bellum nefarium viderem; pacis, concordiæ, compoſitionis auctor eſſe non deſtiti: meaque illa vox eſt nota multis, UTINAM, Cn. Pompei, cum C. Cæſare ſocietatem aut nunquam [d] coiſſes, aut nunquam diremiſſes! fuit alterum gravitatis, alterum prudentiæ tuæ. Hæc mea, M. Antoni, ſemper & de Pompeio, & de republica conſilia fuerunt: quæ ſi valuiſſent, reſpublica ſtaret; tu tuis flagitiis, egeſtate, infamia, concidiſſes. Sed hæc vetera: illud vero recens, Cæſarem meo conſilio interfectum. Jam vereor, Patres Conſcripti, ne, quod turpiſſimum eſt, prævaricatorem mihi appoſuiſſe videar, qui me non ſolùm meis laudibus ornaret, ſed etiam oneraret alienis: quis enim [e] meum in iſta ſocietate glorioſiſſimi facti nomen audivit? cujus autem qui in eo numero fuiſſet, nomen eſt occultatum? occultatum dico? cujus non ſtatim divulgatum? citius dixerim jactaſſe ſe aliquos, ut fuiſſe in ea ſocietate viderentur, cùm conſcii non fuiſſent, quàm ut quiſquam celari vellet qui fuiſſet. Quàm veriſimile porrò eſt, in tot hominibus partim obſcuris, partim adoleſcentibus, neminem occultantibus, meum nomen latere potuiſſe? Etenim ſi auctores ad liberandam patriam [f] deſiderarentur illis auctoribus, Brutos ego impellerem, quorum uterque L. Bruti imaginem quotidie videret, alter etiam Ahalæ? Hi igitur his majoribus orti ab alienis potius conſilium peterent, quàm à ſuis? & foris potius, quàm domo?

[d] *conjunxiſſes.* [e] *nominari me.* [f] *non eſſent.*

git Cæſar cum Tribunis plebis, ut ad populum referrent, ut ſibi licèt abſenti Conſulatus iterum decerneretur; quod neque Catoni, neque Ciceroni probatum eſt, qui Pompeium in lit. ad Att. provinciæ propagatorem, & abſentis Cæſaris in omnibus adjutorem vocat.

31. *Opes & ſuas & pop. Rom.*] Pompeius duas legiones ad Cæſarem in Galliam miſit, ut Plutarchus refert in Pomp.

37. *Alterum gravitatis.*] Pertinuit ad gravitatem Pompeii initam ſocietatem non dirimere; ad prudentiam, non feciſſe, ſed prævidiſſe mala ex eâ ſecutura.

42. *Prævaricatorem.*] Prævaricator dicitur, qui, quam cautam defendit, corruptus prodit.

44. *Sed etiam alienis.*] Brutus & Caſſius & cæteri qui Cæſarem interfecerunt, ſingulari laude digni ſunt, quia perturbatorem Reipublicæ ſuſtulerunt; ejuſdem laudis participem Antonius facere voluit Ciceronem, dum eum auctorem ejus cædis dixit.

52. *Brutos ego impellerem.*] Vult oſtendere Cicero non fuiſſe ſibi opus Brutos ad cædem Cæſaris impellere, cùm domeſticos haberent impulſores. Nam habebat exemplum M. Brutus illius Junii Bruti, à quo ducebat originem, qui primis imperii Romani temporibus Tarquinios ejecerat: & Ahalæ Servilii, à quo ex materno genere oriundus erat, qui Spurium Melium largitione frumenti regnum affectantem in medio foro interfecit; quique eâ de causâ à Cincinnato Dictatore ſummis laudibus cumulatus eſt.

55. *Quàm domo.*] Excitabatur ad id facinus ab ipſis ſuis majoribus Brutus, quorum imagines domi habebat; mos enim fuit apud Romanos, ut majorum ſuorum imagines in atrio domûs apud ſe aſſervarent.

Quid?

Quid? C. Caſſius, in eâ familiâ natus, quæ non modò dominatum, ſed ne potentiam quidem cujuſquam ferre potuit, me auctorem, credo, deſideravit: qui etiam ſine his clariſſimis viris hanc rem in Cilicia, ad oſtium fluminis Cydni, confeciſſet, ſi ille ad eam ripam, quam conſtituerat, non ad contrariam, naves appuliſſet. Cn. Domitium non patris interitus, clariſſimi viri, non avunculi mors, non ſpoliatio dignitatis, ad recuperandam libertatem, ſed mea auctoritas excitavit? An C. Trebonio ego perſuaſi, cui ne ſuadere quidem auſus eſſem? quo etiam majorem ei reſpublica gratiam debet, qui libertatem populi Romani unius amicitiæ præpoſuit; depulſorque dominatûs, quàm particeps eſſe maluit. An L. Tullius Cimber me eſt auctorem ſecutus? quem ego magìs feciſſe illam rem ſum admiratus, quàm facturum putavi; admiratus ſum autem ob eam cauſam, quòd immemor beneficiorum, memor patriæ fuiſſet. Quid duos Servilios, Caſcas dicam, an Ahalas? & hos auctoritate meâ cenſes excitatos potiùs, quàm caritate reipublicæ? Longum eſt perſequi cæteros: idque reipublicæ præclarum, fuiſſe tam multos, ipſis glorioſum. At quemadmodum me coarguerit homo acutus, recordamini. Cæſare interfecto, inquit, ſtatim cruentum altè extollens M. Brutus pugionem, Ciceronem nominatim exclamavit, atque ei recuperatam libertatem eſt gratulatus. Cur mihi potiſſimùm? [ε] quòd ſciebam? Vide ne illa cauſa fuerit appellandi mei, quòd cùm rem geſſiſſet conſimilem rebus eis, quas ipſe geſſeram, me potiſſimùm

[ε] *an quia noveram?*

56. *Caſſius in ea familia natus.* Caſſius habuit in ſuâ familiâ Caſſium illum, qui filium interemit, quod in ſuſpicionem regni affectandi veniſſet, cujus bona Cereri conſecravit. Vide Halicarn. lib. 8.

58. *His clariſſimis viris.*] Duos Brutos intelligit, qui cum eo Cæſarem interfecerunt in Senatu.

59. *In Ciliciâ.*] Cum poſt Pharſalicam pugnam fugientem Pompeium Cæſar ſequeretur, ad Helleſpontum pervenit, ubi ei Caſſius obviàm factus, ei ſeptuaginta triremes dedit, cum anteà de interficiendo eo Caſſius cogitaret.

Ib. *Cydni.*] Cydnus fluvius eſt in Cilicia, Tarſum urbem præterfluens; cujus aqua frigidiſſima eſt.

61. *Cn. Domitium.*] Cn. Domitius adoleſcens in ea conjuratione fuit; ejus pater Pompeium ſecutus, in acie Pharſalicâ occubuit.

Ib. *Non avunculi mors.*] Domitius ille junior avunculum habuit Catonem Uticenſem, cujus ſororem pater Domitius uxorem duxerat; alteram M. Bibulus.

63. *An C. Trebonio.*] Trebonius ſtabat à partibus Cæſaris, eique amiciſſimus erat.

67. *L. Tullius Cimber.*] Seneca in epiſtolis ad Lucilium ait, hunc Cimbrum vinolentum & ebrioſum fuiſſe: huicque tamen de Cæſaris Dictatoris cæde tam creditam rem eſſe, quam Caſſio, qui totâ vitâ aquam bibit.

70. *Duos Servilios.*] P. Servilius pater Conſul anno urbis 673, expugnatis Iſaurorum oppidis triumphavit, & Iſaurici nomen retulit: ejus filius bis Conſul fuit.

79. *Conſimilem.*] Cicero liberaverat patriam ab incendio, & à Catilinæ conjuratione; & Brutus à Cæſaris dominatu.

teſtatus eſt, ſe æmulum mearum laudum exſtitiſſe. Tu autem, omnium ſtultiſſime, non intelligis, ſi id, quod me arguis, voluiſſe interfici Cæſarem, crimen ſit; etiam lætatum eſſe morte Cæſaris crimen eſſe? quid enim intereſt inter ſuaſorem facti, & probatorem? aut quid refert utrum voluerim fieri, an gaudeam factum? ecquis eſt igitur, te excepto, & iis qui illum regnare gaudebant? qui illud aut fieri noluerit, aut factum improbârit? omnes enim in culpâ; etenim omnes boni, quantum in ipſis fuit, Cæſarem occidêrunt: aliis conſilium, aliis animus, aliis occaſio defuit; voluntas nemini. Sed ſtuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite; ſic enim dixit: M. BRUTUS, QUEM EGO HONORIS CAUSA NOMINO, CRUENTUM PUGIONEM TENENS, CICERONEM EXCLAMAVIT: EX QUO INTELLIGI DEBET, EUM CONSCIUM FUISSE. Ergò ego ſceleratus appellor à te, quem tu ſuſpicatum aliquid ſuſpicaris: ille qui [b] ſtillantem præ ſe pugionem tulit, is à te honoris causâ nominatur?

VI. Eſto: ſit in verbis tuis hic ſtupor; quanto in rebus ſententiiſque major: Conſtitue hoc Conſul aliquando: Brutorum, C. Caſſii, Cn. Domitii, C. Trebonii, reliquorum quam velis eſſe cauſam: [a] edormi crapulam, inquam, & exhala: an faces admovendæ ſunt, quæ te excitent tantæ cauſæ indormientem? nunquam-ne intelliges, ſtatuendum tibi eſſe, utrum illi, qui iſtam rem geſſerunt, homicidæ ſint, an vindices libertatis? Attende enim pauliſper, cognationémque ſobrii hominis ad punctum temporis ſuſcipe; etenim ego, qui ſum illorum, ut ipſe fateor, familiaris, ut à te arguor, [b] ſocius, nego quidquam eſſe medium: confiteor eos, niſi liberatores populi Romani, conſervatoréſque reipublicæ ſint, plus quàm ſicarios, plus quàm homicidas, plus etiam quàm parricidas eſſe: ſiquidem eſt atrocius patriæ parentem, quàm ſuum occidere. Tu, homo ſapiens & conſiderate, quid dicis? ſi parricidæ; cur honoris causâ à te ſunt, & in hoc ordine, & apud populum Roma-

[a] *cruentum.* [a] *concoque.* [b] *conſcius.*

89. *Stuporem hominis.*] Tam ſtupidus Antonius eſt, ut laudet Brutum auctorem mortis Cæſaris, & Ciceronem probatorem vituperet.

2. *Conſul.*] Quoniam Conſul erat Antonius, ad eum pertinebat de Republica primus vel ſententiam dicere, vel rogare alios ut dicerent.

3. *Quam velis eſſe cauſam.*] Petit ab Antonio, ut ſtatuat bona-ne ſit cauſa eorum qui interfecerunt Cæſarem, vel mala.

4. *Faces.*] Olim Romani facibus utebantur metaphoricè, ut nos fuſtibus: perinde igitur eſt, ac ſi diceret, *Tu diu nimium dormis, indiges baculo vel fuſte ut exciteris.*

10. *Eſſe medium.*] Nihil medium eſt parricidam inter & patriæ liberatorem.

12. *Sicarios.*] Sicarii dicuntur qui ſicam geſtant.

13. *Atrocius patriæ parentem.*] Atrocius eſt parentem patriæ, quàm proprium parentem interficere; quia ſe lædit tantùm & patrem, qui eum; at omnes cives, qui patriæ parentem necat.

num,

num, ſemper appellati? cur M. Brutus, te referente, legibus eſt ſolutus, ſi ab urbe plus quàm decem dies abfuiſſet? cur ludi Apollinares incredibili M. Bruti honore celebrati? cur provinciæ Caſſio & Bruto datæ? cur Quæſtores additi? cur legatorum numerus auctus? Atque hæc acta per te; non igitur homicidæ: ſequitur ut liberatores tuo judicio ſint; quandoquidem tertium nihil poteſt eſſe. Quid eſt? num conturbo te? non enim fortaſsè ſatìs, quæ diſtinctiùs dicuntur, intelligis; ſed tamen hæc eſt ſumma concluſionis meæ: quoniam ſcelere à te liberati ſunt, ab eodem te ampliſſimis præmiis digniſſimi judicati ſunt. Itaque jam [c] retexo orationem meam, ſcribam ad illos, ut ſi quid fortè, quod à te mihi objectum eſt, quærent, ſit-ne verum; ne cui negent: etenim vereor, aut ne celatum me illis ipſis non honeſtum; aut invitatum refugiſſe mihi ſit turpiſſimum. Quæ enim res unquam (proh ſancte Jupiter!) non modò in hac urbe, ſed in omnibus terris eſt geſta major? quæ glorioſior? quæ commendatior hominum memoriæ ſempiternæ? in hujus me conſilii ſocietatem, tanquam in equum Trojanum cum principibus includis? non recuſo. Ago etiam gratias, quoquo animo facis; tanta enim res eſt, ut invidiam iſtam, quam tu in me vis conçitare, cum laude non comparem. Quid enim beatius illis, quos tu expulſos à te prædicas & relegatos? qui locus eſt aut tam deſertus, aut tam inhumanus, qui illos, quò acceſſerint, non affari atque appetere videatur? qui homines tam agreſtes, qui ſe, cùm eos adſpexerint, non maximum cepiſſe vitæ fructum putent? quæ verò tam immemor poſteritas, quæ tam ingratæ literæ reperientur, quæ eorum gloriam non

[c] *muto.*

16. *Te referente.*] Dicebatur is referre, qui primus ſententiam rogabat.

Ib. *Legibus eſt ſolutus.*] Cum legibus cautum eſſet, ne Prætor abeſſet plus quàm decem dies ab urbe; Antonius de Bruto retulit in Senatu, ut liceret abeſſe, cum rei frumentariæ præfectus eſſet, ideóque legum neceſſitate liberatus eſt.

17. *Ludi Apollinares.*] Illi ludi in honorem Apollinis celebrabantur, cùm peſtilentia Romæ graſſabatur: illos laureatus populus ſpectabat.

18. *Cur provinciæ Caſſio & Bruto.*] Macedonia decreta jam Bruto fuerat, & Syria Caſſio: ſed cùm Antonius Macedoniam, & Syriam Dolabella ſibi aſſumpſiſſent, Creta Caſſio, Bithynia Bruto data eſt.

19. *Quæſtores additi.*] Sequebantur Quæſtores in provinciam Proconſules, ad pecunias adminiſtrandas.

Ib. *Legatorum numerus.*] Legati erant Proconſulum vicarii, vulgóque decem aſſignabantur, quibus legiones & auxilia obtemperabant.

26. *Scribam ad illos.*] Hactenùs negavit Cicero, ſe in eâ fuiſſe conſpiratione contra Cæſarem; nunc Ironicè ait, in eâ ſe fuiſſe, & ſcripturum ad Brutum & Caſſium, ut rem totam aperiant.

33. *In equum Trojanum.*] In equo ligneo inclufos fuiſſe Græcorum principes, ſcriptum eſt in Fabulis, indéque erupiſſe ad Trojamevertendam. Vide Virgil. lib. 2. Æneid. Hinc natum eſt illud proverbium. Plinius, lib. 7. credit, equum Trojanum fuiſſe machinam muralem, quæ nunc aries appellatur; cujus Epeus fabricator eſt.

immortalitatis memoriâ prosequantur? Tu verò adscribe me talem in numerum. Sed unam rem vereor, ne non probes; si enim fuissem, non solum regem, sed regnum etiam de rpublicâ sustulissem: & si meus [d] stilus ille fuisset (ut dicitur) mihi crede non solum unum actum, sed totam fabulam confeciſſem. Quanquam si interfici Cæsarem voluisse crimen est, vide quæso, Antoni, quid tibi futurum sit; quem & Narbone hoc consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est, & ob ejus consilii societatem, cùm interficeretur Cæsar, tum te à Trebonio vidimus sevocari. Ego autem (vide quàm tecum agam non inimicè) quod benè cogitâsti aliquando, laudo; quod non indicasti, gratias ago; quod non feciſti, ignosco; virum res illa quærebat. Quòd si te in judicium quis adducat, usurpetque illud Cassianum, CUI BONO FUERIT, vide, quæso, ne [e] hæreas; quanquam illud quidem fuit, ut tu dicebas, omnibus bono, qui servire nolebant; tibi tamen præcipuè, qui non modò non servis, sed etiam regnas: qui maximo te ære alieno ad ædem Opis liberâsti: qui per easdem tabulas innumerabilem pecuniam dissipavisti: ad

[d] *pugio.* [e] *vincaris.*

43. *Non solum regem, sed regnum etiam.*] Ait Cicero, si illâ fuisset conspiratione, se non solum Cæsarem, sed Antonium etiam interfecturum fuisse: & id videtur innuere, Epist. 1. ad Cass. & Epist. 8, 10, & 16. ad Att. lib. 14.

45. *Non solum unum actum, sed totam fabulam.*] Respicit ad tragœdias, quæ vulgò quinque actibus perficiuntur; quare ait, si illius tragœdiæ scriptor fuisset, non eam imperfectam se relicturum fuisse, sed eam ad ultimum usque actum completurum; completa autem fuisset fabula interfecto Antonio.

47. *Narbone.*] Narbo, qui Martius dictus est, Galliæ civitas antiquissima, à quâ nomen provinciæ.

Ib. *Hoc consilium.*] Cum inter se conjurati de interficiendo Cæsare deliberarent, inter illos actum est, an Antonium ad rem perficiendam invitarent: at contradixit Trebonius, causatus se Antonii mentem exploratam habere, quem jam ad id excitârat, cum Cæsar ex Hispaniâ reverteretur; at Antonium recusâsse, nec tamen indicâsse Cæsari, sed fideliter tacuisse; quare iterum ab eis deliberatum est, an cum Cæsare Antonium occiderent: sed id prohibuit Brutus; censuit enim rem, quæ pro legibus & libertate suscipereturr, carere omni invidiâ debere.

49. *Sevocari.*] Sevocant qui consilia privata & secreta communicant. Cum actum esset à conjuratis de interficiendo Cæsare, Trebonio datum est negotium, ut eo ingresso in Senatum, Antonium extra morarretur, sevocaretque; verebantur enim in Antonio potestatem Consularem.

52. *Virum res illa quærebat.*] Ad id facinus audendum opus erat viro forti & probo, qualis non est Antonius, qui unice sibi studet, neglectâ Repub.

53. *Cui bono fuerit.*] De illo Cassiano dictum est in Orat. pro Milone, Parag. VIII. lin. 4.

57. *Ad ædem Opis.*] De eâ æde seu templo in superiori Oratione dictum est, ubi fuit ærarium populi Romani, quod prædatus est Antonius.

Ib. *Per easdem tabulas.*] Aut intelligit tabulas Cæsaris, in quibus ejus acta continebantur: vel tabulas eorumdem creditorum; nam solutâ pecuniâ veteri debitâ, priores tabulas cum iisdem creditoribus Antonius renovavit, rursus mutuatus ab eisdem pecunias, quas dissiparet.

quem è domo Cæſaris tam multa delata ſunt: cujus domus quæ- 60
ſtuoſiſſima eſt falſorum commentariorum & chirographorum officina, agrorum, oppidorum, immunitatum, vectigalium, flagitioſiſſimæ nundinæ. Etenim quæ res egeſtati & æri alieno tuo, præter mortem Cæſaris, ſubvenire potuiſſet? Neſcio quid conturbatus eſſe mihi videris; nunquid ſubtimes, ne ad te [f] hoc cri- 65
men pertinere videatur? libero te metu; nemo credet unquam: non eſt tuum de republicâ bene mereri: habet iſtius pulcherrimi facti clariſſimos viros reſpublica auctores: ego te tantùm gaudere dico, feciſſe non arguo. Reſpondi maximis criminibus: nunc etiam reliquis reſpondendum eſt. 70

VII. Caſtra mihi Pompeii atque omne illud tempus objeciſti; quo quidem tempore, ſi, ut dixi, meum conſilium auctoritaſque valuiſſet, tu hodie egeres, nos liberi eſſemus; reſpublica non tot duces & exercitus amiſiſſet. Fateor enim, me, cum ea, quæ accidêrunt, providerem futura, tantâ in mœſtitiâ fuiſſe, quanta cæ- 5
teri optimi cives, ſi idem providiſſent, fuiſſent. Dolebam, dolebam, P. C. rempublicam veſtris quondam meiſque conſiliis conſervatam, brevi tempore eſſe perituram. Neque vero eram tam indoctus ignaruſque rerum, ut frangerer animo propter vitæ cupiditatem, quæ me manens conficeret angoribus, dimiſſâ moleſtiis 10
omnibus liberaret; illos ego præſtantiſſimos viros, lumina reipublicæ, vivere volebam, tot Conſulares, tot Prætorios, tot honeſtiſſimos Senatores, omnem præterea florem nobilitatis ac juventutis, tum optimorum civium exercitus: qui ſi viverent, quamvis iniquâ conditione pacis (mihi enim pax omnis cum civibus bel- 15
lo civili utilior videbatur) rempublicam hodie teneremus. Quæ ſententia ſi valuiſſet, ac non ii maxime mihi, quorum ego vitæ conſule-

[f] *accuſatio.*

60. *Ad quem è domo Cæſaris.*] Mortuo Cæſare, omnes ejus amici ad Antonium confugerunt, ad quem & Calpurnia Cæſaris uxor relictam ab eo pecuniam detulit.

61. *Falſorum commentariorum.*] Antonius adulteravit Cæſaris commentarios, quos ad arbitrium ſuum protulit.

68. *Clariſſimos viros.*] Brutum, Caſſium, & alios conjurationis in Cæſarem auctores.

Ib. *Tantum gaudere.*] Erat cur gauderet Antonius de morte Cæſaris, quia maximos ex eâ fructus & utilitates percepérat; hinc exhauſit ærarium, adulteratis commentariis, dedit provincias quibus voluit, &c.

1. *Caſtra Pompeii.*] Objecit Ciceroni Antonius, quod Pompeium ſecutus, omnia in caſtris perturbâſſet: quod refutat.

3. *Nos liberi eſſemus.*] Cùm in caſtra Pompeii veniſſet Cicero, ibique omnia perturbatè agerentur, ſuaſit pacem, quâ compoſitâ, priſtina Reipublicæ libertas reſtitueretur.

Ib. *Tot duces.*] In illo civili bello præſtantiſſimi viri perierunt; Pompeius ſcilicet, Cato, Petreius, & Afranius.

11. *Præſtantiſſimos viros.*] De illis loquitur, qui in acie Pharſalicâ perierunt.

15. *Iniquâ conditione pacis.*] Optandum fuiſſet potiùs ad Cæſarem rem rediſſe, quàm tot viros egregios periiſſe.

17. *Ac non ii maximè.*] Pompeius & Cice-

ſulebam, ſpe victoriæ elati obſtitiſſent; ut alia omittam, tu certè nunquam in hoc ordine, vel potius nunquam in hac urbe manſiſſes. At verò Cn. Pompeii voluntatem à me abalienabat oratio mea; an ille quemquam plus dilexit? cum nullo aut ſermones, aut conſilia [a] contulit ſæpius? quod quidem erat magnum, de [b] ſummâ rep. diſſentientes, in eâdem conſuetudine amicitiæ permanere: ſed & ego quid ille, & contra ille quid ego & ſentirem & ſpectarem, videbat; ego incolumitati civium primùm, ut poſteà dignitati poſſemus? ille præſenti dignitati potius conſulebat: quod autem habebat uterque quod ſequeretur, idcircò tolerabilior erat noſtra diſſenſio. Quid vero ille ſingularis vir ac penè divinus de me ſenſerit, ſciunt qui eum de Pharſalicâ fugâ Paphum perſecuti ſunt; nunquam ab eo mentio de me, niſi honorifica, niſi plena amiciſſimi deſiderii, cùm me vidiſſe plus fateretur, ſe ſperaviſſe meliora: & ejus viri nomine me inſectari audes, cujus me amicum, te ſectorem eſſe fateare? Sed omittatur bellum illud, in quo tu nimiùm felix fuiſti. Ne jocis quidem reſpondebo, quibus me in caſtris uſum eſſe dixiſti: erant illa quidem caſtra plena curæ; verùm tamen homines, quamvis in [c] turbidis rebus ſint, tamen, ſi modo homines ſunt, interdum animis relaxantur. Quòd autem idem mœſtitiam meam reprehendit, idem jocum; magno argumento eſt, me in utroque fuiſſe moderatum.

[a] *communicavit.* [b] *pace.* [c] *triſtibus.*

Cicero cenſebant bellum illud eſſe producendum; at obſiſtebant Senatores, & equites ferè univerſi, à quibus vel invitus Pompeius ad pugnam impulſus eſt, certiſſimam enim ſibi victoriam promittebant.

20. *At verò Cn. Pompeii.*] Objecerat Antonius Ciceroni, Pompeium in caſtris ab eo alieno fuiſſe animo, quòd ne jocis quidem in exercitu abſtinuiſſet; at Cicero Antonii calumniam diluit.

24. *Sed et ego quid ille.*] Pompeius nullam pacem volebat cum Cæſare: eam verò Cicero ſuadebat. Pompeius ſuam dignitatem ſpectabat, quam armis tueri volebat, vel cum periculo Reipub. Cicero incolumitatem, & dignitatem ſine periculo.

29. *Paphum.*] Pompeius Paphum fugit poſt Pharſalicam pugnam, oppidum Cypri, quod Agapenor condidit.

33. *Te ſectorem.*] Sector eſt æſtimator ac redemptor bonorum damnati atque proſcripti, qui ſpem ſectans lucri ſui, id eſt, ſecutus ſpem æſtimationis ſuæ, bona omnia auctione vendit, & ſemel infert pecuniam vel ærario, vel ſociis. Ita Pedianus. Cicero autem acerbè Antonium ſectorem Pompeii appellat, quia ſub haſtâ ea redemerat, cùm nemo alius ſat impudens repertus ſit, qui ad illud facinus accederet.

34. *Ne jocis quidem.*] Hilari quidem fuit animo Cicero, ſed mordaci; itaque cùm ei Pompeius objiceret: *Serò venis, Cicero: Non ſerò*, inquit ille, *nihil enim video paratum.* Ita cùm ei dixiſſet Pompeius in ſuâ manu eſſe victoriam, reſpondit, *Si tibi negotium eſſet cum mulieribus.* Et cùm poſt Pharſalicam pugnam Nonnius quidem retuliſſet, adhuc Aquilas ſeptem, quæ ſunt Romanarum ſigna, ſupereſſe, & ob id bono eſſent animo: *Recte*, inquit, *admones, ſi adverſus Græculos pugnaremus.*

Ha-

Hæreditates mihi negâſti venire. Utinam hoc tuum verum [d] cri- 40
men eſſet! plures amici mei & neceſſarii viverent: ſed quî iſtuc tibi venit in mentem? Ego enim ampliùs H. S ducenties acceptum hæreditabus retuli. Quanquam in hoc genere fateor feliciorem eſſe te: me nemo, niſi amicus, fecit hæredem, ut cum illo commodo, ſi quod erat, animi quidam dolor jungeretur; te is, 45
quem tu vidiſti nunquam, L. Rubrius Caſſinas fecit hæredem: & quidem vide, quàm te amârit is, qui, albus aterve fueris ignorans, fratris filium præteriit: Q. Furii honeſtiſſimi equitis Romani, ſuique amiciſſimi, quem palàm hæredem ſemper factitârat, ne nomen quidem perſcripſit; te, quem nunquam viderat, aut certe 50
nunquam ſalutaverat, fecit hæredem. Velim mihi dicas, niſi moleſtum eſt, L. Turſelius quâ facie fuerit, quâ ſtaturâ, quo municipio, quâ tribu; nihil ſcio, inquies, niſi quæ prædia habuerit: igitur fratrem exhæredans te faciebat hæredem. In multas præterea pecunias alieniſſimorum hominum, ejectis veris hæredibus, 55
tanquam hæres eſſet, invaſit. Quanquam hoc maximè admiratus ſum, mentionem te hæreditatum auſum eſſe facere, cùm ipſe hæreditatem patris non adiſſes. Hæc ut colligeres, homo amentiſſime, tot dies in alienâ villâ declamâſti? quanquam tu quidem (ut tui familiariſſimi dictitant) vini exhalandi, non ingenii acu- 60
endi

[d] *maledictum*, ſive *criminatio*.

40. *Hæreditates mihi negâſti venire.*] Aliud maledictum ſibi objectum ab Antonio de hæreditatibus refellit; turpe enim fuit apud Romanos nullam habere hæreditatem in teſtimonio amicorum.

1b. *Utinam.*] Optat Cicero, ut nulla ſibi hæreditas obveniſſet, ſi ejus viverent amici.

42. *H. S.*] Id eſt, ſeſtertia. (De ſeſtertiis dictum eſt Orat. in Cæcilium Paragr. V. l. 30.) H. S. autem *ducenties*, eſt ducenties centena millia nummûm, ſive ducenties centena ſeſtertia.

1b. *Acceptum hæreditatibus.*] Id eſt, ex hæreditatibus accepi. Expenſum ferre, & acceptum referre, uſitata locutio eſt, apud Latinos. Expenſa ferimus, quæ damus aliis; accepta referimus, quæ ab aliis accipimus. Hinc antiqui codicem accepti & expenſi vocant, in quo accepta & expenſa perſcribuntur.

43. *Quanquam in hoc genere.*] Oſtendit Cicero, amicitiam ſuam ſibi hæreditates comparâſſe; Antonium autem in aliorum hæreditates involâſſe.

46. *Rubrius Caſſinas.*] Caſſinum Campaniæ oppidum eſt, ubi Latina via cum Appiâ jungitur.

47. *Albus aterve.*] Proverbialis locutio de homine, qui negligitur.

48. *Fratris filium præteriit.*] Id eſt, eum hæredem non inſtituit, cum ab eo nominari debuiſſet.

50. *Quem nunquam viderat.*] Cùm non ſit probabile ab eo Antonium fuiſſe nominatum hæredem, quem nunquam viderat, probabilius certe eſt defuncti hominis bona invaſiſſe.

53. *Niſi quæ prædia habuerit.*] Illius Turſelii ſe quoque falſo hæredem ſcripſit Antonius, quem non tam novit, quàm quæ prædia illius ſibi vindicavit.

57. *Hæreditatem patris non adiſſes.*] Non adiit Antonius, patris hæreditatem, quia nullam ei reliquit; nam bona dilapidaverat.

59. *In alienâ villâ.*] Ridet Antonium, qui, ut hæc maledicta in Ciceronem conjiceret, ſe per ſeptendecim dies in Tiburtino Scipionis recepit, ut ad illam ſe declamationem exerceret.

60. *Vini exhalandi.*] In contemptum addu-

endi causâ declamitas. Et verò adhibes joci causâ magiſtrum, ſuffragio tuo & compotorum tuorum rhetorem; cui conceſſiſti ut in te, quæ vellet, diceret: [e] falſum omninò hominem! ſed materia facilis, [f] in te & in tuos dicta dicere. Vidè autem, quid interſit inter te & avum tuum: ille ſenſim dicebat, quod cauſæ prodeſſet; tu [g] curſim dicis aliena. At quanta merces rhetori data eſt? Audite, audite, P. C. & cognoſcite reipublicæ vulnera; duo millia jugerum campi Leontini Sex. Clodio rhetori aſſignati; & quidem immunia, ut pro tantâ mercede nihil ſapere diſceres: num etiam hoc, homo audaciſſime, ex Cæſaris commentariis? Sed dicam alio loco & de Leontino agro, & de Campano: quos iſte agros ereptos reipublicæ turpiſſimis poſſeſſoribus inquinavit. Jam enim quoniam criminibus ejus ſatis reſpondi, de ipſo emendatore & correctore noſtro quædam dicenda ſunt; nec enim omnia effundam, ut, ſi ſæpius decertandum ſit, ut erit, ſemper novus veniam: quam facultatem mihi multitudo iſtius vitiorum peccatorumque largitur.

[e] *facetum.* [f] *jocari & mordere te & tuos.* [g] *temere.*

adducit Antonium, dicendo eum non ſe tam declamationis, quàm crapulæ cauſa recepiſſe.

61. *Magiſtrum.*] Aſſumpſit ſibi magiſtrum declamandi Sextum Clodium.

62. *Rhetorem.*] Rhetor vocabulum quidem Græcum eſt, & idem quod Sophiſta, qui dat præcepta Rhetorica; eo verò tanquam Latino Romani uſi ſunt. Orator verò diverſus eſt à Rhetore, quod Orator nomen honoris fuit, utpote qui palàm diceret; Rhetor verò qui privatim ſuos exerceret.

65. *Et avum.*] Avus Antonii fuit celeberrimus ille Orator M. Antonius, de quo in lib. de Orat.

68. *Duo millia jugerum.*] Jugerum menſura agreſtis fuit, quæ in longitudinem pedum 240, in latitudinem 120, extenditur. Vulgò dicimus arvipendium.

Ib. *Campi Leontini.*] Leontium urbs eſt Siciliæ Septentrionalis, agris feraciſſima.

69. *Immunia.*] Illa jugera nullum vectigal pendere voluit Antonius, contra leges Siculorum, quorum agri decumam pendebant.

70. *Ex Cæſaris commentariis.*] Carpit Antonium, qui dicet haud dubie ex commentariis relictis à Cæſare huic Clodio hæc aſſignata fuiſſe jugera.

71. *De Campano.*] Campanus ager publicus erat, quem Antonius largitus eſt.

CONFIRMATIO.

Continet, quid egerit in pueritiâ, quid in magiſtratibus: ac 1. *quid in tribunatu;* 2. *quid in equitum magiſterio;* 3. *quid in privatâ vitâ;* 4. *quid in Conſulatu.*

PRIMA PARS.

Quid egerit Antonius in pueritiâ.

VIII. Viſne igitur te inſpiciamus à puero? ſic opinor; à principio

pio ordiamur. Teneſne memoriâ prætextatum te decoxiſſe? patris, inquies, iſta culpa eſt; concedo: at enim eſt pietatis plena defenſio. Illud tamen audaciæ tuæ, quod ſedifti in quatuordecim ordinibus, cùm eſſet lege Roſciâ decoctoribus certus locus conſtitutus, quamvis quis fortunæ vitio, non ſuo decoxiſſet. Sumpſiſti virilem, quam ſtatim muliebrem togam reddidiſti: primò vulgare ſcortum: certa flagitii merces, nec ea parva: ſed citò Curio intervenit, qui te à meretricio quæſtu abduxit; &, tanquam ſtolam dediſſet, id matrimonio ſtabili & certo locavit. Nemo unquam puer emptus libidinis causâ tam fuit in domini poteſtate, quàm tu in Curionis: quoties te pater ejus domo ſuâ ejecit? quoties cuſtodes poſuit, ne limen intrares? cùm tamen tu, nocte ſociâ, hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere; quæ flagitia domus illa diutius ferre non potuit. Sciſne me de rebus mihi notiſſimis dicere? recordare tempus illud, cùm pater Curio mœrens jacebat in lecto: filius ſe ad pedes meos proſternens, lacrymans, te mihi commendabat: orabat ut te [a] contra ſuum patrem, ſi ſeſtertiûm ſexagies peteret, defenderem: tantùm enim ſe pro te [b] interceſſiſſe [dicebat.] Ipſe autem amore ardens confirmabat, quod deſiderium tui diſſidii ferre non poſſet, ſe in exilium eſſe iturum. Quo ego tempore tanta mala florentiſſimæ familiæ ſedavi, vel potius ſuſtuli; patri perſuaſi, ut æs alienum filii diſſolveret; redimeret adoleſcentem ſummâ ſpe & animi & ingenii præditum, rei familiaris facultatibus; eumque à tuâ non modò familiaritate, ſed etiam congreſſione, patrio jure & poteſtate prohiberet. Hæc tu cùm per me acta meminiſſes, niſi illis, quos videmus, [c] gladiis confideres, maledictis me provocare auſus

[a] *apud.* [b] *ſpoſpondiſſe.* [c] *armatis.*

2. *Prætextatum.*] Per prætextam ætas defignabatur. Nam veſte prætextâ utebantur pueri ab anno ſeptimo ad decimum ſextum. Prætexta autem dicta eſt, quod limbo purpureo circumduceretur, ſi et alterius eſſet coloris: eâdem veſte utebantur Romani nobiles.

Ib. *Decoxiſſe.*] Decoquere dicuntur, qui diminuto patrimonio fluxâ fide creditores fallunt, & circumſcribunt.

Ib. *Patris.*] Pater Antonii fuit ille M. Antonius Creticus, qui bona omnia abligurivit.

3. *Pietatis plena defenſio.*] Ironia.

5. *Lege Roſciâ.*] Tulit M. Roſcius Otho Tribunus plebis L. Metello & Q. Mart. Coſſ. anno urbis conditæ 682. ut in Theatro equitibus Rom. qui revera cenſum equeſtrem haberent, quatuordecim gradus ſpectandi gratia aſſignarentur; exceptis iis qui ſuo aut fortunæ vitio decoxiſſent.

7. *Muliebrem togam.*] *Togam* geſtabant meretrices, ut à matronis dignoſcerentur. Matronarum autem *ſtola* fuit ad pedes uſque dimiſſa. Mordet hic Antonium quaſi impudicum, & libidinibus infamem hominem.

Ib. *Vulgare ſcortum.*] Subauditur *fuit*: nam primam adoleſcentiam omnibus pro certâ mercede proſtituit Antonius.

9. *A meretricio quæſtu.*] Curio noluit Antonium proſtitutum omnium fuiſſe libidini, quare eum ſibi proprium voluit eſſe, ac ſi, detractâ togâ, ſtolam dediſſet.

19. *Seſtertiûm ſexagies.*] Id eſt, ſexagies centena, quæ efficiunt apud nos ſexaginta librarum millia.

20. *Ipſe.*] Curio filius.

eſſes?

eſſes? Sed jam ſtupra, & flagitia omittam; ſunt quædam quæ honeſtè non poſſum dicere; tu autem eo liberior, quòd eâ in te admiſiſti, quæ à verecundo inimico audire non poſſes. Sed reliquum vitæ curſum videte: quem quidem celeriter perſtringam; ad hæc enim quæ in civili bello, in maximis reipubl. miſerius fecit, & ad ea quæ quotidie facit, feſtinat animus: quæ peto, ut quanquam multò notiora vobis, quàm mihi ſunt, tamen, ut facitis, attentè audiatis; debet enim talibus in rebus excitare animos non cognitio ſolum rerum, ſed etiam recordatio; tametſi [d] incidamus oportet media, ne nimis ſerò ad extrema veniamus. Intimus erat in tribunatu Clodio, qui ſua erga me beneficia commemorat; ejus omnium incendiorum fax; cujus etiam domi quiddam jam tum molitus eſt: quid dicam, ipſe optimè intelligit. Inde [e] itur Alexandriam contra Senatûs auctoritatem, contra religionem; ſed habebat ducem Gabinium, [f] quîcum quidvis rectiſſimè facere poſſet. Qui tum inde reditus, aut qualis? priùs in ultimam Galliam ex Ægypto, quam domum: quæ autem erat domus? ſuam enim quiſque domum tum obtinebat, neque erat uſquam tua: domum dico? quid erat in terris, [g] ubi in tuo pedem poneres, præter unum Miſenum, quod cum ſociis tanquam Siſaponem tenebas? Veniſti è Gallia ad quæſturam petendam. Aude

[d] *prætereamus.* [e] *ivit.* [f] *quocum.* [g] *cujus non arriperes poſſeſſionem.*

38. *Intimus erat in tribunatu Clodio.*] Antonius ſe addixit Clodio Tribuno plebis, ſed cùm videret multos ei eſſe inimicos, ab eo diſceſſit, & in Græciam navigavit.

39. *Qui ſua erga me beneficia commemorat.*] Antonius ſua in Ciceronem beneficia prædicare non debuit, ſi quidem Clodio infenſiſſimo ejus inimico ſe adjunxit.

40. *Ejus omnium incendiorum fax.*] 'Antonius fax fuit incendiorum, quæ Clodius excitavit. Per tranſlationem intelligit turbas & ſeditiones, ad quas Clodium Antonius impulit.

Ib. *Cujus etiam domi.*] Antonius Fulviæ Clodii uxoris pudicitiam tentavit, quam, mortuo Clodio, duxit.

42. *Alexandriam.*] Commemorat ea, quæ facta ſunt pro Ptolemæo Ægypti rege, qui ab Alexandrinis ejectus Romam venit, ubi à Pompeio exceptus eſt, à quo reduci in regnum vehementiſſimè cupiebat; ſed res demandata fuit Gabinio, quam ſuadente Antonio contra Senatûs auctoritatem ſuſcepit.

Ib. *Contra religionem.*] Antonius id perſuaſit Gabinio contra religionem, quia Sibyllinis oraculis ſcriptum erat, ne rex Ægypticus cum exercitu reduceretur; imo eâ de re factum fuit Senatuſconſultum, quo decretum eſt, ut nihil contra religionem oraculorum fieret.

44. *Qui tum inde reditus.*] Rediens Antonius ex Ægypto, quò ſe cum Gabinio contulerat, nullum amicorum Romæ vidit, ſed ſtatim ſe contulit ad Cæſarem in Galliam Tranſalpinam.

45. *Quæ erat domus?*] Nullam habebat ſibi propriam Antonius, quia jam antè juvenis decoxerat, expulſus paternâ domo.

47. *Uſquam tua.*] Indicat furtum Antonii, qui, mortuo Pompeio, domum ejus poſſedit.

48. *Præter unum Miſenum.*] Prædium unum in Campaniâ ad Miſenum Promontorium, prope Cumas, habuit Antonius, ſed commune cum aliis parafitis vel creditoribus ſuis, qui partem ejus occupabant.

Ib. *Siſaponem.*] Siſapo civitas eſt in Hiſpania, quam ait Plinius lib. 31. cap. 7. mi-

de dicere, te prius ad parentem tuam veniſſe, quàm ad me; acceperam enim jam antè Cæſaris literas, ut mihi ſatisfieri paterer à te: itaque ne loqui quidem ſum te paſſus de [h] gratiâ; poſtea [i] cultus ſum à te, tu à me obſervatus in petitione Quæſturæ; quo quidem tempore P. Clodium, approbante populo Romano, in foro es conatus occidere; cùmque eam rem tuâ ſponte conarere, non impulſu meo; tamen ita prædicabas, te non exiſtimare, niſi illum interfeciſſes, unquam mihi pro tuis in me injuriis ſatis eſſe facturum: in quo demiror, cur Milonem impulſu meo rem illam egiſſe dicas, cùm te ultrò mihi idem illud deferentem nunquam ſum adhortatus: quanquam ſi in eo perſeverâſſes, ad tuam gloriam rem illam referri malebam, quàm ad meam gratiam. Quæſtor es factus; deinde continuò ſine Senatuſconſulto, ſine ſorte, ſine lege ad Cæſarem cucurriſti; id enim unum in terris egeſtatis, æris alieni, nequitiæ, perditis vitæ rationibus perfugium eſſe ducebas. Ibi te cum & illius largitionibus, & tuis rapinis expleviſſes (ſi hoc eſt explere, quod ſtatim effundas) advolas agens ad Tribunatum, ut in eo magiſtratu, ſi poſſes, vitrici tui ſimilis eſſes.

[h] *reconciliatione.* [i] *tu me honoraſti.*

minario metallo abundare; quæ cum eſſet vectigalis populi Romani, à publicanis tenebatur: inde apparet, quare Miſenum quaſi Siſaponem habuerit Antonius, quia non ſolus prædium illud poſſidebat.

51. *Mihi ſatisfieri paterer.*] Cùm Antonius offendiſſet Ciceronem, quia cum Clodio ejus inimico junxerat ſocietatem, per literas Cæſar petiit à Cicerone, ut hanc Antonio veniam concederet. Timebat videlicet Antonius, ne ſibi Quæſturam petenti adverſaretur Cicero.

53. *A me obſervatus.*] Obſervabantur adoleſcentes à proceribus, qui in petitione magiſtratuum honoris & commendationis causâ deducebantur.

61. *Quæſtor es factus.*] Quæſtores, inquit Varro, à quærendo dicti ſunt: quia conquirebant pecunias publicas, & eas aſſervabant. Ante omnes alios fere Magiſtratus creati ſunt.

62. *Sine Senatuſconſulto.*] Objicit Antonio quòd ad Cæſarem ſine ullo Senatuſconſulto profectus ſit: quia nemo Quæſtor in provinciam proficiſcebatur, niſi eam ex Senatuſconſulto & lege ſortiretur.

64. *Perfugium eſſe ducebas.*] Scribit Suetonius reorum, obæratorum, & prodigæ juventutis ſubſidium unicum, ac promptiſſimum, Cæſarem fuiſſe.

67. *Vitrici tui.*] Curionem indicat, qui circa id tempus Tribunus plebis fuit.

Quid egerit in Tribunatu Antonius.

IX. Accipite nunc, quæſo, non ea, quæ ipſe in ſe, atque in domeſticum dedecus impurè atque intemperanter ſed quæ in nos fortunaſque noſtras, id eſt, in univerſam rempublicam impie ac nefariè fecerit; ab hujus enim ſcelere omnium malorum principium natum reperietis. Nam cum L. Lentulo, C. Mar-

Marcello Conſulibus, Kalendis Januar. labentem & prope cadentem rempublicam fulcire cuperetis, ipſique C. Cæſari, ſi ſanâ mente eſſet, conſulere velletis; tum iſte venditum atque [a] mancipatum Tribunatum conſiliis veſtris oppoſuit, cerviceſque ſuas ei ſubjecit [b] ſecuri, quâ multi minoribus in peccatis [c] occidêrunt. In te autem, M. Antoni, id decrevit Senatus, & quidem incolumis, nondum tot luminibus extinctis, quod in hoſtem togatum decerni eſt ſolitum more majorum; & tu apud Patres Conſcriptos contra me dicere auſus es, cùm ab hoc ordine ego conſervator eſſem, tu hoſtis reipublicæ judicatus? [d] Commemoratio illius tui ſceleris intermiſſa eſt, non memoria delata, dum genus hominum, dum populi Romani nomen exſtabit (quod quidem erit, ſi per te licuerit, ſempiternum) tua illa peſtifera interceſſio nominabitur. Quid cupide à Senatu, quid temere fiebat, cùm tu unus adoleſcens univerſum ordinem decernere de ſalute reipublicæ prohibuiſti? neque id ſemel, ſed ſæpius? neque tu tecum de Senatûs auctoritate [e] agi paſſus es? quid autem agebatur, niſi ne deleri & everti rempublicam funditùs velles? cùm te neque principes civitatis rogando, neque ma-

[a] *addictum.* [b] *pœnæ.* [c] *condemnati ſunt.* [d] *mentio.* [e] *deliberari.*

6. *Labentem.*] Ruinam metuebat Reſpublica propter ſummam Cæſaris potentiam.

9. *Conſiliis veſtris.*] Deliberabatur à Senatu de revocando Cæſare, & de Repub. Pompeio demandandâ, ne eam armis ſibi Cæſar ſubjiceret. Sed Senatuſconſulto interceſſit Antonius Tribunus corruptus à Cæſare, quare uterque à Senatu hoſtis judicatus eſt.

12. *Tot luminibus extinctis.*] Intelligit cives illos præſtantiſſimos, Catonem, Marcellum, Lentulum, Domitium, qui in bello civili perierunt.

Ib. *Hoſtem togatum.*] Per hoſtem togatum intelligit domeſticum & perduellem, qui cùm talis judicatus eſſet à Senatu, more majorum Senatu & urbe ei interdicebatur. Cùm autem Senatus ita decreviſſet in Antonium, Curionem, & Caſſium Tribunos plebis, qui patrocinium abſentis Cæſaris acerrime ſuſcipiebant; ad eum ſervili in veſte, rhedâ meritoriâ, miſerando habitu profugerunt; quâ re perculſus Cæſar belli civilis occaſionem nactus eſt.

14. *Ab hoc ordine.*] Senatorio videlicet, ad quem pertinebat de bonis & malis civibus decernere.

18. *Si per te licuerit.*] Objicit Antonio quod imperii nomen ſempiternum futurum ſit, niſi ſuis ſceleribus ei exitium afferat.

Ib. *Peſtifera interceſſio.*] Cùm Marcellus Conſul legiones Pompeio decrevit, Tribunus Antonius interceſſit, rogationem ferens, ut præſentes copiæ militares in Syriam mitterentur adversùs Parthos. Deinde cùm epiſtolas Cæſaris legi Senatus vetaret, eas ipſe Tribunitiâ poteſtate fultus recitavit, quâ ex lectione multos ſibi conciliavit. Quare cùm hanc rogationem promulgaſſet, placeretne Cæſarem & Pompeium ab armis diſcedere, & exercitum dimittere, eam omnes probaverunt. Hortabanturque Antonium ut eam legem ferret. At Conſules vetuere.

19. *Quid cupide.*] Objecit Antonio Cicero, quod pro Cæſare contra Senatum egiſſet. At jam oſtendit nihil à Senatu temere factum eſſe.

20. *Cum tu unus adoleſcens.*] Antonium fuiſſe tyrannum probat, quia ſolus & adoleſcens annos natus tantum triginta, prohibuit Senatum agere de Reipub. libertate, cùm huic ordini cedere debuiſſet.

jores

jores natu monendo, neque frequens Senatus agendo, de venditâ atque addictâ sententiâ movere potuit? Tum illud, multis rebus ante tentatis, necessariò tibi vulnus inflictum quod paucis ante te, quorum incolumis fuit nemo; tum contra te [f] dedit arma hic ordo Consulibus, reliquisque imperiis & [g] potestatibus, quæ non effugisses, nisi te ad arma Cæsaris contulisses. Tu, tu, inquam, M. Antoni [h] princeps C. Cæsari, omnia perturbare cupienti, causam belli contra patriam inferendi dedisti. Quid enim aliud ille dicebat? quam causam dementissimi sui consilii & facti afferebat, nisi quòd intercessio neglecta, jus tribunitium sublatum, [i] circumscriptus à Senatu esset Antonius? omitto quàm hæc falsa, quàm levia; præsertim cùm omninò nulla causa justa cuiquam esse possit contra patriam arma capiendi. Sed nihil de Cæsare: tibi certe confitendum est, causam pernicios issimi belli [l] in personâ tuâ constitisse. O miserum te, si intelligis! miseriorem, si non intelligis hoc literis mandari, hoc memoriæ prodi, hujus rei ne posteritatem quidem omnium sæculorum unquam immemorem fore, Consules ex Italiâ expulsos, cumque his Cn. Pompeium, qui imperii populi Romani decus ac lumen fuit; omnes Consulares, qui per valetudinem [m] exsequi cladem illam fugamque potuissent, Prætores, Prætorios, Tribunos plebis, magnam partem Senatûs, omnem sobolem juventutis, unoque verbo rempublicam expulsam, atque exterminatam suis sedibus. Ut igitur in seminibus est causa arborum & stirpium; sic hujus luctuosissimi belli semen tu fuisti. Doletis tres exercitus populi Romani interfectos; interfecit Antonius: desideratis clarissimos cives; eos

[f] *imperavit arma.* [g] *magistratibus.* [h] *primus.* [i] *illusus.* [l] *in te fuisse.* [m] *fugere.*

25. *De venditâ atque addictâ.*] Sententiam suam Antonius Cæsari vendidit, quasi ad eam emendam largius pretium obtulisset.

26. *Illud vulnus infictum.*] Ait esse tunc condemnatum Antonium. Nam hostis judicatus est, eique aquâ & igne interdictum est, & omnibus potestas facta est eum interficiendi.

27. *Quod paucis ante te.*] Pauci ante Antonium simile judicium experti sunt, nisi Fimbria, Saturnius, & Gracchi, qui omnes interfecti sunt.

29. *Reliquisque imperiis.*] Per imperia duces intelligit, qui à populo Romano in diversis orbis provinciis constituti erant, quos imperatores post relatas victorias appellabant.

34. *Intercessio neglecta.*] Sacrosancta habebatur Tribunitia potestas & intercessio.

39. *O miserum te.*] Per exclamationem incipit à conglobatis omnes calamitates recensere, quæ ex hoc bello civili, cujus causa exstitit Antonius, secutæ sunt.

42. *Consules.*] Marcellus & Lentulus Consules, veniente cum exercitu ad urbem Cæsare, profugêrunt, & Pompeium secuti sunt, qui jam Capuam ad exercitum profectus erat.

46. *Omnem sobolem juventutis.*] Omnem juniorum multitudinem intelligit, in quibus spes est prolis suscipiendæ, & Reipub. propagandæ.

49. *Tres exercitus populi Romani.*] In Pharsaliâ Pompeii & Senatûs exercitus delectus est; in Hispaniâ Petreii & Afranii; in Africâ Scipionis & Jubæ regis.

50. *Clarissimos cives.*] Eos intellige, qui in illis exercitibus perierunt.

quoque

quoque eripuit vobis Antonius : auctoritas hujus ordinis afflicta eſt ; afflixit Antonius : omnia denique, quæ poſtea vidimus (quid autem mali non vidimus ?) ſi rectè ratiocinabimur, uni accepti referemus Antonio : ut Helena Trojanis, ſic iſte huic reipublicæ cauſa belli, cauſa peſtis atque exitii fuit. Reliquæ partes Tribunatûs principio ſimiles : omnia perfecit, quæ Senatus ſalvâ republicâ, ne fieri poſſent, [n] perfecerat ; cujus tamen ſcelus in ſcelere cognoſcite. Reſtituebat multos calamitoſos ; in his patrui nulla mentio : ſi ſeverus, cur non in omnes ? ſi miſericors, cur non in ſuos ? ſed omitto cæteros. Licinium Denticulam de aleâ condemnatum, colluſorem ſuum, reſtituit : quaſi verò ludere cum condemnato non licaret : ſed ut, quod ille in aleâ perdiderat, beneficio legis diſſolveret. Quam attuliſti rationem populo Romano, cur eum reſtitui oporteret ? abſentem credo in reos relatum ; rem indictâ cauſâ judicatam ; nullum fuiſſe de aleâ lege judicium ; vi oppreſſum & armis ; poſtremò, quòd de patruo tuo dicebatur, pecuniâ judicium eſſe corruptum : nihil horum. At vir bonus & republicâ dignus. Nihil id quidem ad rem : ego tamen, quoniam condemnatum eſſe pro nihilo eſt, ſi ita eſſet, ignoſcerem ; hominem omnium nequiſſimum, qui non dubitaret vel in foro aleâ ludere, lege, quæ eſt de aleâ, condemnatum, qui in [o] integrum reſtituit, is non apertiſſime ſtudium ſuum ipſe profitetur ? In eodem vero Tribunatu, cum Cæſar in Hiſpaniam proficiſcens huic [p] con-

[n] *vetuerat ne fierent.* [o] *priſtinum ſtatum.*

54. *Helena Trojanis.*] Helena Tyndari filia rapta à Theſeo eſt, & à ſuis fratribus recepta Menelao nupſit ; verùm iterum rapta à Paride filio Priami, belli Trojani occaſionem dedit : ita Antonius pulſus è Curiâ & profectus ad Cæſarem totius belli civilis auctor fuit, ſeu potius Cæſari ſuam explendi dominatûs cupiditatem dedit.

57. *Scelus in ſcelere.*] Vocat Tribunatum Antonii ſcelus, quia venditus fuerat, & partus ſcelere.

58. *Patrui nulla mentio.*] C. Antonius collega Ciceronis in Conſulatu, repetundarum condemnatus, in exilium abierat : hunc autem non reſtituit, ſed Denticulam.

61. *Colluſorem ſuum.*] Cum Denticulâ Antonius aleâ ſolitus fuit ludere.

Ib. *Quaſi verò.*] Feſtivè ridet Antonium, qui hominem nequam ſceleratum ab exilio revocavit, ut cum eo luderet.

62. *Beneficio legis diſſolveret.*] Miſericors fuit in Denticulam Antonius ; nam idcirco legem de illius reſtitutione tulit, ut quod in aleâ perdidiſſet, iterum reſtitutus lucraretur.

64. *Abſentem credo.*] Fingit cauſas Ironicè, cur abſentem Denticulam reſtituerit. 1. Itaque cauſa fuit ejus abſentia, neque enim quis abſens damnabatur. 2. Cauſa non audita. 3. Lex nulla lata fuit ad eum accuſandum & damnandum, neque enim fine lege quis accuſari & damnari poterat.

71. *Lege, quæ eſt de aleâ.*] L. Cornelius Sylla legem tulit, ne quis in pecuniam luderet, ſponſionemve in ludo, niſi qui corporis exercendi cauſâ ſuſceptus eſſet, faceret : veluti haſtâ, pilove jaciendo, currendo, ſaliendo, luctando, pugnando, Marcian. 1. 3. D. de aleat.

73. *Cum Cæſar in Hiſpaniam.*] Cæſar profecturus in Hiſpaniam, antequam Pompeium ſequeretur, ultra mare, Lepido Prætori urbem, Antonio Tribu-

[p] conculcandam Italiam tradidiſſet: quæ fuit ejus peragratio itinerum? luſtratio municipiorum? Scio me in rebus celebratiſſimis ſermone omnium verſari; eaque quæ dico dicturuſque ſum, notiora omnibus eſſe, qui in Italiâ tum fuere, quam mihi, qui non fui: notabo tamen ſingulas res: etſi nullo modo poterit oratio mea ſatisfacere veſtræ ſcientiæ. Etenim quod unquam in terris tantum flagitium extitiſſe auditum eſt? tantam turpitudinem? tantum dedecus? vehebatur in eſſedo Tribunus plebis: Lictores laureati antecedebant: inter quos, apertâ lecticâ, mima portabatur: quam ex oppidis municipales, homines honeſti, obviàm neceſſario prodeuntes, non noto illo & mimico nomine, ſed Volumniam conſalutabant: ſequebatur rheda cum lenonibus: comites nequiſſimi: rejecta mater amicam impuri filii, tanquam nurum, ſequebatur. O miſeræ mulieris fœcunditatem calamitoſam! [q] Horum flagitiorum iſte veſtigiis omnia municipia, præfecturas, colonias, totam denique Italiam impreſſit. Reliquorum factorum ejus, P. C. difficilis eſt ſane reprehenſio, & [r] lubrica; verſatus in bello eſt; ſaturavit ſe ſanguine diſſimillimorum ſui civium; fuit felix, ſi poteſt ulla eſſe in

[p] *vexandam.* [q] *iſte infixit in Italiâ memoriæ hominum ſua flagitia.* [r] *anceps.*

Tribuno plebis Italiam & cætera præſidia commiſit, ubi multa libidinosè & contumèliosè patravit. Cæſar tamen ex Hiſpaniâ victor rediens, Antonii errata neglexit: gnaruſque illum virum ſortem eſſe, & manu promptum, ejus operâ deinde in bello uſus eſt.

77. *Qui non fui.*] Poſt Cæſaris profectionem in Hiſpaniam, Cicero aliquo tempore in Italiâ ſubſtitit, ſed non diu.

81. *Eſſedo.*] Eſſedum vehiculi genus eſt, quod apud Belgas Gallos primò inventum eſt.

Ib. *Lictores laureati.*] Cæſar dedit Lictores laureatos ſuis legatis in Italiâ, quos habere Antonius non poterat, quia Tribunus plebis tantùm erat, Tribuno autem non concedebantur.

82. *Mima portabatur.*] Cytheris meretrix Antonii, mulier Hiſtrionica, quam Volumniam appellavit, quia Volumnii civis Romani liberta fuerat.

83. *Municipales.*] Municipales hîc accipiuntur pro ruſticanis, qui rure habitant.

84. *Neceſſariò prodeuntes.*] Prodeunt vulgo honoris causâ homines liberè & volentes; at hi neceſſariò & inviti, coacti ab Antonio.

85. *Rheda.*] Rheda vehiculi genus, quo Galli utebantur.

Ib. *Cum lenonibus.*] Lenones venditores ſunt, & quaſi mancipes meretricum.

86. *Rejecta mater.*] Rejecta Julia mater Antonii, nobiliſſima fœmina, ſequebatur Cytheridem illam mimam quaſi nurum.

87. *Fœcunditatem.*] Miſera fuit hæc Julia, quòd peperit filium Antonium tàm nequam & impudicum hominem.

88. *Omnia municipia.*] Municipium id hominum genus eſt, qui cùm Romam veniſſent, neque Romani cives eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum unà cum Romanis civibus, excepto ferendo ſuffragio, aut capiendo Magiſtratu.

89. *Præfecturas.*] Præfecturæ dicebantur in quibus jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum Reſp. neque tamen ſuos magiſtratus habebant; ſed in eas præfectus Romani mittebantur quotannis, qui jus dicerent.

92. *Diſſimillimorum.*] Intelligit viros probos, qualis non fuit Antonius.

ſcele-

ſcelere felicitas. Sed quoniam veteranis cautum eſſe volumus, quanquam diſſimilis eſt militum cauſa, & tua; illi ſecuti ſunt, tu quæſiſti ducem: tamen, ne apud illos me in invidiam voces, nihil de belli genere dicam. Victor è Theſſaliâ Brunduſium cum legionibus revertiſti: ibi me non occidiſti; magnum beneficium: potuiſſe enim fateor; quanquàm nemo erat eorum, qui tùm tecum fuerunt, qui mihi non cenſeret parci oportere; tanta enim eſt caritas patriæ, ut veſtris etiam legionibus [s] ſanctus eſſem, quòd eam è me ſervatam eſſe meminiſſent: ſed [t] fac id te dediſſe mihi, quod non ademiſti; meque à te habere vitam, quia à te non ſit erepta: licuitne mihi per tuas contumelias hoc beneficium ſic tueri, ut tuebar, præſertim cùm te hæc auditurum videres? Veniſti Brunduſium in ſinum quidem & in complexum tuæ mimulæ. Quid eſt? num mentior; quàm miſerum eſt id negare non poſſe, quod ſit turpiſſimum confiteri? ſi te municipiorum non pudebat; ne veterani quidem exercitûs? quis enim miles fuit, qui Brunduſii illam non viderit? quis, qui neſcierit veniſſe eam tibi tot dierum viam gratulatum? quis, qui non indoluerit, tàm ſerò ſe, quàm nequam hominem ſecutus eſſet, cognoſcere? Italiæ rurſus percurſatio, eâdem comite mimâ: in oppida militum crudelis & miſera deductio: in urbe auri, argenti, maximèque vini, fœda direptio.

[s] *inviolabilis.* [t] *ponamus.*

93. *Veteranis cautum eſſe volumus.*] Veterani dicuntur milites, qui ſtipendia militaria confecerunt. De quibus non vult hìc agere Cicero, ne priventur militiæ commodis, quæ jam adepti ſunt à Cæſare.

94. *Diſſimilis militum cauſa.*] Veterani ſecuti ſunt Cæſarem, qui eis datus fuerat dux jam antea à Senatu: Antonius verò ſuo ſibi arbitrio ducem quæſivit Cæſarem.

96. *Victor è Theſſalia.*] In Theſſaliâ prælium Pharſalicum commiſſum eſt, in quo dextrum cornu ducens Domitium interfecit.

Ib. *Brunduſium.*] Brunduſium Italiæ portus eſt, quo Cæſar poſt Pharſalicum prælium miſit Antonium, ut tutaretur Italiam dum ipſe Pompeium inſequeretur.

Ib. *Cum legionibus.*] Legio à Romulo trium millium peditum, & trecentorum equitum numero inſtituta fuit: poſteà mille pedites additi ſunt: pulſis regibus peditum quatuor millium fuit: poſteà ex Senatûs judicio modò quinque, modò ſex millium peditum fuit. Peditibus ſex tribuni præerant, conturiones ſexaginta: equitibus triginta decuriones, quorum alii turmas ſingulas regebant, præfectus alam integram.

97. *Ibi me non occidiſti.*] Cum videret Cicero nihil profeciſſe Pompeium, ſed quotidie illius partes imminui, poſt Pharſalicam pugnam, cui valetudinis causâ non potuit intereſſe, rediit in Italiam, & venit Brunduſium, ubi potuit ab Antonio facilè interfici.

110. *Tot dierum viam.*] Quatuordecim dierum itinere Roma Brunduſium diſtabat.

113. *In urbe.*] Romæ Antonius avaritiæ ſe dedit & vino.

Quid

Quid egerit Antonius in Magiſterio Equitum.

X. Acceſſit, ut, Cæſare ignaro, cùm eſſet ille Alexandriæ, beneficio amicorum ejus Magiſter Equitum conſtitueretur: tum exiſtimavit ſe ſuo jure cum Hippiâ vivere, & equos vectigales Sergio mimo tradere; tum ſibi non hanc, quam nunc male tuetur, ſed M. Piſonis domum, ubi habitaret, legerat. Quid ego iſtius decreta, quid rapinas, quid hæreditatum poſſeſſiones datas, quid ereptas proferam? cogebat egeſtas: quo ſe verteret, non habebat: nondum ei tanta à L. Rubrio, non à L. Turſelio hæreditas venerat: nondum in Cn. Pompeii locum, multorumque aliorum, qui aberant, repentinus hæres ſucceſſerat: erat ei vivendum latronum ritu, ut tantum haberet, quantum rapere potuiſſet. Sed hæc, quæ robuſtioris improbitatis ſunt, omittamus: loquamur potius de nequiſſimo genere levitatis. Tu iſtis faucibus, iſtis lateribus, iſtâ gladiatoriâ totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiæ nuptiis exhauſeras, ut tibi neceſſe eſſet in populi Rom. conſpectu vomere poſtridie. O rem non modò viſu fœdam, ſed etiam auditu! Si inter cœnam, in ipſis tuis [a] immanibus illis poculis, hoc tibi accidiſſet, quis non turpe duceret? in cœtu verò populi Romani negotium publicum gerens, Magiſter Equitum, cui ructare turpe eſſet, is vomens, fruſtis eſculentis, vinum redolentibus, gremium ſuum & totum tribunal implevit. Sed hoc ipſe fatetur eſſe in ſuis ſordibus: veniamus ad ſplendida. Cæſar Alexandriam ſe recepit, felix, ut ſibi quidem videbatur; meâ autem ſententiâ, qui reipublicæ ſit infelix, felix eſſe non po-

[a] *ingentibus.*

1. *Cæſare ignaro.*] Cùm Pharſalicam victoriam Cæſar retuliſſet, ad annum Dictator creatus eſt, & Antonius Magiſter Equitum; non tamen ignaro Cæſare, ut ait Cicero, ſed ipſo eum ſeligente, ut Plutarchus indicat in Antonio.

2. *Magiſter Equitum.*] Nunquam creabatur Dictator, quin ei Magiſter Equitum adderetur, qui ſummum in milites omnes jus habebat.

3. *Hippiâ.*] Matrona fuit Romana, ſed ſuis libidinibus infamis.

Ib. *Equos vectigales.*] Equi vectigales erant, qui tributi nomine mittebantur.

4. *Non hanc.*] Intelligit domum Pompeii, quam invaſerat, & quam filius ejus ſibi repetebat.

10. *Repentinus hæres.*] Repentinus hæres dicitur, qui fraude verum hæredem circumſcripſit, & vi & fraude ad hæreditatem ſibi non debitam pervenit.

13. *Tu iſtis faucibus.*] Ratiocinatio egregia: habere magnas fauces & ampla latera, ventrem magnum qui multum poſſit capere, & tum ita inebriari, ut quis evomat, hominis eſt intemperantis.

15. *In Hippiæ nuptiis.*] Hippia reliquit primum ſuum maritum Senatorem, & Sergio mimo nupſit: tantum autem in eis nuptiis vini exhauſit Antonius, ut firmis ſuis lateribus, & gladiatoriâ corporis firmitate coquere non potuerit.

20. *Eſculentis.*] Eſculentum dicitur quod cibi aptum eſt.

teſt: haſta poſita [b] pro æde Jovis Statoris, bona Cn. Pompeii (miſerum me! conſumptis enim lacrymis, tamen infixus animo hæret dolor) bona, inquam, Cn. Pompeii Magni, voci acerbiſſimæ ſubjecta præconis: una in illa re ſervitutis oblita civitas ingemuit; ſervientibuſque animis cùm omnia metu tenerentur, gemitus tamen populi Romani liber fuit: expectantibus omnibus, quiſnam eſſet tam impius, tam demens, tam diis hominibuſque hoſtis, qui ad illud ſcelus ſectionis auderet accedere, inventus eſt nemo, præter Antonium: præſertim cùm tot eſſent circum haſtam illam, qui alia omnia auderent: unus inventus eſt, qui id auderet, quod omnium fugiſſet & reformidaſſet audacia. Tantus igitur te ſtupor oppreſſit, vel, ut verius dicam, tantus furor, ut, primum cum ſector ſis [c] iſto loco natus, deinde cum Pompeii ſector, non te execrandum populo Romano, non deteſtabilem, non omnes tibi deos, non omnes homines, & eſſe inimicos, & futuros ſcias? At quàm inſolenter ſtatim helluo invaſit in ejus viri fortunas, cujus virtute terribilior erat populus Romanus exteris gentibus, juſtitiâ carior? In ejus igitur viri copias cùm ſe ſubito [d] ingurgitaviſſet, exultabat gaudio, perſona [e] de mimo, modò egens, repentè dives; ſed, ut eſt apud poëtam neſcio quem, *Male parta, male dilabuntur*: incredibile ac ſimile portenti eſt, quonam modo illa tam multa, quam paucis, non dico menſibus, ſed diebus effuderit: maximus vini numerus fuit, permagnum optimi pondus argenti, pretioſa veſtis multa, & lauta ſupellex, & magnifica multis locis, non illa quidem luxurioſi hominis, ſed tamen abundantis: horum paucis diebus nihil erat. Quæ Charybdis tam vorax? Charybdin

[b] *ante ædem.* [c] *iſta familia.* [d] *immiſiſſet.* [e] *biſtrionica.*

25. *Haſtâ poſitâ.*] Poſtquam totum bellum Alexandrinum confectum eſt à Cæſare, bona Pompeii proſcripſit Antonius, quæ haſtæ ſubjecta fuiſſe dicuntur, quia in eo loco, ubi vendebantur, haſta figebatur.

Ib. *Jovis Statoris.*] Jupiter à ſtando Stator dictus eſt; cùm enim bello Sabino Romulus ſuos fugientes videret, Jovi ædem vovit, ſi ſtarent. Vide Liv. lib. 1.

32. *Illud ſcelus ſectionis.*] Id eſt, auctionis. Sectores autem dicti ſunt, qui proſcriptorum bona poſita ſub haſtâ rediimunt.

33. *Haſtam illam.*] Intelligit haſtam poſitam à Cæſare, ſub quâ Pompeianorum bona vendebantur.

34. *Alia omnia auderent.*] Id eſt, qui auderent emere omnium aliorum bona, exceptis ſolius Pompeii bonis.

Ib. *Unus inventus eſt.*] Solus Antonius inventus eſt, qui eâ valuit audacia, ut Pompeii bona emeret.

40. *Helluo.*] Helluonem veteres dixêre, qui bona ſua immoderate conſumit, & gulæ indulget.

43. *Modò egens, repentè dives.*] Hiſtriones modo divitum, modo egentium perſonas ſuſtinent. Talis autem fuit Antonius.

44. *Male parta.*] Res quæ voluptatibus & malis artibus comparatæ ſunt, per eaſdem voluptates & malas artes effunduntur. Videtur autem illa Nævii poëtæ ſententia.

47. *Pondus argenti.*] Argentum uſurpat pro vaſis argenteis.

50. *Quæ Charybdis.*] Hyperbole egregia. Charybdis autem vorago quædam fuit, ſeu potius mare vorticibus ſuis infame, naves ſubmergens; at Poëtæ mon-

lybdin dico? quæ ſi fuit, fuit animal unum. Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe. Nihil erat clauſum, nihil obſignatum, nihil ſcriptum; apothecæ totæ nequiſſimis hominibus [f] condonabantur: alia mimi rapiebant, alia mimæ: domus erat aleatoribus referta, plena ebriorum: totos dies potabatur, atque id [g] ſuggerebantur etiam ſæpe (non enim ſemper ille felix) damna aleatoria: conchyliatis Cn. Pompeii periſtromatis ſervorum in cellis lectos ſtratos videres. Quamobrem deſinite mirari, hæc tam celeriter eſſe conſumpta; non modò unius patrimonium, quamvis amplum, ut illud fuit, ſed urbes & regna celeriter [h] tantâ nequitiâ devorare potuiſſet. At idem ædes etiam & hortos. O audaciam immanem! tu etiam ingredi illam domum auſus es? tu illud ſanctiſſimum limen intrare? tu illarum ædium diis penatibus os importuniſſimum oſtendere? Quam domum aliquandiu nemo aſpicere poterat, nemo ſine lacrymis præterire, hac te in domo tamdiu diverſari non pudet? in quâ, quamvis nihil ſapias, tamen nihil tibi poteſt eſſe jucundum. An tu illa in veſtibulo roſtra, ſpolia cùm adſpexiſti, domum tuam te introire putas? fieri non poteſt: quamvis enim ſine mente, ſine ſenſu ſis, ut es, tamen & te, & tua, & tuos noſti; nec verò te unquam neque vigilantem, neque in ſomnis credo [i] mente poſſe conſiſtere. Neceſſe eſt, quamvis ſis, ut es, violentus & furens,

[f] *donabantur.* [g] *ſubjiciebantur.* [h] *tanta prodigalitas.* [i] *tranquillum eſſe.*

monſtrum fuiſſe quoddam immane fabulati ſunt. Vide Virg. Æneid. 3.

51. *Medius fidius.*] Vide Orat. pro Mil. Paragr. XVI. Not. ad lin. 9.

54. *Apothecæ.*] Apothecæ loca ſunt, in quibus vinum, oleum, & alia id genus reponuntur.

58. *Domus aleatoria.*] Antonius ſæpe magnam pecuniæ jacturam aleæ ludis faciebat.

Ib. *Conchyliatis.*] Ait Cicero conchyliatis periſtromatis Cn. Pompeii lectos in ſervorum cellis ſtratos fuiſſe. Conchylia autem ſunt conchæ marinæ genera quædam, quorum ex ſanguine purpura tingebatur. Vide Plin. lib. 9.

59. *Periſtromatis.*] Periſtromata aulæa ſunt, & ſtragula veſtimenta ſunt.

63. *Ædes & hortos.*] Antonios nempe ingredi auſus eſt, & emere poſitos ſub haſtâ.

64. *Sanctiſſimum limen.*] Sanctum limen appellat, quia limina fingebant antiqui ſuum habere deum Limentinum, cui ſacra erant.

65. *Diis penatibus.*] Dii penates domeſtici fuerunt, ut ait Cic. (lib. 2. de Natura Deorum) ita dicti quòd penes nos nati ſint, vel quòd non longe abſint ab hâc vitâ, ſive quòd penitus inſideat.

Ib. *Os importuniſſimum.*] Os pro vultu vel ſingulari quadam audaciâ & temeritate ponitur.

69. *Veſtibula.*] Veſtibulum ſæpe ſumitur pro loco ante ædes vacuo, per quem à viâ aditus acceſſuſque ad ædes eſt; aliquando pro atrio etiam uſurpatur.

Ib. *Roſtra.*] Roſtra earum navium, quas bello Piraticò ceperat, erant affixa in veſtibulo domus; quæ tam religioſe hic aſſervabantur, ut nec emptori eas tollere liceret. Plin. lib. 35. cap. 2.

71. *Te, & tua, & tuos.*] Id eſt, noſti vitam tuam, res tuas, & tuos neceſſarios: in quibus omnibus infamis eſt Antonius.

rens, cùm tibi objecta ſit [k] ſpecies ſingularis viri, perterritum te de ſomno excitari, furere etiam ſæpe vigilantem. Me quidem miſeret parietum ipſorum, atque tectorum: quid enim unquam domus illa viderat, niſi pudicum, niſi ex optimo more & ſanctiſſimâ diſciplinâ? fuit enim ille vir, P. C. ſicut ſcitis, cùm foris clarus, tùm domi admirandus; neque rebus externis magis laudandus, quàm inſtitutis domeſticis: hujus in ædibus pro cubiculis ſtabula, pro tricliniis popinæ ſunt: etſi jam negat; nolite, nolite quærere; [l] frugi factus eſt; mimam illam ſuam [m] res ſibi habere juſſit, ex duodecim tabulis; claves ademit, foraſque exegit: quàm porro ſpectatus civis, quàm probatus; cujus ex omni vitâ nihil eſt honeſtius, quàm quod cum mimâ fecit divortium?

[k] *imago Pompeii.* [l] *moderatus.* [m] *expulit.*

81. *Stabula.*] Stabulum modò pro diverſorio, modò pro lupanari ſumitur.

Ib. *Triclinia.*] Triclinia loca ſunt, in quibus habentur convivia, inde dicta, quòd in iis triplex eſſet lectus ad accumbendum menſis.

Ib. *Popinæ ſunt.*] Popinæ loca ſunt, in quibus cibi concinnantur & venduntur; & diverſorium eſt libidinis & gulæ.

Ib. *Etſi jam negat.*] Antonius negat hæc omnia; quare non eſt de iſtis quærendum amplius.

82. *Suas res ſibi habere juſſit.*] Indicat Cicero, inter Antonium & mimam Cytheridem factum eſſe divortium; nam hæc divortiorum formula fuit: *Res tuas tibi habeto.* Item, *Res tuas tibi agito.*

83. *Ex duodecim tabulis.*] Ex lege duodecim tabularum ad faciendum divortium cauſa erat exponenda, eaque juſta.

Ib. *Claves ademit.*] Cùm primùm mariti domum mulieres ingrediebantur, iis à marito claves dabantur, quibus indicabatur eas domûs habere poteſtatem.

Quid egerit Antonius in privatâ vitâ.

XI. At quàm crebro uſurpat, *Et Conſul, & Antonius?* hoc eſt dicere, & Conſul, & impudiciſſimus; & Conſul, & homo nequiſſimus: quid enim eſt aliud Antonius? nam ſi dignitas ſignificaretur in nomine, dixiſſet aliquando, credo, avus tuus, et Conſul, & Antonius; nunquam dixit: dixiſſet etiam collega meus, patruus tuus: niſi tu ſolus es Antonius. Sed omitto ea peccata, quæ non ſunt

1. *At quàm crebro uſurpat, et Conſul & Antonius?*] A notatione nominis in invidiam trahit Antonium, quoniam ipſe nomen ſuum, & dignitatem in legibus & edictis uſurpabat; non enim *Conſul Antonius*, ſed *Conſul*, et *Antonius*, ad majorem ſibi auctoritatem conciliandam, apponebat.

3. *Si dignitas.*] Si aliqua fuiſſet dignitas in Antonii nomine, avus ejus M. Antonius Orator, qui Conſul fuit, dixiſſet ſe, & Conſulem, & Antonium.

5. *Patruus.*] C. Antonius, qui cum Cicerone Conſul fuit.

6. *Niſi tu ſolus es.*] Id eſt, *niſi dicas ſolum te nominari Antonium.*

earum

earum partium propria, quibus tu rempublicam vexaviſti: ad ipſas tuas partes redeo, id eſt, ad civile bellum: quod natum, conflatum, ſuſceptum operâ tuâ eſt; cui bello cùm propter timiditatem tuam, tùm propter libidines defuiſti: [a] guſtâras civilem ſanguinem, vel potius [b] exſorbueras: fueras in acie Pharſalicâ anteſignanus: L. Domitium, nobiliſſimum & clariſſimum virum, occideras: multos, qui è prælio effugerant, quos Cæſar, ut nonnullos, fortaſſe ſervâſſet, crudeliſſime perſecutos trucidâras; quibus rebus tantis, talibus geſtis, quid fuit cauſæ, cur in Africam Cæſarem non ſequerere, cum præſertim belli pars tanta reſtaret? Itaque quem locum apud ipſum Cæſarem, poſt ejus ex Africâ reditum, obtinuiſti? quo [c] numero fuiſti? cujus tu imperatoris Quæſtor fueras, Dictatoris Magiſter Equitum, belli princeps, crudelitatis auctor, prædæ ſocios, teſtamento, ut ipſe dicebas, filius, appellatus es de pecuniâ, quam pro domo, pro hortis, pro [d] ſectione debebas: primò reſpondiſti planè [e] ferociter; & (ne omnia videar contra te) propemodum æqua & juſta dicebas. A me C. Cæſar pecuniam? cur potius, quàm ego ab illo? an ille ſine me vicit? at ne potuit quidem: ego [f] ad illum belli civilis cauſam attuli; ego leges pernicioſas rogavi; ego arma contra Conſules imperatoreſque populi Romani, contra Senatum populumque Romanum, contra deos patrios, araſque & focos, contra patriam tuli: num ſibi ſoli vicit? quorum facinus eſt commune, cur non ſit eorum præda communis?

[a] *effuderas.* [b] *exhauſeras.* [c] *gradu.* [d] *emptione.* [e] *arroganter.* [f] *auctor ei fui belli civilis.*

7. *Earum partium.*] Per illas partes, Cæſarianas intelligit, quas ſecutus eſt Antonius.

9. *Cui bello.*] Confecto bello Alexandrino, quòd à Cæſare poſt victoriam Pharſalicam ſuſceptum eſt, novum contra Scipionem & Catonem in Africâ ſuſcepit, quò non eſt ſecutus Cæſarem Antonius.

12. *Anteſignanus.*] Dicitur anteſignanus qui ante ſigna pugnat. Vult autem ſignificare, in ſolâ pugnâ Pharſalicâ fuiſſe Antonium, ubi ſiniſtrum cornu duxit.

Ib. *L. Domitium.*] L. Domitius Ænobarbus, genere & rebus geſtis vir clariſſimus, juſſus fuerat à Senatu Cæſari in Gallias ſuccedere ante bellum civile.

20. *Teſtamento.*] Jactabat Antonius ſe à Cæſare adoptatum.

21. *Appellatus es.*] Appellare debitorem, pro eo quod crebrius dicitur interpellare, id eſt, ab eo id quod debet repoſcere. Itaque Antonius interpellatus eſt à Cæſare, ut pecuniam ſibi debitam redderet pro Pompeii bonis.

24. *Cæſar pecuniam?*] Nempe Cæſar poteſt à me pecuniam petere?

28. *Contra deos patrios.*] Aut deos penates intellige, aut deos quos habebat domeſticos patria.

29. *Foces.*] Focos volunt res neceſſarias omnes, ſine quibus vivere non poſſunt homines; vel etiam focus ubi æternus ille ignis à Veſtâ fovebatur.

30. *Quorum facinus commune.*] Non ſolus bellum intulit patriæ Cæſar, ſed Antonius, & reliqui qui cum illo erant: quare devictæ illius ſpolia ad eos omnes pertinere debent.

Jus poſtulabas: ſed quid ad rem? plus ille poterat. Itaque [g] excuſſis tuis vocibus, & ad te, & ad prædes tuos milites miſit: cùm repentè à te præclarâ illâ tabulâ prolatâ, qui riſus hominum? tantam eſſe tabulam, tam varias, tam multas poſſeſſiones, ex quibus præter partem Miſeni, nihil erat, quod is, qui auctionaretur, poſſet ſuum dicere. Auctionis vero miſerabilis adſpectus, veſtis Pompeii non multa, eaque maculoſa: ejuſdem quædam argentea vaſa [h] colliſa, ſordidata mancipia: ut doleremus, quidquàm eſſe ex illis reliquiis, quod videre poſſemus. Hanc tamen auctionem hæredes L. Rubrii decreto Cæſaris prohibuerunt. [i] Hærebat nebulo: quò ſe verteret non habebat. Quin his ipſis temporibus domi Cæſaris percuſſor ab iſto miſſus, deprehenſus dicebatur eſſe cum ſicâ; de quo Cæſar in Senatu, aperte in te invehens, queſtus eſt. Proficiſcitur in Hiſpaniam Cæſar, paucis tibi ad ſolvendum, propter inopiam tuam, prorogatis diebus; ne tum quidem ſequeris: tam bonus gladiator rudem tam cito accepiſti? hunc igitur quiſquam, qui in ſuis partibus, id eſt, in [k] ſuis fortunis, tam timidus fuerit, pertimeſcat? Profectus eſt tandem aliquando Hiſpaniam: ſed tutò, ut ait, pervenire non potuit; quonam modo igitur Dolabellâ pervenit? aut non ſuſcipienda fuit iſta cauſa, Antoni; aut, cùm ſuſcepiſſes, defendenda uſque ad extremum. Ter depugnavit Cæſar cum civibus; in Theſſaliâ, Africa, Hiſpaniâ: omnibus affuit his pugnis Dolabella; in Hiſpanienſi etiam vulnus accepit: ſi de meo judicio quæris, nollem; ſed tamen conſilium à

[g] *examinatis.* [h] *attrita.* [i] *dubitabat.* [k] *quorum erat* juſta *poſſeſſio.*

31. *Jus poſtulabas.*] Ironia, quaſi æqua, & ſibi poſtularet Antonius.

32. *Et ad prædes.*] Prædes in re nummariâ appellantur, qui vades in re capitali ſponſores dicuntur.

33. *Præclarâ tabulâ.*] Tabulam intelligit bonorum Pompeii, quam obtulit Antonius, ut pretium ſectionis diſſolveret.

35. *Præter partem Miſeni.*] De hac re ſuperius.

40. *Hæredes L. Rubrii.*] Illi hæredes, decreto Cæſaris interpoſito, auctionem prohibuerunt, quia Antonius bona eorum acceperat.

41. *Nebulo.*] Ex Pompeio Feſto: *Nebulo eſt qui non pluris eſt quàm nebula; aut qui non facile proſpici poteſt, qualis ſit, neque, & nugator.*

Ib. *Ipſis temporibus.*] Quibus nempe hæc auctio fiebat.

42. *Ab. iſto miſſus.*] Ab Antonio.

44. *Proficiſcitur in Hiſpaniam.*] Confecto bello Africano, profectus eſt Cæſar in Hiſpaniam, ubi filius Pompeii ingentem confecerat exercitum, ut patris mortem ulciſceretur.

46. *Tam bonus gladiator.*] Vocat Antonium gladiatorem, quia civium ſanguinem in bello civili effuderat.

Ib. *Rudem tam cito accepiſti.*] Rudis ſemihino genere virga eſt, quâ donati gladiatores emeriti erant; neque deinceps cogi ad prælium poterant.

51. *Iſte vanus.*] Cæſaris videlicet.

52. *Ter depugnavit Cæſar.*] Primò pugnavit in Theſſaliâ cum Pompeio ad Pharſalum; in Africâ cum Scipione & Juba ad Thapſum; in Hiſpaniâ cum liberis Pompeii ad Mundam.

54. *In Hiſpanienſi etiam.*] Ad Mundam fluvium vulneratus eſt Dolabella, & deſperatis ferè rebus, de morte ſibi violenti afferendâ Cæſar cogitavit.

pri-

primo reprehendendum, laudanda conſtantia. Tu verò quis es? Cn. Pompeii liberi primum patriam repetebant; eſto: fuerit partium hæc cauſa communis: repetebant deos patrios, aras, focos, larem ſuum familiarem, in quæ tu invaſeras; hæc cùm repeterent armis ii, quorum erant legibus (etſi in rebus iniquiſſimis quid poteſt eſſe æqui?) tamen erat æquiſſimum contra Cn. Pompeii liberos Cn. Pompeii pugnare ſectorem.

XII. An tu Narbone menſas hoſpitum cum vomeres, Dolabella pro te in Hiſpaniâ dimicaret? Qui verò Narbone reditus? & tamen quærebat, cur ego ex ipſo curſu tam ſubitò revertiſſem. Expoſui nuper, P. C. cauſam reditûs mei; volui, ſi poſſem, etiam ante Kalendas Januarias prodeſſe reipublicæ: nam quod quærebas quomodo rediſſem; primùm luce, non tenebris; deinde cum calceis & togâ, nullis nec gallicis, nec lacernâ. At etiam adſpicis me, & quidem, ut videris, iratus: [a] næ tu jam mecum in gratiam redeas, ſi ſcias, quàm me pudeat nequitiæ tuæ, cujus te ipſum non pudet. Ex omnibus omnium flagitiis nullum turpius vidi, nullum audivi; qui Magiſter Equitum fuiſſe tibi viderere, in proximum annum Conſulatum peteres, vel potius [b] rogares, per municipia, coloniaſque

[a] *certè.* [b] *flagitares.*

57. *Fecit hæc.*] Patria communis erat Pompeianis & Cæſarianis.

58. *Focos.*] Ad focos ſacra fiebant diis Laribus, quos præcipue religione familiæ venerabantur, iiſque aras conſecrabant.

61. *Tamen erat æquiſſimum.*] Non iniquum eſſe videbatur, ſi pugnaret Antonius pro rebus non reddendis, quas ſibi proprias vindicaverat, utpote quas à Cæſare redemerat in auctione.

1. *Narbone.*] Narbo, qui olim Martius dictus eſt, Galliæ Braccatæ olim nobiliſſimum emporium, & colonia Romanorum.

2. *Pro te dimicaret.*] Cùm dimicaret Dolabella, ne Reſpublica & patrimonium ſuum direptum ab Antonio perderet, Antonius ipſe Narbone crapulæ ſe dabat.

Ib. *Qui verò Narbone reditus.*] Arguerat reditum Ciceronis Romam Antonius; at oſtendit, longè turpiſſimum ex Galliâ Antonii fuiſſe; rediit enim Cicero ut patriæ conſuleret in electione Conſulum; at Antonius rediit, quia audivit Cæſarem interfectum eſſe; & domum noctu venit veſte ſervili indutus.

7. *Nec gallicis.*] Gallicæ fuerunt ſoleæ, & calceamenta effœminatorum hominum, quibus uti viros indecorum erat.

Ib. *Lacernâ.*] Lacerna idem eſt ac penula, & veſtimenti genus brevius, quo milites utebantur; indecorum autem fuit Senatorem cum lacernâ & gallicis ad comitia Conſulatum petitumam venire.

11. *Magiſter Equitum viderere.*] Non ſibi videri debet reverà fuiſſe verus magiſter equitum Antonius, quia hanc dignitatem oppreſſâ Republicâ obtinuit.

13. *Coloniaſque Galliæ.*] Cùm audiit Antonius redire à Galliâ Cæſarem in urbem, ad eum venit ille, ut favore municipiorum, & coloniarum quæ erant in Galliâ, illius in Conſulatu collega fieret; nam municipia & coloniæ jus habebant civitatis, & dandi ſuffragii in comitiis Conſularibus; ad quæ cum gallicis & lacernâ venit rogaturus, ut pro ſe apud Cæſarem intercederent. Id autem vehementer arguit Cicero quaſi alienum à more conſuetudineque Romanorum, qui non rogare, ſed petere Conſulatum ſolebant à viris probis: poti quidem poterat, ſed non erat precibus efflagitandus.

Galliæ, à quâ nos tùm, cùm Conſulatus petebatur, non rogaba-
15 tur, petere Conſulatum ſolebamus, cum gallicis & lacernâ cucurriſti. At videte levitatem hominis. Cùm horâ diei decimâ ferè ad Saxa rubra veniſſet, delituiti n quâdam cauponulâ, atque ibi ſe occultans, perpotavit ad veſperum: inde ciſio celeriter ad urbem advectus, domum venit capite involuto. Janitor, Quis tu?
20 à Marco tabellarius. Conſeſtim ad eam, cujus causâ venerat, deducitur, eique epiſtolam tradit: quam cùm illa legeret flens (erat enim amatoriè ſcripta: [c] caput autem literarum, ſibi cum illâ mimâ poſthac nihil futurum; omnem ſe amorem abjeciſſe [d] illinc, atque in hanc transfudiſſe) cum mulier fleret uberius, homo
25 miſericors ferre non potuit: caput [e] aperuit; in collum invaſit. O hominem nequam! (quid enim aliud dicam? magis proprie nihil poſſum dicere) ergo ut te catamitum, nec opinatò cùm oſtendiſſes, præter ſpem mulier aſpiceret, idcirco urbem terrore nocturno, Italiam multorum dierum metu perturbaſti? & domi
30 quidem cauſam amoris habuiſti, foris etiam turpiorem, ne L. Plancus prædes tuos venderet: productus autem in concionem à Tribuno-plebis, cùm reſpondiſſes, te rei tuæ causâ veniſſe, populum [f] in te dicacem etiam reddidiſti.

[c] *initium.* [d] *ab ea.* [e] *detexit.* [f] *convicianteм tibi.*

16. *Diei decimâ ferè.*] Romani veteres diem in horas duodecim, & noctem in totidem dividebant; quare horas inæquales, & æſtate quidem diurnas longiores, breviores nocturnas, hieme contra, nocturnas longiores, breviores diurnas habuerunt; cum autem ſol medium curſus ſpatium confecerat, ſexiam horam numerabant; per decimam autem quarta noſtra ſerotina intelligenda eſt.

17. *Ad Saxa rubra.*] Saxa rubra locus eſt in viâ Caſſiâ inter urbem & Veios. Vide Livium, lib. 2. Ibi ceciderunt Fabii trecenti.

18. *Inde ciſio.*] Ciſium genus rhedæ celerrimum eſt, [*vehiculi biroti genus*, Nonio Marc.]

20. *A Marco.*] Id eſt, à Marco Antonio tabellarius eſt.

Ib. *Ad eam.*] Fulviam indicat.

23. *Illâ mimâ.*] Cytheride, quam Volumniam nominaverat.

26. *O hominem nequam!*] Nemo vir turpior effœminato; & nequam dicitur quaſi nequiquam.

27. *Catamitum.*] Catamitus dicitur puer meritorius, ut ait Servius ad Ecl. 8. qualis fuit Ganymedes.

28. *Terrore nocturno.*] Cùm fama fuit in urbem Antonium advenisſe, crediderunt omnes mortuum fuiſſe Cæſarem.

30. *L. Plancus.*] Is eſt Plancus Munatii Planci frater, Ciceroni amiciſſimus, ad quem plures ſunt eius epiſtolæ. Cùm autem tum Reipub. tùm Cæſari multas pecunias deberet Antonius, quibus impar erat ſolvendis, Plancus ille Tribunus-plebis ſponſores Antonii ſe venditurum minatus eſt; à quo cùm urgeretur Antonius, dixit in concione ſe rediiſſe ut rem ſuam ageret; cui dicenti non credidit populus, perſuaſus ob mortem Cæſaris rediiſſe.

Quid egerit Antonius in Conſulatu.

1 XIII. Sed nimis multa de nugis; ad majora veniamus. Cæſari ex Hiſpaniâ redeunti obviam longiſſimè proceſſiſti: celeriter

iſti,

[a] iſti, & rediſti, ut cognoſceret, te, ſi minùs fortem, attamen [b] ſtrenuum: factus es ei rurſus neſcio quomodo familiaris; [c] habebat hoc omninò Cæſar; quem planè perditum ære alieno egentemque, ſi eundem nequam hominem audacemque cognoverat, hunc in familiaritatem libentiſſimè recipiebat. His igitur rebus præclarè commendatus, juſſus es renunciari Conſul, & quidem cum ipſo: nihil queror de Dolabellâ, qui tùm eſt impulſus, inductus, eluſus. Quâ in re quanta fuerit utriuſque veſtrûm perfidia in Dolabellam, quis ignorat? ille induxit, ut peteret: promiſſum & receptum intervertit, ad ſeque tranſtulit: tu ejus perfidiæ voluntatem tuam [d] adſcripſiſti. Veniunt Kalendæ Januariæ: cogimur in Senatum: invectus eſt copioſius multò in iſtum & paratius Dolabella, quàm nunc ego. Hic autem iratus quæ dixit, dii boni! cùm primùm Cæſar oſtendiſſet, ſe, prius quàm proficiſceretur, Dolabellam Conſulem eſſe juſſurum; quem negant regem, qui & faceret ſemper ejuſmodi aliquid, & diceret: ſed cùm Cæſar ita dixiſſet, tùm hic bonus Augur eo ſe ſacerdotio præditum eſſe dixit, ut comitia auſpiciis vel impedire, vel vitiare poſſet; idque ſe facturum eſſe aſſeveravit. In quo primum incredibilem ſtupiditatem hominis cognoſcite. Quid enim? iſthuc,

[a] *iviſti.* [b] *promptum.* [c] *erat eâ indole.* [d] *addidiſti.*

9. *Cum ipſo.*] Cæſar quartùm Conſul factus eſt, ſibique collegam aſſumpſit Antonium, ut poſtea Dolabellam ſibi ſubſtitueret, quia abdicare ſe Conſulatu volebat Cæſar.

Ib. *Nihil queror de Dolabellâ.*] Cum Antonius videret ſibi dari collegam in Conſulatu, Dolabellam inimiciſſimum, in eum vehementiſſimè invectus eſt, & re infectâ Senatus dimiſſus eſt. Cùmque in eadem ſemper eſſet Cæſar voluntate, auguria Antonius objecit.

Ib. *Impulſus.*] Dolabella ad petendum Conſulatum à Cæſare impulſus fuerat; à quo poſtea deceptus eſt. Nam aſſumpſit collegam Antonium.

11. *Ille.*] Cæſar.

12. *Intervertit.*] Intervertere propriè eſt rem alicui promiſſam ad ſe transferre, & efficere malitioſe, ne juſto poſſeſſori reſtituatur.

13. *Kalend. Jan.*] His Kalendis inibant Magiſtratum Conſules, & Senatum boni ominis causâ convocabant.

14. *In iſtum.*] In Antonium invectus eſt Dolabella, cùm non auderet in Cæſarem, à quo deceptus fuerat.

15. *Hic autem iratus.*] Antonius.

16. *Prius quàm proficiſceretur.*] Cæſar cogitabat de bello Parthis inferendo, & de ſubſtituendo ſibi Dolabella Conſule.

17. *Eſſe juſſurum.*] Invidioſè hac voce *juſſurum* utitur, quaſi ſummum ſibi Reip. dominatum Cæſar aſſumpſiſſet. Nam pertinebat tantùm ad Conſules interrogare, & ad populum jubere.

Ib. *Quem negant regem.*] Dicebant illi Cæſarem non Regem eſſe, cùm revera Rex eſſet, cùm omnia ad arbitrium ageret in Repub.

19. *Bonus Augur.*] Ironia.

Ib. *Sacerdotio.*] Auguratum intelligit, qui facer habebatur.

20. *Comitia auſpiciis.*] Sicut intercedere Tribuni poterant, ita augures obnunciare, ne cum populo ageretur.

Ib. *Vitiare.*] Poſtquam habita erant comitia, poterant oſtendere Augures in electione Conſulum vitium aliquod vel defectum fuiſſe, v. g. quod de cœlo ſervatum non ſit, quod tonuerit, pluerit, &c.

22. *Iſthuc.*] Oſtendit ſtultitiam Antonii, quia ignoravit quid ſit Augurium.

quod

quod te ſacerdotii jure facere poſſe dixiſti, ſi augur non eſſes, & Conſul eſſes, minus facere potuiſſes? vide ne etiam facilius: nos enim nunciationem ſolùm habemus; Conſules & reliqui magiſtratus etiam ſpectionem. Eſto: hoc imperite, nec enim ab homine nunquam ſobriò poſtulanda prudentia: ſed videte impudentiam: multis ante menſibus in Senatu dixit, ſe Dolabellæ comitia aut prohibiturum auſpiciis, aut id facturum eſſe, quod fecit: quiſquamne [e] divinare poteſt, quid vitii in auſpiciis futurum ſit, niſi de cœlo ſervare conſtituit? quod neque licet comitiis per leges; &, ſi quis ſervavit, non [f] habitis comitiis, ſed prius quàm habeantur, debet nunciare: verùm implicata inſcitia impudentia eſt, ſi nec ſcit quod Augurem, nec facit quod pudentem decet. Atque ex illo die recordamini ejus uſque ad idus Martias Conſulatum: quis unquam apparitor tàm humilis, tàm abjectus? nihil ipſe poterat: omnia rogabat: caput in averſam lecticam inferens, beneficia, quæ venderet, à collegâ petebat. Ecce Dolabellæ comitiorum dies; ſortitio prærogativæ; quieſcit; renunciatur; tacet: prima claſſis vocatur; renunciatur: deinde,

[e] *prævidere.* [f] *completis.*

24. *Minus facere potuiſſes.*] Id eſt, multò plus impedire Conſul comitia potuiſſes.

Ib. *Vide ne etiam facilius.*] Id eſt, multo facilius potuiſſes facere.

25. *Nos.*] De ſe loquitur, quia inter Augures adſcriptus fuerat.

Ib. *Nunciationem.*] Poterant tantum Augures obnunciare quod tonuerit, quod pluerit, &c. At verò Senatus & Conſules inſpicere & judicare an impediri poſſit quod obnunciatum eſt. [*Spectio in auguralibus ponitur pro aſpectione,* inquit Feſtus; quod quidam neſcientes pro *ſpectionem* hic reponunt *inſpectionem.*]

26. *Eſto.*] Concedit ſe Antonium imprudentiæ arguiſſe, quam jam in eo ſingularem eſſe confirmat. Nam multis ante menſibus Dolabellæ minatus erat, aut prohibiturum auſpiciis comitia, aut per ſe prohibiturum.

31. *De cœlo ſervare.*] Id eſt, auſpicia cœlum obſervando captare.

Ib. *Per leges.*] Lex Ælia & Fufia vetabat de cœlo ſervare, dum agebatur cum populo, quia id ante fieri conveniebat.

33. *Implicata inſcitia.*] Implicatam inſcitiam Antonii ait, quia admixtam habet impudentiam: inſcitia illius ſingularis eſt, quia rationem augurlorum ignorat; impudentia vero, quia minatur ſe impediturum quod ſine causâ prohibere non poteſt; & de futuris ſe divinaturum dixit.

35. *Ad idus Martias.*] Hoc tempore Cæſar interfectus eſt.

36. *Quis unquam apparitor.*] Apparitor dicitur, qui juſſa principum vel magiſtratuum exequitur.

37. *Omnia rogabat.*] Antonius omnia rogabat Cæſarem.

Ib. *In averſam lecticam.*] Lecticam, quâ Cæſar vehebatur, comitabatur Antonius.

38. *Quæ venderet.*] Gratis accipiebat Antonius à Cæſare beneficia, quæ poſtea aliis vendebat.

Ib. *Ecce Dolabellæ comitiorum dies.*] Cùm Cæſar ad Parthos profecturus eſſet, proximè voluit Conſulatum abdicare, & dare Dolabellæ; quare ad comitia populus convocatus eſt.

39. *Sortitio prærogativæ.*] Supple *fit.* Duo fuerunt genera tribuum, quæ ſuffragium ferebant: alteræ prærogativæ dicuntur, alteræ jure convocatæ. Prærogativæ quæ primæ ferunt ſuffragium, aliæ quæ jure convocatæ ſunt; ſecundo loco, quæ ex magnâ parte prærogativarum ſuffragium ſequebantur in creandis Magiſtratibus.

Ib. *Quieſcit.*] Nihil agit Antonius.

40. *Renunciatur.*] Conſul fit Dolabella: & nihil agit Antonius.

Ib. *Prima claſſis.*] Prima claſſis vocatur per præconem ad ferendum ſuffragium; obſerva autem quaſque tribus in quinque claſſes, claſſes vero in centurias, fuiſſe diſtributas.

Ib. *Renunciatur.*] Id eſt, prima claſ-

ſis

inde, ut adſolet, ſuffragatum ſecunda claſſis vocatur; quæ omnia citius ſunt facta, quàm dixi. [s] Confecto negotio, bonus Augur (Lælium diceres) ALIO DIE, inquit. O impudentiam ſingularem! quid videras? quid ſenſeras? quid audieras? nec enim te de cœlo ſervaſſe dixiſti, neque hodie dicis: id igitur obvenit vitium, quod tu jam Kalendis Januar. futurum eſſe prævideras, & tanto ante prædixeras. Ergo, hercule, magna, ut ſpero, tua potius, quàm reipublicæ calamitate, mentitus es auſpicia: obſtrinxiſti populum Romanum religione: Augur Auguri, Conſul Conſuli obnunciaviſti. Nolo plura, ne acta Dolabellæ videar [h] convellere; quæ neceſſe eſt aliquando ad noſtrum collegium deferantur. Sed arrogantiam hominis inſolentiamque cognoſcite: quamdiu tu voles, vitioſus Conſul Dolabella: rurſus cùm voles, ſalvis auſpiciis creatus: ſi nihil eſt, cùm Augur iis verbis nunciat, quibus tu nunciaſti; confitere te, cùm, ALIO DIE, dixeris, ſobrium non fuiſſe: ſin eſt aliqua vis in iſtis verbis, ea quæ ſit, Augur à collegâ requiro.

XIV. Sed ne forte, ex multis rebus geſtis M. Antonii, rem unam

[s] *lato ſuffragio.* [h] *reſcindere.*

ſis ſuffragio Dolabella Conſul renunciatur.

41. *Suffragatum.*] Ad ferendum de more ſuffragia ſecunda claſſis vocatur.

42. *Bonus Augur.*] Antonium ironice comparat cum Lælio augure ſapientiſſimo; cujus ſumma fuit nominis auctoritas in Repub. De hoc Cic. in clarâ Orat. loquitur.

43. *Alio die.*] Cùm vidit Antonius Dolabellam Conſulem electum, tunc eligendum alio die dixit eſſe, quaſi vitioſe creatus eſſet.

44. *Quid videras.*] Jam impudentiam Antonii vituperat, qui cùm nec aves vidiſſet, nec ſenſiſſet pluvias, aut terræ motum, nec audiviſſet tonitru, uſus eſt tamen comitia illa Conſularia tanquam vitioſa reprehendere.

45. *Obvenit vitium.*] Cùm Cæſar ſibi collegam Antonium aſſumpſiſſet, ſtatuiſſetque ſtatim Conſulatum abdicare, renunciari Conſulatum Dolabellam voluit: at Antonius objecit Auguria, utpote offenſus Dolabellæ, quem non poſſe Conſulem fieri, ſine magnâ Reipublicæ calamitate dixit, neglectâ præſertim Auguriorum religione. Ait autem Cicero quod prævifum ab Antonio vitium evenerit, ſed quod prædicta calamitas in eum potius, quàm in Remp. recidet.

48. *Eventus ex auſpicia.*] Finxit auſpicia Antonius, cùm revera nulla eſſent, quibus à Conſulatu Dolabella prohiberetur.

Ib. *Obſtrinxiſti populum Rom.*] Deorum metu & irâ populum Romanum percelluit Antonius, cùm dixit ab eo contra auſpiciorum religionem Dolabellam renunciatum eſſe Conſulem.

49. *Augur Auguri.*] Antonius Augur erat, & Conſul; & Cæſar Augur etiam & Conſul. Conſules autem inter ſe & vitiare, & retinere auſpicia poterant. Alii autem Magiſtratus inferiores obnunciare Conſulibus non poterant.

51. *Ad noſtrum collegium.*] Augurum collegium intelligit; ad quos videlicet pertinebat ſtatuere de vitiis auſpiciorum.

53. *Vitioſus Conſul.*] Vitioſus Conſul dicitur, in cujus creatione vitium aliquod obvenit, cùm aliquid animadverſum eſt, ut cùm pluit, vel fulgur viſum eſt, vel aliquid ejuſmodi evenit. Salva autem auſpicia dicuntur, in quibus nihil tale accidit.

54. *Si nihil eſt.*] Si nihil ab Augure ſervatum eſt.

56. *Sin eſt aliqua.*] Si quid eſt ſervatum quod nunciandum eſſet.

57. *Augur.*] Ego qui ſum Augur.

pul-

[a] pulcherrimam transiliat oratio, ad Lupercalia veniamus. Non dissimulat, P. C. apparet esse commotum; sudat, pallet: quidlibet, modò ne [b] nauseet, faciat, quod in porticu Minuciâ fecit: quæ potest esse turpitudinis tantæ defensio? cupio audire; ut videam ubi rhetoris tanta merces, ubi campus Leontinus appareat. Sedebat in rostris collega tuus, amictus togâ purpureâ, in sellâ aureâ, coronatus: adscendis: accedis ad sellam; (ita eras Lupercus, ut te Consulem esse meminisse deberes) diadema ostendis: gemitus toto foro; unde diadema? non enim abjectum sustuleras, sed attuleras domo meditatum & cogitatum scelus. Tu diadema imponebas cum [c] plangore populi; ille cum plausu rejiciebat. Tu ergo unus, sceleratè, inventus es, qui, cum auctor regni esses, eum, quem collegam habebas, dominum habere velles, & idem [d] tentares, quid populus Romanus ferre & pati posset. At etiam misericordiam captabas, supplex te ad pedes adjiciebas: quid petens? ut servires; tibi uni peteres, qui ita à puero vixeras, ut omnia paterere, ut facilè servires? à nobis populoque Romano mandatum id certè non habe-

[a] *turpissimam.* [b] *evomat.* [c] *gemitu.* [d] *experireris.*

2. *Lupercalia.*] Lupercalia sacra quædam fuerunt, quæ mense Februario à Lupercis, id est, Sacerdotibus Panos, in ejus honorem celebrabantur. Nam ut ait Servius in lib. 8. Æneid. dum illa peragerentur quondam, pecora Romanorum subitò à latronibus rapta sunt. Illi projectis vestibus latrones persecuti sunt, quibus oppressis, ac receptis pecoribus, propter rem bene gestam à nudis, consuetudo invaluit, ut nudi Lupercalia celebrarent. Eorum primus institutor Romulus à Valerio Max. dicitur; vultque in memoriam Romuli & Remi nutritorum à Lupâ celebrari.

4. *Porticu Minucia.*] Porticus illa Minucia in nonâ urbis regione fuit, quæ Minucia vel à portâ dicta est, vel ab arâ juxta illam, quæ Minucio sacra fuit, quem deum Romani colebant.

6. *Ubi rhetoris.*] Sextum Clodium intelligit Rhetorem suum, de quo supra.

7. *In rostris collega tuus.*] Rostra erant in foro Romano, ubi habebantur conciones ad populum.

Ib. *Collega tuus.*] Julius Cæsar in rostris sedebat, ad eos verò tantùm pertinuit sedere, qui judicabant.

Ib. *Togâ purpureâ.*] Toga purpurea Regum erat & triumphantium.

8. *In sella aurea, coronatus.*] Sellâ aureâ Reges utebantur, quam etiam Cæsari Senatus decrevit, cum potestate perpetuo lauream coronam, auream in Ludis gestandi.

Ib. *Adscendis.*] Adscendit ad rostra Antonius.

Ib. *Accedis ad sellam.*] In quâ sedebat Cæsar.

9. *Ita eras Lupercus.*] Lupercus ab arcendis lupis dicitur: Consul verò à Consulendo, quia patriæ Consulere debet. Lupercorum autem proprium erat insolescere, Consulis autem gravitatem præ se ferre, à quâ maximè alienus est Antonius.

Ib. *Diadema.*] Diadema regum est insigne, & fascia quædam, quæ eorum capiti circumligatur. Corona etiam regum est, sed cum hoc discrimine, quod etiam privatis civibus ob rem bene gestam, & triumphantibus concederetur.

10. *Gemitus toto foro.*] Id est, gemitus in foro à toto populo factus est.

11. *Meditatum & cogitatum scelus.*] Non ex improviso ostendit illud diadema quasi statim repertum, sed per summum scelus meditatus domi fuerat Cæsari imponere, quo summum ejus in totum populum dominatum ostenderet.

17. *Tibi uni peteres.*] Tolerabile fuisset, si petiisset, ut uni sibi servire licuisset,

bas,

bas. O præclaram illam eloquentiam tuam, cùm es nudus concionatus! quid hoc turpius? quid fœdius? quid suppliciis omnibus dignius? num expectas, dum te stimulis fodiam? hæc te, si ullam partem habes sensûs, lacerat, hæc cruentat oratio. Vereor ne imminuam summorum virorum gloriam: dicam tamen dolore commotus: quid indignius, quàm vivere eum, qui imposuerit diadema; cùm omnes fateantur jure interfectum esse, qui abjecerit? At etiam adscribi jussit in fastis, ad Lupercalia, C. CÆSARI, DICTATORI PERPETUO, M. ANTONIUM CONSULEM POPULI JUSSU REGNUM DETULISSE, CÆSAREM UTI NOLUISSE. Jam jam minimè miror, te otium perturbare; non modò urbem odisse, sed etiam lucem; cum perditissimis latronibus non solùm de die, sed etiam in diem vivere. Ubi enim tu in pace consistes? qui locus tibi in legibus & in judiciis esse potest, quæ tu, quantum in te fuit, dominatu regio sustulisti? Ideone L. Tarquinius exactus; Sp. Cassius, Sp. Melius, M. Manlius necati, ut multis pòst seculis, à M. Antonio, quod fas non est, rex Romæ constitueretur? Sed ad auspicia redeamus. De quibus rebus Idibus Martiis fuit in Senatu Cæsar acturus, quæro tum tu quid egisses? Audiebam quidem te paratum venisse, quod me de mentitis auspiciis, quibus ta-

20. *Nudus concionatus.*] Luperci nudi incedebant in Lupercalibus; & cùm Lupercus esset Antonius, meritò dicit nudum concionatum esse.

26. *Interfectum esse.*] Cæsar interfectus fuit Bruto & Cassio, cæteriſque conjuratoribus, quia regium sibi dominatum vindicare videbatur, cujus tamen respuit insignia. At Antonius longè dignior morte fuit, qui ei illud voluit imponere.

27. *In fastis ad Lupercalia.*] Fasti libri sunt, quibus anni totius descriptio continetur, & in quos acta Consulum referebantur.

Ib. *Ad Lupercalia.*] Designat tempora quibus hoc diadema ab Antonio Cæsari oblatum est. Sic in Epist. Cic. ad Brut. *Decrevi ut in fastis ad eum diem Bruti nomen adscriberetur.*

28. *Dictatori perpetuo.*] Invidiosè dicit inscripsisse, *Dictatori perpetuo*, quia Dictator in discordiis civium tantùm ad sex menses creabatur.

29. *Populi jussu regnum detulisse.*] Turpiter mentitur Antonius populum imperium regni Cæsari detulisse.

32. *De die.*] De die vivunt qui palam, sine pudore, interdiu voluptatibus indulgent, tempestiva quæ vocantur convivia celebrantes. *In diem* vivere dicuntur, qui dici tantùm præsentis rationem habent, & de crastino non cogitant: quod latrones & impudentissimi quique faciunt.

35. *L. Tarquinius.*] Is septimus & ultimus fuit regum Romanorum, qui à L. Bruto ejectus est.

Ib. *Sp. Cassius.*] Cùm ille Cassius pro frumento Siculo pecuniam acceptam populo dedisset, necatus est. Vide Liv. lib. 2.

36. *Sp. Melius.*] Sp. Melius eques Romanus cùm suâ impensâ populo frumentum largitus esset, atque ob id factum in regni affectandi suspicionem venisset, ab Ahalâ Servilio Equitum Magistro jussu Cincinnati Dictatoris occisus est. Vide Liv. lib. 4.

Ib. *M. Manlius.*] M. Manlius Capitolium contra Gallos defendit; cùm verò multos ære alieno oppressos liberaret, affectandi regni crimine damnatus de rupe Tarpeiâ dejectus est: & Senatusconsultum factum, ne quis de gente Manliâ Marci cognomen assumeret.

38. *Cæsar acturus.*] Acturus erat Cæsar de auspiciis ab Antonio nunciatis contra Dolabellam, quem Cæsar profecturus brevi ad Parthos substituere sibi Consulem volebat.

40. *Mentitis.*] Mentiri quis auspicia dicitur, qui falsò obnunciat, & se de cœlo servasse asserit, cùm tamen non servarit.

men

men parere neceſſe erat, putares eſſe dicturum. Suſtulit illum diem [c] fortuna populi Romani: num etiam tuum de auſpiciis judicium interitûs Cæſaris ſuſtulit? Sed incidi in id tempus, quod iis rebus, in quas ingreſſa erat oratio, prævertendum eſt.

1 XV. Quæ tua fuga? quæ formido præclaro illo die? quæ propter conſcientiam ſcelerum deſperatio vitæ? cùm ex illâ fugâ, beneficio eorum, qui te, ſi ſanus eſſes, ſalvum eſſe voluerunt, clam te domum recepiſti? O mea fruſtra ſemper veriſſima Auguria rerum 5 futurarum! dicebam illis in Capitolio liberatoribus noſtris, cùm me ad te ire vellent, ut ad defendendam rempublicam te adhortarer: quoad metueres, omnia te promiſſurum; ſimul ac timere deſiiſſes, ſimilem te futurum tui. Itaque cùm cæteri Conſulares irent, redirent, in ſententiâ manſi: neque te illo die, neque poſtero 10 vidi: neque ullam ſocietatem optimis civibus cum importuniſſimo hoſte fœdere ullo confirmari poſſe credidi. Poſt diem tertium veni in ædem Telluris, & quidem invitus, cùm omnes aditus armati obſiderent; qui tibi ille dies, Antoni, fuit? quanquam mihi ſubitò inimicus extitiſti, tamen me tui miſeret, quod tibi 15 invideris. Qui tu vir, dii immortales! & quantus fuiſſes, ſi illius diei [a] mentem ſervare potuiſſes? pacem haberemus, quæ erat facta per obſidem puerum nobilem [M. Antonii filium] M. Bambalionis nepotem: quanquam te bonum timor faciebat, non diuturni magiſter officii; improbum fecit ea, quæ dum timor 20 abeſt, à te non diſcedit, audacia: etſi tùm, cùm optimum te putabant, me quidem diſſentiente, funeri [b] tyranni, ſi illud funus

[c] *felicitas.* [a] *conſilium.* [b] *Cæſaris.*

43. *Interitus Cæſaris.*] Illo tempore Cæſar interfectus.

Ib. *Incidi in id tempus.*] Ait jam ſe nolentem, & præter conſilium ſuum, in ea tempora incidiſſe, quæ mortem Cæſaris ſubſecuta ſunt.

1. *Quæ tua fuga.*] Non prius audivit mortem Cæſaris Antonius, quàm abjectis Conſularibus inſignibus, fugâ ſuæ ſaluti conſuluerit.

2. *Beneficio eorum.*] Brutus, Caſſius, aliique qui Cæſarem occiderunt, ſed Brutus præſertim, cùm de Antonio quoque interficiendo ab iis deliberaretur, vetuit ne ille occideretur, ut Plutarchus refert.

4. *Fruſtra ſemper veriſſima.*] Vera quidem erant Auguria Ciceronis, quia ante & poſt civile bellum prænunciavit quæ erant eventura, & reverà evenerunt; ſed quibus nec Cæſar, nec Pompeius, nec Brutus credere voluerunt. Perſuaſerat enim Cæſari & Pompeio, ut res inter ſe componerent, & Bruto, ut Antonio diffideret; ſed nemo eorum eum dicentem audivit.

5. *Liberatoribus noſtris.*] Liberatores appellat Brutum, Caſſium, alioſque conſpiratores, qui, interfecto Cæſare, in Capitolium ſe receperunt.

11. *Poſt diem tertium.*] Nempe à morte Cæſaris.

12. *Ædem Telluris.*] De eâ dictum eſt, Philip. I. Parag. I. not. ad l. 7.

13. *Obſiderent.*] M. Lepidus poſt eædem Cæſaris, per noctem forum militibus replevit.

17. *M. Antonii filium.*] M. Antonius filium obſidem in Capitolium ad Brutum miſerat, de quo Philip. I. Parag. I. not. ad l. 14.

18. *Bambalionis.*] De iſto Bambalione dictum eſt, Philip. II. Parag. II. not. ad l. 7.

Ib. *Non diuturni magiſter officii.*] Timor homines in officio continet, ſed non diu.

fuit,

fuit, ſceleratiſſime præfuiſti: tua illa pulchra laudatio, tua miſeratio, tua cohortatio: tu, tu, inquam, illas faces incendiſti, & eas, quibus ſemiuſtulatus ille eſt, & eas quibus incenſa L. Bellieni domus deflagravit; tu illos impetus perditorum hominum, & ex maximâ parte ſervorum, quos nos vi manuque repulimus, in noſtras domos immiſiſti. Idem tamen, quaſi fuligine abſtersâ reliquis diebus in Capitolio præclara Senatuſconſulta feciſti, ne quâ poſt Idus Martias immunitatis tabulâ, neve cujus beneficii figeretur. Meminiſti ipſe de exulibus: ſcis de immunitate quid dixeris; optimum verò, quod Dictaturæ nomen in perpetuum de republicâ ſuſtuliſti; quo quidem facto tantum te cepiſſe odium regni videbatur, ut ejus omnem, propter proximum Dictatorem, tolleres metum; [c] conſtituta reſpublica videbatur aliis, mihi vero nullo modo, qui omnia, te gubernante, naufragia metuebam. Num me igitur fefellit? aut num diutius ſui potuit eſſe diſſimilis? inſpectantibus vobis, toto Capitolio tabulæ figebantur: neque ſolùm ſingulis [d] veniebant immunitates, ſed etiam populis univerſis: civitas non jam ſigillatim, ſed provinciis totis dabatur. Itaque ſi hæc manent, quæ ſtante republicâ manere non poſſunt, provincias univerſas, P. C. perdidiſtis: neque vectigalia ſolùm, ſed etiam imperium populi Romani hujus domeſticis [e] nundinis diminutum eſt. Ubi eſt ſepties millies ſeſtertiûm, quod in tabulis, quæ ſunt ad Opis, patebat? funeſtæ illius

[c] *pacata.* [d] *vendebantur.* [e] *pactionibus.*

22. *Pulchra laudatio.*] Ironia. Antonius orationem habuit ad populum de Cæſaris laudibus, in quâ concitavit populum contra illius interfectores.

Ib. *Tua miſeratio.*] Populum non ſolum verbis, ſed etiam oſtensâ Cæſaris imagine, quam ex cerâ confecerat, & tunicâ ſanguine conſpersâ, manibus acceptâ & explicatâ ad miſerationem provocavit. Appianus & Plutarchus.

23. *Tua cohortatio.*] Eadem Oratione populum ad vindicandam Cæſaris mortem impulit.

Ib. *Illas faces incendiſti.*] Commota plebs Antonii Oratione, facibus ex rogo Cæſaris acceptis, domum Bellieni Senatoris combuſſit, & ad aliorum percuſſorum ædes cucurrit, ad eas pariter incendendas; ſed à Dolabellâ alio Conſule vix repulſa eſt.

27. *Fuligine.*] Dum haberet Antonius ſuam Orationem, à rogi fumo, in quo comburebatur Cæſaris cadaver, fuliginoſus factus eſt.

29. *Immunitatis tabulâ.*] Multæ immunitates & vocationes à belle militibus datæ fuerunt à Cæſare, quas ultrò conferre Antonius volebat, ſed ſuadente Servio Sulpicio, Senatuſconſultum factum eſt, quo vetabatur, ne qua ejuſmodi deinceps immunitas valeret.

Ib. *Figeretur.*] Leges, decreta, & alia ejuſmodi beneficia, quæ concedebantur, tabulis & æreis inciſa, in Capitolio & in aliis locis publicis figebantur, ut omnibus innoteſcerent.

31. *Dictaturæ nomen.*] Tulit, ne quis ullam ob cauſam de Dictatore creando referret, neve Dictaturam oblatam acciperet; quî ſecus faxit, eum ut necare jus faſque eſſet.

39. *Civitas.*] Romana civitas ſingulis & privatis hominibus dabatur.

44. *Septies millies ſeſtertiûm.*] Id eſt, ſeptemdecim milliones & quingenta millia aureorum noſtratium Gallicorum.

43. *Quod in tabulis.*] Loquitur de tabulis, in quibus ſummæ pecuniarum continebantur.

Ib. *Ad Opis.*] Supple *ædem* Opis, ubi erat ærarium.

qui-

quidem pecuniæ; ſed tamen, ſi iis, quorum erant, non redderentur, quæ nos à tributis poſſent vindicare. Tu autem H. S. quadringenties, quod idibus Martiis debuiſti, quonam modo ante Kalendas Apriles debere deſiiſti? [Quid ego de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar?] Sunt ea quidem innumerabilia, quæ à diverſis emebantur [f] non inſciente te: ſed unum egregium de rege Dejotaro, populo Romano amiciſſimo, decretum in Capitollo fixum: quo propoſito, nemo erat, qui in ipſo dolore riſum poſſet continere. Quis enim cuiquam inimicior, quàm Dejotaro Cæſar? æque atque huic ordini, ut eque-ſtri, ut Maſſilienſibus, ut omnibus, quibus rempublicam populi Romani caram eſſe ſentiebat. Igitur à quo vivo, nec præſens, nec abſens rex Dejotarus quidquam æqui boni impetravit, apud mortuum factus eſt [g] gratus. Compellârat hoſpitem præſens, computârat, pecuniam imperârat, in ejus tetrarchiam unum ex Græcis comitibus ſuis collocârat: Armeniam abſtulerat à Senatu da-

[f] *te conſcio.* [g] *gratioſus.*

44. *Funeſtæ illius quidem pecuniæ.*] Pecunias ait eſſe funeſtas, quia ex proſcriptione bonorum collectæ erant, qui Pompeio adhæſerant.

46. *Quæ nos à tributis.*] Illæ pecuniæ, quanquam injuſtè collectæ ſint, poterant tamen privatos cives ab illis pecuniis eximere, quas ſolvere coguntur Reip.

Ib. *H. S. quadringenties.*] Id eſt, millionem unum auri Gallici.

48. *Debere deſiiſti.*] Quærit quomodo æs diſſolverit Antonius tam ſubitò. Ironice loquitur, quia revera non ille diſſolverat, ſed jure quodam tyrannico ſibi vindicaverat.

Ib. *De commentariis infinitis.*] De his dictum eſt Phil. I. Parag. I. l. 18.

51. *De rege Dejotaro.*] Dejotarus Rex Gallogræciæ, amicus populi Romani, & Rex Armeniæ minoris à Senatu appellatus, cum Pompeio fuit in acie Pharſalicâ; at victo Pompeio à Cæſare, in regnum ſuum ſe recepit; ſatisfecit Cæſari, ad quem equites & pecuniam ab eodem Cæſare imperatam miſit; quem etiam ad bellum contra Pharnacem proficiſcentem in caſtello ſuo Lucceio recepit. Is à ſuis accuſatus, quaſi Cæſarem apud ſe divertentem occidere voluiſſet, à Cicerone defenſus eſt; ſed tamen alterâ Gallogræciæ parte à Cæſare multatus eſt, & ablata data ei à Senatu Armenia: at interfecto Cæſare, quidquid ablatum fuit, ei redditum eſt. Verùm Antonius legatis Regis & hoſpitibus diſſuadentibus pollicitus eſt, ſi certam pecuniæ ſummam ei conferret Dejotarus, edictum ſe prolaturum, quo erepta à Cæſare reſtituerentur, quaſi illud in commentariis Cæſaris inveniſſet.

54. *Huic ordini.*] Senatorio.

55. *Maſſilienſibus.*] Amiciſſimi fuerunt ſemper populo Romano Maſſilienſes; quos tamen per legatos D. Brutum & A. Trebonium expugnavit: Immò eorum urbs Maſſilia in triumpho ejus deportata eſt, ut refert lib. 2. de Officiis. Infenſus autem illis fuit, quòd Pompeio Senatuique faverint.

56. *Nec præſens.*] Bis vidit Dejotarum Cæſar; cùm nempè in Aſiam contra Pharnacem profectus eſt, & cùm ex Aſiâ rediit.

Ib. *Nec abſens.*] Bis defenſus eſt Dejotarus apud Cæſarem; Nicææ à M. Bruto, Romæ à Cicerone.

58. *Compellârat.*] Dejotarum Cæſar compellârat de pecuniâ ſibi dandâ.

Ib. *Computârat.*] Id eſt, rationes contulerat, quibus ſummam fecerat ejus pecuniæ, quam ex toto Dejotari regno colligere poterat, ut eam populis ſuis imperaret.

59. *Tetrarchiam.*] Tetrarchia dicitur quarta regni pars.

tam:

tam; hæc vivus eripuit, reddidit mortuus: at quibus verbis? modo æquum ſibi videri, modo non iniquum: [h] mira verborum complexio; at [i] ille nunquam (ſemper enim abſenti affui Dejotaro) quidquam ſibi, quod nos pro illo poſtularemus, æquum dixit videri. 65

XVI. Syngrapha H-S. centies per legatos viros bonos, ſed timidos & imperitos, ſine noſtrâ, ſine reliquorum hoſpitum regis ſententiâ, facta in gynæceo: quo in loco plurimæ res [a] venierunt & veneunt; quâ ex ſyngraphâ quid ſis acturus meditere cenſeo. Rex enim ipſe ſua ſponte, nullis commentariis Cæſaris, ſimul atque audivit ejus interitum, [b] ſuo Marte res ſuas recuperavit; ſciebat homo ſapiens, jus ſemper hoc fuiſſe, ut, quæ tyranni eripuiſſent, ea, tyrannis interfectis, ii, quibus erepta eſſent, recuperarent. Nemo igitur jureconſultus, ne iſte quidem, qui tibi uni eſt jureconſultus, per quem hæc agis, ex iſta ſyngrapha deberi dicit pro iis rebus, quæ erant ante ſyngraphan recuperatæ: non enim à te emit; ſed prius, quam tu ſuum ſibi venderes, ipſe poſſedit. Ille vir fuit: nos quidem contemnendi, qui auctorem odimus, acta defendimus. Quid ergo de commentariis infinitis, quid de innumerabilibus chirographis loquar? quorum etiam imitatores ſunt, qui ea, tanquam gladiatorum libellos, palam venditent. Itaque tanti acervi nummorum apud iſtum conſtruuntur, ut jam [c] appendantur, non numerentur, pecuniæ. At quam cæca avaritia eſt! nuper fixa tabula eſt, qua civitates locupletiſſimæ Cretenſium vectigalibus liberantur: ſtatuiturque, ne poſt M. Brutum Proconſulem ſit Creta provincia. Tu mentis es compos? tu non conſtringendus? an Cæſaris decreta

[h] *confuſa diſpoſitio.* [i] *Cæſar.* [a] *venditæ ſunt & venduntur.* [b] *per ſe.* [c] *ponderentur.*

1. *Syngrapha.*] Syngrapha eſt formula obligationis, quâ nos aliquid ab alio accepiſſe, & reddere promittimus.

Ib. *H. S. centies.*] Ducenta quinquaginta millia ſcutatorum Gallicorum.

3. *Gynæceo.*] Gynæceum locus eſt deſtinatus ſolis mulieribus.

9. *Ne iſte quidem.*] Intelligit Sextum Clodium Rhetorem & Conſultorem Antonii; quem ab exilio revocavit.

13. *Ille vir.*] Dejotarus, qui fortiter egit recuperando ſua bona, quæ Cæſar abſtulerat.

14. *Auctorem.*] Cæſarem, qui auctor fuit.

Ib. *Commentariis infinitis.*] De iſtis commentariis dictum eſt ſuperiore Oratione, qui infiniti à Cicerone dicuntur, quia nihil in eis vertum.

16. *Imitatores.*] Hic imitatores eos dicit, qui aliorum manus imitari poterant.

Ib. *Gladiatorum libellos.*] Reſpicit ad morem gladiatorum: nam qui pugnam editurus erat, ſolebat proponere libellos, in quibus dies futuri muneris deſignarentur, in quibus item nomina & paria gladiatorum exponerentur. Vide Lipſium Satur. l. 2. c. 18.

21. *Poſt M. Brutum.*] Poſt mortem Cæſaris Creta provincia Bruto decreta eſt, quam per decretum liberavit ab onere provinciæ, cum abierit è vivis Brutus; neque enim auſus id ante fuerat, ne Brutum læderet: ait autem, fixam fuiſſe tabulam, quia in tabula decreta & leges deſcribebantur.

22. *Non conſtringendus.*] Inſaniæ accuſat Antonium.

Creta poſt M. Bruti deceſſum potuit liberari, cum Creta nihil ad Brutum, Cæſare vivo, pertineret? At hujus venditione decreti, ne nihil actum putetis, provinciam Cretam perdidiſtis. Omnino nemo ullius rei fuit emptor, cui defuerit hic venditor. Et de exulibus legem, quam fixiſti, Cæſar tulit? nullius inſector calamitatem: tantum queror, primum eorum reditus inquinatos, quorum cauſam diſſimilem Cæſar judicaverit: deinde neſcio, cur reliquis idem non tribuas: neque enim plus quam tres aut quatuor reliqui ſunt: qui ſimili in calamitate ſunt, cur tuâ miſericordiâ ſimili non fruuntur? cur eos habes in loco patrui? de quo ferre, cum de reliquis ferres, noluiſti; quem etiam ad cenſuram petendam impuliſti, eamque petitionem comparaſti, quæ & riſus hominum & querelas moveret. Cur autem ea comitia non habuiſti? an quia Tribunus-plebis ſiniſtrum fulmen nunciabat? cùm tua quid intereſt, nulla auſpicia ſunt: cùm tuorum, tum ſis religioſus? quid? eundem in ſeptemviratu nonne deſtituiſti? intervenit enim: quid metuiſti? credo, ne ſalvo capite negare non poſſes: omnibus eum contumeliis o-

23. *Creta nihil ad Brutum.*] Cæſar in annum ſequentem Caſſio Syriam, & Bruto Macedoniam decreverat, ut refert Appianus lib. 3. de bell. civil.

26. *Hic venditor.*] M. Antonius.

27. *De exulibus.*] Commentus eſt Antonius legem latam fuiſſe à Cæſare de exulibus revocandis, quam ad columnas appendi voluit.

28. *Reditus inquinatos.*] Id eſt, reditus ignominia notatos, quod ſerius aliqui aliis reſtituerentur. Legunt quidam *reditus æquatos*, quia quoſdam reſtituit Antonius, quorum cauſæ diſſimiles erant: nam diſſimilium diſſimilis ratio eſſe debet; qui gravius peccarunt, gravius puniri par eſt. Eos autem æquavit Antonius, quia non ex Cæſaris mente, ſed ex ſua libidine reſtituit.

32. *In loco patrui.*] C. Antonius olim in Conſulatu collega Ciceronis, patruus M. Antonii, accuſatus à Cœlio de repetundis, ob Macedoniam ab eo expilatam; defenſus à Cicerone, exilio damnatus fuerat. Sed licet Antonius multos ab exilio revocatos in priſtinam dignitatem reſtitueret, de patruo ſuo nullam unquam mentionem fecit.

34. *Ad cenſuram petendam impuliſti.*] Cum Antonius poſtea fuiſſet reſtitutus, eum ad cenſuram petendam excitavit, ſubornavitque homines leviſſimos & abjectiſſimos, qui illius eſſent competitores; quod & riſus hominum movit, & querelas, quòd homines ejuſmodi fierent Cenſuræ candidati, & quòd vir nobiliſſimus ſic ab Antonio luderetur.

36. *Comitia non habuiſti.*] Cenſores à Conſulibus comitiis centuriatis creabantur.

Ib. *An quia Tribunus-plebis ſiniſtrum.*] Ironice ridet, quod fuerit prohibitus à comitiis habendis obnunciatione alicujus Tribuni, qui fulmen aliquod ſiniſtrum viderat, quod vitioſum erat comitiis: nam tonante Jove & fulgurante, comitia haberi nefas.

38. *Religioſus.*] Ironia. Augur autem erat Antonius, ideoque religioſus, unde ſuos auſpiciis ſubeſſe non exiſtimabat, & ſe ac ſuos extra omnia auſpicia poſitos eſſe ſibi perſuadebat.

Ib. *Eundem in ſeptemviratu.*] Cum C. Antonius ſeptemviratum peteret, ab Antonio relictus eſt. Septemviri autem illi Epulones dicti ſunt, quòd epulas indicendi Jovi cæteriſque diis poteſtatem haberent.

39. *Intervenit enim.*] Id eſt, adfuit C. Antonius; quare abſentiam cauſari non potuit Antonius.

Ib. *Ne ſalvo capite.*] Sic interpretor cum Manutio: *Id eſt, ſalva & integra fama C. Antonii, quem idcirco adeſſe voluit Antonius, ut majori dedecore afficeretur, cum negare ſeptemviratum ei integrâ fama non poſſet.*

neraſti,

nerasti, quem patris loco, si ulla in te pietas esset, colere debebas; filiam ejus, sororem tuam [d], ejecisti, alia [e] conditione quæsita, & ante perspecta: non est satis; [f] probri insimulasti pudicissimam fœminam: quid est, quod addi possit? contentus eo non fuisti; frequentissimo Senatu Kalendis Jan. sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella odii causam ausus es dicere, quod ab eo sorori & uxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses. Quis interpretari potest, impudentior-ne, qui in Senatu; an improbior, qui in Dolabellam; an impurior, qui patre audiente; an crudelior, qui in illam miseram tàm spurcè, tàm impiè dixeris? Sed ad chirographa redeamus: [g] quæ fuit tua cognitio? acta enim Cæsaris pacis causâ confirmata sunt à Senatu: quæ quidem Cæsar egisset, non ea, quæ Cæsarem egisse dixisset Antonius. Unde ista erumpunt? quo auctore proferuntur; si sunt falsa, cur probantur? si vera, cur [h] veneunt? At sic placuerat, ut ex Kalendis Juniis de Cæsaris actis cum consilio cognosceretis. Quod fuit consilium? quem unquam advocasti? quas Kalendas Junias expectasti; an eas, ad quas te, peragratis veteranorum coloniis, stipatum armis retulisti? O præclaram illam [i] percursationem tuam mense Aprili atque Maio, tùm, cùm etiam Capuam deducere coloniam conatus es! quemadmodum illinc abieris, vel potius penè non abieris, scimus: [k] cui tu urbi minitaris; utinam conere, ut aliquando illud, PENE, tollatur. At quàm nobilis est tua illa peregrinatio? quid prandiorum apparatus, quid furiosam vinolentiam tuam proferam? tua ista detrimenta sunt, illa nostra. Agrum Campanum, qui cùm de vectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen infligi magnum reipublicæ [l] vulnus putabamus: hunc tu compransoribus tuis, & collusoribus dividebas; mimos dico & mimas, P. C. in agro Campano collocatos. Quid jam querar de agro Leontino? quandoquidem hæ quondam arationes, Campana & Leontina, in populi Romani patrimonio

[d] *repudiasti.* [e] *alia uxore.* [f] *stupri.* [g] *cur ea tu solus cognovisti?* [h] *venduntur?* [i] *peragrationem.* [k] *quali.* [l] *damnum.*

42. *Sororem tuam.*] Erat filia C. Antonii, qui patruus erat hujus Antonii; patrueles enim fratres vel sorores sunt, ait Caius, qui, quæve ex duobus fratribus progenerantur.

51. *Ad chirographa redeamus.*] Chirographum est privata cautio manu alicujus vel scripta, vel subscriptâ. Loquitur de chirographis hîc, quæ falso Cæsaris nomine protulit.

55. *At sic placuerat.*] Occupatio quæ fit ab ipso Cicerone.

60. *Capuam coloniam.*] Ridet Antonium, qui cum Capuam coloniam deducere vellet ex veteranis militibus, à Capuanis non solum prohibitus, sed pene interfectus est.

63. *Penè tollatur.*] Penè occisus est Capuæ Antonius: optat ut illud *penè* tollatur, sed interficiatur Antonius.

66. *Agrum Campanum.*] Campanus ager publicus & vectigalis erat; quem tamen Antonius dividere militibus veteranis voluit, ut sibi addictos haberet.

70. *Agro Leontino.*] Ager Leontinus est in Sicilia, quem Sexto Clodio suo dicendâ magistro dedit.

71. *In pop. Rom. matrimonio.*] Quamdiu illi agri in populi Romani patrimonio fuerunt.

grandi fœnore, & fructuoſæ ferebantur. Medico tria millia jugerum, quaſi te ſanum feciſſet; Rhetori duo, quaſi diſertum facere potuiſſet.

XVII. Sed ad iter Italiamque redeamus. Deduxiſti coloniam Caſilinum, quo Cæſar ante deduxerat. Conſuluiſti me per literas de Capuâ tu quidem (ſed idem de Caſilino reſpondiſſem) poſſesne, ubi colonia eſſet, eò coloniam novam jure deducere: negavi in eam coloniam, quæ eſſet auſpicato deducta, dum eſſet [a] incolumis, coloniam novam jure deduci: colonos novos [b] adſcribi poſſe reſcripſi: tu autem, [c] inſolentia elatus, omni auſpiciorum jure turbato, Caſilinum coloniam deduxiſti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum tolleres, & aratrum circumduceres; cujus quidem vomere portam Capuæ pene perſtrinxiſti, ut florentis coloniæ territorium minueretur. Ab hâc perturbatione [d] religionum [e] advolas in M. Varronis, ſanctiſſimi atque integerrimi viri, fundum Caſſinatem: quo jure? quo ore? eodem, inquies, quo in hæredum L. Rubrii, quo in hæredum L. Turſelii prædia, quo in reliquas innumerabiles poſſeſſiones. Et ſi ab haſtâ, valeat haſta, valeant tabulæ, modò Cæſaris, non tuæ: quibus debuiſti, non quibus tu te liberaviſti. Varronis quidem

[a] *integra.* [b] *adjungi.* [c] *ſuperbia.* [d] *auguricrum.* [e] *invadis.*

72. *Grandi fœnore, & fructuoſæ.*] Id eſt, feraciſſimi illi agri multos populo Romano fructus referebant. In aliis codicibus legitur *glandiferæ*, at vox iſta quercuum eſt, quæ ſteriles ſunt: niſi forte velit Cicero glandibus hos agros ad ſues paſcendos abundare. [Sed de Arationibus hic agitur. Manutius *grandiferæ* legit.]

73. *Quaſi diſertum facere potuiſſet.*] Rhetor ille Clodius operam in edocendo Antonio declamationem perdiderat: cui tamen tria millia jugerum pro mercede rependit; at quam longe plura, ſi doctiorem reddidiſſet?

2. *Caſilinum.*] Caſilinum oppidum eſt Campaniæ ad flumen Vulturnum, quò jam Cæſar, confectis bellis civilibus, coloniam deduxerat.

5. *Auſpicato deducta.*] Nihil Romani ſuſcipiebant, quin prius auſpicia captarent.

9. *Ut vexillum tolleres.*] Quod fieri ſolet in colonia deducenda, *Manut.*] Quia fere milites, confectis ſtipendiis, mercedis gratia in colonos aſſumebantur, illi ſub vexillo in colonias deducebantur; quò cum perveniſſent, vexillum figebatur.

Ib. *Aratrum circumduceres.*] Agri qui novæ coloniæ concedebantur, aratro deſignabantur.

10. *Portam Capuæ.*] Spatium terræ Caſilinenſibus agris adjunctum, tam amplum fuit, ut pene ad portam urbis Capuæ pertineret.

12. *In M. Varronis.*] Marcus ille Varro longe omnium togatorum ſui temporis doctiſſimus Pompeium ſecutus fuerat. Eo mortuo, invaſit in ejus fundum Antonius, cauſatus eum à Cæſare accepiſſe pecuniam.

15. *Et ſi ab haſta.*] Concedit Antonio Cicero legitime illum agrum emiſſe, quia à Cæſare haſtæ ſubjectus eſt.

16. *Non tuæ.*] Id eſt, falſæ, quia multas falſas tabulas, quaſi à Cæſare ſcriptas, proferebat.

Ib. *Quibus debuiſti.*] Proferebantur Senatorum tabulæ, quibus patebat ingentem pecuniæ ſummam, de qua ſuperius, Idibus Martiis debuiſſe.

17. *Non quibus tu te liberaviſti.*] Falſis nominibus tabulas Antonius proferebat, quibus ſe ære alieno liberabat.

Caſ-

Caſſinatem fundum quis [f] veniiſſe dicit? quis haſtam iſtius venditionis vidit? quis vocem præconis audivit? miſiſſe te dicis Alexandriam, qui emeret à Cæſare; ipſum enim expectare magnum fuit: quis verò audivit unquam (nullius autem ſalus curæ pluribus fuit) de fortunis Varronis rem ullam eſſe detractam? Quòd ſi etiam ſcripſit ad te Cæſar, ut redderes; quid ſatis poteſt dici de tantâ impudentiâ? Remove gladios illos parumper, quos videmus: jam intelliges, aliam cauſam eſſe haſtæ Cæſaris, aliam confidentiæ & temeritatis tuæ; non enim te dominus modò illis ſedibus, ſed quivis amicus, vicinus, hoſpes, procurator arcebit. At quàm multos dies in eâ villâ turpiſſimè es perbacchatus? ab horâ tertiâ bibebatur, ludebatur, vomebatur. O tecta ipſa miſera, *quàm diſpari domino!* quanquàm quomodo iſte dominus? ſed tamen quàm à diſpari tenebantur! ſtudiorum enim ſuorum M. Varro voluit eſſe illud, non libidinum diverſorium: quæ in illâ villâ anteà dicebantur? quæ cogitabantur? quæ literis mandabantur? jura populi Romani, monumenta majorum, omnis ſapientiæ ratio omniſque doctrinæ. At verò, te inquilino (non enim domino) perſonabant omnia vocibus ebriorum: natabant pavimenta vino: madebant parietes: ingenui pueri cum meritoriis, ſcorta inter matres-familias verſabantur. Caſſino ſalutatum veniebant, Aquino, Interamna: admiſſus eſt nemo;

[f] *venditum eſſe.*

19. *Miſiſſe te dicis Alexandriam.*] Dicebat Antonius, ſubjecta haſtæ fuiſſe, ſeu auctione vendita fuiſſe Alexandriæ à Cæſare Varronia bona, ad quæ emenda miſerat.

20. *Magnum fuit.*] Ironia; tanta enim avaritiæ cupiditate ducebatur Antonius, ut non potuerit expectare dum Cæſar Romam rediiſſet.

23. *Ut redderes.*] Cæſar ſcripſit ad Antonium, ut Varroni ſuum fundum redderet Caſſinatem.

24. *Remove gladios.*] Oſtendit ipſum vi & armis obtinere iſtum fundum Varronis, & ſejungit Cæſaris cauſam ab Antonii audacia.

26. *Non dominus modò.*] Si deſtituatur armis Antonius, non modo Varro illius fundi dominus eum non recipiet, ſed nemo erit qui non Antonium dejiciat ex illis poſſeſſionibus, quas injuſtè ſibi vindicavit.

28. *Es perbacchatus.*] Id eſt, omni te libidinis inſaniæ turpiſſime permiſiſti.

29. *Ab horâ tertiâ.*] Sunt qui putant Ciceronem loqui de tertia noctis hora, & de illis antelucanis cœnis, quas frequentiſſime reprehendebat in Catilina. [Sed multo turpius erat ab hora tertia diei perbacchari, cum hora nona ſobriis initium eſſet cœnæ.]

32. *Diverſorium.*] Diverſorium dicit, quia in villis tantum ad tempus, animi relaxandi cauſâ, habitatur.

35. *Inquilino.*] Inquilinus dicitur qui ſolus in ædibus conductis habitat, non autem cum domino, vel eo qui habitandi jus habet.

38. *Meritoriis.*] Pueri meritorii dicuntur, qui ſuo corpore quæſtum faciunt.

Ib. *Scorta.*] Scortum mulier infamis eſt.

Ib. *Matres-familias.*] Mater-familias pro muliere pudicâ & honeſtâ, ſive vidua ſit, ſive nupta, ſumitur.

Ib. *Caſſino.*] Caſſinum Campaniæ oppidum eſt.

39. *Aquino.*] Aquinum oppidum eſt in Latio, ad fines Samnitum.

Ib. *Interamna.*] Interamna Campaniæ oppidum eſt, non longe ab Aquino, quod ſic dictum eſt, quia inter duos amnes in unum confluentes, Melpim & Tirim, interjacet. Strabo.

jure id quidem. In homine enim turpiſſimo [g] obſolebant dignitatis inſignia. Cùm inde Romam proficiſcens ad Aquinum accederet, obviàm ei proceſſit (ut eſt frequens municipium) magna ſane multitudo; at iſte opertâ lecticâ latus eſt per oppidum, ut mortuus. Stulte Aquinates; ſed tamen in viâ habitabant: quid Anagnini? qui cùm eſſent devii [obviam ei] deſcenderunt, ut iſtum, tanquam ſi eſſet Conſul, ſalutarent: incredibile dictu eſt; tamen inter omnes conſtabat, neminem eſſe reſalutatum; præſertim cùm duos ſecum Anagninos haberet, Muſtellam & Laconem; quorum alter gladiorum eſt princeps, alter poculorum. Quid ego illas iſtius minas contumeliaſque commemorem, quibus invectus eſt in Sidicinos? vexavit Puteolanos, quòd C. Caſſium, quòd Brutos patronos adoptaſſent: magno quidem judicio, ſtudio, benevolentiâ, caritate; non tu te, ut Baſilum, vi & armis, & alios veſtri ſimiles, quos clientes nemo habere velit, non modo eſſe illorum cliens. Intereà dum tu abes, qui dies ille collegæ tui fuit, cùm illud, quòd tu venerari ſolebas, buſtum in foro evertit? quâ re tibi nunciatâ, ut conſtabat inter eos, qui unà fuerunt, concidiſti: quid evenerit poſtea, neſcio: metum credo valuiſſe, & arma. Collegam quidem de cœlo detraxiſti; effeciſtique non tu quidem etiam nunc, ut ſit ſimilis tui, ſed certè ut diſſimilis eſſet ſui.

XVIII. Qui verò reditus inde Romam? quæ perturbatio totius

[g] *obſcurabantur.* [h] extra *viam.*

44. *Stulte Aquinates.*] Aquinates venerunt quidem obviam, quia habitabant circa viam Latinam, per quam iter faciebat: ſed ſtulte egerunt; neque enim dignus erat qui tanto in honore haberetur Antonius

45. *Anagnini.*] Anagnia oppidum eſt Campaniæ.

48. *Muſtellam & Laconem.*] De his loquitur lib. ad Att. 16.

51. *Sidicinos.*] Sidicinum, five Teanum, colonia & urbs Campaniæ fuit, Caſſinum verſus.

Ib. *Puteolanos.*] Puteoli maritimum oppidum eſt in Campania. Feſtus: *Puteolos dictos putant ab aquæ calidæ putore: quidam à multitudine puteorum earundem aquarum gratiâ factorum.*

52. *Brutos.*] Invaluerat hæc conſuetudo apud illos veteres, ut ſingulæ nationes Romæ patronos haberent, in quorum eſſent clientela.

53. *Baſilum.*] Baſilus ille primo Pompeium, deinde Antonium ſecutus eſt.

56. *Collegæ.*] Dolabellam dicit, qui buſtum Cæſaris evertit; de quo dictum Philip. I. Parag. I.

58. *Concidiſti.*] Id eſt, metu exanimatus es.

Ib *Metum credo, & arma.*] Hîc Cicero Dolabellam arguit, quòd Reipublicæ partes deſeruerit, non metu armorum Antonii, ut dicebat: ſed quia ab eo pecuniâ corruptus eſt, ut eum ſibi ſemper addictum haberet

59. *De cœlo detraxiſti.*] De cœlo detrahere, ſive diſturbare, idem eſt, ac aliquem de maximâ gloria dejicere, ſeu laudibus ſpoliare: nam quos laudamus, dicimur eos ad cœlum laudibus efferre.

Ib. *Effeciſti.*] Cùm non tàm eſſet improbus Dolabella quàm Antonius, effecit non ut ſibi Antonio eſſet ſimilis Dolabella; id eſt, tàm ſceleratus quàm Antonius; ſed ſaltem non tàm probus quàm anteà fuiſſet.

urbis ?

urbis? memineramus Cinnam nimis potentem; Syllam posteà dominantem, Cæsarem regnantem videramus: erant fortasse gladii, sed ii absconditi, nec ita multi; ista verò quæ & quanta barbaria est? agmine quadrato cum gladiis sequuntur milites: [a] scutorum lecticas portari videmus. Atque his quidem jam inveteratis, P. C. consuetudine obduruimus; Kalendis Juniis, cùm in Senatum, ut erat constitutum, venire vellemus, metu perterriti repentè dissugimus: at iste, qui Senatu non egeret, neque desideravit quemquam, & potiùs discessu nostro lætatus est, statim illa mirabilia facinora effecit: qui chirographa Cæsaris defendisset lucri sui causâ, is leges Cæsaris, easque præclaras, ut rempublicam concutere posset, evertit; numerum annorum provinciis prorogavit; idemque, cùm actorum Cæsaris defensor esse deberet, & in publicis, & in privatis rebus acta Cæsaris rescidit. In publicis actis nihil est lege gravius: in privatis firmissimum est testamentum. Leges alias sine promulgatione sustulit: alias, ut tolleret promulgatas, promulgavit. Testamentum irritum fecit: quòd etiam [b] infimis civibus semper [c] obtentum est, [d] signa, [e] tabulas, quas populo Cæsar una cum hortis legavit, eas hîc partim in hortos Pompeii deportavit, partim in villam Scipionis.

[a] plenas *scutis*. [b] *abjectis*. [c] *ratum fuit*. [d] *statuas*. [e] *imagines*.

2. *Cinnam.*] Cinna civis fuit Romanus, qui crudelitate suâ Rempub. vastavit, & adversarios vocatis ad pileum servis vicit.

Ib. *Syllam.*] Sylla Dictaturam invasit, in eâque summâ crudelitate superatis partibus Marianis contra cives usus est.

3. *Gladii absconditi.*] Cinna, Sylla, & Cæsar dominatum sibi quidem usurpabant, sed non aperte ut Antonius.

5. *Agmine quadrato.*] Sequebantur Antonium milites quasi semper parati ad prælium.

7. *Obduruimus.*] Obdurescere dicuntur qui callum obducunt.

Ib. *Kal. Jun.*] Kalendis Juniis rediit in urbem Antonius, quo tempore propter illius metum, nemo Senator in Senatum venire ausus est.

9. *At iste.*] Antonius videlicet, qui tyrannus erat, non indiguit ope Senatûs; cum vellet Remp. ad arbitrium suum regere.

10. *Mirabilia facinora.*] Per illa mirabilia facinora intelligit ea quæ præter omnium admirationem fiunt. Ironia: nam postea exponit, quæ scelerate & ambitiose ab Antonio facta sunt.

11. *Chirographa.*] Cæsaris chirographa valere quidem voluit Antonius, quia iis ad avaritiam suam & libidinem abutebatur, sed non alias Cæsaris leges; quia Rempub. stabiliebant, quam evertere funditus volebat.

13. *Numerum annorum.*] Tulerat Cæsar ne provinciæ Prætoriæ plusquàm annum, ne plusquam biennium Consulares obtinerentur. At eorum imperium ad plures annos prorogavit Antonius.

16. *Firmissimum est testamentum.*] Ex Ulpiano, *testamentum est mentis nostræ contestatio in id solemniter facta, ut post mortem nostram valeat.* Quare firmissimum omnium, quæ fiunt à privatis, haberi debet.

17. *Sine promulgatione.*] Lex promulgari tum dicebatur, cum populo proponebatur vel ferenda, vel abroganda. Ferre enim, vel abrogare legem sine jussu populi non licuit.

Ib. *Alias, ut tolleret,* &c.] Veras leges quas tulerat Cæsar sustulit; & falsas promulgavit, & exposuit populo.

21. *In hortos Pompeii.*] Domum & hortos Pompeii Antonius emerat.

Ib. *Villam Scipionis.*] Hæc villa erat in Tiburtino, quam ab hasta emit Antonius.

Et tu in Cæſaris memoriâ diligens? Tu illum amas mortuum? quem is [f] majorem honorem conſecutus erat, quàm ut haberet pulvinar, ſimulacrum, faſtigium, flaminem? eſt ergò flamen, ut Jovi, ut Marti, ut Quirino, ſic Divo Julio Marcus Antonius? quid igitur [g] ceſſas? cur non [h] inaugurare? ſume diem: vide, qui te inauguret: collegæ ſumus: nemo negabit. O deteſtabilem hominem, ſive quòd tyranni ſacerdos es, ſive quòd mortui! Quæro deinceps, num hodiernus dies qui ſit ignores? neſcis, heri quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuiſſe? te autem ipſum ad populum tuliſſe, ut quintus prætereà dies Cæſari tribueretur? cur non ſumus prætextati? cur honorem Cæſari tuâ lege datum deſeri patimur? an ſupplicationes addendo diem contaminari paſſus es, pulvinaria noluiſti? aut undique religionem tolle, aut uſquequaque conſerva. Quæres; placeatne mihi pulvinar eſſe, faſtigium, flaminem? mihi vero nihil iſtorum placet. Sed tu, qui acta Cæſaris defendis, quid potes dicere, cur alia defendas, alia non cures? niſi fortè vis fateri te omnia quæſtu tuo, non illius dignitate [i] metiri. Quid ad hæc tandem? expecto eloquentiam tuam:

[f] *poterat conſequi majorem honorem.* [g] *differs?* [h] *conſecrare.* [i] *æſtimare.*

22. *Cæſaris memoriâ diligens.*] Id eſt, tu qui tam diligens es in honoranda memoria Cæſaris.

24. *Pulvinar, ſimulacrum.*] Pulvinar lectulus erat ſtratus in templis, in quo numinis alicujus ſimulacrum reponebatur.

Ib. *Faſtigium.*] Faſtigium moles quædam erat inſtar pyramidis in altum extructa, quàm variis picturis ornatam in conſecrationibus Deorum erigebant: [is igitur Cæſari honos datus, ut tanquam in æde ſacra, ſic in eius domo faſtigium eſſet.]

Ib. *Eſt ergo flamen.*] Flamen ſeu ſacerdos divis aſſignabatur, ut Jovi, quia Dialis; Marti, quia Martialis; Romulo, quia Quirinalis dicebatur. Unde porrò flamen dictus ſit, jam expoſuimus in Orat. pro Mil. Parag. VI. l. 32.

25. *Divo Julio.*] Divos appellabant eos homines, qui virtute cæteris ſuperiores inter deos referebantur.

27. *Collegæ ſumus.*] Cicero & Antonius augures erant.

28. *Sive quod mortui!*] Contendit non eſſe referendum in Deos Cæſarem, tum quia tyrannus, tum quia occiſus fuit. Homines autem ejuſmodi plane indigni erant honoribus.

29. *Quæro deinceps.*] M. Antonius tulerat ad populum, & populus comprobaverat, ut quinto ludorum die ſacra Cæſari fierent: quod neglexit Antonius, & quod in eo jam carpit Cicero.

30. *Ludorum Rom.*] Illi ludi primum à Tarquinio Priſco inſtituti, hique Romani ſeu Circenſes dicti ſunt, quod in Circo maximo exhiberentur, in quibus pugiles & equites decertabant.

32. *Cur non ſumus prætextati?*] Ex illo loco edocemur cum prætexta ludis adfuiſſe Romanos, quibus jus veſtis illius erat; de hâc dictum eſt ſæpe.

33. *Supplicationes.*] Antonius tulerat ut ſupplicationes mortuo Cæſari quaſi Deo deferrentur.

34. *Pulvinaria noluiſti?*] Noluit Antonius ut pulvinaria Cæſaris ſtatuæ collocarentur, ne qua forte injuria inferretur. At inde eum arguit Cicero, quia vel ei omnes honores divini exhibendi ſunt, vel nullus.

36. *Pulvinar eſſe.*] Quatuor hæc honorum genera ei, qui in deos referebatur, conferebant, ſimulacrum ſive ſtatuam; pulvinar, in quo reponeretur ad populorum venerationem; faſtigium; ſacerdotem.

40. *Expecto eloquentiam.*] Ridet Antonium, cujus nulla erat eloquentia, & dicendi uſus, quem ironice confert cum ab ſuo diſertiſſimo oratore, quem paſ-

ſim

am: diſertiſſimum cognovi avum tuum; at te etiam apertiorem in dicendo: ille nunquam nudus eſt concionatus; tuum hominis ſimplicis pectus vidimus. Reſpondebiſne ad hæc? aut omninò [k] hiſcere audebis? ecquid reperies ex tam longa oratione mea, cui reſpondere poſſe confidas? Sed præterita omittamus. Hunc unum diem, hunc unum, inquam, hodiernum diem, hoc [l] punctum temporis, quo loquor, defende, ſi potes: cur armatorum coronâ Senatus ſeptus eſt? cur me tui ſatellites cum gladiis audiunt? cur [m] valvæ Concordiæ non patent? cur homines omnium gentium maximè barbaros, Ityræos, cum ſagittas deducis in forum? Præſidii ſui causâ ſe facere dicit.

[k] *aperire* os. [l] *momentum.* [m] *fores.*

ſim laudat Cicero in libris de Oratore.

41. *Diſertiſſimum.*] Dicebat hic Antonius Orator multos ſe diſertos Oratores, eloquentem neminem vidiſſe.

Ib. *At te etiam apertiorem.*] Apertus & ſimplex idem ſignificant. Amphibologice autem Antonium ridet, dum apertum &. ſimplicem vocat; nam & ad corpus, & ad orationem hæc verba referri poſſunt. Nam cum eſſet Lupercus, nudus concionatus erat.

47. *Armatorum coronâ.*] Quando Antonius primæ Ciceronis orationi reſpondit, omnia loca armatis militibus complevit.

49. *Concordiæ.*] Id eſt, templi Concordiæ.

50. *Ityræos.*] De his ſupra Parag. IV. l. 23.

PERORATIO.

In quâ conatur Antonium ad meliorem frugem revocare: & ab ipsâ ſcelerum ſuorum magnitudine, quæ diuturna eſſe non poteſt; & ab exemplo Cæſaris eum confirmat, qui occiſus eſt, cùm longè Antonium ſuperaret: denique oſtendit quantùm mortem contemnat, modò moriens populum Romanum liberum relinquat.

XIX. Nonne igitur millies perire eſt melius, quàm in ſuâ civitate ſine armatorum præſidio non poſſe vivere? Sed nullum eſt iſtuc, mihi crede, præſidium; caritate & benevolentiâ civium ſeptum oportet eſſe, non armis. Eripiet, extorquebit tibi iſta populus Romanus, utinam ſalvis nobis! ſed quoquo modo nobiſcum egeris, dùm iſtis conſiliis uteris, non potes eſſe, mihi crede, diuturnus; etenim iſta tua minimè avara conjux, quam ego ſine contu-

5. *Salvis nobis.*] Exprobrat tacite Antonio conſilium de Cicerone interficiendo.

7. *Minime avara conjux.*] Fulvia conjux Antonii, jam Clodio, & Curioni nupſerat; duos illos poſteriores ad ſeditiones excitandas impulerat. Quorum uterque, Clodius videlicet à Milone interfectus eſt, Curio à Juba rege Mauritaniæ cum ſuis copiis deletus eſt. Sperat

contumeliâ deſcribo, nimiùm debet diù populo Romano tertiam [a] penſionem. Habet populus Romanus ad quos gubernacula reipublicæ deferat; qui ubicunque terrarum ſunt, ibi eſt omne reipublicæ præſidium, vel potiùs ipſa reſpublica, quæ ſe adhuc tantummodo ulta eſt, nondum recuperavit: habet quidem certè reſpublica adoleſcentes nobiliſſimos, paratos defenſores; quò volent, illi cedant, otio conſulentes; tamen à republicâ revocabuntur. Et nomen pacis dulce eſt, & ipſa res ſalutaris; ſed inter pacem & ſervitutem plurimùm intereſt: pax eſt tranquilla libertas; ſervitus malorum omnium poſtremum, non modò bello, ſed morte etiam repellendum. Quod ſi ſeipſos illi noſtri liberatores è conſpectu noſtro abſtulerunt; at exemplum facti reliquerunt; illi, quod nemo fecerat, fecerunt. Tarquinium Brutus bello eſt perſecutus, qui tamen rex fuit, cùm eſſe Romæ regem licebat. Spurii Caſſius, Melius, M. Manlius propter ſuſpicionem regni appetendi ſunt necati: hi primi cum gladiis, non in regnum appetentem, ſed in regnantem impetum fecerunt; quod cùm ipſum factum per ſe præclarum atque divinum eſt, tùm expoſitum ad imitandum; præſertim cùm illi eam gloriam conſecuti ſint, quæ vix cœlo capi poſſe videatur. Etſi enim ſatis in ipsâ conſcientiâ pulcherrimi facti fructus erat, tamen mortali immortalitatem non arbitror contemnendam. Recordare igitur illum, M. Antoni, diem, quo Dictaturam ſuſtuliſti: pone ante oculos lætitiam Senatûs populique Romani: confer cum hac nummatione tua tuorumque; tùm intelliges, quantum inter laudem & lucrum interſit; ſed nimirùm, ut quidam morbo aliquo & ſenſus ſtupore ſuavitatem cibi non ſentiunt; ſic libidinoſi, avari, facinoroſi veræ laudis guſtum non habent. Sed ſi te laus allicere ad rectè faciendum non poteſt, ne metus quidem à fœdiſſimis factis poteſt avocare? Judicia non metuis, ſi propter innocentiam laudo; ſi propter vim non

[a] *ſolutionem.*

rat quoque Orator, & brevi Antonium interficiendum eſſe conjugis facinore.

9. *Ad quos.*] Brutum & Caſſium deſignat, qui Rempub. contra Tyrannos defendent, quam jam à Cæſaris invaſione vindicarunt.

11. *Illi cedant.*] Etiamſi Brutus & Caſſius profecti fuiſſent in provincias poſt Cæſaris cædem, voluerunt illi cedere ac tempus, ut Reipub. otio conſulerent. At illi facilè revocabuntur, ut eandem Rempub. contra Antonii potentiam tueantur.

20. *Tarquinium Brutus.*] Junius Brutus Tarquinium exegit Roma: de hoc dictum Phil. II. Parag. V. not. ad l. 52. Vide Livium lib. 1.

22. *Caſſius, Melius, Manlius.*] De his ſupra ibid. l. 56.

24. *In regnantem.*] Cæſarem.

32. *Nummatione.*] Nummatio eſt magna vis pecuniæ. [Sed alii reſcribendum cenſent *Nundinatione.*]

intel-

intelligis, ei, qui iſto modo judicia non timeat, quid timendum ſit? Quòd ſi non metuis viros fortes, egregioſque cives, quòd à corpore tuo prohibentur armis; tui te, mihi crede, diutiùs non ferent. Quæ eſt autem vita, dies & noctes timere à ſuis? niſi verò majoribus habes beneficiis obligatos, quàm ille quoſdam habuit ex iis, à quibus eſt interfectus. An tu es ullâ re cum eo comparandus? fuit in illo ingenium, ratio, memoria, literæ, cura, cogitatio, diligentia: res bello geſſerat, quamvis reipublicæ calamitoſas, attamen magnas: multos annos regnare meditatus, magno labore, magnis periculis, quod cogitarat, effecerat: muneribus, [b] monumentis, congiariis, epulis, multitudinem imperitam delenierat: ſuos præmiis, adverſarios [c] clementiæ ſpecie devinxerat. Quid multa? attulerat jam liberæ civitati, partim metu, partim patientiâ, conſuetudinem ſerviendi. Cùm illo ego te dominandi cupiditate conferre poſſum: cæteris verò rebus nullo modo es comparandus. Sed ex plurimis malis, quæ ab illo reipublicæ [d] ſunt inuſta, hoc tamen boni eſt, quòd didicit jam populus Romanus, quantum cuique crederet, quibus ſe committeret, à quibus caveret. Hæc igitur non cogitas? nec intelligis, ſatis eſſe viris fortibus didiciſſe, quam ſit re pulchrum, beneficio gratum, famâ glorioſum, tyrannum occidere? an, cùm illum homines non tulerint, te ferent? certatim poſthac, mihi crede, ad hoc opus curretur, nec occaſionis tarditas expectabitur. Reſpice, quæſo, aliquando rempublicam, M. Antoni: quibus ortus ſis, non quibuſcum vivas, conſidera: mecum, ut voles; cum republicâ redi in gratiam. Sed de te tu ipſe videris: ego de me ipſo profitebor; defendi rempublicam adoleſcens, non deſeram ſenex: contempſi Catilinæ gladios, non pertimeſcam tuos; quinetiam corpus libenter obtulerim, ſi [e] repræſentari morte meâ libertas civitatis poteſt; ut aliquando dolor populi Romani pariat quod jamdiù parturit. Etenim ſi abhinc annos prope viginti hoc ipſo

[b] *ædificiis.* [c] *clementia ficta.* [d] *illata.* [e] *reſtitui.*

41. *Tui te.*] Ait, quod, quemadmodum ab hominibus amicis & familiaribus occiſus eſt Cæſar, ita à ſuis ſit Antonius occidendus.

44. *Quoſdam habuit.*] Cæſar pluribus beneficiis multos ex ſuis interfectoribus affecerat, præcipuè Decimum Brutum, quem in ſecundis hæredibus nominaverat. Marcus vero Brutus filius ejus creditus fuerat.

50. *Congiariis.*] Congiarium munus ſignificat, quod ab imperatore dabatur.

63. *Quibus ortus ſis.*] Habuit in familia M. Antonius illum M. Antonium oratorem celeberrimum, qui Conſulatum geſſit anno urbis 654. & Caium Antonium, qui cum Cicerone Conſul fuit.

69. *Pariat, quod jamdiu parturit.*] Parere dicitur qui fœtum in lucem edit; parturire vero, qui parere deſiderat.

in templo negavi, posse mortem immaturam esse Consulari, quanto verius nunc negabo seni? Mihi verò, P. C. jam etiam optanda mors est, perfuncto rebus iis, quas adeptus sum, quasque gessi: duo modò hæc opto; unum, ut moriens populum
75 Romanum liberum relinquam; hoc mihi majus à diis immortalibus dari nihil potest: alterum, ut ità cuique eveniat, ut de republicâ quisque mereatur.

76. *Ut de Repub. quisque mereatur.*] ut male iis, qui male de Republica meriti Optat ut bene iis, qui bene de Republica, sunt, eveniat.

IN M. ANTONIUM PHILIPPICA IX.

ARGUMENTUM.

LEGE cautum erat apud Romanos, ut qui in munere obeundo legati interfecti essent, eis statua erigeretur; quarè cùm in suâ legatione ad Antonium Servius Sulpicius interiisset, actum est in Senatu de statuâ ei decernendâ: in eâ fuerunt opinione Pansa Consul & Cicero. P. Servilius eum quidem sepulcro, non statuâ, honestandum censuit, utpote qui non ferro, sed tantùm ex valetudine obiisset. Contendit Cicero & sepulcro & statuâ ornandum esse, hâc maximè fretus ratione; quòd etsi non ex casu obierit, tamen ei legatio mortem attulerit, quia gravi affectus valetudine profectus ad Antonium est.

GENUS CAUSÆ.

In genere deliberativo est: agitur enim de statuâ legato erigendâ, qui in legatione diem obiit.

STYLUS.

Stylus quidem mediocris est, versatur enim in legis & exemplorum interpretatione, & narrationibus; quandoque tamen sublimior, maximè cùm Sulpicium laudat.

PARTES.

Hæc oratio Exordio constat, Narratione, Divisione, Confirmatione, & Peroratione.

EVENTUS.

Erecta est in Rostris Servio Sulpicio statua; ut refert Pomponius lib. Digest. 1. tit. de Orig. Juris.

EXOR-

EXORDIUM.

1 L. VELLEM, dii immortales feciſſent, P. C. ut vivo potius Servio Sulpicio gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus. Nec verò dubito, quin, ſi ille vir [a] legationem renunciare potuiſſet, reditus ejus & nobis gratus fuerit, & rei-
5 publicæ ſalutaris futurus: non quo L. Philippo & L. Piſoni aùt ſtudium, aut cura defuerit in tanto officio tantoque munere; ſed cùm Servius Sulpicius ætate illos anteiret, ſapientiâ omnes, ſubitò ereptus è causâ totam legationem orbam &. [b] debilitatam reliquit.

INTERPRETATIO.

[a] *legatione peracta domum redire.* [b] *imperfectam.*

NOTÆ.

7. *Sapientiâ omnes.*] Ait Sulpicium ſuperare omnes alios ſapientia propter ſingularem ejus juris tum humani tum divini ſcientiam, qua excellebat; dicitur autem centum & octoginta libros reliquiſſe.

NARRATIO.

In quâ exponit nulli legato juſtiorem honorem deferri potuiſſe.

2 II. Quòd ſi cuiquam juſtus honos habitus eſt in morte legato, in nullo juſtior, quàm in Ser. Sulpicio, reperietur. Cæteri, qui in legatione mortem obierunt, ad incertum vitæ periculum, ſine ullo mortis metu, profecti ſunt: Ser. Sulpicius
5 cum aliquâ perveniendi ad M. Antonium ſpe profectus eſt, nullâ revertendi; qui cum ita [a] affectus eſſet, ut, ſi ad gravem valetudinem labor vitæ acceſſiſſet, [b] ſibi ipſe diffideret, non recuſavit, quò minùs vel [c] extremo ſpiritu, ſi quam opem reipublicæ ferre poſſet, [d] experiretur. Itaque non illum vis hiemis, non ni-
10 ves, non longitudo itineris, non aſperitas viarum, non morbus ingraveſcens retardavit: cùmque jam ad congreſſum colloquiumque ejus perveniſſet, ad quem erat miſſus; in ipsâ curâ

[a] *ægrotaret.* [b] *deſperaret* de *vita ſua.* [c] *agens animam.* [d] *tentaret.*

5. *Nulla revertendi.*] Cum male affectus valetudine profectus fuiſſet legatus ad Antonium, non ei redeundi ſpes fuit.

10. *Longitudo itineris.*] Mutina Româ diſtat itinere ſeptem dierum.

& meditatione obeundi ſui muneris exceſſit è vitâ. Ut igitur alia; ſic hoc, C. Panſa, præclarè, quòd nos ad ornandum Ser. Sulpicium cohortatus es, & ipſe multa copioſe de illius laude dixiſti; quibus à te dictis, nihil præter ſententiam dicerem, niſi P. Servilio reſpondendum putarem, qui hunc honorem ſtatuæ nemini tribuendum cenſuit, niſi ei qui ferro eſſet in legatione interfectus. Ego autem, P. C. ſic interpretor ſenſiſſe majores noſtros, ut cauſam mortis cenſuerint, non genus eſſe quærendum.

13. *Ut igitur alia.*] Id eſt, ut multa ſolitus eſt Panſa dicere generoſe, tum generoſiſſime dixit, cum exhortatus eſt Senatum, ut ornaret Sulpicium, quem tot laudibus extulit.

DIVISIO ET CONFIRMATIO.

In quâ probat Servio Sulpicio in legatione ſuâ mortuo ſtatuam eſſe decernendam, quia in legatione obiit.

Digreditur etiam ad laudes Sulpicii celebrandas ab animi bonis, & juris ſcientia præſertim.

III. Etenim cui legatio ipſa morti fuiſſet, ejus monumentum extare voluerunt; ut in bellis periculoſis obirent homines legationis munus audaciùs. Non igitur exempla majorum quærenda, ſed conſilium eſt eorum, à quo ipſa exempla nata ſunt, explicandum. Lar Tolumnius, rex Veientium, quatuor legatos populi Romani Fidenis interemit; quorum ſtatuæ in Roſtris ſteterunt uſque ad noſtram memoriam: juſtus honos; iis enim majores noſtri qui ob rempublicam mortem obierant, pro brevi vitâ diuturnam memoriam reddiderunt. Cn. Octavii, clari viri & magni, qui

5. *Lar Tolumnius.*] Lar ſive Lars Tolumnius augur fuit, qui pro Turno bellavit in Æneam. Vide Virg. lib. 12. *Expediuntque manus, primuſque Tolumnius Augur.* [Sed ille alter ab hoc Larte.]

Ib. *Rex Veientum.*] Veiens ſeu Veientium urbs fuit ejus gentis primaria, quæ Larthenianum antea dicta eſt, deinde à Romanis Veiens nuncupata.

6. *Fidenis.*] Fidenæ urbs fuit in Latio olim ampla, & Romanorum colonia, cujus anno urbis conditæ 327. populi ad Lartem Tolumnium defecere. Cum autem ad eos à Romanis quatuor legati miſſi eſſent, ut ab eis defectionis cauſam ſciſcitarentur, Tolumnii imperio interfecti ſunt.

9. *Cn. Octavii.*] Octaviorum familia olim inter Patricias à Servio Tullio quidem adjecta eſt, ſed poſt aliquot annos ad plebem tranſivit. Primus C. Octavius Rufus Quæſtorius, Cn. & Caium procreavit, à quibus duplex Octaviorum familia defluxit diverſa conditione, ſiquidem Cneius & qui ab eo poſteri extitere, ſummis honoribus affecti ſunt: at Caius, & qui ab eo prodierunt, in equeſtri ordine remanſerunt uſque ad Auguſti patrem, qui functus Prætura Macedoniam provinciam obtinuit; altera autem à Cneio familia tota periit, nam tantum ad perpetuam memoriam ſola illius Cneii ſtatua ſuperſtes fuit. Cum enim ille ad Sidetem Demetrii filium, Antiochi magni nepotem, miſſus eſſet, ac eum virgula circumſcripſiſſet, neque eum exiturum è circulo niſi reſponſo data juraſſet; Regis imperio inter-

qui primus in eam familiam, quæ poſteà viris fortiſſimis floruit, attulit Conſulatum, ſtatuam videmus in Roſtris; nemo tùm novitati invidebat, nemo virtutem non honorabat. At ea fuit legatio Octavii, in quà periculi ſuſpicio non ſubeſſet. Nam cum eſſet miſſus à Senatu ad animos regum perſpiciendos liberorumque populorum, maximeque ut nepotem Antiochi regis, ejus qui cum majoribus noſtris bellum geſſerat, claſſes habere, elephantos alere prohiberet, Laodiceæ in gymnaſio à quodam Leptine eſt interfectus. Reddita eſt ei tum à majoribus ſtatua pro vitâ, quæ multos per annos progeniem ejus honeſtaret, nunc ad tantæ familiæ memoriam ſola reſtaret. Atqui & huic, & Tullo Cluvio, & Lucio Roſcio, & Sp. Antio, & C. Fulcinio, qui à Veientium rege cæſi ſunt, non ſanguis, qui eſt profuſus in morte, ſed ipſa mors ob rempublicam obita, honori fuit. Itaque P. C. ſi Ser. Sulpicio caſus mortem attuliſſet, dolerem quidem tanto reipublicæ vulnere, mortem verò ejus non monumentis, ſed luctu publico eſſe honorandam putarem. Nunc autem quis dubitat, quin ei vitam abſtulerit ipſa legatio? ſecum enim ille mortem extulit: quam, ſi nobiſcum remanſiſſet, ſua cura, optimi filii, fideliſſimæque conjugis diligentiâ vitare potuiſſet. At ille, cum videret, ſi veſtræ auctoritati non paruiſſet, diſſimilem ſe futurum ſui; ſin paruiſſet, munus ſibi illud pro republicâ ſuſceptum vitæ finem fore; maluit in maximo reipublicæ diſcrimine emori, quàm minus, quàm potuiſſet, videri reipublicæ profuiſſe. Multis illi in urbibus, qua iter faciebat, reficiendi ſe & curandi poteſtas fuit: aderat hoſpitum invitatio liberalis pro dignitate ſummi viri, & eorum hortatio, qui una erant miſſi, ad requieſcendum, & vitæ conſulendum. At ille properans, feſtinans, mandata veſtra conficere cupiens, in hac conſtantia, morbo adverſante, perſeveravit. Cujus cùm adventu maxime perturbatus eſſet Antonius, quod ea, quæ ſibi juſſu veſtro denunciarentur, auctoritate erant & ſententia Ser. Sulpicii conſtituta; declaravit quàm odiſſet Senatum, cum auctorem Senatus extinctum [a] lætè atque inſolenter tulit. Non igitur magis Octavium Leptines,

[a] *gaviſus eſt inſolenter.*

interfectus eſt, eique à Senatu in Roſtris, id eſt, in foro, ſtatua poſita eſt.

17. *Laodiceæ.*] Laodicea altera eſt in majori Phrygia, & illius maxima: altera in Media; in ea occiſus videtur; nam Media Syriæ provincia fuit, ubi Antiochus dominabatur.

Ib. *Gymnaſio.*] Gymnaſium locus eſt ubi vario ludorum genere juventus exercetur.

Ib. *Quodam Leptine.*] Vir is fuit incognitus, qui vel odio Romani nominis vel imperio regis legatum interfecit.

20. *Et Luc.*] Sulpicio videlicet.

30. *Diſſimilem ſui.*] Cum ſemper diligentiſſime imperiis Senatus Sulpicius paruiſſet, paruit modo vel vitæ periculo, cum legationem ad Antonium, affecta jam valetudine, ſibi demandatam ſuſcepit.

36. *An requieſcendum.*] Hortabantur Sulpicium, ut valetudinis cauſa quietem aliquam acciperet.

nec

nec Veientium rex eos, quos modo nominavi, quàm Ser. Sulpicium occîdit Antonius. Is enim profecto mortem attulit, qui causa mortis fuit. Quocirca ad posteritatis etiam memoriam pertinere arbitror, extare, quod fuerit de hoc bello judicium Senatus; erit enim statua ipsa testis, bellum tam grave fuisse, ut legati interitus honoris memoriam consecutus sit. Quod si excusationem Ser. Sulpicii, P. C. legationis obeundæ recordari volueritis, nulla dubitatio relinquetur, quin honore mortui, quam vivo injuriam fecimus, sarciamus. Vos enim P. C. (grave dictu est, sed dicendum tamen) vos, inquam, Ser. Sulpicium vitâ privastis. Quem cum videretis re magis morbum, quàm oratione excusantem, non vos quidem crudeles fuistis (quid enim minus in hunc ordinem convenit?) sed cum speraretis nihil esse, quod non illius auctoritate & sapientiâ effici posset, vehementius excusationi obstitistis; atque eum, qui semper vestrum consensum graviſſimum judicavisset, [b] de sententia dejecistis. Ut verò Paniæ Consulis accessit cohortatio gravior, quam aures Ser. Sulpicii ferre didicissent, tum vero denique filium, meque [c] seduxit, atque ita locutus est, ut auctoritatem vestram vitæ suæ se diceret anteferre; cujus nos virtutem admirati non ausi sumus adversari voluntati: movebatur singulari pietate filius: non multum ejus perturbationi meus dolor concedebat: sed uterque nostrûm cedere cogebatur magnitudini animi, orationisque gravitati; cum quidem ille maxima laude & gratulatione omnium vestrûm pollicitus est, se quod velletis esse facturum, neque ejus sententiæ periculum vitaturum, cujus ipse auctor fuisset: quem exequi mandata vestra properantem mane postridie prosecuti sumus; qui quidem discedens mecum ita locutus est, ut ejus oratio omen [d] fati videretur. Reddite igitur, P. C. ei vitam, cui ademistis; vita enim mortuorum in memoriâ vivorum est posita: perficite ut is, quem vos inscii ad mortem misistis, immortalitatem habeat à vobis: cui statuam in Rostris decreto vestro statueritis, nulla ejus legationem posteritatis obscurabit oblivio. Nam reliqua Ser. Sulpicii vita multis erit præclarisque monumentis ad omnem memoriam commendata; semper illius gravitatem, constantiam, fidem, præstantem in republica tuenda curam atque prudentiam, omnium mortalium fama celebrabit. Nec vero silebitur admirabilis quædam & incredibilis, ac penè divina ejus in legibus interpretandis, æquitate explicanda, scientia. Omnes ex omni ætate, qui in hac civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Ser. Sulpicio non sunt comparandi. Neque enim ille magis Juris consultus, quam Justitiæ fuit.

[b] *coegistis mutare sententiam.* [c] *sevocavit.* [d] *mortis.*

83. *Magis Juris consultus, quam Justitiæ.*] Jus legibus continetur, justitia vero æquitate, quæ constans & perpetua voluntas est cuique jus suum tribuendi.

Ita ea, quæ proficiſcebantur à legibus, & à jure civili, ſemper [e] ad facilitatem æquitatemque referebat; neque inſtituere litium actiones malebat, quam controverſias tollere. Ergo hoc ſtatuæ monumento non eget; habet alia majora: hæc enim ſtatua mortis honeſtæ teſtis erit; illa, memoria vitæ glorioſæ: ut hoc magis monumentum grati Senatûs, quam clari viri futurum ſit. Multum etiam valuiſſe ad patris honorem pietas filii videbitur; qui quanquam afflictus luctu non adeſt, tamen ſic [f] animati eſſe debetis, ut ſi ille adeſſet: eſt autem ita [g] affectus, ut nemo unquam unici filii mortem magis doluerit, quàm ille mœret patris. Et quidem etiam ad famam Ser. Sulpicii filii arbitror pertinere, ut videatur honorem debitum patri præſtitiſſe; quanquam nullum monumentum clarius Ser. Sulpicius relinquere potuit, quam effigiem morum ſuorum, virtutis, conſtantiæ, pietatis, ingenii, filium: cujus luctus aut hoc honore veſtro, aut nullo ſolatio levari poteſt. Mihi autem recordanti Ser. Sulpicii multos in familiaritate noſtra ſermones, gratior illi videtur, ſi quis eſt ſenſus in morte, ænea ſtatua futura, & ea pedeſtris, quàm inaurata equeſtris; qualis eſt L. Syllæ prima ſtatua: mirifice enim Ser. Sulpicius majorum continentiam diligebat; hujus ſeculi inſolentiam vituperabat. Ut igitur ſi ipſum conſulam, quid velit, ſic pedeſtrem ex ære ſtatuam, tanquam ex ejus auctoritate & voluntate decerno: quæ quidem magnum civium dolorem & deſiderium honore monumenti minuet & leniet. Atque hanc meam ſententiam, P. C. P. Servilii ſententia comprobari neceſſe eſt, qui ſepulcrum publice decernendum Ser. Sulpicio cenſuit, ſtatuam non cenſuit. Nam ſi mors legati ſine cæde atque ferro nullum honorem deſiderat, cur decernit honorem ſepulturæ, qui maximus haberi poteſt mortuo? Sin id tribuit Ser. Sulpicio, quod non eſt datum Cn. Octavio; cur, quod illi datum eſt, huic dandum eſſe non cenſet? Majores quidem noſtri ſtatuas multis decreverunt, ſepulcra paucis: ſed ſtatuæ intereunt tempeſtate, vi, vetuſtate; ſepulcrorum autem ſanctitas in ipſo ſolo eſt, quod nulla vi moveri neque deleri poteſt; atque ut cætera extinguuntur, ſic ſepulcra ſanctiora fiunt vetuſtate.

[e] *judicabat ex æquo jure.* [f] *affecti.* [g] *triſtis.*

85. *Actiones.*] Actio eſt jus ſuum perſequendi judicio: lis autem eſt jurgium de re quapiam inter aliquos apud judicem inſtitutum.

96. *Quam effigiem morum.*] Filius imago & effigies patris eſſe debet, ejus virtutes referendo.

102. *L. Syllæ prima ſtatua.*] Tres Syllæ Dictatori erectæ ſunt ſtatuæ, eæque in roſtris poſitæ. Prima, referente Plinio lib. 34. ænea fuit, & pedeſtris; aliæ equeſtres.

115. *Sanctitas in ipſo ſolo eſt.*] Probat, glorioſius eſſe ſepulchrum, quam ſtatuam decerni: quia, percunte ſtatua, definit locus ubi poſita ſtatua erat; at verò pereunte ſepulchro locus remanet religione ſanctus; & in profanum uſum aſſumi non poteſt; quia cum mortuus aliquis in locum aliquem illatus eſt, religioſus ſemper eſt.

Auge-

Augeatur igitur iſto etiam honore is vir, cui nullus honor tribui non debitus poteſt: grati ſimus in ejus morte decoranda, cui nullam jam aliam [h] gratiam referre poſſumus: notetur etiam M. Antonii, nefarium bellum gerentis, ſcelerata audacia; his enim honoribus habitis Ser. Sulpicio, repudiatæ rejectæque legationis ab Antonio manebit teſtificatio ſempiterna.

[h] *gratitudinem.*

PERORATIO.

Peroratio complectitur honores, quibus in ſepulcro & ſtatuâ Servius Sulpicius ex mandato Conſulum ornari debet.

IV. Quas ob res ita cenſeo: CUM Ser. Sulpicius Q. F. Lemonia, Rufus, difficillimo reipublicæ tempore, gravi periculoſoque morbo affectus, auctoritatem Senatûs ſalutemque populi Romani vitæ ſuæ præpoſuerit, contraque vim gravitatemque morbi contenderit, ut in caſtra Antonii, quò Senatus eum miſerat, perveniret; iſque cùm jam prope caſtra veniſſet, vi morbi oppreſſus vitam amiſerit in maximo reipublicæ munere: ejuſque mors conſentanea vitæ fuerit ſanctiſſimè honeſtiſſimèque actæ, in qua ſæpe magno uſui reipublicæ Ser. Sulpicius & privatus & in magiſtratibus fuerit: cùm talis vir ob rempublicam in legatione morbo obierit: Senatui placere, Ser. Sulpicio ſtatuam pedeſtrem æneam in Roſtris ex hujus ordinis ſententiâ ſtatui, circumque eam ſtatuam locum gladiatoribus ludiſque liberos poſteroſque ejus quoquoverſus pedes quinque habere, quòd is ob rempublicam mortem obierit, eamque cauſam in baſi inſcribi: utique C. Panſa, A Hirtius Conſules, alter, ambove, ſi iis videbitur, Quæſtoribus urbanis imperent, ut eam baſim, ſtatuamque faciendam & in roſtris ſtatuendam locent; quantique locaverint, tantam pecuniam redemptori attribuendam ſolvendamque curent: cùmque antea Senatus auctoritatem ſuam in virorum fortium funeribus ornamentiſque oſtenderit; placere, eum quàm ampliſſimè [a] ſupremo die ſuo efferri: & cum Ser. Sulpicius, Q. F. Lemonia, Rufus, ita de republicâ

[a] *die funeris ſui.*

1. *Cum Ser. Sulpicius.*] Servius ille Sulpicius filius fuit Q. Sulpicii Rufi, ex Lemoniâ Tribu, quæ Lemonia à Pago Lemonio appellata eſt, juxta portam Capenam, via Latina.

13. *Locum gladiatoribus.*] Vult ut locus poſteris Sulpicii detur in foro, unde ſpectent ludos qui à gladiatoribus exhibentur.

Ib. *Ludiſque.*] Hæc vox videtur abundare, nam ludi ſcenici non in foro, ſed in theatro dabantur.

15. *In baſi.*] Baſis eſt quod ſtatuam, aut rem quamvis ſolo altius ſuſtinet.

18. *Redemptori.*] Redemptor dicitur, qui certo pretio opus aliquod faciendum ſuo periculo conduxit. *Ulp.* Lib. 32. D. de rei vind.

meritus sit, ut his ornamentis decorari debeat; Senatum censere, atque è republicâ existimare, ædiles curules edictum, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpicii, Q. F. Lemonia, Rufi, funeri [b] mittere: utique locum sepulcro in campo Esquilino C. Pansa Consul, seu quo in loco videbitur, pedes triginta quoquoversus adsignet, quo Ser. Sulpicius inferatur; quod sepulcrum, ipsius, liberorum, posterorumque ejus sit, uti quod optimo jure sepulcrum publicè datum est.

[b] *proponere.*

24. *Edictum quod de funeribus habeant.*] Cicero decernit ut Consules jubeant Ædilibus, ut id curent ad Sulpicii memoriam exhiberi, quod in edictis & mandatis publicis de funeribus publicis ornandis præscriptum est à Republica. Ad Ædiles autem pertinuit ludos funebres exhibere.

26. *Campo Esquilino.*] Campus Esquilinus is erat, qui in urbe colli Esquilino subjectus erat: quandam lege xii. tabularum cautum fuerit, ut nemo in urbe sepeliretur, tamen in ea viris claris, & benè de Republicâ meritis, sepultura concedebatur.

28. *Adsignet.*] Id est, describat & tantùm proprium ipsis ad sepulturam concedat. Hoc enim verbum monumentis ac limitibus maximè convenit: hinc in marmoribus antiq. *Locus assignatus monumento:* hinc Ep. 19. ad Att. L. 3. *Mihique ex agro tuo tantum assignes, quantum meo corpore occupari potest.* Alii legunt, *designet*, quod minus convenit. Designatores enim dicuntur, qui ipsi conducuntur ut funera curent, & ut defuncti cum honore efferantur. Unde Horat. lib. 1. epist. 7. *Designatorem decorat lictoribus atris.* Atri porro dicuntur, propter atras vestes, quibus in funeribus utebantur.

Ib. *Quod sepulcrum.*] Sepulcra alia familiaria dicebantur, quæ quis sibi familiæque suæ constituit; alia hæreditaria, quæ quis sibi hæredibusque suis constituit, vel quæ pater-familias jure hæreditario acquisivit.

F I N I S.

NOTÆ

NOTÆ quædam in tres Orationes, *Divinationem* nempe, *Piſonianam*, & *Milonianam*, ex *Aſconio*, *Manutio*, *N. Abrahamo*, &c. decerptæ.

ARGUMENTUM in Orationem quæ *Divinatio* dicitur, ex ASCONIO.

CN. Pompeio primùm & M. Craſſo Coſſ. C. Verres perfunctus Quæſturâ, Legatione, & Prætura urbanâ, vivo patre C. Verre, & Prætextato filio, ac filiâ nuptâ, uxorem habens, cùm ſucceſſiſſet in Siciliâ C. Sacerdoti Prætori, eamque non ſibi ſuccedente Arrio per triennium tenuiſſet, atque in eo fuiſſet libidinosè, avarè, crudeliterque verſatus, ſuccedente tandem in eâdem provinciâ L. Metello, repetundarum reus ab Siculis poſtulatus eſt; qui omnes præter Syracuſanos & Mamertinos, M. Tullium, illo tempore florentem defenſionibus amicorum, ad accuſandum deſcendere compulerunt, jam pridem illis neceſſitudine copulatum, quòd Quæſtor in Siciliâ fuiſſet Prætore Sext. Peduceo, & quòd cùm decederet, in illâ Oratione, quam Lilybæi habuit, multa iis benignè promiſiſſet. Acceſſit his non ignobilis futura de Verre victoria, quia à Metellis, Scipionibus, & multis aliis Nobilibus viris, & præcipuè ab Hortenſio ipſo defenderetur, facilè & Principe in Senatu propter nobilitatem, & in foro ob eloquentiam rege cauſarum, & eodem Conſule deſignato cum Q. Metello fratre Metellorum, alterius Prætoris Siculi, alterius Prætoris urbani.

His ita conſtitutis extitit Q. Cæcilius Niger, homo Siculus & Quæſtor Verris, & ejuſdem, ut ipſe dicebat, inimicus, qui ſe potiùs accuſatorem contenderet conſtitui oportere, has afferens cauſas.

Unam, quòd ab eo læſus, & ob hoc jure ſit illi inimicus, quare prævaricator eſſe non poſſit.

Alteram, quòd, cum Quæſtor ei tum fuerit, etiam ipſe in Quæſtura crimina noverit Verris.

Tertiam, quod Siculus pro Siculis agat.

Hujuſcemodi propoſitionibus Cicero deſignatus Ædilis bis ſex capitibus reſpondet: Accuſatorem eum eſſe oportere: Qui invitus cogitur

Religione officii; rogatus ab omnibus Siculis: Qui pro Repub. agat: Quem volunt, qui accuſant: Quem metuit, qui accuſatur: Qui idoneus eſt facundiâ & innocentiâ: Qui hoc facit imitatione Majorum.

Diviſio principalis una de ſeipſo, altera de contentione ſui & Cæcilii.

Divinatio dicitur hæc Oratio, qui non de facto quæritur & conjecturâ, ſed de futuro, quæ eſt Divinatio, uter debeat accuſare. Alii ideò putant Divinationem dici, quòd injuratî judices in hâc cauſa ſedeant, ut, quod velint, præſentire de utroque poſſint. Alii quòd res agatur ſine teſtibus & ſine tabulis, & his remotis argumenta ſola ſequantur judices, & quaſi divinent. Agitur autem cauſa ſenatoriis Judiciis in invidiâ apud populum conſtitutis corruptione multorum, vexatis provinciis omnibus, ac ſociis Populi Romani feſſis toto orbe terrarum, libidine & iniquitate Romanorum Magiſtratuum, accuſatoribus prævaricatione infamibus, flagitante Plebe judicia equeſtris Ordinis, quæ ferè ante annos X. victor Sylla ſuſtulerat, cognoſcente de pecuniis repetundis M. Glabrione Prætore, & ampliſſimis quibuſque ſenatorii Ordinis judicantibus, ſummâ expectatione cunctorum.

Genus cauſæ Honeſtum. Status, Qualitas negotialis comparativa de conſtituendo accuſatore, qui potiſſimùm de duobus, aut qui ſolus accuſet: dicit enim Cæcilius aut à ſe accuſandum eſſe Verrem, aut à ſe quoque.

NOTÆ.

Pag. 2. *Eorum qui adſunt.*] Coronam populi dicit, circum ſubſellia ſtantem. *Aſcon.*

Ib. *Unà & id quod facio prob.*] Principalis diviſio hujus cauſæ bipartita eſt, utrum rectè Cicero accuſet, & utrum Cæcilio ſit anteponendus. *Aſcon.*

3. *Seſe jam ne Deos.*] Mirè imitatus eſt verba Siculorum, dolore oxymora & inania: quaſi Deos non habeant qui ſimulacra perdiderunt. *Aſcon.*

Ib. *Rogare & orare.*] Rogare ut homines, orare ut Deos; jam enim *Deos* quibus id facerent, non habebant. *Aſcon.*

5. *Exitii ſolatium.*] Quod ſolatium? ut condemnentur ii quorum ſceiere afflicti perditique ſunt. *Manut.*

Ib. *Difficultatibus.*] Propter plebem ruſticam, quæ partim agros, partim jus civitatis amiſit; partim omnino proſcripta eſt victore Sylla, quòd plebs Romana de Marianis partibus fuerat. Difficultatem enim paupertatem ſignificat. *Aſcon.*

Ib. *Tribunitia poteſtas efflagitata eſt.*] Primus Sicinius Tribunus-plebis, nec multo poſt Quintius, & poſtremò Pallicanus perfecerant ut Tribunitiam poteſtatem populo redderent Coſſ. Cn. Pompeius Magnus & M. Licinius Craſſus. *Aſcon.*

Ib. *Ordo quoque alius ad res.*] C. Gracchus lege tulerat, ut Equites Romani judicarent: judicaverunt per annos XL. ſine infamiâ. Poſt, victor Sylla leges tulerat, ut Senatorius ordo judicaret: & judicavit per decem annos turpiter. Nunc Aurelius Cotta legem fert, ut Senatores & Equites Romani ac Tribuni ærarii ſimul judicent: hoc eſt quod Tullius dicit offenſione Senatorii ordinis fieri; & bene addit *quoque*, ut ſimul judicaturos alios eſſe monſtraret. *Aſcon.*

6. *Cognitorem juris ſui.*] Qui defendit alterum in judicio, aut Patronus dicitur, ſi Orator eſt; aut Advocatus, ſi aut jus ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico; aut Procurator, ſi negotium abſentis ſuſcipit; aut Cognitor, ſi præſentis cauſam novit, & ſic tuetur ut ſuam: ergò Cognitorem dixit modo, familiariſſimum defenſorem. *Aſcon.*

8. *Quàm neminem.*] Ac per hunc neminem Cæcilium ſignificat. *Aſcon.*

9. *Ac-*

9. *Accedere aut aſpirare.*] Accedere eſt proximum fieri: Aſpirare, in eam partem, quâ quid quæſitum eſt, vultum & oculos ac ſpiritum oris advertere. *Aſcon.*

10. *Aliquis metus adjunctus ſit ad gratiam.*] Id agit Corruptor, ut gratioſus judex non ſolùm velit ſervare corruptori ſuo fidem, verùm etiam aliquid habeat, cur vel invitus cogatur, ad cuſtodiendam pactionis promiſſæ à ſe gratiæ. Quid autem eſt quod metum adjungat ad gratiam? ſcilicet, aut cuſtos, aut ſignum, aut aliquid ejuſmodi. *Aſcon.*

Ib. *Certos.*] Aut ob hoc, quod ſententiam ſuam, cur quiſque damnaret, aut cur quiſque abſolveret, priùs dixiſſet: aut ideo *certos* quaſi ſequeſtres hujus rei inter judices ſe habere dicat Hortenſius, quibus, antequàm tabulas in unum omnes conjiciant atque confundant, furtim oſtendant, quam quiſque ſententiam conſtituendo acculatori conſcripſerit. *Aſcon.*

Ib. *Non enim ſingulos ferre ſententiam,* &c.] In Divinationibus, & in aliis cauſis majoribus, univerſi judices in ciſtam tabulas ſimul conjiciebant ſuas; eaſque inſculptas literas habentes; A, Abſolutionis; C, Condemnations: cùm de alicujus capite agebatur, N. L. Ampliationis; his enim literis ſignificabant. Non Liquere. Vult ergò corruptionis tantam ſollicitudinem circa judices eſſe Tullius, ut hâc religione injectâ pro ſe judicent.

Singuli autem ſententiam de tabulâ pronunciabant in levioribus cauſis, & ob id ipſum neque notâ neque cuſtode opus fuit, cur corruptor judicum adjungeret metum ad gratiam judicantis. *Conſtituere* autem, tabulas in ciſtâ ponere ſignificat, magis quàm decernere. *Aſcon.*

11. *Ceratam unicuique tabellam dari,* &c.] Terentius Varro frater C. Varronis conſobrini M. Tullii, reus ex Aſiâ, apud L. Furium Prætorem primò de pecuniis repetundis, deinde apud P. Lentulum Suram eſt accuſatus; abſolutuſque eſt à Q. Hortenſio, qui corruptis judicibus hunc metum adjunxit ad gratiam, ut diſcoloribus ceris inſignitas judices tabellas acciperent, ut timeret unuſquiſque eorum, ne fidem pactionis non ſervaſſe videretur, ſi non in tabulâ quam unicuique datam meminiſſet Hortenſius, ex notâ ceræ ſcilicet diſcoloris, abſolutum Varronem reperiret. *Aſcon.*

Ib. *Non illa infami ac nefaria.*] Mirè ex ipſius Hortenſii perſonâ hoc dicitur, quæ ſæpe virtus maxima Ciceronis in hujuſmodi allocutionibus invenitur. *Aſcon.*

Ib. *Eiuſit.*] Vide pag. 16. in verbo *ejurare.*

Ib. *Si à Quadruplatoribus.*] Quadruplatores delatores erant criminum publicorum: in quâ re quartam partem de proſcriptorum bonis, quos detulerant, aſſequebantur. Alii dicunt, Quadruplatores eſſe eorum reorum accuſatores, qui convicti quadrupli damnari ſoleant, ut aleæ, ut pecuniæ gravioribus uſuris fœneratæ, quàm pro conſuetudine: aut ejuſmodi aliorum criminum. *Aſcon.*

Ib. *Omnis improbitas.*] Et corrupti judices, & corruptores eorum & ſequeſtres, & interpretes & emiſſarii, & omne quod vitii eſt. *Aſcon.*

12. *Ex Siciliâ literas.*] Id eſt, inſtrumenta quæ in Verrem conſcripta tibi darentur, ſi ejus accuſator conſtitutus, in Siciliâ ejus crimina inquireres. *Sylvius.*

Ib. *Deportare.*] Aſportare aliquid ut intereat; deportare ut mutet locum. *Aſcon.*

Ib. *Illius Prætura & tua Quæſtura.*] Id eſt, crimina quæ Verres Prætor & quæ tu Quæſtor in Siciliâ admiſiſſetis iiſdem literis conſcripta eſſent. *Sylvius.*

Ib. *Aſportare.*] Ut perirent; id eſt, lacerare aut urere. *Sylvius.*

Ib. *Lectiſſimum adoleſcentem.*] Vera laudatio. Vult enim illum non ut inimicum fratris contra germanitatis officium eſſe cum Verre, ſed ideò quòd Cæcilius quoque Verri carior ſit. *Aſcon.*

Lectiſſimum atque ornatiſſimum adoleſcentem.] Veram eſſe laudationem Pedianus ait, quòd à fratre non diſſentiat, quem ſciat amicum eſſe Verri. Sed eâ-ne cauſâ eſſe debuit, cur lectiſſimus atque ornatiſſimus adoleſcens diceretur? quæ communis & ampla quædam laus eſt, non ad germanitatis officium, ut exiſtimaſſe videtur Aſconius, propriè pertinet. Ego argumentum quidem agnoſco de prævaricatione Cæcilii, quòd ejus frater cum Verre ſit; ſed Ironiam abeſſe non arbitror, quum eum egregiè laudet, qui cum homine perditiſſimo Verre, contra quem Sicilia tota teſtimonium dicat, familiariſſimè & amiciſſimè vivat. *P. Manutius.*

13. *Frumentum ſibi in cellam.*] Annonas Prætoris dicit; quæ in frumenti certo numero præbebantur ab Siculis: in quibus Verres & pecuniam pro frumento exegit, & eo pretio, ut pro duobus ſeſtertiis duodenos in modios ſingulos exegerit, ſexies plus quàm emebatur. *Aſcon.*

Ib. *Emptum eſt ex S. C. frumentum ab Siculis.*] Sicilia dabat decumanum frumentum, quod ab aratoribus exigebatur ſine pretio. Dabat emptum pro quo ex S. C. pecunia ſolvebatur. Dabat æſtima-

Religione officii; rogatus ab omnibus Siculis: Qui pro Repub. agat: Quem volunt, qui accuſant: Quem metuit, qui accuſatur: Qui idoneus eſt facundiâ & innocentiâ: Qui hoc facit imitatione Majorum.

Diviſio principalis una de ſeipſo, altera de contentione ſui & Cæcilii.

Divinatio dicitur hæc Oratio, qui non de facto quæritur & conjecturâ, ſed de futuro, quæ eſt Divinatio, uter debeat accuſare. Alii ideò putant Divinationem dici, quòd injurati judices in hâc cauſa ſedeant, ut, quod velint, præſentire de utroque poſſint. Alii quòd res agatur ſine teſtibus & ſine tabulis, & his remotis argumenta ſola ſequantur judices, & quaſi divinent. Agitur autem cauſa ſenatoriis judiciis in invidiâ apud populum conſtitutis corruptione multorum, vexatis provinciis omnibus, ac ſociis Populi Romani feſſis toto orbe terrarum, libidine & iniquitate Romanorum Magiſtratuum, accuſatoribus prævaricatione infamibus, flagitante Plebe judicia equeſtris Ordinis, quæ ferè ante annos X. victor Sylla ſuſtulerat, cognoſcente de pecuniis repetundis M. Glabrione Prætore, & ampliſſimis quibuſque ſenatorii Ordinis judicantibus, ſummâ expectatione cunctorum.

Genus cauſæ Honeſtum. Status, Qualitas negotialis comparativa de conſtituendo accuſatore, qui potiſſimùm de duobus, aut qui ſolus accuſet: dicit enim Cæcilius aut à ſe accuſandum eſſe Verrem, aut à ſe quoque.

NOTÆ.

Pag. 2. *Eorum qui adſunt.*] Coronam populi dicit, circum ſubſellia ſtantem. *Aſcon.*

Ib. *Unà & id quod facio prob.*] Principalis diviſio hujus cauſæ bipartita eſt, utrum rectè Cicero accuſet, & utrum Cæcilio ſit anteponendus. *Aſcon.*

3. *Seſe jam ne Deos.*] Mirè imitatus eſt verba Siculorum, dolore oxymora & inania: quaſi Deos non habeant qui ſimulacra perdiderunt. *Aſcon.*

Ib. *Rogare & orare.*] Rogare ut homines, orare ut Deos; jam enim *Deos* quibus id facerent, non habebant. *Aſcon.*

5. *Exitii ſolatium.*] Quod ſolatium? ut condemnentur ii quorum ſceiere afflicti, perditique ſunt. *Manut.*

Ib. *Difficultatibus.*] Propter plebem ruſticam, quæ partim agros, partim jus civitatis amiſit; partim omnino proſcripta eſt victore Sylla, quòd plebs Romana de Marianis partibus fuerat. Difficultatem enim paupertatem ſignificat. *Aſcon.*

Ib. *Tribuni ia poteſtas efflagitata eſt.*] Primus Sicinius Tribunus plebis, nec multo poſt Quintius, & poſtremò Pallicanus perfecerant ut Tribunitiam poteſtatem populo redderent Coſſ. Cn. Pompeius Magnus & M. Licinius Craſſus. *Aſcon.*

Ib. *Ordo quoque alius ad res.*] C. Gracchus legem tulerat, ut Equites Romani judicarent: judicaverunt per annos XL. ſine infamiâ. Poſt, victor Sylla leges tulerat, ut Senatorius ordo judicaret: & judicavit per decem annos turpiter. Nunc Aurelius Cotta legem fert, ut Senatores & Equites Romani ac Tribuni ærarii ſimul judicent: hoc eſt quod Tullius dicit offenſione Senatorii ordinis fieri; & bene addit *quoque*, ut ſimul judicaturos alios eſſe monſtraret. *Aſcon.*

6. *Cognitorem juris ſui.*] Qui defendit alterum in judicio, aut Patronus dicitur, ſi Orator eſt; aut Advocatus, ſi aut jus ſuggerit, aut præſentiam ſuam commodat amico; aut Procurator, ſi negotium abſentis ſuſcipit; aut Cognitor, ſi præſentis cauſam novit, & ſic tuetur ut ſuam: ergò Cognitorem dixit modo, familiariſſimum defenſorem. *Aſcon.*

8. *Quàm neminem.*] Ac per hunc neminem Cæcilium ſignificat. *Aſcon.*

9. *Ac-*

9. *Accedere aut aſpirare.*] Accedere eſt proximum fieri: Aſpirare, in eam partem, quâ quid quæſitum eſt, vultum & oculos ac ſpiritum oris advertere. *Aſcon.*

10. *Aliquis metus adjunctus ſit ad gratiam.*] Id agit Corruptor, ut gratioſus judex non ſolùm velit ſervare corruptori ſuo fidem, verùm etiam aliquid habeat, cur vel invitus cogatur, ad cuſtodiendam pactionis promiſſæ à ſe gratiæ. Quid autem eſt quod metum adjungat ad gratiam? ſcilicet, aut cuſtos, aut ſignum, aut aliquid ejuſmodi. *Aſcon.*

Ib. *Certos.*] Aut ob hoc, quod ſententiam ſuam, cur quiſque damnaret, aut cur quiſque abſolveret, priùs dixiſſet: aut ideo *certos* quaſi ſequeſtres hujus rei inter judices ſe habere dicat Hortenſius, quibus, antequàm tabulas in unum omnes conjiciant atque confundant, furtim oſtendant, quam quiſque ſententiam conſtituendo acculatori conſcripſerit. *Aſcon.*

Ib. *Non enim ſingulos ferre ſententiam,* &c.] In Divinationibus, & in aliis cauſis majoribus, univerſi judices in ciſtam tabulas ſimul conjiciebant ſuas; eaſque inſculptas literas habentes; A, Abſolutionis; C, Condemnations: cùm de alicujus capite agebatur, N. L. Ampliationis; his enim literis ſignificabant. Non Liquere. Vult ergò corruptionis tantam ſollicitudinem circa judices eſſe Tullius, ut hâc religione injectâ pro ſe judicent.

Singuli autem ſententiam de tabulâ pronunciabant in levioribus cauſis, & ob id ipſum neque notâ neque cuſtode opus fuit, cur corruptor judicum adjungeret metum ad gratiam judicantis. *Conſtituere* autem, tabulas in ciſtâ ponere ſignificat, magis quàm decernere. *Aſcon.*

11. *Ceratam unicuique tabellam dari,* &c.] Terentius Varro frater C. Varronis conſobrini M. Tullii, reus ex Aſiâ, apud L. Furium Prætorem primò de pecuniis repetundis, deinde apud P. Lentulum Suram eſt accuſatus; abſolutuſque eſt à Q. Hortenſio, qui corruptis judicibus hunc metum adjunxit ad gratiam, ut diſcoloribus ceris inſignitas judices tabellas acciperent, ut timeret unuſquiſque eorum, ne fidem pactionis non ſervaſſe videretur, ſi non in tabulâ quam unicuique datam meminiſſet Hortenſius, ex notâ ceræ ſcilicet diſcoloris, abſolutum Varronem reperiret. *Aſcon.*

Ib. *Non illa infami ac nefaria*] Mirè ex ipſius Hortenſii perſonâ hoc dicitur, quæ ſæpe virtus maxima Ciceronis in hujuſmodi allocutionibus invenitur. *Aſcon.*

Ib. *Eiuſit.*] Vide pag. 16. in verbo *ejurare.*

Ib. *Si à Quadruplatoribus*] Quadruplatores delatores erant criminum publicorum: in quâ re quartam partem de proſcriptorum bonis, quos detulerant, aſſequebantur. Alii dicunt, Quadruplatores eſſe eorum reorum accuſatores, qui convicti quadrupli damnari ſoleant, ut aleæ, ut pecuniæ gravioribus uſuris fœneratæ, quàm pro conſuetudine: aut ejuſmodi aliorum criminum. *Aſcon.*

Ib. *Omnis improbitas*] Et corrupti judices, & corruptores eorum & ſequeſtres, & interpretes & emiſſarii, & omne quod vitii eſt. *Aſcon.*

12. *Ex Siciliâ literas.*] Id eſt, inſtrumenta quæ in Verrem conſcripta tibi darentur, ſi ejus accuſator conſtitutus, in Siciliâ ejus crimina inquireres. *Sylvius.*

Ib. *Deportare.*] Aſportare aliquid ut intereat; deportare ut mutet locum. *Aſcon.*

Ib. *Illius Prætura & tua Quæſtura.*] Id eſt, crimina quæ Verres Prætor & quæ tu Quæſtor in Siciliâ admiſiſſetis iiſdem literis conſcripta eſſent. *Sylvius.*

Ib. *Aſportare.*] Ut perirent; id eſt, lacerare aut urere. *Sylvius.*

Ib. *Lectiſſimum adoleſcentem.*] Vera laudatio. Vult enim illum non ut inimicum fratris contra germanitatis officium eſſe cum Verre, ſed ideò quòd Cæcilius quoque Verri carior ſit. *Aſcon.*

Lectiſſimum atque ornatiſſimum adoleſcentem.] Veram eſſe laudationem Pedianus ait, quòd à fratre non diſſentiat, quem ſciat amicum eſſe Verri. Sed eâ-ne cauſâ eſſe debuit, cur lectiſſimus atque ornatiſſimus adoleſcens diceretur? quæ communis & ampla quædam laus eſt, non ad germanitatis officium, ut exiſtimatîe videtur Aſconius, propriè pertinet. Ego argumentum quidem agnoſco de prævaricatione Cæcilii, quòd ejus frater cum Verre ſit; ſed Ironiam abeſſe non arbitror, quum eum egregiè laudet, qui cum homine perditiſſimo Verre, contra quem Sicilia tota teſtimonium dicat, familiariſſimè & amiciſſimè vivat. *P. Manutius.*

13. *Frumentum ſibi in cellam.*] Annonas Prætoris dicit; quæ in frumenti certo numero præbebantur ab Siculis: in quibus Verres & pecuniam pro frumento exegit, & eo pretio, ut pro duobus ſeſtertiis duodenos in modios ſingulos exegerit, ſexies plus quàm emebatur. *Aſcon.*

Ib. *Emptum eſt ex S. C. frumentum ab Siculis*] Sicilia dabat decumanum frumentum, quod ab aratoribus exigebatur ſine pretio. Dabat emptum pro quo ex S. C. pecunia ſolvebatur. Dabat æſtima-

tum, quod decretum Præter in cellam, hoc eſt, in uſus cellæ æſtimare ſoleb.t, accipiens; cùm interdum pro frumento pecuniam ſumeret. *Aſcon.*

Ib. *Pecuniam publicam tu tractabas.*] Hæc erat prima Senatoris adminiſtratio, Quæſtorem fieri, & in provinciâ curam gerere pecuniæ publicæ in uſus diverſos erogandæ.

13. *Neque deductio fieret.*] Modò deductio diſpendium ſignificat; aliàs deductio imminutio eſt etiam juſta. *Aſcon.*

Deductio.] Diminutio, quæ facta eſt à Verre diverſis nominibus, pro ſpectatione, pro collybo, pro neſcio quo cerario, pro ſcriba, ut lib. 3. in Verrem. *Manut.*

Ib. *Mancipes à civitatibus.*] Mancipes ſunt Publicanorum Principes Romani homines. Qui quæſtûs ſui causâ, ſi decumas redimunt, Decumani appellantur: ſi portum aut pascua publica, Portitores aut Pecuarii: quorum ratio ſcriptura dicitur. Hi omnes exigenda à ſociis ſuo periculo exigunt, & Reipublicæ repræſentant, providentes etiam in illâ redemptione commodis ſuis. Licet autem, ſi moderatè fiat, æſtimare in cellam Prætori frumentum. Mancipi pro frumento ab aratoribus pecuniam accipere non licet. *Aſcon.*

14. *Quemadmodùm defenſurus eſſet.*] Commune crimen erat inter Mancipes & Verrem: illi pro frumento pecuniam exigebant; quod non licebat: hic furtorum prædarumque particeps, permittebat iis, ut quanti vellent, decumanum frumentum æſtimarent, id eſt, quantum vellent ab araroribus pecuniam exigerent. *Manutius.*

Ib. *Judicium poſtulare.*] Aſconius legit, *Indicium*, & rectiùs. Certa ſunt, in quibus impunitas Indici datur, ut in causâ proditionis, Majeſtatis, & ſiquid hujuſmodi eſt. Certæ etiam perſonæ ſunt, quæ Indices fieri poſſunt: itaque neque repetundarum causa per Indices agi ſolet; neque Senatoria perſona poteſt indicium profiteri ſalvis legibus. Index eſt autem, qui facinoris, cujus ipſe eſt conſcius, latebras indicat impunitate propoſitâ. Eſt autem ſenſus: Judex potes eſſe, ſi tibi hoc licet; Accuſator, de quâ re agimus, eſſe non potes. Satis contumeliosè tanquam levem hominem exagitavit Cæcilium. *Aſcon.*

15. *Athenis, non Lilybæi; Romæ, non in Siciliâ.*] Dicit illum Græcas literas ſimul & Latinas in Siciliâ didiciſſe; in eâ inſulâ, quæ neutrâ linguâ benè utatur; ita enim Plautus in Persâ:

Dabuntur dotis inde ſexcenti tibi logi:
Atque Attici omnes. Nullum Siculum ac caperis.

Ib. *Athenis, non, &c.*] Locum hunc Aſconius interpretatur; tantùm igitur in ejus ſententiam Plauti verba ex Menæchmis proferibam: *Atque adeo hoc argumentum Græcè iſſet, tamen non Atticiſſet, verùm Siciliſſet.* Hotoman.

Ib. *Quo die, citato reo.*] Nam apud veteres, ut alio quodam loco ſcribit Aſconius, & judices & rei, & accuſatores & defenſores à præcone Prætoris citabantur. Plutarchus in Apophthegm. ſcribit, Ciceronem tanto in metu cujuſdam agendæ cauſæ tempus expectaſſe, ut ſervum nomine Erotem libertate donarit, quòd cauſam quam acturus erat in poſterum diem dilatam nunciaſſet. *Hotoman.*

16. *Omnes homines petitiones.*] Poteſt eſſe Metaphora à gladiatoribus ſumpta, ut intelligas petitiones, inſultus, ſubitos ictus & invaſiones; ut enim gladiatores, ſic etiam oratores ſe invicem petunt. *Toxita.*

17 *Subire invidiam.*] *Invidiæ* legit Aſconius, & addit exemplum; *magno ponderi jubire*; quod proprium eſt: tranſlatum autem *invidiæ ſubire.* Manut.

Ib. *In hac prolusione.*] Proluſio eſt id quod vulgò appellant præludium; ut qui ſeriò luſuri ſunt præmeditatione quâdam ante ſe exercent, ut luſione concaleſcant. Servius exponens illud Virgilii lib. 12. Æneid. de Tauro ad pugnam ſe præparante,

—Sparsâ ad pugnam proludit arenâ.

Ad pugnam proludit (inquit) id eſt, præmeditatur. Cicero: ſi mecum in hâc proluſione nihil fueris, id eſt, præmeditatione certaminis. *Sylvius.*

Ib. *Cum ſubſcriptoribus.*] Subſcriptores dicuntur Cauſidici qui adjuvare Accuſatorem ſolent: quos oportet ſummiſſius agere quam dicat ille quem ſequuntur. *Aſcon.*

Subſcriptores.] Minores auctores cauſarum, qui acta obſervabant & notabant, & ex ipſis monebant accuſatorem. *Toxita.*

Ib. *In clamando quidem.*] Hujuſmodi homines, in libris de Oratore, non declamatores, ſed clamatores idem Tullius vocat. *Aſcon.*

18. *Quartum quem ſit habiturus.*] Subſcriptorem ſcilicet à Cæcilio: is enim primus eſt, L. Apuleius ſecundus, Allienus tertius, quartum non nominat. *Toxita.*

Ib. *Ex illo grege Oratorum.*] Non receſſit à tranſlatione Scenicorum, qui ſunt tragici & comici, dicendo quartum actorem & gregem. Obturbatores quoſdam ſordidoſque Cauſidicos ſignificat, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores advo-

advocati recrearentur, & ſe denuò compararent ad dicendum. *Aſcon.*

Oratorum.] Alii legunt *Moratorum*, Aſconii verbis in eam opinionem adducti, quod equidem non improbo: neceſſaria tamen mutatio non videtur. *Manut.*

19. *Nunquam tales viros commiſſuros.*] Malè facturos, pravè & iniquâ ratione. Nam committi fraus dicitur atque peccatum: ſum enim fidelis & diligens; & ideò nec cuſtode indigeo, & ſpeculatorem eſſe inter mea ſecreta non patior. *Aſcon.*

Ib. *Speculatorem.*] Speculator eſt hoſtium, cuſtos noſtrorum. *Toxita.*

20. *Judicium dat ſtatim, ſi pareret.*] Dat recuperatores in hæc verba: *Si pareret eam ſe & omnia Veneris eſſe dixiſſe: dare judicium*, veteres dicebant pro *judices dare*, certâ quâdam verborum formulâ, à quâ diſcedere non liceret. Exemplum formulæ à Cæcilio datæ hoc eſt: *Si pareret eam ſe & omnia ſua Veneris eſſe dixiſſe:* legendum autem, *ſi pareret*, non *ſi pateret*: cùm tamen ſenſus idem ſit; ſed multis in locis ubi *paret* fuit, repoſitum eſt *apparet*, ignoratione veterum formularum, in quibus *paret* fuiſſe pro *comparet*, *apparet*, auctor eſt Feſtus. *P. Manut.*

25. *Quod in offenſione deperdat.*] Quod amittat ſi offenderit, hoc eſt, ſi parùm feliciter accuſarit, ſeu parùm proſperè hæc accuſatio ei proceſſerit. *Lambin.*

Ib. *Ut turpiſſimè flagitioſiſſimè diſcedat.*] Quamvis in accuſando Verre turpiſſimè, id eſt, nullâ diligentiâ, & flagitioſiſſimè, id eſt, nullâ fide, ſe geſſerit. *Manut.*

Ib. *Requiret.*] Amiſſum ſentiet, hoc eſt enim, nihil requiret: non ſentiet ſibi deeſſe aliquid ex ils rebus, quas nuſquàm habuit. *Aſcon.*

In PISONEM,

ARGUMENTUM

P. MANUTII.

NEmini, qui paulò ſit humanior, & in hoc elegantioris doctrinæ ſtudio vel minimùm verſatus, ignotæ ſunt Ciceronis inimicitiæ cum L. Piſone & A. Gabinio, ortæ ex eo, quòd illi Conſules, P. Clodio Tribuno-pl. rogationem in Ciceronem iniquiſſimam ferente, non modò non obſtiterant pro Conſulari officio & poteſtate, verùm etiam nefarios ejus conatus & exitioſa Reip. conſilia vehementer juverant.

Abſuit

cum triumphum contemneres: ſed quia metuebas, ne, triumphum petiiſſes, Senatus te cum indignatione & convitiis explo-deret. *Abrah.*

Ib. *Os verberari.*] Sic Q. Cicero ad Tironem: *Verberavi te cogitationis tacito dentaxat convicio*; & congruunt ſimul, *Os verberari, noluiſti*, fore ſciebas, ut cùm à Senatu triumphum peteres, magnum tibi convicium fieret. *Manut.*

285. *Quære ex familiari tuo.*] Philodemo, qui cùm floreat poeticis ſtudiis, poterit certiùs de poeſi judicare, & germanum verſûs mei ſenſum exponere. *Abrah.*

287. *Cùm certi homines non ſtudium ejus.*] Fictis ſermonibus. Pro Domo: *Hanc noſtram conjunctionem, hanc conſpirationem in Repub. bene gerendâ, hanc jucundiſſimam vitæ atque officiorum omnium ſocietatem, certi homines fictis ſermonibus & falſis criminibus dirimerunt: cum iidem illum ut me metueret, me caveret, monerent; iidem, apud me mihi illum eſſe uni inimiciſſimum dicerent.* Manut.

290. *Hoſpitis tui Platoris.*] De Haruſp. Reſponſ. *Quis Platorem ex Oreſtide, quæ pars Macedoniæ libera eſt, hominem in illis locis clarum ac nobilem, legatum Theſſalonicam ad noſtrum (ut ipſe appellavit) Imperatorem veniſſe neſcit? quem ille, propter pecuniam quam ab eo extorquere non poterat, in vincula conjecit; & medicum intromiſit ſuum, qui legato, ſocio, amico, libero fœdiſſimè & crudeliſſimè venas incideret.* Id.

Ib. *Ut venas minis incideret.*] Ad exhauriendum omnem ſanguinem à venis, & lentâ morte necandum hominem. *Abrah.*

291. *Quaſi Vaſarii nomine.*] Quaſi promiſſum à vade P. Clodio, ſi meam illi ſalutem tradidiſſes. Vas eſt qui vadimonium pro altero promittit: inde Vaſarium puto communiter ad omnia quæ promitterentur, eſſe deductum. Nec tamen ignoro, aliter ab aliis hunc locum accipi. *Manut.*

292. *Pellium nomine.*] Prætextu pellium ad loricas, clypeos, papiliones faciendos; quâ ratione tantum lucratus eſt, quantum pater fuerat ante lucratus. *Abrah.*

294. *Præpoſterus Imperator.*] Amiſit enim oppida, legiones perdidit, & Imperator appellatur. *Manut.*

295. *Suaviſſimi hominis.*] Ironia. Nam acerbiſſimus provinciæ fuerat. *Manut.*

298. *Videre te volui, & vidi.*] Et vim habet & elegantiam verbi repetitio. *Manut.*

Ib. *Evenerit.*] Ut aliquis te accuſet. *Idem.*

Ib. *Tuâ indignitate.*] Cum te ſine ulla dignitate, eum ſcilicet qui nunc es, videbo. *Manut.*

Q. ASCONIUS PEDIANUS *in Orat. CIC. pro* A. MILONE.

HANC dixit Cn. Pompeio III. Conſule, a. d. VI. Idus April. quod judicium cùm ageretur, exercitum in foro & omnibus in templis, quæ circum forum ſunt, collocatum à Cn. Pompeio fuiſſe, non tantùm ex oratione, & annalibus, ſed etiam ex libro apparet, qui Ciceronis nomine inſcribitur De optimo genere Oratorum.

ARGUMENTUM.

ANnius Milo, & P. Plautius Hypſæus, & Q. Metellus Scipio Conſulatum petierunt, non ſolùm largitione palàm profusâ, ſed etiam factionibus armatorum ſuccincti.

Miloni & Clodio ſummæ erant inimicitiæ, quòd & Milo Ciceronis erat amiciſſimus, in reducendoque eo enixè operam reipub. dederat, & P. Clodius reſtituto Ciceroni erat infenſiſſimus, ideoque ſummè ſtudebat

debat Hypſæo, & Scipioni contra Milonem. Ac ſæpe inter ſe Milo & Clodius cum ſuis factionibus Romæ depugnaverant, & erat uterque audaciâ par; ſed Milo pro melioribus partibus ſtabat.

Præterea in eundem annum Conſulatum Milo, Clodius Præturam petebat: quam debilem futuram, Conſule Milone, intelligebat.

Deinde cùm diu tracta eſſent comitia Conſularia, perficique ob eas ipſas perditas candidatorum contentiones non poſſent, & ob id menſe Januario nulli dum neque Conſules, neque Prætores eſſent, traheretur que dies eodem quo anteà modo, dum Milo quamprimùm comitia confici vellet, conficeretque cùm bonorum ſtudiis, qui obſiſtebant Clodio, tùm etiam populi, propter effuſas largitiones, impenſas quoque ludorum ſcenicorum ac gladiatorii muneris maximas, in quas tria patrimonia effudiſſe eum Cicero ſignificat, competitores verò ejus trahere vellent, ideoque Pompeius gener Scipionis, & T. Munatius Tribunus pl. referri ad Senatum de Patriciis convocandis, qui Interregem proderent, non eſſent paſſi, cùm Interregem prodere moris eſſet:

A. d. xiii. Cal. Feb. (acta enim magis ſequenda & ipſam orationem, quæ actis congruit, puto, quàm Feneſtellam, qui a. d. xiv. Cal. Feb. tradit) Milo Lanuvium, ex quo erat municipio, & ibi tùm Dictator, profectus eſt ad Flaminem prodendum poſterâ die: occurrit ei circa horam nonam Clodius paulò ultra Bovillas, rediens ab Aricià, prope eum locum in quo Bonæ deæ ſacellum eſt; erat autem allocutus Decuriones Aricinorum; vehebatur Clodius equo; ſervi xxx. fere expediti, ut illo tempore mos erat iter facientibus, gladiis cincti ſequebantur; erant cum Clodio præterea tres comites ejus, ex quibus Eques Romanus unus C. Caſſinius Schola, duo de plebe novi homines, P. Pomponius, C. Clodius. Milo rhedâ vehebatur, cum uxore Fauſtâ filiâ L. Scyllæ Dictatoris, & M. Fufio familiari ſuo: ſequebatur eos magnum ſervorum agmen; inter quos gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti, Eudamus & Birria: hi in ultimo agmine tardiùs euntes, cum ſervis A. Clodii rixam commiſerunt; ad quem tumultum cùm reſpexiſſet Clodius minitabundus, humerum ejus Birria romphæa trajecit: inde cum orta eſſet pugna, plures Miloniani accurrerunt. Clodius vulneratus in tabernam proximam Bovillano delatus eſt. Milo, ut cognovit vulneratum Clodium, cùm ſibi periculoſius illud etiam vivo eo futurum intelligeret, occiſo autem magnum ſolatium eſſet habiturus, etiam ſi ſubeunda eſſet pœna, exturbari tabernam juſſit: fuit anteſignanus ſervorum ejus M. Fuſienus; atque ita Clodius latens extractus eſt, multiſque vulneribus confectus: cadaver ejus in viâ relictum, quia ſervi Clodii aut occiſi erant, aut graviter ſaucii, latebant. Sext. Tedius ſenator, qui fortè ex rure in urbem revertebatur, ſuſtulit, & lecticâ ſuâ Romam ferri juſſit: ipſe rurſus eodem, unde venerat, greſſum recepit: perlatum eſt corpus Clodii ante primam noctis horam; infimæque plebis & ſervorum maxima multitudo magno luctu corpus in atrio domus poſitum circumſtetit: augebat enim facti

invidiam uxor Clodii Fulvia, quæ cum effusâ lamentatione vulnera ejus ostendebat: major postera die hanc primâ multitudo ejusdem generis confluxit, compluresque noti homines elati sunt, inter quos C. Vibienus senator. Erat domus Clodii, ante paucos menses empta de M. Scauro, in Palatio. Eodem Munatius Plancus frater L. Plancii oratoris, & Q. Pompeius Rufus Syllæ Dictatoris ex filiâ nepos, Tribuni pl. accurrerunt: eisque hortantibus vulgus imperitum corpus nudum calcatum, sicut in lecto erat positum, ut vulnera videri possent, in forum actulit, & in Rostris posuit. Ibi pro concione Plancus, & Pompeius, qui competitorius Milonis studebant, invidiam Miloni fecerunt: populus duce Sext. Clodio scribâ, corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque subselliis, & tribunalibus, & mensis, & codicibus librariorum; quo igne & ipsa quoque curia flagravit, & item Porcia basilica, quæ ei erat juncta, ambusta est; domum quoque M. Lepidi interregis (is enim magistratus curulis erat creatus) & absentis Milonis, eadem illa Clodiana multitudo oppugnavit; deinde sagittis repulsa est; tum fasces ex lecto Libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypsæi, deinde ad hortos Cn. Pompeii, clamitans eum modò Consulem, modò Dictatorem.

Incendium curiæ majorem aliquanto indignationem civitatis moverat, quàm interfectio Clodii.

Itaque Milo, quem opinio fuerat ivisse in voluntarium exilium, invidiâ adversariorum recreatus, nocte eâ redierat Romam, quâ incensa erat curia, petebatque nihilo deterius Consulatum, apertè quoque tributim in singulos millia assium dederat.

Concionem etiam ei post aliquot dies dedit M. Cælius Tribunus pleb. & Manilius Canianus ejus collega, ipsiusque causam etiam ad populum probabant: dicebant utrique, Miloni à Clodio factas esse insidias.

Fiebant interea alii ex aliis Interreges, qui comitia consularia, propter eorum candidatorum tumultus & easdem manus armatas, habere non poterant: itaque primò factum erat S. C. ut Interrex & Tribuni pl. & Cn. Pompeius, qui pro Consule ad urbem erat, viderent ne quid detrimenti resp. caperet; delectus autem Pompeius tota Italia haberet: qui cùm summâ celeritate præsidium comparasset, postulaverunt apud eum familiam Milonis, item Faustæ uxoris ejus, exhibendam, duo adolescentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii, & ob id illi patrui sui mortem, velut auctore fratre, persequebantur: easdem Faustæ & Milonis familias postulaverunt duo Valerii, Nepos, & Leo, & L. Herennius Balbus. P. Clodii quoque familiam, & comitum ejus postulavit eodem tempore Cælius: familiam Hypsæi, & Q. Metelli, Manilius Canianus ejus collega.

Affuerunt Miloni Q. Hortensius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Faustus Sylla; verba pauca Q. Hortensius dixit; quæ sunt, liberos esse eos, qui pro servis postularentur: nam post recentem cædem manumiserat eos Milo sub hoc titulo, quòd caput suum ulti essent.

Hæc

Hæc agebantur menſe intercalari: poſt diem trigeſimum fere, quam erat Clodius occiſus, Q. Metellus Scipio in ſenatu contra M. Cæpionem conqueſtus eſt, ac de cæde P. Clodii falſum eſſe dixit quod Milo ſic ſe defenderet, & Clodium Aricinos Decuriones alloquendi gratia abiiſſe, profectum cum ſex ac xx. ſervis: Milonem ſubitò poſt horam quartam, ſenatu miſſo, cum ſervis amplius CCC. *armatis obviam ei contendiſſe, & ſupra Bovillas inopinantem in itinere aggreſſum: ibi P. Clodium, tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum: tabernam, in quam profugerat, expugnatam à Milone: ſemianimem Clodium extractum, in viâ Appiâ occiſum eſſe, annulumque ejus ei morienti extractum: deinde Milonem cùm ſciret in Albano parvulum filium Clodii veniſſe ad villam, & cùm puer ante ſubtractus eſſet, de ſervo Alicore quæſtionem ita habuiſſe, ut cum articulatim conſecaret: villicum & duos præterea ſervos jugulaſſe: ex ſervis Clodii, qui dominum defenderint, undecim eſſe interfectos: Miloni duos ſolos ſaucios factos eſſe: ob quæ Milonem poſtero die xii. ſervos, qui ei maximè operam navaſſent, manumiſiſſe, populoque tributim ſingula millia æris ad defendendos de ſe rumores dediſſe.*

Milo miſiſſe ad Cn. Pompeium dicebatur, quòd Hypſæo ſummè ſtudebat quòd fuerat ejus Quæſtor, deſiſtere ſe petitione Conſulatus, ſi ita ei videretur: Pompeium reſpondiſſe, nemini ſe neque petendi, neque deſiſtendi auctorem eſſe, neque populi Romani poteſtatem, aut conſilium, aut ſententiam interpellaturum: deinde per C. Lucilium, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egiſſe quoque dicebatur, ne ſe de hâc re conſulendo invidia oneraret.

Inter hæc cùm crebeſceret rumor, Cn. Pompeium creari Dictatorem, neque opportunè aliter mala civitatis ſedari poſſe; viſum eſt optimatibus, tutius eſſe, eum Conſulem ſine collegâ creare: & cùm tractata ea res eſſet in Senatu, facto in M. Bibuli ſententiam S. C. Pompeius, ab Interrege Ser. Sulpicio v. Cal. Mart. menſe intercalario, Conſul creatus eſt, ſtatimque Conſulatum iniit.

Deinde poſt diem tertium de legibus novis ferendis retulit: duas ex S. C. promulgavit. Alteram de vi, quâ nominatim cædem in Appiâ viâ factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit. Alteram de ambitu; pœnam gravierem, & formam judiciorum breviorem. Utraque enim lex prius teſtes dari per triduum, deinde uno die atque eodem & ab accuſatore & ab reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accuſatori, tres reo darentur.

His legibus obſiſtere M. Cælius Tribunus pl. ſtudioſiſſimus Milonis conatus eſt, quòd & privilegium diceret in Milonem ferri, & judicia præcipitari: & cùm pertinaciùs legem Cælius vituperaret, eò proceſſit iræ Pompeius, ut diceret, ſi coactus eſſet, armis ſe remp. defenſurum: timebat autem Pompeius Milonem, ſeu timere ſe ſimulabat: plerùmque non domi ſuæ, ſed in hortis manebat, idque ipſum in ſuperioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat: Senatum quoque ſemel in porticu ſuâ habuerat Pompeius, quòd diceret timere ſe adventum Milonis.

Dein

Deinde proximo Senatu P. Cornificius ferrum Milonem intra tunicam habere ad femur alligatum dixerat; pollicitusque erat, ut femur nudaret; & ille sine mora tunicam levaverat: tum M. Cicero exclamaverat, omnia illi similia crimina esse, quæ in Milonem dicerentur alia.

Deinde Munatius Plancus Tribunus-pl. produxerat in concionem M. Æmilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi: is se dicebat, pariterque secum quatuor liberos homines iter facientes superveniſſe, cùm Clodius occideretur, &, ob id cum proclamaſſent, abreptos & perductos in villam Milonis, ibique per duos menſes præcluſos fuiſſe: eaque res, ſeu vera, ſeu falſa, magnam invidiam Milони contraxerat; idemque Munatius & Pompeius Tribuni-pl. in Roſtra produxerant Triumvirum capitalem, eumque interrogaverant, an Galatam Milonis ſervum cædes facientem deprehendiſſet: ille dormientem in taberná pro fugitivo deprehenſum, & ad ſe perductum eſſe reſponderat: denunciaverant tamen Triumviro, ne ſervum remitteret; ſed poſtero die Cælius Tribunus-pl. & Manilius Canianus collega ejus ereptum è domo Triumviri ſervum Miloni reddiderunt.

Etſi nullam de his criminibus mentionem fecit Cicero; tamen, quia ita compereram, putavi exponenda.

Inter primos & Q. Pompeius, & C. Salluſtius, & T. Munatius Plancus, Tribuni-pl. inimiciſſimas conciones de Milone habebant, invidioſas etiam de Cicerone, quòd Milonem tanto ſtudio defenderet; eratque maxima pars multitudinis infenſa non ſolùm Miloni, ſed ipſi etiam, propter inviſum patrocinium, Ciceroni.

Poſteà Pompeius & Salluſtius in ſuſpicione fuerunt in gratiam rediiſſe cum Milone ac Cicerone. Plancus autem infeſtiſſimè perſtitit, atque in Ciceronem quoque multitudinem inſtigavit: Pompeio autem ſuſpectum faciebat Milonem, ad perniciem ejus comparari vim vociferatus: Pompeiuſque ob ea ſæpius querebatur, fieri ſibi quoque inſidias, & id palam: ac majore manu ſe armabat: dicturum quoque diem Ciceroni Plancus oſtendebat; poſtea autem Q. Pompeius idem minitatus erat; tanta tamen conſtantia ac fides fuit Ciceronis, ut non populi à ſe alienatione, non Cn. Pompeii ſuſpicionibus, non periculi futuri metu, ſi ſibi dies ad populum diceretur, non armis, quæ palam in Milonem ſumpta erant, deterreri potuerit à defenſione ejus, cum poſſet omne periculum ſuum & offenſionem inimicæ multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeii animum, ſi paulùm ex ſtudio defenſionis remiſiſſet.

Perlatâ deinde lege Pompeii, in quâ id quoque ſcriptum erat, ut Quæſitor ſuffragio populi ex iis, qui Conſules fuerant, crearetur, ſtatim comitia habuit, creatuſque erat L. Domitius Ænobarbus Quæſitor: aliorum quoque judicum, qui de eâ re judicarent, Pompeius tales propoſuit, ut nunquam neque clariores viros, neque ſanctiores propoſitos eſſe conſtaret.

Poſt

Poſt quod ſtatim novâ lege Milo poſtulatus à duobus Appiis Clodiis adoleſcentibus, iiſdem, à quibus antea familia ejus fuerat poſtulata, itemque de ambitu ab iiſdem Appiis; & præterea de vi à Q. Petulcio, & L. Cornificio; de Sodalitiis à P. Fulvio Nerato: poſtulatus autem erat de Sodalitiis & de ambitu eâ ſpe, quod primum judicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant, nec poſtea reſponſurum.

Divinatio de ambitu accuſatorum facta eſt, Quæſtore A. Torquato: atque ambo Quæſtores, Torquatus & Domitius, pridie Nonas Apr. reum adeſſe juſſerunt; quo die Milo ad Domitii tribunal venit, & Torquati amicos miſit: ibi, poſtulante pro eo M. Marcello, obtinuit, ne prius cauſam de ambitu diceret, quam de vi judicium eſſet perfectum.

Apud Domitium autem Quæſitorem major Appius poſtulavit à Milone ſervos exhiberi numero IV. & L. & cum ille negaret, eos qui nominabantur in ſua poteſtate eſſe, Domitius ex ſententia judicum pronunciavit, ut ex ſervorum eorum numero accuſator quot vellet ederet.

Citati deindes teſtes, ſecundum legem, quæ, *ut ſupra diximus*, jubebat, ut priùs, quàm cauſa ageretur, teſtes per triduum audirentur, dicta eorum judices conſignarent, quartâ die adeſſe omnes in diem poſterum juberentur, ac coram accuſatore ac reo pilæ, in quibus homina judicum inſcripta eſſent, æquarentur: dein rurſus poſtero die ſortitio judicum fieret unius & lxxx: qui numerus cùm ſorte obtigiſſet, ipſi protinùs ſeſſum irent: tùm ad dicendum accuſator duas horas, reus tres haberet, reuſque eodem die illo judicaretur: prius autem quàm ſententiæ ferrentur, quinos ex ſingulis ordinibus accuſator, totidem reus rejiceret, ita ut numerus judicum relinqueretur, qui ſententias ferrent, quinquaginta & unus.

Primo die datus erat in Milonem teſtis Caſſinius Schola, qui ſe cum P. Clodio fuiſſe, cùm is occiſus eſt, dixit; atrocitatemque rei factæ, quam maxime potuit, auxit; quem cùm interrogare M. Marcellus cœpiſſet, tanto tumultu Clodianæ multitudinis circumſtantis exterritus eſt, ut vim ultimam timens in tribunal à Domitio reciperetur; quam ob cauſam M. Marcellus & ipſe Milo à Domitio præſidium imploraverunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad ærarium, perturbatuſque erat eodem illo clamore: itaque Domitio promiſit, ſe poſtero die cum præſidio deſcenſurum, idque fecit: quare territi Clodiani, ſilentio verba teſtium per biduum audiri paſſi ſunt: interrogarunt eos M. Cicero, M. Marcellus, & Milo ipſe; multi ex iis, qui Bovillis habitabant, teſtimonium dixerunt de iis, quæ ibi facta erant, cauponem occiſum, tabernam expugnatam, corpus Clodii in publicum extractum eſſe. Virgines quoque Veſtales dixerunt, mulierem ignotam veniſſe ad ſe, quæ Milonis mandato votum ſolveret, quòd Clodius occiſus eſſet: ultimæ teſtimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, ſocrus P. Clodii, & uxor Fulvia, & fletu ſuo magnoperè eos, qui adſtabant, commoverunt.

invidiam uxor Clodii Fulvia, quæ cùm effusâ lamentatione vulnera ejus oſtendebat: major poſterâ die luce primâ multitudo ejuſdem generis confluxit, complureſque noti homines eliſi ſunt, inter quos C. Vibienus ſenator. [*Erat domus Clodii, ante paucos menſes empta de M. Scauro, in Palatio.*] *Eodem Munatius Plancus frater L. Planci oratoris, & Q. Pompeius Rufus Syllæ Dictatoris ex filiâ nepos, Tribuni pl. accurrerunt: eiſque hortantibus vulgus imperitum corpus nudum calceatum, ſicut in lecto erat poſitum, ut vulnera videri poſſent, in forum detulit, & in Roſtris poſuit. Ibi pro concione Plancus, & Pompeius, qui competitoribus Milonis ſtudebant, invidiam Miloni fecerunt: populus duce Sext. Clodio ſcribâ, corpus P. Clodii in curiam intulit, cremavitque ſubſelliis, & tribunalibus, & menſis, & codicibus librariorum; quo igne & ipſa quoque curia flagravit, & item Porcia baſilica, quæ ei erat junctа, ambuſta eſt; domum quoque M. Lepidi interregis (is enim magiſtratus curulis erat creatus) & abſentis Milonis, eadem illa Clodiana multitudo oppugnavit; deinde ſagittis repulſa eſt; tùm faſces ex lecto Libitinæ raptos attulit ad domum Scipionis & Hypſæi, deinde ad hortos Cn. Pompeii, clamitans eum modò Conſulem, modò Dictatorem.*

Incendium curiæ majorem aliquanto indignationem civitatis moverat, quàm interfectio Clodii.

Itaque Milo, quem opinio fuerat iviſſe in voluntarium exilium, invidiâ adverſariorum recreatus, nocte eâ redierat Romam, quâ incenſa erat curia, petebatque nihilo deterius Conſulatum, apertè quoque tributim in ſingulos millia aſſium dederat.

Concionem etiam ei poſt aliquot dies dedit M. Cælius Tribunus pleb. & Manilius Canianus ejus collega, ipſiuſque cauſam etiam ad populum probabant: dicebant utrique, Miloni à Clodio factas eſſe inſidias.

Fiebant interea alii ex aliis Interreges, qui comitia conſularia, propter eorum candidatorum tumultus & eaſdem manus armatas, habere non poterant: itaque primò factum erat S. C. ut Interrex & Tribuni pl. & Cn. Pompeius, qui pro Conſule ad urbem erat, viderent ne quid detrimenti reſp. caperet; delectus autem Pompeius tota Italia haberet: qui cùm ſummâ celeritate præſidium comparaſſet, poſtulaverunt apud eum familiam Milonis, item Fauſtæ uxoris ejus, exhibendam, duo adoleſcentuli, qui Appii Claudii ambo appellabantur, qui erant C. Claudii filii, qui frater fuerat Clodii, & ob id illi patrui ſui mortem, velut auctore fratre, perſequebantur: eaſdem Fauſtæ & Milonis familias poſtulaverunt duo Valerii, Nepos, & Leo, & L. Herennius Balbus. P. Clodii quoque familiam, & comitum ejus poſtulavit eodem tempore Cælius: familiam Hypſæi, & Q. Metelli, Manilius Canianus ejus collega.

Affuerunt Miloni Q. Hortenſius, M. Cicero, M. Marcellus, M. Calidius, M. Cato, Fauſtus Sylla; verba pauca Q. Hortenſius dixit; quæ ſunt, liberos eſſe eos, qui pro ſervis poſtularentur: nam poſt recentem cædem manumiſerat eos Milo ſub hoc titulo, quòd caput ſuum ulti eſſent.

Hæc

Hæc agebantur menſe intercalari: poſt diem trigeſimum fere, quam erat Clodius occiſus, Q. Metellus Scipio in ſenatu contra M. Cæpionem conqueſtus eſt, ac de cæde P. Clodii falſum eſſe dixit quod Milo ſic ſe defenderet, & Clodium Aricinos Decuriones alloquendi gratia abiiſſe, profectum cum ſex ac xx. ſervis: Milonem ſubitò poſt horam quartam, ſenatu miſſo, cum ſervis amplius CCC. *armatis obviam ei contendiſſe, & ſupra Bovillas inopinantem in itinere aggreſſum: ibi P. Clodium, tribus vulneribus acceptis, Bovillas perlatum: tabernam, in quam profugerat, expugnatam à Milone: ſemianimem Clodium extractum, in viâ Appiâ occiſum eſſe, annulumque ejus ei morienti extractum: deinde Milonem cùm ſciret in Albano parvulum filium Clodii veniſſe ad villam, & cùm puer ante ſubtractus eſſet, de ſervo Alicore quæſtionem ita habuiſſe, ut eum articulatim conſecaret: villicum & duos præterea ſervos jugulaſſe: ex ſervis Clodii, qui dominum defenderint, undecim eſſe interfectos: Miloni duos ſolos ſaucios factos eſſe: ob quæ Milonem poſtero die xii. ſervos, qui ei maximè operam navaſſent, manumiſiſſe, populoque tributim ſingula millia æris ad defendendos de ſe rumores dediſſe.*

Milo miſiſſe ad Cn. Pompeium dicebatur, quòd Hypſæo ſummè ſtudebat quòd fuerat ejus Quæſtor, deſiſtere ſe petitione Conſulatus, ſi ita ei videretur: Pompeium reſpondiſſe, nemini ſe neque petendi, neque deſiſtendi auctorem eſſe, neque populi Romani poteſtatem, aut conſilium, aut ſententiam interpellaturum: deinde per C. Lucilium, qui propter M. Ciceronis familiaritatem amicus erat Miloni, egiſſe quoque dicebatur, ne ſe de hâc re conſulendo invidia oneraret.

Inter hæc cùm crebeſceret rumor, Cn. Pompeium creari Dictatorem, neque opportunè aliter mala civitatis ſedari poſſe; viſum eſt optimatibus, tutius eſſe, eum Conſulem ſine collegâ creare: & cùm tractata ea res eſſet in Senatu, facto in M. Bibuli ſententiam S. C. Pompeius, ab Interrege Ser. Sulpicio v. Cal. Mart. menſe intercalario, Conſul creatus eſt, ſtatimque Conſulatum iniit.

Deinde poſt diem tertium de legibus novis ferendis retulit: duas ex S. C. promulgavit. Alteram de vi, quâ nominatim cædem in Appiâ viâ factam, & incendium curiæ, & domum M. Lepidi interregis oppugnatam comprehendit. Alteram de ambitu; pœnam graviorem, & formam judiciorum breviorem. Utraque enim lex prius teſtes dari per triduum, deinde uno die atque eodem & ab accuſatore & ab reo perorari jubebat, ita ut duæ horæ accuſatori, tres reo darentur.

His legibus obſiſtere M. Cælius Tribunus pl. ſtudioſiſſimus Milonis conatus eſt, quòd & privilegium diceret in Milonem ferri, & judicia præcipitari: & cùm pertinaciùs legem Cælius vituperaret, eò proceſſit iræ Pompeius, ut diceret, ſi coactus eſſet, armis ſe remp. defenſurum: timebat autem Pompeius Milonem, ſeu timere ſe ſimulabat: plerùmque non domi ſuæ, ſed in hortis manebat, idque ipſum in ſuperioribus, circa quos etiam magna manus militum excubabat: Senatum quoque ſemel in porticu ſuo habuerat Pompeius, quòd diceret timere ſe adventum Milonis.

Dein

Dein proximo Senatu P. Cornificius ferrum Milonem intrà tunicam habere ad femur alligatum dixerat; poſtulaverat, ut femur nudaret; & ille ſine morâ tunicam levaverat: tùm M. Cicero exclamaverat, omnia illi ſimilia crimina eſſe, quæ in Milonem dicerentur alia.

Deinde Munatius Plancus Tribunus-pl. produxerat in concionem M. Æmilium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi: is ſe dicebat, pariterque ſecum quatuor liberos homines iter facientes ſuperveniſſe, cùm Clodius occideretur, &, ob id cum proclamaſſent, abreptos & perductos in villam Milonis, ibique per duos menſes præcluſos fuiſſe: eaque res, ſeu vera, ſeu falſa, magnam invidiam Miloni contraxerat; idemque Munatius & Pompeius Tribuni-pl. in Roſtra produxerant Triumvirum capitalem, eumque interrogaverant, an Galatam Milonis ſervum cædes facientem deprehendiſſet: ille dormientem in tabernâ pro fugitivo deprehenſum, & ad ſe perductum eſſe reſponderat: denunciaverant tamen Triumviro, ne ſervum remitteret; ſed poſtera die Cælius Tribunus-pl. & Manilius Canianus collega ejus ereptum è domo Triumviri ſervum Miloni reddiderunt.

Etſi nullam de his criminibus mentionem feci Cicero; tamen, quia ita compereram, putavi exponenda.

Inter primos & Q. Pompeius, & C. Salluſtius, & T. Munatius Plancus, Tribuni-pl. inimiciſſimas conciones de Milone habebant, invidioſas etiam de Cicerone, quod Milonem tanto ſtudio defenderet; eratque maxima pars multitudinis infenſa non ſolùm Miloni, ſed ipſi etiam, propter inviſum patrocinium, Ciceroni.

Poſteà Pompeius & Salluſtius in ſuſpicione fuerunt in gratiam rediiſſe cum Milone ac Cicerone. Plancus autem infeſtiſſimè perſtitit, atque in Ciceronem quoque multitudinem inſtigavit: Pompeio autem ſuſpectum faciebat Milonem, ad perniciem ejus comparari vim vociferatus: Pompeiuſque ob ea ſæpius querebatur, fieri ſibi quoque inſidias, & id palam: ac majore manu ſe armabat: dicturum quoque diem Ciceroni Plancus oſtendebat; poſtea autem Q. Pompeius idem minitatus erat; tanta tamen conſtantia ac fides fuit Ciceronis, ut non populi à ſe alienatione, non Cn. Pompeii ſuſpicionibus, non periculi futuri metu, ſi ſibi dies ad populum diceretur, non armis, quæ palam in Milonem ſumpta erant, deterreri potuerit à defenſione ejus, cum poſſet omne periculum ſuum & offenſionem inimicæ multitudinis declinare, redimere etiam Cn. Pompeii animum, ſi paulùm ex ſtudio defenſionis remiſiſſet.

Perlatâ deinde lege Pompeii, in quâ id quoque ſcriptum erat, ut Quæſitor ſuffragio populi ex iis, qui Conſules fuerant, crearetur, ſtatim comitia habuit, creatuſque erat L. Domitius Ænobarbus Quæſitor: aliorum quoque judicum, qui de eâ re judicarent, Pompeius tales propoſuit, ut nunquam neque clariores viros, neque ſanctiores propoſitos eſſe conſtaret.

Poſt

Post quod statim novâ lege Milo postulatus à duobus Appiis Clodiis adolescentibus, iisdem, à quibus antea familia ejus fuerat postulata, itemque de ambitu ab iisdem Appiis; & præterea de vi à Q. Petulcio, & L. Cornificio; de Sodalitiis à P. Fulvio Nerato: postulatus autem erat de Sodalitiis & de ambitu eâ spe, quod primum judicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant, nec postea responsurum.

Divinatio de ambitu accusatorum facta est, Quæstore A. Torquato: atque ambo Quæstores, Torquatus & Domitius, pridie Nonas Apr. reum adesse jusserunt; quo die Milo ad Domitii tribunal venit, & Torquati amicos misit: ibi, postulante pro eo M. Marcello, obtinuit, ne prius causam de ambitu diceret, quam de vi judicium esset perfectum.

Apud Domitium autem Quæsitorem major Appius postulavit à Milone servos exhiberi numero IV. & L. & cum ille negaret, eos qui nominabantur in sua potestate esse, Domitius ex sententia judicum pronunciavit, ut ex servorum eorum numero accusator quot vellet ederet.

Citati deindes testes, secundum legem, quæ, *ut supra diximus*, jubebat, ut priùs, quàm causa ageretur, testes per triduum audirentur, dicta eorum judices consignarent, quartâ die adesse omnes in diem posterum juberentur, ac coram accusatore ac reo pilæ, in quibus homina judicum inscripta essent, æquarentur: dein rursus postero die sortitio judicum fieret unius & lxxx: qui numerus cùm sorte obtigisset, ipsi protinùs sessum irent: tùm ad dicendum accusator duas horas, reus tres haberet, reusque eodem die illo judicaretur: prius autem quàm sententiæ ferrentur, quinos ex singulis ordinibus accusator, totidem reus rejiceret, ita ut numerus judicum relinqueretur, qui sententias ferrent, quinquaginta & unus.

Primo die datus erat in Milonem testis Cassinius Schola, qui se cum P. Clodio fuisse, cùm is occisus est, dixit; atrocitatemque rei factæ, quam maxime potuit, auxit; quem cùm interrogare M. Marcellus cœpisset, tanto tumultu Clodianæ multitudinis circumstantis exterritus est, ut vim ultimam timens in tribunal à Domitio reciperetur; quam ob causam M. Marcellus & ipse Milo à Domitio præsidium imploraverunt. Sedebat eo tempore Cn. Pompeius ad ærarium, perturbatusque erat eodem illo clamore: itaque Domitio promisit, se postero die cum præsidio descensurum, idque fecit: quare territi Clodiani, silentio verba testium per biduum audiri passi sunt: interrogarunt eos M. Cicero, M. Marcellus, & Milo ipse; multi ex iis, qui Bovillis habitabant, testimonium dixerunt de iis, quæ ibi facta erant, cauponem occisum, tabernam expugnatam, corpus Clodii in publicum extractum esse. Virgines quoque Vestales dixerunt, mulierem ignotam venisse ad se, quæ Milonis mandato votum solveret, quòd Clodius occisus esset: ultimæ testimonium dixerunt Sempronia Tuditani filia, socrus P. Clodii, & uxor Fulvia, & fletu suo magnoperè eos, qui adstabant, commoverunt.

Dimiſſo circa horam decimam judicio, T. Manutius pro concione populum adhortatus eſt, ut poſtero die frequens adeſſet, & elabi Milonem non pateretur, judiciumque & dolorem ſuum oſtenderet.

*Euntibus ad tabellam ferendam poſtero die judicibus, qui fuit judicii primus * a. d. iii. Idus Apr. clauſæ fuerunt tota urbe tabernæ: præſidia in foro & circa omnes fori aditus Pompeius diſpoſuit: ipſe pro ærario, ut pridie, conſedit, ſeptus delectâ manu militum: ſortitio deinde judicum, ut primo die, facta eſt; pòſt, tantum ſilentium toto foro fuit, quantum eſſe in aliquo foro poſſet.*

Tum intra horam ſecundam accuſatores cœperunt dicere, Appius major & M. Antonius, & P. Valerius Nepos: uſi ſunt ex lege horis duabus.

Reſpondit his unus M. Cicero; & cùm quibuſdam placuiſſet, ita defendi crimen, interfici Clodium, pro republicâ fuiſſe, quam formam M. Brutus ſecutus eſt in eâ oratione, quam pro Milone compoſuit & edidit, quamvis non egiſſet, Ciceroni id non placuit, quòd, non qui bono publico damnari, idem etiam occidi indemnatus poſſet: itaque cùm inſidias Milonem Clodio feciſſe pòſtuiſſent accuſatores, quia falſum id erat (nam fortè illa rixa commiſſa fuerat) Cicero apprehendit, & contra Clodium Miloni feciſſe inſidias diſputavit; eoque tota oratio ejus ſpectavit: ſed ita conſtitit, ut diximus, neutrius conſilio pugnatum eſſe eo die, verùm fortè occurriſſe; ex eâ rixâ ſervorum ad cædem perventum: notum tamen erat, utrumque mortem alteri ſæpè minatum eſſe: & ſicut ſuſpectum Milonem major, quàm Clodii, familia faciebat, ita expeditior & paratior ad pugnam Clodianorum quàm Milonis fuerat.

Cicero cùm inciperet dicere, exceptus eſt acclamatione Clodianorum, qui ſe continere ne metu quidem circumſtantium militum potuerunt: itaque non eâ, quâ ſolitus erat, conſtantiâ dixit.

Manet autem illa quoque excepta ejus oratio: ſcripſit verò hanc, quam legimus, ita perfectè, ut jure prima haberi poſſit.

* Aut hîc legendum *a. d. vi. Idus*, aut in capite Argumenti *a. d. iii. Idus*, ut conſtet numerus.

N O T Æ.

Pag. 301. *Si oppoſita Miloni.*] Diſſimulat Orator, ne Pompeium offendat: nam reverà etſi multo magis à Clodianis, nonnihil tamen & à Milone Pompeius timebat. *Manut.*

309. *Diviſa ſententia eſt poſtulante*, &c.] Quid ſit dividere ſententiam explicat Aſconius Pedianus, ex quo & Plinii Junioris lib. 9. Epiſtola nondum edita: verum ita obſcure (quod nec Aſcon. integer eo loco, & Plinii Epiſtola multis in locis corrupta ſit) ut aſſequi nequeas veram ejus rei declarationem: verùm quantum licuit in ſtudioſorum gratiam hæc collegimus. Pompeius v. Cal. Mart. ſolus Conſul ab Interrege Servio Sulpicio renunciatus poſt diem tertium de novis legibus ferendis retulit; quas binas ex S. C. promulgavit; unam de vi, alteram de ambitu. His latis, Pompeius Comitia habuit: Populi ſuffragiis L. Domitius Ænobarbus de vi factus eſt inquiſitor; A Torquatus de ambitu. Pridie Kal. Mart. in Senatu dixit Hortenſius (pro decreto, ut arbitror) de veteribus ut extra ordinem

ordinem legibus quæreretur. Huic sententiæ interceſſit furioſus ille Trib. Pleb. Munatius Plancus emptus à Clodianis: Quod innuit Cic. inquiens, *Reliqua Senat. auctoritas empta interceſſione ſublata eſt.* Quare novâ lege de vi ab Appiis adoleſcentibus Milo poſtulatus eſt apud L. Domitium: hac lege novâ de vi quæſtionem habuit; quæ cum eſſet multiplex, nempe de cæde factâ in Appiâ viâ, de incendio Curiæ, de domo Lepidi interregis oppugnatâ; eam dividi poſtulavit Q. Fuſius Senator, id eſt, ut de rebus ſingulis actiones haberentur ſingulæ: & hoc eſt quod ait Cicero, *Diviſa ſententia eſt poſtulante neſcio quo.* Itaque Milo juſſus prid. Non. Apriles ad Comitii tribunal venit; à quo per triduum ex lege Pompeii teſtibus auditis, tertio Idus April. Judicum ſortitio acceptis tabellis facta eſt. Tum ad horam ſecundam accuſatores cœperunt dicere, Appius Major, M. Antonius, & P. Valerius Nepos; qui in agendâ cæde Clodii duabus ex lege Pompeii horis uſi ſunt: his unus reſpondit M. Tull. Cicero. *Jac. Cruquius.*

312. *Sed ſtulti ſumus, qui.*] Correctio Oratoris, recapitulatio, Ironia, quarum concentu, ut alias figuras omittam, mirè Oratio temperatur. *Abrah.*

Ib. *Dederas enim, quam contemneres populares.*] Conſtantiam L. Domitii quam in Prætura præſtitit, ſignificat. Nam eo tempore, cum Cn. Manlius Tribunus Pl. ſubnixus libertinorum & ſervorum manu perditiſſimam legem ferret, ut libertinis in omnibus tribubus ſuffragium eſſet, idque per tumultum ageret & Clivum Capitolium obſideret, diſcuſſerat perruperatque cœtum Domitius, ita ut multi Manlianorum interficerentur; quo facto & plebem infimam offenderat, & Senatus magnam gratiam inierat. *Aſcon.*

313. *Non religione aliquâ.*] Non ideo permotus eſt ad relinquendam eo anno Prætura petitionem, quia viderat non ſemel inauſpicatus avibus, & aliis ſiniſtris ſuſpiciis, Comitia prohiberi. *Abrah.*

322. *Quando illius poſtea fica, &c.*] Manifeſtum eſt pertinere ad id tempus, quo, poſt rogationem à Publio Clodio in eum promulgatam, urbe ceſſit.

Quare dicat, *inſidiata Pompeio eſt*, fortaſſis quæratis: Piſone & Gabinio Coſſ. pulſo Cicerone in exilium, cum III. Idus Sext. Pompeius in Senatum venit, dicitur ſervo P. Clodii ficam excidiſſe, eaque ad Gabinium Conſulem delata dictum eſt ſervo imperatum à P. Clodio, ut Pompeius occideretur. Pompeius ſtatim domum rediit, ex eo domi tenùs obſeſſus eſt etiam à liberto Clodii Damione, ut ex actis ejus temporis cognovi: in quibus xv. Cal. Sept. L. Novius Tribunus Pleb, Collega Clodii, cum Damio adverſum Flavium Prætorem appellaret Tribunos, & Tribuni de appellatione cognoſcerent, ita ſententiam dixit: *Et hoc Apparitore P. Clodii vulneratus ſum; & hominibus armatis præſidiis diſpoſitis à Republicâ remotus ſum: Cneius Pompeius obſeſſus eſt; cum appeller non utar ejus exemplo quem vitupero;* & *judicium tollam & reliqua de interceſſione.* Aſcon.

323. *Nece Papirli cruentavit.*] Pompejus poſt triumphum Mithridaticum, Tigranis filium in catenis depoſuerat apud Flavium Senatorem; qui poſtea cum eſſet Prætor eodem anno, quo Tribunus pl. Clodius, petit ab eo Clodius ſuper cœnam, ut Tigranem adduci juberet, ut eum videret; adductum collocavit in convivium: dein Flavio non reddidit. Tigranem dimiſit & habuit extra catenas, nec repetenti Pompeio reddidit; poſtea in navem depoſuit; & cum profugeret ille tempeſtate delatus eſt Antium; illico ut deduceretur ad ſe, Clodius Sext. Clodium miſit qui eum reduceret. Flavius quoque re cognitâ ad diripiendum Tigranem profectus eſt: ad quartum lapidem ab Urbe pugna facta eſt; in qua multi ex utrâque parte ceciderunt, plures tamen ex Flaviis, inter quos & M. Papirius eques Romanus Publicanus, familiaris Pompeio. Flavius ſine comite Romam vix perfugit. *Aſcon.*

Ib. *Potuitne L. Cæcilii juſtiſſimi fort. &c.*] L. Cæcilius Rufus, de quo dicitur, Prætor fuit P. Lentulo Spinthere, Q. Metello Nepote Coſſ. quo anno Cicero reſtitutus eſt. Is cum faceret ludos Apollinares, ita infima concitata multitudo annonæ caritate tumultuata eſt, ut omnes, qui in theatro ſpectandi cauſa conſederant, pellerentur: de oppugnatâ domo nuſquam adhuc legi. Pompeius tamen cum defenderet Milonem apud populum, de vi accuſante Clodio, obſtitit; & legimus apud Tironem Libertum Ciceronis in libro quarto de Vitâ ejus, oppreſſum à Clodio L. Cæcilium Prætorem. *Aſcon. Pedianus.*

330. *Quibuſnam de ſervis.*] Hinc infirmatur fides quæſtionis, quòd & eſſent ſervi Clodii, & è domo accuſatoris producerentur, & ipſe accuſator haberet quæſtionem. *Abrah.*

331. *Quis eos poſtulavit? Appius.*] Non P. Clodii frater, ſed Caii fratris ejus filius, Milonis accuſator. *Idem.*

Ib. *Clodius inſidias fecit Miloni.*] Et hoc contra quæſtionis morem, quam qui habebat, nullum debebat ſuggerere nominatim: deinde fas non erat minis aut

promiſſis ad hoc potiùs quàm illud dicendum eos qui torquebantur impellere. *Abrahamus.*

Ib. *Quid hâc quæſtione dici poteſt integrius?*] Ironia. *Idem.*

335. *Non jam hoc Clodianum crimen timemus.*] Diximus in Argumento Orationis hujus, Cn. Pompeium ſimulaſſe ſe timere, ſeu plane timuiſſe Milonem; & ideo ne domi quidem ſuæ, ſed in hortis ſuperioribus ante judicium manſiſſe, ita ut villam quoque præſidio militum circumdaret. Q. Pompeius Tribunus-plebis, qui fuerat familiariſſimus omnium P. Clodio, & ſectam ſuam ſequi ſe palam profitebatur, dixerat in concione paucis poſt diebus quam Clodius erat occiſus: *Milo dedit quem in Curia cremaretis, dabo quem in Capitolio ſepeliatis.* In eâdem concione idem dixerat (habuit enim eam ad vii. Kal. Febr. cum Milo pridie, id eſt viii. Kal. Febr. venire ad Pompeium in hortos ejus voluiſſet) *Pompeium ei per hominem propinquum miſiſſe nè ad ſe veniret.* Priùs etiam quàm Pompeius tertiùm Conſul crearetur, tres Tribuni, Q. Pompeius Rufus, C. Salluſtius Criſpus, T. Munatius Plancus, cum quotidianis concionibus ſuis magnam invidiam Miloni propter Clodium excitarent, produxerant ad populum Cn. Pompeium, & ab eo quæſierant, num ad eum delatum eſſet illud quoque indicium, ſuæ vitæ inſidiari Milonem. Reſponderat Pompeius, Licinium quendam de plebe, ſacrificulum, qui ſolitus eſſet familias purgare, ad ſe detuliſſe, ſervos quoſdam Milonis, itemque liberos, comparatos eſſe cædem ſuam: nomina quoque ſervorum edidiſſe: ad Milonem miſiſſe, ut eos in poteſtate ſua haberet: à Milone reſponſum eſſe, ex iis ſervis quos nominaſſet, partim neminem ſe unquam habuiſſe, partim manumiſiſſe. Dein, cùm Licinium apud ſe haberet, Lucium quendam de plebe ad corrumpendum indicem veniſſe: quâ re cognitâ, in vincula eum publica à ſe conjectum: decreverat enim Senatus, ut cum Interrege & Tribunis-plebis Pompeius daret operam, nequid Reſp. detrimenti caperet. Ob has ſuſpiciones Pompeius in ſuperioribus hortis ſe continuerat; deinde ex S. C. delectu per Italium habito, cùm rediiſſet, venientem ad ſe Milonem unum omnium non admiſerat: item cùm Senatus in porticu Pompeii haberetur, ut Pompeius poſſet intereſſe, unum tùm excuti priùs quàm in Senatum intraret, juſſerat. Hæ ſunt ſuſpiciones, quas dicit ſe Cicero pertimeſcere. *Aſcon.*

Ib. *Eâ voce, ut me audire.*] Tam clara & elata, ut me è Roſtris dicentem exaudire poſſis ſedens, ex ipſo veſtibulo ærarii, ut notat Aſconius *in argumento.* Abrahamus.

Ib. *Conquiſitores tui.*] Vulgò Commiſſarii, qui alterius nomine milites conquirunt conſcribendus. *Abrah.*

341. *Vir Verè.*] Verè fortis & generoſus. *Abrah.*

347. *Sed etiam tribus ſuis patrimoniis.*] Milo ex familiâ fuit Papiâ, deinde adoptatus fuit, à C. Annio avo ſuo materno; tertium patrimonium videtur ſignificare Matris, aliud enim quod fuerit non invenio.

Peractâ utrinque causâ, ſinguli quinos accuſator & reus Senatores, totidem Equites & Tribunos ærarios rejecerunt, ita ut unus & quinquaginta ſententias tulerint. Senatores condemnaverunt XII. abſolverunt VI. Equites condemnaverunt XIII. abſolverunt IV. Tribuni Ærarii condemnaverunt XIII. abſolverunt III. [*Hæc Pedianus: dubium tamen eſſe non poteſt, quin error in notas numerorum irrepſerit; ſi enim unus & quinquaginta fuerint, oportet è ſingulis ordinibus ſeptem & decem fuiſſe: quare fortaſſe ſic legendum fuerit*, Senatores condemnaverunt XI. abſolverunt VI. &c. Tribuni ærarii condemnaverunt XIII. abſolverunt IV. *Sed quis poſſit hæc divinare?* Abrahamus. *Pergit Aſconius.*] Videbantur non ignoraſſe judices, inſcio Milone vulneratum eſſe Clodium; ſed compererant, poſtquàm vulneratus eſſet, juſſu Milonis occiſum.

Fuerunt qui crederent, M. Catonis ſententia eum eſſe abſolutum; nam & benè cum republica actum eſſe morte P. Clodii non diſſimulaverat, & ſtudebat in petitione Conſulatus Miloni, & reo affuerat. Nominaverat quoque eum Cicero præſentem & teſtatus erat, audiiſſe eum à M. Favonio ante diem tertium quam cædes facta erat, Clodium dixiſſe periturum eſſe eo triduo Milonem. Sed Milonis quoque notam audaciam vindicare P. R. utile viſum eſt: unde ſciri nunquam potuit, utram ſententiam tuliſſet. Damnatum autem operâ maximâ Appii Claudii pronunciatum eſt.

Milo poſtero die factus reus ambitus apud Manlium Torquatum abſens damnatus eſt: illâ quoque lege accuſator fuit ejus Appius Claudius; & cùm ei præmium lege daretur, negavit ei. Subſcripſerunt & in ambitus judicio P. Valerius Leo, & Cn. Domitius, Cn. F. Poſt paucos dies quoque Milo apud Favonium Quæſtorem de Sodalitiis damnatus eſt, accuſante P. Fulvio Nerato, cui lege præmium datum eſt. Deinde apud L. Fabium Quæſtorem iterum abſens damnatus eſt de vi. Accuſavit L. Cornificius, & Q. Patulcius.

Milo

Milo in exilium Massiliam intra paucissimos dies profectus est: bona ejus propter alieni æris magnitudinem semuncia venierunt.

Post Milonem, eadem lege Pompeia, primus est accusatus M. Saufeius, M. F. qui dux fuerat in expugnanda taberna Bovillis & Clodio occidendo. Accusaverunt eum L. Cassius, L. Fulcinius, C. F. C. Valerius. Defenderunt M. Cicero, M. Celius; obtinueruntque, ut una sententia absolveretur. Condemnaverunt Senatores X. absolverunt VIII. Condemnaverunt Equites Romani IX. absolverunt VIII. sed ex Tribunis ærariis decem absolverunt, VI. condemnaverunt: manifestumque odium Clodii saluti Saufeio fuit, cum ejus vel pejor causa quam Milonis fuisset, qui apertè dux fuerat expugnandæ tabernæ repertus.

Deinde post paucos dies apud Considium Quæstorem, lege Plautiâ vi, subscriptione eâdem accusatus est, quod loco occupasset, & cum telo fuisset antesignanus operarum Milonis. Accusaverunt C. Fidius, Cn. Aponius, Cn. F. M. Seius Sex. F. Defenderunt M. Cicero, M. Terentius Varro Gibba: absolutus est sententiis plenius quam prius; graves habuit XIX. absolutorias II. & XXX. Sed è contrario hoc, ac priore judicio, accidit. Equites enim, ac Senatores eum absolverunt, Tribuni ærarii damnaverunt.

Sex. autem Clodius, quo auctore corpus Clodii in curiam illatum fuit, accusantibus C. Cesennio Philone, M. Ausidio, L. Aponio, magno consensu damnatus est, sententiis VI. & XL. Absolutorias V. omnino habuit, duas Senatorum, tres Equitum.

Multi præterea, & præsentes, & cùm citati non respondissent, damnati sunt, ex quibus maxima pars fuit Clodianorum, *Ascon.*

VARIÆ LECTIONES.

In Q. CÆCILIUM *Divinatio.*

Pag. I. Lin. 4. *Descendere.*] C. Stephanus (aut quisquis ille fuerit qui varias lectiones ad finem illius editionis positas collegerit) hæc habet: *Dubium non est* (inquit) *aut Ciceronem multis amanuensibus usum fuisse, aut sæpius transcripta sua exemplaria emendasse, aut perperam ab indoctis descripta, deinceps emendata fuisse:* id scilicet vult vel ab ipso Ciceronis ævo variantes lectiones in ejus scriptis extitisse. Et hoc verum esse vel hoc ipso loco liquet; *ubi Asconius* hæc notat. [*Hoc toto Capite Solœcismi species continetur, nisi addas ET aut IDEM, ut sit* ET subito nunc mutatâ voluntate ad accusandum descenderim: *quare multi non* descenderim *legunt, sed* descendere.] Hinc patet Asconium legisse *descenderim*, alios *descendere*; & certè in diversum abeunt Codd. qui nunc extant.

II. 40. *Eam partem*; lege *ad eam partem*, excidit enim *ad* operarum incuria.

III. 3. *Quod sequi*; al. *quid sequi.*

V. 28. *Senatus pop.* al. *Senati pop.*

23. Pro *imprudens*, lege *impudens.*

51. *Taceant.* Ita C. Steph. & aliæ Edd. Grævius autem è MSS. reponit *tacerent.*

38. Pro *interponi*, lege *interponis.*

42. *Nam, te act.* Grævius reponit *Num, te act.*

VI. 10. *Hortensius.* Vocem *Hortensius*, quæ in MS. nonnullis abest, ex margine intrusam censet Grævius.

IX. 16. *Vere se def.* Dele *se*, quod operæ intruserunt.

29. *Judicium.* Ita Ed. C. Steph. *&c.* Sed. *Ascon.* & alii *indicium* rectè.

X. 10. *Quid facere*; lege *& quid facere.*

17. *Patrarit.* F. Fabricius, Grævius, *&c. peccarit.*

X. 45. *Illius diei.* Sic Asconius & Editi multi, Manutios secuti. Sed MS. multi, ut & Priscianus, *illius temporis* habent.

XI. 13. *Orationis subire invidiam.* In Ascan. edito, *Orationis subire invidiæ*, sed in Asconio Grævii MS. *Orationi subire* sine voce *invidiæ*; & sic apud Nonium Marcellum: *Poterisne ejus orationem* [al. *orationi*] *subire?*

15. *Præstringat.* Lamb. *Præstinguat.*

XIII. 6. *Oratorum.* Sic plerique editi, ut & magna pars MSSorum. Sed alii habent *Moratorum*, quod eruditis magis placet.

XIV. 25. *Tibi se.* Dele *se*, errore typog. intrusum.

XVI. 6. *Quamobrem eum cui quæstor fueris.* Sic apud *Asconium* legitur, approbante *Hotomanno.* Alii aut habent, *quamobrem qui quæstor ejus fueris.*

XVII. 21. *M. Silano.* Sic rectè restituit *Hotomannus* ex ipso Cicerone in iv. Verrin. cum Codd. omnes perperam habeant *Decimo Silano.*

Pro Lege MANILIA.

Par. I. *Contingere.* Sic olim editi omnes.
Lin. 7. Grævius autem è Cod. Erfurt. reponit *attingere*, quod Ciceroni familiarius.
16. *Mandandum.* Sic vulgati ferè omnes: ſed F. Fabricius, Grævius, & alii *Mandandis* è MSS. reponunt.
22. *Atque in primis*; lege *Atque illud in primis.*
II. 13. *Succurrerit.* Sic Manut. & libri tam. MSS. quam impreſſi: ſed alii habent *ſucceſſerit*, quod recepit Græv.
III. 11. *Et à vobis & ab imperatoribus reip. conſulendum.* Sic multi MSS. & editi ante Lambinum omnes; ipſe autem, probante F. Fabricio, ſic è quibuſdam Codd. reposuit, *à vobis, & ipſorum, & reipub. cauſa conſulendum.*
IV. 13 *Reportarint*; rectius *reportarent.*
28. *Liſtracti.* Cod. Fabricii & alii *diſtricti.*
40. *Naviculatoribus.* Sid Edd. & Pall. omnes Grut. ſed vetus Fabricii Codex *Navicularis.*
VI. 6. *Si ad belli.——retinere.* Sic optimè ex Cod. Werd. reſtituit Guilielmius, approbante Græv̆io, quia nemo novit quid ſit belli utilitatem ſuſtinere: ſic enim in vulgatis erat, *Si & belli utilitatem—juſtinere.*
23. *fructui ſunt.* Sic. Cod. Fabric. & Erfurt. Sed vulg. *fructuoſi ſunt*, quod etſi ferendum ſit, tamen non æquè placet.
VII. 20. *Id quidem certè.* Sic rectè Cod. F. Fabric. ut & Francii & Erfurt. Vulgati malè, *Id quod certè.* Hotomannus ex conjecturâ delevit *quod.*
VIII. 7. *Sapienti.* Sic ex opt. MSS. Græv. alii *Sapientiſſimo.*
9. *inſtructas fuiſſe, urbemque.* Sic optimi MSS. & antiquitùs editi: ſed alii vulgati habent *inſtructas fuiſſe deletas, urb.* ineptè. Nam hîc Mithridatis copias amplificat, ut Lucullum laudet.
53. *proceſſio.* Sic Codd. antiquiores, al. *proceſſus.*
75. *quantùm illud bellum factum*; ità melioris notæ MSS. & edd. vett. *quantum factum* exponit Lamb. *quàm magnum factum, quantopere actum*, &c. quod qui non intelligebant pro *factum* ſubſtituerunt *futurum.*
IX. 21. Pro *exercuit* lege *exercuerit.*
X. 46. *poteſtate.* Teſtator quidam apud A. Gellium. I. 7. *poteſtatem* ſcripſiſſe Ciceronem; & certè eodem modo loquitur ſupra pag. 23. *quæ in amicitiam P. R. ditionemque eſſent.*
121. *devocavit.* Sic Cod. Fabric. & alii; h. e. quaſi *de via vocavit*: vulgati multi habent *revocavit.*
XI. 26. *niſi ipſum id temporis.* Sic ed. Steph. ut & aliæ multæ, Lamb. autem *ad id ipſum temporis*: ſed Græv. è Colon. & Erfurt. ſic reſtituit, *niſi ad ipſum diſcrimen ejus temporis.*
40. *Eumque Pomp.* Græv. è MSS. reponit *Eum, quem Pomp.*
XIII. 27. *tranſmarinam.* Sic Lamb. & Græv. è MSS. Vulgati *maritimam*, quod huic loco minus convenit.
XIII. 51. *aſcendere.* Grævius è MS. Col. reponit *aſcendere*, quæ vox à librariis minus intellecta ſæpe ſuo loco mota eſt.
73. *quem per vos ipſe.* Sic Græv̆ius è MSS. alii *per ſe ipſe*; ineptè.
XIV. 3. *Si quid de eo factum eſſet.* Sic editi plerique; al. *ſi quid eo factum eſſet*: utrovis modo locuti ſunt veteres. Sic noſter, *quid illo fiet?* Ep. 1. l. 6. ad Att. *Quid me fiet?* Terent.
34. *Sed etiam ſtudio omni viſendum p.* Hunc locum Græv̆ius é MS. uno & altero ſic auxit, *ſed omnium etiam ſtudio viſendam & concelebrandam p.*
67. *interiorum nationum.* Sic Græv̆ius ex optimis MSS. & primis editis. *Interiores* autem dicuntur quæ longius à finibus noſtris ſunt remotæ, & interiorem regionis partem habitant. Sic *intra* & *interiores* uſurpat P. Mela, l. 1. c. 4. & 8.
87. Poſt vocem *liberis.* Gruterus è MSS. hæc addidit, *qui ab ornamentis fanorum atque oppidorum.*
93. *populus Romanus.* Cum in antiquis ferè P. R. exaratum ſit, Hotoman. & Lamb. legunt *populum R.* alii *Prætores*, & ſic vocem *videbat* de *ora maritima* dici putant; alii aliter rem expediunt. Sed vulgatam lectionem tuetur Gronovius L. 4. cap. 4. de Pec. Vett.
94. *neque nos.* Sic Græv̆ius è MS. al. *neque eos.*

XV. 6. *quantum nunc——vidimus.* Sic Grævius ex Cod. Hittorp. & Erfurt. al. *quantum non—vidimus.* Sed hoc totum membrum fortè rectius abeſſe poſſe putat idem Grævius.

Pro C. RABIRIO.

Par. II. Lin. 15. *Exprimenda.* Ita Manut. Ed. C. Steph. &c. Grut. *experimenda.*
30. *Convenerint.* Sic omnes ed. Grævius è Francii lib. *concurrerint.*
V. 4. *Prætores, præter Glauciam.* Vocem *Prætores* (quæ è libris etiam ſcriptis exciderat propter ſequentem *præter*) rectè reſtituit Adr. Turnebus; quem & alii ſequuntur eruditi.

I. *In* L. CATILINAM.

Par. I. Lin. 5. *Conſenſus bonorum.* Sic legitur apud Quintil. l. 9. cap. 3. Sed MSS. multi habent *concurſus.*
35. *patre natus, avis maj.* Grut. & Græv. *patre, avo, maj.* quod & inter varias lectiones C. Steph. repoſitum.
36. *Prætorem mors ac reipub. pœna.* Sic locum hunc è MSS. ſuis repræſentat Grævius, alii aliter. *Prætorem* alii malè omittunt, & *mors à reip. p.* legunt: Sed vide Grævium.
39. *tanquam gladium in v.* Sic hunc locum citat Aſconius in Piſoniana, & ſic vulgati plerique. Sed *gladium* ab optimis MSS. abeſſe teſtantur Muret. Lamb. Grut. Græv.
III. 20. *vocuam feciſſes.* Græv. & alii è MSS. *vacuefeciſſes*, quod etiam inter Var. Lect. C. Steph. Sic enim infra *ſubſellia vacuefacta ſunt.*
28. *tibi hæc lux.* Sic Grævius è Codd. alii, *tibi hujus vitæ hæc lux*, quod è Gloſſa natum videtur.
33. *fortunam reipub.* al. *fortunam P. R.* id eſt, *Populi Rom.* quod Urſino, Mureto, & Grævio placet.
69. *Nullum jam tot annos.* al. *Nullum aliquot jam annis.*
IV. 32. *Cedas.* Sic Græv. è MSS. opt. editi perperam *Concedas.*
65. *occiſorum.* Manut. & Græv. *otioſorum.* [h. e. in pace & otio viventium [Et ſupra pro *ad inſidiandum*, Grut. & Græv. *inſidiantem* reponunt.
V. 14. *Romanorum.* Grævius reſcribit *rerum*, è Codd. quibuſdam.

II. *In* L.

II. *In* L. CATILINAM.

Par. I. Lin. 8. *NON jam*, al. *non enim jam*. Sed *enim* delent Muret. Manut. &c.

18. *Proſtratuſque eſt, Qu.* Sic è MS. Urſinus al. *proſtratus, Qu.*

II. 5. *Interemptum.* Muret. & Græv. è vett. *Interfectum.*

III. 40. *Ab iſtis ſuis ſociis.* Muret. Græv. & alii delent *ſuis ſociis* tanquam gloſſemata.

42. *Conſumeret.* Sic lib. vett. & Ed. C. Steph. pro quo alii habent *conſumerentur.*

IV. 54. *Unum genus.* Sic MSS. ed. C. Steph. & alii. Sed in aliis *Primum genus.*

59. *dubites aliquid de poſſ. det. ac fid. acq.* Muret. & alii, *dubites de poſſ. detr. acquirere ad fidem.*

68. *quod aut ded.* Græv. *qui aut ded.*

V. 1. *jam confectum.* Sic multi editi, MSS. alii, *jam effectum, ſed tamen* alii *a tate jam effectum*; quod & Grævius admiſit. Idem paulo poſt pro *conjuviis, apparatibus*, habet *convivijs apparatis*, ut & R. St.

55. *Cumulis*, al. *Tumulis.*

58. *Suppeditamus*; al. *Superamus*; al. *Suppeditamur.*

60. *Si, inquam.* Vox *inquam* abeſt à vett. libris Mureti.

VI. 36. Pro *quam* lege *quod.*

37. *ut nequis bonus.* Lib. Vet. Muretl, *ut neque bonus quiſquam.* Francii lib. quem & Grævius ſequitur, *ut neque quiſquam bonorum.*

III. *In* L. CATILINAM.

Par. I. Lin. 21. *ET expoliatis.* Sic & MSS. & impreſſi melioris notæ; alii perperam, *ex aëtis.*

II. 7. *exierit.* Sic libri vett. Mureti & aliorum; al. *egreſſus eſt*, & paulo poſt, pro *reſtitiſſent*, quod & MSS. & ed. vett. habent, alii legunt *remanſiſſent.*

31. *bipartiti.* Grævius è Cod. vet. legit *bipartito*, qui dubitat an uſquam *bipartior* paſſivè legatur. *Bipartito* etiam in ed. R. Steph.

34. *in reipub. præſidio.* Muret. Lamb. & Græv. reponunt *in republica, præſidio c. gl. miſeram*, i. e. ut præſidio eſſent, ſc. prætoribus, &c.

80. *Saturnalibus.* Malè hic in notis, *decimum quartum diem Februarii*, ponitur pro *decimum nonum Decembris*: hoc eſt, xiv. Kal. Januar. ut è Macrobio conſtat.

87. *præcepiſſent.* Muret. & Græv. legendum cenſent *recepiſſent*, i. e. polliciti eſſent ſe velle facere.

88. *aliquid tamen.* Sic omnes lib. vett. Mureti; in editis nonnullis deeſt *tamen*; qui, pro *apud ipſum erant*, habent *apud illum itidem erant.*

III. 30. *Sed indicare ſe ipſi.* Ita Muret. & Græv. è MSS. vulgati habent: *Sed ipſi à ſe vid.* omiſſo verbo *indicare.*

36. *prudentia*; al. *providentia.*

48. *Colonis quas*; al. *Colonis quos.*

62. *intereſt.* Sic è Codd. emendat Græv. vulg. *interſit.*

65. *Conſeſſ.* lege *& conſeſſ.*

IV. 25. *in repub.* Sic è Codd. Muretus; quod & optimè reſpondet ei quod ſupra dicitur, *in privata domo*: al. *in rempub.*

38. *ut terræ motus, cæteraque quæ.* Sic plerique editi; ſed Muret. & Grævius è Codd. vett. *ut terræ motus relinquam, ut omittam cætera, quæ.*

47. *lactentem*; lege *lactantem.*

62. *ſtatuerunt*; MSS. potiores *locaverunt*, h. e. operariis faciendum dederunt.

69. *& ea à perditis civibus.* Vett. libb. Muret. & Græv. *& ea per cives.*

V. 5. *Erepti enim eſtis*; in vulgatis deeſt *eſtis*, quod è Codd. opt. reſtituit Grævius.

V. 51.

V. 53. *quod mihi vivendum ſit cum illis.* Græv. è libb. ſuis, *quod mihi cum his vivendum eſt : vivendum eſt* etiam habet ed. R. Steph.

81. *priori nocte.* Sic MSS. multi, ut & Vict. ſed alii addunt *feciſtis.*

IV. *In* L. CATILINAM.

Par. I. *Borumque*, lege *horumque.*

Lin. 36. 39. *quem mihi videtur amplexi reſp.* Ita rectè Muret. & Græv. Sed editi multi, *qui mihi videtur amplexi remp.*

43. *una reipub. peſſe per.* Sic omnes ante Lambinum editi, ut et MSS. Lambin. autem, *una cum repub. per.* quod Græv. merito repudiat.

II. 15. *itaque municipiis.* Vox *itaque* in pleriſque MSS. non habetur. Sed vocem *fontes*, vel aliam ejuſmodi deeſſe ſuſpicatur Græv. qui habet *quæ municipiis diſp. &c.*

39. *hoc auctore & cognitore.* Sic quidem omnes MSS. Lamb. Grut. & Græv. Sed edd. *hoc monitore & auctore.*

53. *de pernicie reipub.* Grut. & Græv. pro *reipub.* è MSS. reponunt *populi Rom.* ut & infra pro *in pernicie reip.* quod in multis eſt libris, idem habent *in pernicie populi Rom.* ut & ed. Rob. Steph.

IV. 2. *Supplicium de ſervis quam acerb.* Sic quidem libri plerique & edd. & MSS. Apud Lactantium autem hic locus ſic habetur, *Supplicium de ſervo nunquam acerrimum*, Lib. de ira Dei, cap. 17. Unde Lambinus ſic reſinxit, *Supplicium de ſervo non quam acerbiſſimum*, contra omnes libros, qui negationem omittunt, & *ſervis* retinent ; mos enim Romanis fuit familiam omnem (i. e. omnes ſervos) ad ſupplicium agere ob unius parricidium ; ut apud Tacitum videre licet, Lib. 14. cap. 42.

4. *qui non dolore ac cruciatu nocentis, ſuum dolorem cruciatumque lenierit.* ; ita multi editi, ut & Grævii etiam. Sed alii, inter quos C. Steph. *qui non dolorem ſuum & cruciatum dolore nocentis & cruciatu lenierit.* At MS. Francii, ut & ed. Vict. R. Steph. *qui non dolorem cruciatu lenierit :* omiſſis ceteris : quod fortaſſe rectius.

19. *fuit factum* ; in libb. nonnullis deeſt *fuit.*

24. *arceſſivit—concitavit—evocavit.* Multi Codd. habent *arceſſit—concitat—vocat.* Sic etiam Var. Lect. C. Steph.

32. *fuiſſe videamini.* Sic vulgati plerique. Sed Muretus è MSS. *fuiſſe videamur* ; quod fortaſſe clauſulæ aptius.

38. *Et communes* ; lege *& ad communes.*

58. *frequentaſſet.* Sic plures MSS. & edd. optimi : alii habent *frequentas adveneaſſet* ; quod interpretis eſſe videtur, *frequentare* enim pro *congregare* vel *cogere*, alibi uſurpat Cicero. Mox pro *video ab expect.* nonnulli libri habent *video, amore debitæ pecuniæ, ab expect.*

64. *qui ſua virtute fortunam civitatis conſ.* ita libri vett. ut & editi ante Muretum & Lambinum, quod & Græv. placet : alii reponunt, *ſua virtute ac fortuna, civitatis jus* [vel *hujus civitatis jus*] *conſec.*

22. *qui non obſtare cupiat*, ita edd. vett. ſed Lamb. & Græv. è MSS. *qui non hæc ſtare cup.*

V. 21. *poſſit. vobis bod.* Grut. & Græv. *poſſit à civibus, bod.*

34. *Semper bene geſtæ—conſervatæ reip.* Græv. delet *Semper* ; & *bene geſta—conſervata repub.* legendum cenſet, ut in præcedenti Oratione habetur, Parag. III. l. 62. Sed in Orat. contra Piſonem, de eadem re loquens, *bene geſtæ —& conſervatæ* habet, ut neſcias utrum ſit magis Ciceronianum.

50. *recepti ben.* al. *recepti in amicitiam ben.* quod gloſſema videtur.

Pro L. MURÆNA.

Murœna ſemper ſcribendum cenſet Manutius, cùm à piſce nomen ſit qui Græce Μύραινα dicitur; ſed lapides Capitolini habent *Murena*; & ſic ſcripſiſſe vett. Rom. ideò verifimile fit, quia apud Plutarchum vocatur Μυρναῖος. Sed non tanti res eſt, ut in lite dirimendâ immoremur.

Par. I. L. 1. *precatus*, edd. vett. & nonnulli MSS. habent *deprecatus*.

II. 1. poſt vocem *ſeveritatis* Hotomannus ex conjectura interponit, *Catonis*; ſed MSS. non conſentiunt, & ſubintelligi rectè poteſt.

IV. 33. *Tempeſtivi convivii*. Sic legendum cenſent Lamb. Grut. & Græv. Tempeſtiva autem convivia, Tempeſtivæ epulæ, &c. vocantur, quæ ante horam conſuetam (i. e. nonam) inſtituuntur, & in longam protrahuntur. Qui vim *Tempeſtivi* neſciebant, repoſuerunt *intempeſtivi*, quod viri docti jam dudum reprobarunt.

VI. 50. *promulgata*; ita Vict. & Græv. è MSS. al. *pervulgata*.

65. *Nullo uſu*; al. *Nullo uſui*.

Ib. *Superſtitibus præſentibus*. Manutius & Hotomannus *præſentibus* delendum cenſent, tanquam meram interpretationem vocis antiquæ *Superſtitibus*.

VII. 57. *pellitur è medio*; ita legitur apud Gellium, l. 20. c. 10. & ſic etiam MSS. Lamb. Alii habent, *tollitur è medio*.

VIII. 27 *pugnâ excitatum*; ſic ed. C. Steph & liæ: ſed MSS. nonnulli *pugna excitaret*; al. *pugna excitarit*.

70. *arbitraretur*; ſic omnes MSS. ut παθητικῶς dictum ſit, quemadmodum *fateatur* in Orat. 2. contra Rullum, c. 21. Lambinus *arbitraremur* malle videtur.

IX. 13 *opibus*. Sic Hotoman. & Lamb. legendum ſtatuunt: ſed edd. alii & MSS. pro *opibus* habent *opera*.

X. 16 *perſalutatio*; ſic optimi MSS. vulg *ſalutatio*.

24. *teſtatam rem abjic*. Sunt qui malunt *teſtantem abjic*. Sed pe: *teſtatam rem* nihil aliud ult, niſi eam cauſam quæ teſtibus contra alios comparandis tota fuerat occupata.

40. *Cum te de Curr*. Sic & MSS. & edd. vett. ſed recentiores omittunt.

74. *veſtræ ſatietati*. Sic & Hotomannus & Lambinus legunt, & ſic ſe legere malle dicit Grævius, niſi obſtarent MSS. & edd. qui habent *veſtræ ſapientiæ*.

107. *indicavit atque induit*. Sic primùm ex conjecturâ Hotomannus, quod poſtea Lamb. & alii è MSS. confirmarunt. Alii editi habent *indicavit atque innuit*. Sed *induere* ſæpe hoc modo uſurpat Cicero. Sic lib. 2. in Ver. cap. 42. *Videte, in quo ſe laqueo induerit*. Et mox, *Videte, ut, dum expedire ſe vult, induat*. Sic etiam, 5 in Verr. 64. *Suâ confeſſione induatur ac juguletur neceſſe eſt*.

XI. 31. *exitio vix cuiquam*. Vocem *exitio* primus reſtituit Lambinus, ſine qua ſenſus erat mutilus: niſi forte ex conjectura Camerarii legendum *ipſe vix cuiquam*, &c.

XII. 11. *quanta in ipſo imperio*. In editis quibuſdam ſic habetur, *quanta in homine quoquam, in ipſo imperio*. Sed iſtam acceſſionem merito repudiant Lamb. Manut. & melioris notæ edd.

XIII. 51. *aut ſepoſuiſſes, aut mit*. Sic omnes libri ſcripti & editi optimi; at Lamb. ex Hotomanni conjectura legit, *aut ſi potuiſſes, mit*. ſed ſine cauſa; nam *ſepoſuiſſes* idem eſt ac ſi dixiſſet, ex *obſervatione & memoria hominum removiſſes*.

61.—*ne fis: Etiam, in diſſolvenda ſeveritate; ſed tamen*. Sic libri fere omnes: ſed Lambinus Hotomanni conjecturam ſecutus nimis licenter ſic legendum cenſet—*ne fis, ſed tamen in diſſolvenda severitate laus*—

63. *Verò*. Sic MSS. al. *Enimverò*. Sed *Vero* ſic ſæpe uſurpatur apud probatos auctores.

71. *communiorem*. Sic quidem optimi MSS. quos & Grævius ſequitur. Editi multi *comiorem*; ut ſupra C. Lælio *comior*. Utrumvis ſatis convenit; ſed *communis* ſæpe mutatum eſt in *comis* ab iis qui hanc vim vocis ignorabant. *Communis* enim eſt *facilis, commodus, popularis, & æquitatis patiens*. Vide Cic. ep. 9. lib. 4. ad Fam.

XVII. 27. *duos Conſules.* MSS. nonnulli *duo Conſules*; ſic etiam in Piſon. VIII. 6. *duo Duces*; & ita ſæpe dixerunt veteres.

40. *deſignati* [*Tribuni*] Vocem *Tribuni* uncis includimus, quæ & gloſſam ſapit, & à quibuſdam MSS. abeſt; & eam omiſerunt Victorius & Grævius.

XVIII. 5. *ego fidem veſtram, vel def.* al. *fide in vos def.* At Manutius *fide defenſ.* Non enim fidem judicium hîc orat, ſed fide adductus—orat, *ut hominis miſeri*, &c.

Pro ARCHIA *POETA.*

Par. I. PRO *aſciſcendum fuit*, lege *ad-*
Lin. 37. *ſciſcendum fuiſſe.*

II. 16. Pro *celebritate*, lege *celebritate famæ.*

32. *in Siciliam*; ita plerique MSS. & edd. vett. ſed vulg. *Ciliciam.*

III. 3. *Græcche*; ſic libri vulgati; ſed Græv. è Cod. Erfurt. *Grati*; al. *Gratis.* Sunt qui *Gratium* hunc fuiſſe Poetam cenſent. Sed an *Gracchus* fuerit, an *Gratius*, qui Archiam reum fecerit, cùm aliunde non conſtet, difficile dictu eſt.

Ib. Pro *eum* MSS. habent *tum.*

16. *An domicilium*—Sic Lamb. ſed alii *At domicilium*—Ironicè.

IV. 11. *ut ab nullius unquam me tempore, aut commodum*; ita Grævius è MSS. quod etiam C. Steph. inter Varias Lectiones repoſuit; *tempus* autem *periculum* vel afflictam alicujus fortunam notat alibi apud Ciceronem. Sed editi multi habent, *ut ab illis nullo unquam me tempore*, &c.

20. *creſcit Oratio*; ita plurimi MSS. ut & edd. ſed alii habent, *cenſetur Oratio*, quod & Gruterus admiſit; & Grævius.

49. *Modeſtiſſimos.* Græv. *Moderatiſſimos.*

55. *animi remiſſionem*; ita plerique edd. etiam melioris notæ. Sed MSS. multi habent *animi adverſionem*, quod & Victorius tuetur in Var. Lect. ut *animad-verſio* ad ſtudia referatur. Muretus autem maluit *animi averſionem.*

58. *alunt*; al. *agunt.*

V. 5. *inflari*; ita omnes MSS. & Gruteri & Grævii. Vulg. *affiari.*

42. *triumphi*; *quia quorum*—Ita olim legebat Pantagathus; & ſic etiam in quibuſdam MSS. legi docet Grævius; quod et multo melius quam vulgatum *triumphi. Quarè quorum*—Nam ideo *noſtra* (i. e. Populi R.) *ſunt tropæa, N. M. N. triumphi, quia, quorum ing. b. f. ab. iis pop. R. famâ cel.*

VI. 68. *abſutura ſunt—pertinebunt*; ita MSS. nonnulli, etiam boni, ut & editt. plurimæ: quæ verba ſic ad res geſtas referuntur. Sed alii habent *abſutura eſt—pertinebit*; ut ad *memoriam* referantur: quam lectionem Lambinus acriter pro more ſuo tuetur; Grævius autem modeſtius amplecti videtur; prior tamen lectio non temerè rejicienda.

VII. 2. *amicorum videtis*, &c. Ita MSS. optimi: ſed editi multi, *amicorum ſtudiis videtis*, &c. quod rectè repudiat Grævius.

Pro

Pro M. Coelio.

Par. I. Lin. 13. *Oppugnari autem ob.* al. ed. *oppugnari autem hunc op.* ſed *hunc* in multis MSS. deeſt; & rectius abeſt.

II. 57. Hæc voces [*atque dignitati*] quæ in multis libris deſunt, ex Agræcio reſtituit Lambinus, quos Grut. etiam in MSS. Pall. invenit, quæ optimè huic loco conveniunt; eſt enim *dignitas* pulchritudo virilis.

65. *nihil dicam hoc loco.* Gruterus omittit *dicam*, quod in uno & altero MS. deeſt.

III. 25. *illa initia ætatis.* Codd. aliqui pro *initia* habent *imperia*, quod & Gruterus amplectitur.

IV. 26. *Sin autem eſt rivulus*; ita Græv. è MSS. ſed editi alii pro *eſt* habent *ut*.

V. 8. *qui negavit*; ita Pall. MSS. Grut. & olim cuſi; ſed poſteriores edd. *qui non negavit*; ſed particula negans rectiùs abeſſe videtur, de Aſcitio enim loquitur, qui & negavit & abſolutus eſt.

12. *Non modò Suſp.* Sic habent MSS. Lamb. Græv. editi autem multi, *non modo non Suſp.* Sed aliis in locis ſæpe alterum *Non* omittit Cicero, cum ſequitur *ſed ne*, quaſi diceret *non dico ſuſpicione, ſed ne infamiâ.* Vide P. Manutii Comment. in Ep. 9. lib. I. ad Fam.

VI. 2. *verſatur*; ita editi enim optimi, ſed vett. aliqui lib. Grut. & Græv. *urgetur*; ſed tum delenda erit præpoſitio *in* ante *quibus*, quam tamen omnes libri retinent. Præterea, cùm *iſta una atque eadem perſona* non de Cœlio, ſed de ipſo Clodio intelligi debeat, ut ex ſequentibus liquet, ipſa vox *verſatur* magis quadrare videtur; infra etiam de eadem re dicit par. IX. l. 3. *duo ſunt enim crimina una in muliere*——

66. *quæ moliris.* Grut. è Pall. MSS. *quæ in ſororem tuam meliris.* Et ſic inter Var. Lect. C. Steph. habetur; quæ tamen verba quorſum ſpectent haud facilè dixeris.

69. *Baias, actas, convivia*; hanc lectionem è MSS. repoſuit Gruterus, quæ & ad rem amplificandam aptior quam vulgata *Baiis acta convivia.* Sunt autem *actæ* litora maris amœniori ubi genio indulgere ſolebant, quod & ἀναλῆψιν Græcis dicitur. Vide lib. 5. in Verrem cap. 31.

VII. 2. *ex biſque tuis.* Sic edd. ferè omnes: at MSS. multi, *ex bis igitur tuis.*

10. *pepulerunt.* Lambinus reponit *perculerunt*, Græv. *pepulerunt.*

Ib. Lamb. è MSS. *fuiſti nonnunquam*, quod & in ed. R. Steph. habetur; ſed C. Steph. ad Varias Lectiones relegavit.

34. *Cælii causâ*; ita ed. plerique: ſed Grævius è MSS. & edd. antiquis reponit *filii causâ.* Utrumvis ferri poteſt.

116. *Sed inerat—ratio eſt bonis*; ita Græv. & Grut. è Codd. Pall. quod magis convenit quam vulgatum *oratio*; ſupra enim dixit *genus orationis*, cui non rectè dicitur *oratio* ineſſe.

VIII. 10. *Omittendæ*; alii MSS. *Obterendæ*, quod & inter Varias Lectiones Car. Steph.

11. *Sermo eriam penè omnium fam.* Grut. *Sermo eſt penè fam.* omiſſa voce *omnium.*

IX. 20. [*Facinoris tantum.*] Has voces auctoritate MSS. abjecit Grut.

51. *tentatum negl.* Vulg. *tentatum eſſe negl.* Sed Grævius rectè delevit *eſſe.*

68. *minimè dubia, tamen in.* Var. Lect. C. Steph. *minimè dubitanda in*; & ſic Grævius edidit omiſſa voce *tamen.*

X. 40. *Poſt, quam in curia, in roſtris, in rep.* Grævius è MS. Erfurt. *poſt quam in curia, quàm in roſtris, quàm in rep.* quomodo etiam in Var. Lect. C. Steph. habetur. Vide Orat. in Cæcil. par. xv. l. 40.

56. *nequam vocem eliciat?* ita editi omnes; ſed *ejiciat*, quod in nonnullis MSS. habetur, Urſino, Mureto, & Giſanio, (in Conlect. Lucret.) admodùm placet.

107. *Si non retraxiſſet.* Græv. è 2. Codd. *quam ſi tradidiſſet.*

XI. 23. *Conſpectus.* Vet. lib. Urſini *Conſeſſus.*

31. *invenimus—videatur*; ita Grut. è Pall. & Erfurt. *&c.* Sed in vulgatis *inveniemus—dicatur.*

41. [*Et pervulgata*] has voces delent Lamb. & Gruter.

XII. 10. *O stultitiam! Stultitiamne.* Gruter. *O stultitiamne.*

67. *efferbuisse*; al. *effervisse*; ut & infra *deferverint*, & Par. vii. 93. *defervissent.*

61. *jam ista dies*; ed. C. Steph. omittit vocem *ista*, & ad variantes Lectiones relegat.

In L. PISONEM.

Par. I. Lin. 6. HIC *in errorem hom. imp.* Sic quidem omnes ferè libri impressi. Sed Faernus, acerrimi vir judicii, & in libris vett. scrutandis diligentissimus, hunc locum sic refinxit, *hic in fraudem hom. imp.——fefellit, induxit*, quem secutus est Lambinus.

III. 10. *Tu, cum in Kalendas Jun.* ita Erfurt. & alii MSS. ut & editi optimi, pro quo Ad. Turnebus (Adversar. xxi. 15.) *Tum cum in* iii. *Kal. Jan.* quod meritò improbat Hotomannus; nam iii. Kal. Jan. nondum Consulatum inierat Piso, sed erat tantum designatus, nec potestatem habebat; at Consulatus ejus *initium fuit Ludi Compitalitii*, ut supra dixit Cicero; hoc etiam postulat ipsa ratio, quo fortius in Pisonem invehatur, qui id jam Consul passus est fieri, *quod ne fieret privatus Metellus auctoritate obtinuit.* Gruterus tamen Turnebum sequitur; ut & Ed. Grævii, qui quam ipse lectionem minus probat, sæpe tamen è Gruteriana editione non movet.

Ib. *incidisset.*] Ita Manut. & Lamb. & Hotoman. ex Asconio; quia unus tantum eorum ludorum dies esset, ut ex Varrone constat.

16. *Lex Ælia & Fusia.* Faernus habet *Fusia.* Sed cum hæc lex à L. Furio (sive Fusio) Philo lata videatur, & alia sit ab ea lege Fusia quam postea tulit Q. Fusia Calenus, à vulgata *Fusia* non recedimus. Vide *Manut.* de Legib.

30. *Notionemque censoriam*; ita MSS. Lamb. & C. Steph. Manut. & alii. Sed ed. Vict. & multi MSS. habent *rationemque Censoriam*, quod retinet Grævius, etsi *notionem* magis probet.

78. *delatio*, ita ed. Vict. Steph. & F. Ursinus è Cod. Ant. al. *relatio.*

87. *interire*, al. *interimere.*

IV. 13. *ferro ac furori.* Sic reponunt è MSS. Grut. & Græv. editi autem alii non habent *ac furori.*

44. *in hoc animali*; ita MSS. & edd. olim omnes. Sed Turnebus ex Isidoro reponit *Maiali*, i. e. sue castrato, quod & retinet Grut. & ed. Græv. in contextu: Hotomanno autem admodum displicet.

50. *barbato Epicuro*; ita ed. C. Steph. cum multis aliis. Sed Faernus *barbato Epicureo.* Manutius autem *barbato* retinet. Lambinus *Epicureo*; ita enim infra dicitur *confer nunc, Epicure noster.* Pro *Laternatio* (sive *Lanternario* quod alii MSS. habent) Turnebus (Adversar. xxi. 15.) *Lautumiario* reponendum censet, quod doctis viris vix admittendum videtur.

V. 19. *omni officio. tuendo Max.* &c. verba hæc, quæ uncis inclusimus, in omnibus olim editis desunt; ea primus è MSS. reposuit Gruterus, quem & Grævius sequitur.

97. *idemque in Italia.* Sic libri omnes sed locum esse corruptum omnes clamant, quem alii aliis modis sanare conantur. Manutius sic, *is neque in Italia:* nempe *is* (sc. Cicero) *neque in Ital.* tutò se posse consistere statuit. F. Ursini amicus quidem *idemque* in *is se* mutat. Sed quid si pro *idemque* reponas *idem se*, i. e. idem se in Italia tuto statuit esse non posse.

107. *dicerent, Consules.* Græv. è Codd. Pith. *dicerent hos Consules.*

VI. 28. *tibi proficiscenti.* Faerni lib. 1. margine alia manu adscriptum habuit *in provinciam*; quod & ipse in contextum admitti voluit, sed reclamantibus cæteris libris; & certè interpretamentum videtur.

43. *Unius salutem.* Faern. vet. lib. *unius hominis salutem*, ubi etiam vox *civium* deest; quæ tamen est in opt. Grævii.

49. *prin-*

49. *principum civitatis*; ita vet. Cod. Faerni & Grævii; *civitatis* autem in mutis edd. deeſt.

50. *gratiſſime*; ita ed. Vict. & MS. Faern. ut & Erfurt. & alii Græv. quod & ipſe probat. al. *graviſſime*; quod & in Contextu Græviano manet; & ed. C. Steph.

65. *Splendorem*; ſic Faern. ſed al. *Splendidiorem*.

66. *diribitores*; ita Lamb. & multi edd. & C. Steph. Sed R. Steph. Vict. & MSS. Grut. & Græv. *diſtributores*.

VII. 20. *quam tantæ barbarorum gentes attingunt*; ita Faerni Cod. Ant. Editi plerique etiam Vict. & C. Steph. *quæ tantis barbarorum gentibus attingitur*: iidem etiam pro *Macedonicis* habent *Macedonibus*.

23. *qui non triump.* Faern. *quin triumph.*

33. *an amicos*; ſic omnes editi; ſed *tò an* delendum cenſet Grævius. Lamb. legit & *amicos*.

48. *nihil illo ex.* Ita Faern. delata vocula *in*, quem plerique Codd. habent; & paulo poſt pro *auderet* Faernus habet *audeat?*

60. *afficior ex famæ.* Ita MSS. Faern. & Græv. ut & ed. Manut. i. e. ex laceratione *famæ*. Sed edd. multi *ex infamia*.

83. *ut tu naufragio exp.* Quæ ſequuntur poetæ verba paulo aliter habentur lib. 1. Tuſc. cap. 45. ubi vide Cl. Bentleii emendationes, qui ad trochaicos tetrametros acatalectos redigit hoc modo:

Ipſe ſummis ſaxis fixus aſperis, eviſceratus.
Latere pendens, ſaxa ſpargens tabe, ſane & ſanguine atro.

Poſterior hic verſus apud *Nonium* habetur in v. *ſpargere*, ſed omiſſa voce *ſanie*; hæc autem verba, *ut tu naufragio expulſus uſpiam*, non eſſe ipſius poetæ verba, ſed Ciceronis, putat idem vir doctiſſimus. Sed utcunque hæc ſe habeant, aliquantulum fortaſſe verba poetæ ad mentem ſuam deflectit orator (mutando *pendens* in *penderes*) ut execratio complexione abſolvatur, quæ alias ſuſpenſo ſenſu procedet, utpote quæ pars tantum ſit Thyeſteæ execrationis.

VIII. 4. *gloria & laude.* Faern. *in gloria & laude*, al. *gloriæ laude*.

6. *Ecce duos duces*; ita omnes edd. ſed Faern. *Eſſe duos*; MSS. autem Pall. pro *duos* habent *duo* more antiquo.

12. *abſens imp.* Manutius & Grævius legendum cenſent *ab Senatu imp.* Ib. pro *eſt appell.* quod Faernus repoſuit, alii habent *ſit appell.*

48. *Quid aliud eſt furore, non cog.* Editi multi *niſi non cog.* quòd & Manutius probat; ſed illud *niſi* in opt. MSS. deeſt, & poteſt abeſſe ſalvo ſenſu.

50. *Cruentare corpus ſuum?* Faernus & Lamb. addunt, *leve eſt*; quod Manutius imperiti hominis gloſſema eſſe ſtatuit; hoc nempe vult, an *cruentare corpus ſuum*, furere eſt?

53. *præſidium tu reipub.* Ita Faern. pro quo alii editi habent *præſidium tu populi Romani.*

59. *ad hunc Tuſculani Mont.* Ita vet. lib. Faerni; al. *Tuſculanum*. Manutius autem è quibuſdam libris *ad hunc Tuſculanum in monte montem.*

60. *cum jam egeret*; hæc tria verba, quæ in cæteris deſunt, primus è Cod. vet. repoſuit Faernus, qui etiam pro *immenſa & intol.* habet *intermiſſa intol.* & mox l. 67. *præbuit* pro *tribuit.*

IX. 5. *viderem.* Faern. *viderit.* ut referatur ad ventum.

15. *progredi viſa eſt*; ita Faern. è Cod. vet. & ſic vitatur Hemiſtichium in clauſula, quod alii Codd. habent, in quibus legitur *procedere viſa eſt.*

20. pro *Patres conſcripti*, quod & vet. lib. Faerni, & alii MSS. ut & ed. Steph. habent, in nonnullis eſt *Prætores*; quod & in Aſcon. edito habetur.

42. *cum non longe*; ita Grut. & Græv. è MSS. ubi multi editi omittunt illud *non*.

X. 8. *Velare.* Faern. *celare*, quod & arripuit Lambinus; ſed Grævii MSS. omn. habent *velare*, quod & ipſe meritò retinet.

16. *Sic levis eſt animi*; ita quidem omnes lib. & MSS. & edd. ſed cum hæc vox *levis* huic loco minus conveniat, Faernus legendum cenſet *lævi*, Manut. *vilis*, Pantagathus, teſte Urſino, *jejuni*. Lambinus autem illud *levis* ut otioſum prorſus delendum cenſet, & fortaſſe rectè. Nam ut hoc Hemiſtichium, *ſic levis eſt animi*; *lucem* à Cicerone ſit, haud credam.

21. *Non everſæ per te, ſed perditæ*; ita omn. MSS. Græv. & plerique edd. Faernus autem, deleta particula negante, legit,

legit *eversæ per te & perditæ*; cui accedunt Manut. & Lamb. sed pro *perditæ*, Turnebo placet *proditæ*.

25. *redderetur*; ita libb. omnes, quod & Grævio placet; Faerno autem *traderetur*.

71. *ferculis*; ita lib. ant. Faerni; pro quo alii habent *vehiculis*, quod fortasse interpretamentum est.

XI. 4. *infimo*; ita MSS. & Lamb. & Græv. sed vulgati *infirmissimo*.

8. *præstantissimus*; Græv. è MSS. Pith. & Franc. addit & *ornatissimus*.

30. *protervius*; ita Faern. pro quo vulgati habent *posterius*? quod & ipsum Turnebo non displicet. Adversar. l. xx. c. 9.

64. *Epicurum disertum dicere*; *est tamen: dicit, ut opinor*. Ita quidem edidit & distinxit Grævius è Cod. Faern. & quibusdam Manutianis, sic se explicans, *est tamen*, inquit Cicero, *ita*; dicit Epicurus, ut opinor, voluptatem esse summum bonum. Plerique olim editi sic habent. *Epicurum disertum decernere*; *& tamen dictum opinor*. Manutius voluit, *& tandem dictum opinor*. Quid si sic legatur? *& etiam dicit ut opinor*. Sed utcunque se res habeat, verba sunt concedentis ita dixisse revera Epicurum, *se nullum bonum intell.* &c.

84. *Detrahi nihil volo*; ita Faern. ubi vulgati habent *detrahi nolo*.

XII. 7. *Scripsisti enim CEDANT*; vulg. *Scripsisti enim versus CEDANT*. Sed vocem *versus* meritò delevit Faernus auctoritate Cod. Vat. ut & Manut. & Græv.

11. *UT quod Marcus*. Malè vulg. *UT, non quod Marcus*. Negativum hic recte sustulerunt Faernus, Grævius, &c. supra enim dixit, *nusquam opinor*——

25. *Concedat laurea laudi*; acriter hic inter se contendunt viri docti, utrum *laudi* an *linguæ* legendum sit. *Laudi* habent & plurimi & optimi MSS. & edd. Manut. ut & R. & C. Steph. hoc in loco; (quamvis l. 1. Offic. tam R. quam C. Steph. habeant *linguæ*) & certe si sequentia Ciceronis verba *minimæ laudi lauream concessisse* spectes *laudi* præferas oportet. Plutarchi autem verba, τῷ γλώσσῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην *linguæ* magis favent. Quid si diversis temporibus diverso modo protulerit hunc versum ipse Cicero? Qui plura de hac re vult, adeat Grævium, qui tam hoc loco quam illo in l. 1. Offic. *laudi* retinendum censet.

42. *Complecteris*. Erfurt. & Pith. *complecti vis*.

68. *Sumpturum*; al. *Suscepturum*.

XIII. 7. *Cujus ego beneficiis quidem*. Sic omnes libri & MSS. & edd. ante Lambinum, qui sic edidit, *cujus ego ne benef.* quod & Grævius libentiùs amplecteretur, si MSS. annuerent, quia sensus id ipsum postulare videtur. Sed ea mutatione non opus est; hoc enim velle videtur Cicero, se non postulasse ut Cæsari nimis carus esset, quia tum beneficiis ejus victus à sententia sua recedere, eamque Cæsari tradere coactus esset. F. Ursinus rem aliter expedit, pro *quidem* reponendo *pridem*.

XIV. 48. *pleræque*; lege *peræque*.

69. —— *legatorum tuorum optimus*. Ita omnes MSS. Faern. Grut. & Græv. sed editi plerique sic, *legatorum tuorum turpissimus? optimus* ——

XV. 24. *Arsinoen, Stratum*. Sic Turneb. è MSS. al. *Arsinoen Thracum*.

XVI. 11. *Conjicietur*; ita libri omnes, sed Faernus ex conjectura, *connitetur*.

13. *invitus invitabis*. Hottoman. & Lamb. malunt *invitum invitabis*.

53. *de te FECISSE VIDERI pronun.*— Ita recte hunc locum è MSS. emendavit Faernus, ubi priùs editi habent *de te sententiam tulisse videris, tum judicium pronunc.*

62. *ponderari, neque.*—Sic etiam rectè hunc locum constituerunt Manut. Lamb. &c. ubi vulgati habent, *ponderari dicere audes? neque*, &c.

Pro T. ANNIO MILONE.

Par. I. Lin. 3. CUM. T. *Annius* [*Milo*] Cognomen *Milo* abest apud Quintil. l. xi. cap. 3. & in Var. Lect. Steph. &, ut credo, rectiùs abest.

7. *requirunt*. Sic F. Fabricius & alii MSS. & sic etiam legitur apud Quintil. xi. 3. pro quo vulgati multi habent *minime vident*, quod interpretamentum

esse videtur, ut *amittunt* quod est inter Var. Lect. C. Steph. Nam *requirere* est quasi *amissum sentire, desiderare.*

25. *intuentes, unde aliq.a—videtis.* Sic hunc locum constituunt F. Fabric. & Græv. è MSS. Sed Vulgati habent *intuentes ex ipso loco cernitis, unde*— omissa voce *videtis* in fine.

46. *Supplicium*; ita MSS. & Var. Lect. C. Steph. Vulg. *exitiorum.*

III 4. *omni errore*; ita edd. plerique; sed MSS. Grut. *omni terrore.*

22. *Non jam divina*; ita Lamb. ed. C. Steph. sed alii reponunt *humana*; apud Quint. i. v. 11. legitur etiam *humana*, quod minus placet; nam humanis sententiis liberatus non esset, nisi accessisse divina, i. e. ipsius Minervæ.

37. *Est enim hæc*; ita edd. & ita citat Quintil. ut & ipse Cicero in libro qui *Orator* inscribitur: sed Grut. *est igitur hæc.*

46. *Quæ non modo bom.* Lamb. & alii illud *modo* delendum censent contra MSS. Vide Græv.

IV. 2. *in qua P.* Sic recte Grut. è MSS. In olim edd. deest præpositio *in*; quæ tamen infra habetur Par. V. lin. 2. & videtur necessaria. Nam non de ipsa cæde Clodii Senatus judicavit, sed tantum de cæde facta, in qua inter cæteros etiam Clodius occisus erat.

V. 5. *at pate.* Sic Fabric. MS. estque *paret* verbum juris proprium. Edd. *patet.*

34. *P. Clodius M. Pap.* In plurimis edd. deest *P. Clodius*, quod è MSS. reposuit Grut.

77. *Conjunxit cum multis*; ita omnes edd. Gruterus autem reponit *cum bonis.*

90. *isque præpos.* Ita Fabric. Lamb. & Græv. al. *& isti præp.*

VI. 15. *Coloniam novam, dilectum perd.* Ita vulgati fere omnes. Et hanc lectionem tuetur Hottomannus, F. autem Fabricius, *Collinam novam dilectu perd.* quod & Lambinus acerrime defendit. Vide Not. Græv.

46 *penulatus, magno & impedito & mul. ac delic.* Ita F. Fabric. è Cod. vetustiss. quod & Græv. admodum placet. Edd. alii *penulatus, vulgi magno impedimento ac mul.*

59. *Et revera put.* Sic Fabric. & Græv. è MS. pro quo edd. habent *& ita esse put.* quod ex interpretatione natum videtur.

VII. 17. *Multis antea in causis jam quæs.* Græv. è MSS. Erfurt. *Multis in causis sæpe quæs.*

VIII. 22. *Sustulisse.* Græv. ex Erfurt. *Extulisse.*

Ib. *Videlicet*; ita Fabric. Lamb. & Græv. pro eo quod in aliis est, *inde.*

32. *quam rem etsi necessario fec.* Ita vulgati; F. Fabric. & Græv. è MSS. *quare & si nefarie fec.* quod ad rem aptius.

IX. 8. *Et mihi videlicet in causa, aut mala aut mea, &c.* Sic locum restituit Fabric. & Græv. è MSS. ubi perperam olim, *Et mihi Judices in causa aut vestra mala, aut mea nec præclarissima.*

15. *Mulcatus*; al. perperam *Multatus* vel *Mulctatus.*

X. 26. *familiarissimus*; ita Gruterus & Græv. è MSS. Vulg. *familiaris meus.*

34. *quippe qui ei obvius fut.* Ita Vict. R. & C. Steph. sed MSS. & olim edd. Græv. *quippe si ille obvius ei fut.* quod inter Var. Lect. reposuit C. Steph.

43. *Igitur ne Clod.* Illud *Igitur*, quod in Vulgatis deerat, è MSS. reposuerunt Fabricius & Græv.

53. *Quid afferebat festinatio?* Ita Vict. & C. Steph. & alii; sed multi MSS. *quid afferebat festinationis?* ut scil. subaudiatur *causa Romam proficiscendi.* Græv. *quid afferebat causa festinationis?* sed vocem *Causa* in plurimis MSS. deesse fatetur: al. *quid afferebat festinationem?* sed quid si totum hoc membrum è margine in textum irrepserit? potest certe abesse sine sensus detrimento.

58. *Subsistendum*; al. *subsidendum.* Sic infra, *in eo loco subsedit.*

XI. 23. *Noctem prope urbem expectandam*; ita Fabric. è MSS. al. *Nocte prope urbem expectandum.*

30. *Valentium*; *edito atque excelso*——In vulgatis olim sic, *Valentium adversari. Atqui excelso.* In Macrobio, hunc locum citante, deest *adversari*; quod & Manutius etiam delet. Codd. aliqui, *Valentium. Edito adversarii atque excelso*; quod & Græv. admisit. Sed vox ista *adversari* vel *adversarii*, quæ incertam sedem jam habet, fortè olim ad marginem adscripta à sciolo quodam (qui sequentia verba Adversariorum esse objectionem putavit) in contextum demum transiit: in multis etiam deest *edito.*

XII. 30.

XII. 30. *& dominis morte*, ita Grut. è Cod. Colon. ubi olim editi, *& domini morte.*

32. *Heus ubi Ruſcio? ubi Caſca.* Sic omnes olim editi: mira autem in MSS. varietas: unde F. Fabricius & Grævius, *Heus tu Ruſcio* (al. *Fuſio*) *verbi causâ cave ſis mentiaris*; *Clod. &c.* Sed iſtud *verbi causâ* vix Ciceronis eſſe videtur; retinemus igitur *ubi Caſca*, ut maneant duorum ſervorum nomina; nam *ſubitò arrepti in quæſtionem* mox dicuntur, quod de uno tantum non dicitur.

XV. 23. *memoriam publicam recenſ.* Ita F. Fabric. & Grut. è MSS. ſed al. edd. ut & Lamb. *publicæ recenſ.*

33. *Splendido*; ita MS. Fabric. al. *ſplendidiſſimo.* F. Fabric. & Grævius omittunt *viro*; quod tamen ſic ſæpe appoſitum uſurpat Cicero. Ib. *T. Pacuvio*, al. *M. Paconio.*

35. *atque arma:* ita MSS. ut & edd. R. & C. Steph. ſed Lamb. pro *arma* primus poſuit *arenam.*

38. *Soantia*, al. *Sanctia. Aponio*, al. *Apronio.*

XVI. 6. *ferre? imperium ſi*——Sic totum hunc locum conſtituit Grævius, quem vide.

19. *per me unum, ut jus:* al. *per me unum effectum eſt ut jus*; quæ duo verba in om. MSS. deeſſe teſtatur Lambinus, & certe interpolata videntur.

52. *eâ virtute ac fortunâ.* Ita & MSS. & opt. edd. ſed al. ad. *eâ virtute ac ſapientiâ.*

57. *Nolitis.* Ita ed. ut & Quintil. ſed Græv. *Nolletis.*

59. *interfector qui eſſet, in confitendo ab hiſne pœnam*;——ita Græv. è Cod. Francii; & ad eundem fere modum F. Fabric. è lib. vet. *interfector ſi eſſet in confitendo ab iiſne p.* & ſic bis apud Priſcianum citatur, ubi de præpoſitione *in* appoſita τῷ *confitendo* agit: Manutius autem & alii vulg. habent, *interfector non eſſet, etiam confitendo ab iis imperaturus ne pœnam*, ec. quod è gloſſemate natum videtur.

69. *fuiſſet*; deeſt *fuiſſet* in Pall. & poteſt abeſſe.

96. *nullam vim eſſe dixit.* Ita Fabricii MSS. ut & & Lamb. & Grut. pro quo edd. multi, *nullam vim eſſe dixiſſe exiſtimat*: inter Var. Lect. C. Steph. ſic, *nullam putant vim æternam*; ut facile credas utraſque has lectiones nihil aliud eſſe niſi interpretationes τῆ *vim eſſe ducit.* Grævius autem pro *vim* habet *majeſtatem*; quod & ipſe valde probat. Sed *vim* potius retinemus, quia paulo poſt ſequitur *eſt, profectò illa vis*; & *ea vis*; *ea eſt.*

123. *Latiaris, ſancte Jup.* Ita Lamb. & Græv. è MSS. editi alii *Latialis* Utroque modo proferunt veteres; ſed Græci ferè omn. Λατιάριον Δία vocant. Gruteros perperam *Latiari* legit, ut cum monte conjungant, qui non *Latiaris* ſed *Albanus* erat. In MS. Werd. teſte Grutero habetur *Latiaret*; unde fortè conjicere licet, olim ſcriptum fuiſſe *Latiari, & Sancte*, vocandi caſu, à nominativo *Latiarius*; nam *Latiario Jove* eſt apud Plin. lib. 34. cap. 7.

XVII. 40. *Vexatum*; ita MS. Fabric. al. ed. perperam *necatum.*

63. *Cum falcibus ad Caſt.* al. *faſcibus.* Græv. *factibus.*

XVIII. 45. *Curſum*; ita MSS. ſed vulgati plerique *Caſum.*

63. *Centeſima lux*——*& opinor altera: qua finem.* Sic Gruter. & Græv. è melioribus MSS. ſed editi ut & Manut. habent *centeſima*——*P. Clodii*; *&, ut opinor, ultra quam fin.* Sed vix credibile eſt tam frigide & dubitanter locutum eſſe Ciceronem de fama Milonis. Multo potius *opinari* ſe dixiſſet de die cædis Clodii; *lux eſt, opinor, centeſima & altera*; i. e. ut vulgò loquimur, *centeſima ſecunda* (nam id valet *altera* apud Ciceronem & alios probatos ſcriptores.) Et certè ſi Clodius interfectus fuit xii. Kal. Febr. ut ex hac oratione conſtat, & hæc oratio habita vi. Id. April. ut monet Aſconius, qui & hoc anno intercalatum fuiſſe docet (menſis autem intercalatus dierum erat xxii. juxta Cenſorium) neceſſe eſt ut dies CII. interfluxerint inter cædem Clodii & dictæ Orationis diem.

74. *illa tamen ad Conſ.* Cod. Lamb. *illæ ſaltem ad.*

90. *dimicatio Capitis.* Grut. ex Erfurt. *diminutio Capitis.*

120. *Diſtrahor.* MSS. Fabric. *diſtrahar.*

138. *& fortiſſimum*; hoc è MSS. addidit Grævius.

Pro M. MARCELLO.

Par. I. Lin. 12. *ANgebar, cùm viderem.* Faernus has voces, *cùm viderem*, delet; nec neceſſariæ ſunt.

25. *anteactæ vitæ*; al. *anteactæ ætatis.*

II. 8. *luſtratæ ſunt*; ſic legendum cenſent Victorius, Lamb. Manut. ut & Grævius è MSS. Alii libri habent *illuſtratæ*, quod ſi admittatur, exponendum per *patefactæ*, ut 1. Catil. II. 22. & VI. 10.

12. *Cum militibus*; al. *cum multis*; Var. Lect. C. Steph. & Græv.

53. *memoria effodit*; ita uterque Steph. ut & Victor. ſed Faernus, *memoriam effudit*; Grævius, *memoria obfudit.*

III. 5. [*Nulla unquam.*] *ali.* Ita vulg. & hanc lectionem tuetur Rob. Titus; ſed alii *non nulla aliquando.* Sed Gruterus & Grævius has voces *nulla unquam* prorſus delent, quas ideo uncis incluſimus.

12. *perinde*; vulg. *non perinde* malè; nam *vereor ut perinde*, idem eſt ac *vereor ne non perinde.*

28. *crudelitate bellum*; vulg. *crudelitate civile bellum*; ſed illud *civile* tanquam gloſſema rectè delevit Grævius, conſentientibus MSS.

IV. 7. *tam demens?* In quibuſdam edd. hæc ſequuntur, *qui ſcilicet tibi inſidiaretur*; ſed ex annotatione adſcriptâ nata videntur, nec in Codd. melioribus inveniuntur.

36. *curanda*; ita ed. Car. Steph. ſed R. Steph. *ſananda*; quod & Grævius retinuit.

39. *Satis te diu vel naturæ vixiſſe vel gl.* Faern. & Græv. *Satis diu vel naturæ vixi vel gl.* ut ſunt ipſiſſima Cæſaris verba.

59. *in ſuos vel*; vulg. *in ſuos cives vel.* Sed *cives* delent Faern. & Græv. quod & abeſt in Var. Lect. C. Steph. & rectè abeſt propter ſequentia *vel in patriam*, quæ ipſa cives complectitur.

62. *tu in primis tum ſumma tranq.* Sic. Faernus & Grævius è MSS. Edd. autem *tu in primis compoſita, ſumma tranq.* Vox autem *compoſita* in pleriſque MSS. deeſt, ut & in Var. Lect. C. Steph.

78. *Monumenta, munera.* Lamb. & Græv. *monumenta innumera.*

113. *qui in causâ*; al. *quam qui in causâ.* Sed in melioris notæ Codd. deeſt illud *quam*, quod qui recipiunt, in explicandâ ſententiâ miſere ſe torquent.

Pro Q. LIGARIO.

Par. III. Lin. 21. *PUtavit reddere—redderet*; ita vulgati; ſed multi MSS. ſic, *putare dare—dediſſet*; quod & Grævius admiſit.

48. *externi iſti mores uſque ad ſ.* Hic multum inter ſe diſcrepant MSS. alii enim, *externi iſti ſunt mores, uſque ad:* alii, *externi iſti ſunt mores, uſque ad ſ. incitari ſolent odio.* Gruterus autem, *incitari ſolet odium.*

68. *an, ne igneſcantur? hoc v. m. ac. multoque eſt gravius.* Inter V. Lect. C. Steph. *an ne ignoſcat? multo acerbius hoc eſt multoque durius.* Grævius etiam è MSS. ſuis reponit *ignoſcat? & durius*, & paulò poſt, *precibus, lacrymis, ſtrati ad pedes.*

IV. 3. *cave credas.* Hæc duo verba in multis MSS. non habentur.

4. *obſecrantium miſereat.* Apud Priſcianum, *precantium miſereatur.*

15. *ſaluti civis calamitoſi conſultum eſſe*: ita vulgati; ſed MSS. Lamb. & Græv. *ſaluti civi calamitoſo eſſe*, omiſsâ voce *conſultum.*

28. *Novi ſacinoris*; al. *Novi ſceleris*, quod & Grævius admiſit.

V. 11. *ſtatuerat (ſe) excuſare.* Grævius delet *ſe.* conſentientibus MSS. ut potius *morbum* ſubaudiatur. Vide Philip. ix. p. 111. l. 53.

22. *Si crimen eſt prohibere illum vel.* Ita vulgati etiam boni; ſed MSS. *Si crimen eſt ullum vel.* ſine voce *prohibere.*

50. *gloriari.* Græv. è Colon. & duobus Lambini MSS. non malè reponit *gloriemini.*

VI. 6. *gratioſiores*; ſic habetur inter Var. Lect. C. St. Græv. &c. & hoc eſt quod infra dicitur *plùs valere*; vulg. *gratiores*; nonnulli Codd. pro *preces* habent *vultus.*

PHILIPPICA I.

Par. I. Lin. 17. *Summâ cum dignitate & conſtantiâ.* Faernus auctoritate Cod. ant. legit *ſummâ conſtantiâ*, omiſſis vocibus mediis.

36. *Senatus videbatur*; hanc vocem *videbatur* Grævius è Cod. pervetuſto repoſuit, quæ in vulgatis deerat.

II. 43. *hujus tamen diei*; ita Faernus è Cod. Vat. in vulg. deeſt *tamen*.

Ib. *vocem hanc*; ſic Grævius è Cod. ſuo; in vulg. deeſt *hanc*.

III. 5. *tam acerbe cogerer?* Ita ed. C. Steph. Græv. &c. ſed al. *tam acerbe ſolus cogerer?* ut in ed. R. Steph.

19. *tanta iſta pœna.* Vocem *tanta* primùm è Cod. vet. exhibuit Faernus, quæ in vulgatis deeſt.

V. 20. *Quid eſt igitur aliud adhortari*; ita Ferrar. C. Lang. & ed. C. Steph. ſed alii vulgati habent, *Quid eſt igitur aliud, quam adhort.* Sed Faernus delet *igitur & quam*.

33. *uno verum optimo auct.* Ita Faernus & Muretus è Cod. Vat. ſed vulg. *uno viro optimo auctore*.

54. *quod eſt amicorum, ante dicere ea quæ vitari poſſunt.* Hæc omnia pro gloſſemate habet Ferrarius.

VI. 1. *Iraſci vos*; ita Ferrar. & Faern. è Cod. ant. al. *Iraſci te*; & pro *oportebit*, Faern. Muret. Lamb. & Græv. *oportebat*.

12. [*quam ſemper in repub. habui*] Hæc verba deſunt in lib. ant. Faerni, & delenda cenſet Grævius: uncis igitur includimus; gloſſam enim redolent.

44. *Hanc tu, P. Dolabella*; ſic Faernus, Muretus, Manutius, ed. C. Steph. & Græv. ſed R. Steph. & recentiores, *Hanc tu potuiſti, Dolabella*.

51. *oblitus auſpicia teipſo Augure nunciante.* Sic ed. C. Steph. ut & Græv. è Cod. alii autem, *oblitus auſpiciorum, auguria teipſo Augure nunciante.* Alii aliter.

70. *quanquam ſolent domeſtici depravare*; ſic quidem Muret. Manut. Lamb. ed. C. Steph. & plerique antiqui, ut & editio minor R. Steph. Sed recentiores (ut & ed. major R. Steph.) ſic habent, *quanquam nihil eſt tam ſanctum, quod non ſoleant domeſtici depravare.*

93. *nec clarus quiſquam eſſe poteſt.* Sic edd. Victor. Manut. R. & C. Steph. & Græv. ut & ipſius Faerni, qui tamen in Cod. Vat. ſic mendoſe ſcriptum invenit, *nec clarus, nec unctus quiſquam eſſe omnino poteſtate.* Unde Muretus ſic legendum conjecit, *nec clarus, nec tutus quiſquam eſſe omnino poteſt.* Turnebus ſic, *nec auctus quiſquam eſſe omnio poteſtate.* Sed, his omiſſis, pro *clarus* lubenter reponerem *carus*, ſi MSS. adſtipularentur.

97. *populi concurſus*; ita Ferrar. & ed. C. Steph. ſed ed. R. Steph. ut & Faern. Muret. Manut. Græv. &c. *populi verſus*; quibus, ſc. extempore fuſis animum ſuum teſtari ſolet populus.

98. *quod duobus tribus.* Ita Ferrarius, quoniam in Cod. Vat. *quid* ii *trib.* ſed edd. alii, *quid iis trib.*

100. *Apollinaribus ludis*; itaque Ferrarius legendum ſtatuit; plerique autem libri *Apollinarium ludorum*; olim ſc. ſcriptum erat ambigue, *Apollin. lud.*

VII. 2. *Conſtantiæ.* Sic Faern. è Vat. & Græv. è Colon. pro quo vulgati habent *Conſcientiæ*.

PHILIPPICA II.

Par. I. Lin. 11. *Commendationem tibi ad cives impios fore*; ita Ferrar. Muret. Faern. Manut. Græv. C. Steph. ſed Grut. & alii, *ad cives impios tibi gloriæ fore*.

II. 6. *virtutis ſpe*; ita Vat. & alii MSS. optimi; ſed editi multi, *virtutis ſpecie*.

74. *ſapere doceat*; ſic Faern. è Vat. quem ſequuntur Muret. Lamb. & Græv. quia adhuc ſub eo magiſtro declamabat Antonius. Vulgati habent, *ſapere docuit*.

III. 17. *tibi fatum, ſicuti C. Curioni*; ita Cod. Vat. quem ſequuntur Faern. Muret. Lamb. Græv. ſed vulgati, *te fatum, ſicuti C. Curionem*.

54. *ſuam rem*; ita Cod. Vat. ſed vulg. *domum ſuam*.

IV. 27. *reipublicæ pernic.* Ita Ferrarius è MSS. ut & Grut. ſed olim cuſi pro *reipub.* habent *contra rempub.*

V. 29. *ne pateretur ferri*; sic Faern. Vict. Muret. sed vulg. nonnulli *ne pat. fieri.*

32. Pro *populi Rom.* alii habent *reipub.*

33. *provideram*; al. *prævideram*; sed *provideram* magis è more Ciceroniano. Sic infra, *provideram* & *providissent.*

45. *in istius gloriosissimi facti conscientia*. Sic Faern. è Cod. Vat. ut & Muret. Manut. Lamb. sed alii MSS. habent, *in istius gloriosissimi facti conscientia*, quod retinuit Gruterus; & sic etiam manet in ed. Grævii, qui tamen ipse alteram lectionem magis probat: hoc etiam alibi fieri videmus, ut improbata ipsi lectio in contextu maneat juxta editionem Gruterianam, operarum credo incuriâ.

48. *in eâ societate v. d. cum socii non f.* Hunc locum sic expressimus cum Faerno, Mureto, & Grævio, ubi alii habent *viderent socii, cum socii, non fuissent.*

VI. 7. *homicidæ*; sic Faern. Manut. &c. sed Vict. & alii edd. *homicidii rei*, quod tamen glossam olet.

VII. 23. *de summâ rep. dissentientes*; ita recte restituit Faernus è Cod. Vat. quem & Muretus sequitur. Vulg. *de re dissidentes.*

28. *singularis vir.* Sic optime Faern. è Cod. Vat. Vulgati male, *consularis vir.*

VIII. 6. *Sumpsisti virilem, quam statim muliebrem togam reddidisti.* Sic optime Faern. & Muret. è Cod. Vat. quibus consentiunt Manut. & Lamb. quæ lectio satis ex sequentibus confirmatur. Sed editi plerique, *Sumpsisti virilem togam, quam statim muliebrem stolam redd.* Stola autem non convenit *vulgari scorto.*

30. *intercessisset dicebat*; ita Vulg. sed Ferrarius ex auctoritate trium Codd. delet *dicebat*, quem Grut. & alii sequuntur.

42. *inde iter Alex.* Ita C. Steph. & Lang. sed R. Steph. *itum.* Faern. & alii, *iter*; al. *iter in Alex. direxit*, quod etsi à sciolo intrusum, tamen *iter* in Vett. fuisse monstrare videtur.

43. *Contra religionem*; ita Ferrarius, sed al. *Contra religiones.* Faernus autem. *Contra remp. & religiones.*

50. *ad parentem tuam.* Plures tam MSS. quam edd. habent *ad patrem tuum*, quod dictis tamen minime ferendum videtur, quia nec patrem, nec etiam vitricum jam tum habuit Antonius. Cum itaque *parentem tuum* sit in Vat. & aliis, hinc plerique, Buchananum [illegible], *parentem tuam* reponendum [illegible], u[illegible]

de Julia matre intelligatur.

53. *cultus sum*; ita Ferrar. & ed. C. Ste. sed al. *custoditus sum.*

66. *advolas*, Faern. è Vat. *advolasti.*

IX. 23. *deleri & everti*; ita Faern. Vulgati autem, *delere & evertere.*

42. *expulsos*; Grut. *excussos.*

56. *principio similes.* Faern. & Muret. ex Vat. *principiis similes.*

85. *rheda cum leonibus.* Sic plerique MSS. etiam optimi: sed P. Victorius (quem nonnulli alii sequuntur) ex uno aut altero Cod. *leonibus* reponendum censet; quia Leones ad currum junxisse Antonium (è Plinii lib. viii. c. 16.) constat. Qui plura de hac re videre cupit, interpretes adeat tam hoc loco quam Ep. 13. lib. x. ad Atticum.

X. 23. *Alexandria se rec.* Ita recte Ferrarius, & ed. C. Steph. sed MSS. fere omnes & impressi *Alexandriam se rec.* contra mentem auctoris.

47. *vini numerus*: Modus est loquendi optimis scriptoribus usitatus, quem qui nesciebant pro *vini* reposuerunt *auri*, contra omnes libros.

51. *fuit animal unum*; aliqui MSS. habent *fuit animal vivum*: Et sic apud Quintil. l. viii. cap. ult.

62. *At idem ædes*; ita Faern. è Cod. Vat. sed alii, *At ejusdem ædes*: Pompeii scilicet.

69. *in vestibulo rostra, spolia*; ita Muret. sed vulgati habent *vestibula, rostra, spolia.* Liber autem Vet. *in vestibulo rostra spolia*: Unde Grævius legendum censet, *rostra an spolia*; ne desit conjunctio inter duas voces.

83. *claves ademit, forasque exegit*; ita hic locus habetur apud Nonium Marcellum in voce *exigere.* Alii sic habent, *causam addidit, exigit.*

XI. 4. *avus tuus, & Consul & Antonius*; ita C. Steph. & alii edd. sed Muretus è Vat. ut & R. Steph, *avus tuus se, & Consulem & Antonium.*

9. *Cui bello.* Sic è Cod. Vat. hunc locum emendat Faernus, & emendationis suæ rationem reddit, quam apud Grævium videre potes. Alii habent, *cur ei bello.*

33. *qui ris hominum?* Sic è Vat. Faernus, Manut. Lamb. deletis vocibus *de te erat*, quæ in vulgatis habentur.

56. *Tu vero quis es?* ita ed. R. Steph. sed MS. Vat. ed. Faern. Muret. Manut. *quid es?* alii *quid censes?* ut C. Steph.

61. *tamen erat æquissimum, &c.* Sic & Faern. & omnes fere; sed Muret. è Cod. Vat. *tamen quem erat æquissimum. c. Cn. P. lib. pugnare? quem? te sectorem:* & ita etiam edidit Grævius.

XII. 1. *Mensas hospitum convom.* Ita Faern. è Vat. Sed alii editi habent, in *mensas hospitum cum vomeret.*

16. *levitatem hominis.* Sic legitur in Cod. Vat. ut & apud A. Gellium l. 7. cap. 11. aliis deest vox *hominis.*

19. *capite involuto*; sic libri plerique; & eodem modo in Pisonem III. 63. Sed Faern, *capite obvoluto*; apud Gellium autem *ore involuto*, quod forte rectius.

23. *illinc*; apud Gell. *illim*; quod & Lambinus reposuit.

XIII. 33. *inscitia*; Faernus & Muretus *inscientia.*

41. *Suffragatum secunda classis vocatur*; ita Faernus, Grævius, & alii: sed editi multi perperam, *suffragio: tum secunda c. v.*

XIV. 14. *quem collegam habebas*; editi vulgo habent, *quem collegam regni habebas.* Sed illud *regni* auctoritate Cod. Vat. recte delet Faernus, ut & Muretus & alii.

XV. 17. *IM. Antonii filium.* Hæc verba non habentur in Cod. Vat. nec à Ciceronis manu esse, sed ab aliis explicandi gratiâ addita censet Grævius.

19. *diuturni*; al. *diuturnus.*

30. *neve cujus ben.* Ita Faernus, Muretus, Manutius; sed editi vulgo habent *neve cujusquam ben.*

45. *quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, parebat*; ita edd. R. & C. Steph. ut & Faern. & Muret. è Cod. Vat. ubi alii habent *petebatur*: sed Manut. & Lamb. *quod est in tabulis, quæ sunt ad Opis.* Miror autem nihil dixisse Grævium de verbis sequentibus, sc. *funestæ illius quidem pecuniæ, sed tamen, si iis, quorum erant, non redderentur, quæ nos à tributis possent vindicare*; quæ quidem lectio Abramii est, qui sic eam exponit, ut *pecuniæ funestæ* sint pluralis numeri, & per *illius* intelligatur *Cæsaris.* Sed Stephanorum editiones, ut & optimæ pleræque aliæ, sic habent—*sed tamen, si iis quorum erat, non redderetur, quæ nos à tributis posset vindicare*; & hoc modo *funestæ illius pecuniæ* patrio casu singularis numeri proferuntur, ut ita à superioribus pendeant. Sunt autem quædam minoris pretii editiones, quæ hæc verba male sibi convenientia repræsentant, sc. *quorum ERAT non REDDERENTUR, quæ nos à tributis POSSET vindicare*; quæ tamen prava lectio tam in editione Gronovii quam Grævii, operarum, credo, incuriâ retinetur.

48. [*Quid ego de comment.*—] Quæ uncis inclusimus rectius hic abesse possunt cum infra habeantur pag. sequente.

57. *gratus*; sic Faernus, Muretus, & libri etiam MSS. sed Manut. & Lamb. *gratiosus*; ut olim ex conjectura legendum censuit Ubaldinus.

XVI. 2. *Sine nostra*; multi MSS. habent *sine sui*, quod Ferrarius ex conjectura mutavit in *sine Sexti*, quod recentiores editiones receperunt. Sed Muretus & Grævius è Cod. Vat. recte reponunt *sine nostra*, quia Dejotarus non minus Ciceronum quam Pompeiorum hospes fuit.

63. *At quam nobilis est tua.* Sic libri plerique editi. Sed Ferrarius è MSS. hoc membrum superiori annectit hoc modo, *tollatur, atque nobilitata sit tua*, &c. ut & ed. C. Steph.

XVII. 9. *Vexillum tolleres*; sic è Cod. Vat. Faern. Muret. Manut. & Lamb. alii autem *vexillum videres*, quod minus huic loco convenit.

45. [*obviam ei*] *desc.* Hæc duo verba, *obviam ei*, delent Faern. Muret. Lamb. Græv. & rectius absunt.

46. *incredibile dictu est*; *tamen inter omnes*; ita ed. C. Steph. & aliorum, ex conjectura Ferrarii. Nam mire hic turbant MSS. sed alii ed. *incredibile dictu sed tum nimis inter omnes.*

49. *gladiorum.* Ita Ferrar. è Cod. Colotiano, Faern. Muret. & sic habetur in Var. Lect. C. Steph. ea figura qua *poculorum.* Sed editi alii *gladiatorum.*

XVIII. 5. *Sequuntur milites: Scuterum lecticas portari videmus.* Sic hunc locum constituunt Ferrarius, Faern. & Græv. ut & ed. Car. Steph. Sed alii habent, *sequuntur scutati milites: scias portari videmus.* Ita ed. R. Steph. sed Muretus, *scutati milites: scutorum lecticas p.*

XIX. 8. *populo Romano.* MSS. Ferrar. *reipub.*

22. *Spurii Cassius, Melius.* Ita è Var. Faern. Muret. Lamb. & Manut. Sed vulgati, *Sp. Cassius, Sp. Melius.*

35. *gustatum*; ita Cod. Var. & qui illum sequuntur; sed vulgati *gustum.*

43. *Nisi vero majoribus —— interfectus. An tu es ulla*—Ita Victor. ed. R. Steph & alii. Sed Ferrarius è Cod. Colot. *nisi vero aut majoribus——interfectus; aut tu es ulla:* quam lectionem admisit C. Steph. & etiam alii: sed prior lectio vehementior videtur, & magis placet; neque satis appositè dici videtur *nisi tu es ulla re*, fine interrogatione: dixisset potius, *aliquo modo.*

PHILIPPICA IX.

Par. II. Lin. 15. *AD ornandum.* Libri antiqui Ferrar. & Faern. habent *ad honorandum.*

III. 5. *Lar Tolumnius:* Ita rectè Faern. Muret. Manut. &c. ut & Priscianus; alii edd. habent *Lartes Tolumnius.*

7. *ad noſtram mem.* al. *ad meam mem.*

30. *Sin paruiſſet, munus*; ſic Faern. R. Steph. & aliī, *ſi paruiſſet, munus*; ſed alii, omiſſis vocibus *ſi paruiſſet*, habent *ſed munus*, quod non placet.

31. *finem fore*; ita Faern. ſed alii *finem allaturum.*

37. *Mandata veſtra*; ita Faern. ſed alii *Mandata noſtra*; ut & paulo poſt, *juſſu noſtro.*

53. *re magis morbum*; ita optimè Faern. è Vat. Cod. ut & Manut. Sic enim latinè dici ſolet, *excuſare morbum, valetudinem*, &c. i. e. Morbum, valetudinem, &c. cauſam afferre quo minus hoc vel illud fiat; editi autem multi habent *ſe magis morbo quam*, &c.

102. *Mirifice*; ita Ferrar. Faern. & Muret. & qui illos ſequuntur; & hoc rectius eſſe putamus; ſed alii habent *magnifice.*

IV. 13. *quoquoverſus*; ita Faernus reponendum cenſet; nam in Vat. *quoqueverſus*; in aliis *quaqueverſus*; quod alii mutant in *quaquaverſus*; & ita etiam paulo infra.

25. *funeri mittere*; ita vulgati fere omnes; ſed Faern. & Manut. *funeri remittere*; quod ſic explicat, ut in Sulpicii funus erogari plus liceat quam edicto permittatur.

29. *ejus ſit—datum eſt*; Faern. è Cod. Vat. *ejus eſſet—datum eſſet.*

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS

CATO MAJOR,

SIVE

De SENECTUTE;

ET

LÆLIUS,

SIVE

De AMICITIA.

M. TULLII CICERONIS

CATO MAJOR.

Ad T. POMPONIUM ATTICUM *PRÆFATIO.*

I. O TITE, *ſi quid ego adjuero curamve levaſſo,*
Quæ nunc te coquit & verſat in pectore fixa,
Ecquid erit pretii?

Licet enim verſibus iiſdem mihi affari te, Attice, quibus affatur Flamininum,

Ille vir haud magnâ cum re, ſed plenus fidei.

quanquam certo ſcio, non, ut Flamininum,

Sollicitari te, Tite, ſic noctesque dieſque.

novi enim moderationem animi tui & æquitatem; teque non cognomen ſolùm Athenis deportaſſe, ſed humanitatem & prudentiam intelligo: & tamen te ſuſpicor iiſdem rebus, quibus meipſum interdum gravius commoveri; quarum conſolatio & major eſt, & in aliud tempus differenda. Nunc autem mihi viſum eſt de ſenectute aliquid ad te conſcribere; hoc enim onere, quod mihi commune tecum eſt, aut jam urgentis, aut certe adventantis ſenectutis, & te, & meipſum levari volo; etſi te quidem id modice ac ſapienter, ſicut omnia, & ferre, & laturum eſſe certe ſcio. Sed mihi, cum de ſenectute aliquid vellem ſcribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo uterque noſtrùm communiter uteretur. Mihi quidem ita jucunda hujus libri confectio fuit, ut non modo omnes abſterſerit ſenectutis moleſtias, ſed effecerit mollem etiam & jucundam ſenectutem; nunquam igitur ſatis laudare dignè poterit philoſophia, cui qui pareat, omne tempus ætatis ſine moleſtiâ poſſit degere. Sed de cæteris & diximus multa, & ſæpe dicemus; hunc librum de ſenectute ad te miſimus. Omnem autem ſermonem tribuimus non Tithono, ut Ariſto Chius; parum enim eſſet auctoritatis in fabula: ſed M. Catoni ſeni, quo majorem auctoritatem haberet oratio, apud quem, Lælium & Scipionem facimus admirantes, quòd is tam facilè ſenectutem ferat, iiſque eum reſpondentem; qui ſi eruditius videbitur diſputare, quàm conſuevit ipſe in ſuis libris, attribuito Græcis literis, quarum conſtat eum perſtudioſum fuiſſe in ſenectute.

nectute. Sed quid opus eſt plura? jam enim ipſius Catonis ſermo explicabit noſtram omnem de ſenectute ſententiam.

II. *Scip.* Sæpenumerò mirari ſoleo cùm hoc C. Lælio, tùm cæterarum rerum tuam excellentem, M. Cato, perfectamque ſapientiam, tùm vel maximè, quòd nunquam ſenectutem tibi gravem eſſe ſenſerim; quæ pleriſque ſenibus ſic odioſa eſt, ut onus ſe Ætnâ gravius dicant ſuſtinere. *Cato.* Rem haud ſane difficilem, Scipio & Læli, admirari videmini; quibus enim nihil opis eſt in ipſis ad bene beateque vivendum, iis omnis gravis eſt ætas: qui autem omnia bona à ſeipſis petunt, iis nihil poteſt malum videri, quod naturæ neceſſitas afferat; quo in genere in primis eſt ſenectus: quam ut adipiſcantur omnes optant; eandem accuſant adeptam: tanta ineſt inconſtantia ſtultitiæ atque perverſitas. Obrepere aiunt eam citius quàm putaſſent. Primùm quis coegit eos falſum putare? qui enim citius adoleſcentiæ ſenectus, quam pueritiæ adoleſcentia obrepit? deinde qui minùs gravis eſſet iis ſenectus, ſi octingenteſimum annum agerent, quàm octogeſimum? præterita enim ætas, quamvis longa, cum effluxiſſet, nulla conſolatione permulcere poſſet ſtultam ſenectutem. Quocircà ſi ſapientiam meam admirari ſoletis (quæ utinam digna eſſet opinione veſtra, noſtroque cognomine) in hoc ſumus ſapientes, quod naturam optimam ducem, tanquam deum, ſequimur, eique paremus: à quâ non veriſimile eſt, cùm cæteræ partes ætatis benè deſcriptæ ſint, extremum actum, tanquam ab inerti poeta eſſe neglectum: ſed tamen neceſſe fuit eſſe aliquid extremum, & tanquam arborum baccis, terræque frugibus maturitate tempeſtivâ, quaſi vietum & caducum: quod ferendum eſt molliter ſapienti; quid enim eſt aliud gigantum more bellare cum diis, niſi naturæ repugnare? *Læl.* Atqui, Cato, gratiſſimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, ſi, quoniam ſperamus, volumus quidem certè, ſenes fieri, ante multo à te didicerimus, quibus facilimè rationibus ingraveſcentem ætatem ferre poſſimus. *Cato.* Faciam vero, Læli; præſertim ſi utrique veſtrum, ut dicis, gratum futurum eſt. *Scip.* Volumus ſanè, niſi moleſtum eſt, Cato, tanquàm aliquam viam longam confeceris, quam nobis quoque ingrediendum ſit, iſtuc, quò perveniſti, videre quale ſit.

III. *Cato.* Faciam, ut potero, Læli; ſæpe enim interfui querelis meorum æqualium, pares autem cum paribus, veteri proverbio, facillimè congregantur, quæ C. Salinator, quæ Sp. Albinus, homines Conſulares, noſtri fere æquales, deplorare ſolebant; tùm quòd voluptatibus carerent, ſine quibus vitam nullam putarent: tùm quòd ſpernerentur ab iis, à quibus eſſent coli ſoliti; qui mihi non id videbantur accuſare, quod eſſet accuſandum; nam ſi id culpâ ſenectutis accideret, eadem mihi uſu evenirent, reliquiſque omnibus majoribus natu: quorum ego multorum cog-

novi ſenectutem ſine querelâ; qui ſe & libidinum vinculis laxatos eſſe non moleſtè ferrent, nec à ſuis deſpicerentur: ſed omnium iſtiuſmodi querelarum in moribus eſt culpa, non in ætate; moderati enim, & nec difficiles, nec inhumani ſenes tolerabilem agunt ſenectutem. Importunitas autem & inhumanitas omni ætate moleſta eſt. *Læl.* Eſt, ut dicis, Cato; ſed fortaſsè dixerit quiſpiam, tibi propter opes & copias, & dignitatem tuam, tolerabiliorem ſenectutem videri; id autem non poſſe multis contingere. *Cato.* Eſt iſthuc quidem, Læli, aliquid; ſed nequaquàm in iſto ſunt omnia: ut Themiſtocles fertur Seriphio cuidam in jurgio reſpondiſſe, cùm ille dixiſſet, non eum ſuâ, ſed patriæ gloriâ ſplendorem aſſecutum: Nec herculè, inquit, ſi ego Seriphius eſſem, nobilis; nec tu, ſi Athenienſis eſſes, clarus unquàm fuiſſes: quod eodem modo de ſenectute poteſt dici. Neque enim in ſummâ inopiâ levis eſſe ſenectus poteſt, ne ſapienti quidem; nec inſipienti etiam in ſummâ copiâ non gravis. Aptiſſima omninò ſunt, Scipio, & Læli, arma ſenectutis, artes exercitationeſque virtutum: quæ in omni ætate cultæ, cùm multùm diuque vixeris, mirificos efferunt fructus, non ſolùm quia nunquam deſerunt, ne in extremo quidem tempore ætatis, quanquàm id maximum eſt, verum etiam quia conſcientia bene actæ vitæ, multorumque benefactorum recordatio, jucundiſſima eſt.

IV. Ego Q. Maximum, eum, qui Tarentum recepit, adoleſcens ita dilexi ſenem, ut æqualem; erat enim illo viro comitate condita gravitas: nec ſenectus mores mutaverat; quanquàm eum colere cœpi non admodùm grandem natu, ſed tamen jam ætate provectum; anno enim poſt Conſul primùm fuerat, quàm ego natus ſum: cumque eo quartùm Conſule adoleſcentulus miles profectus ſum ad Capuam, quintoque anno poſt ad Tarentum Quæſtor: deinde Ædilis, quadriennio poſt factus ſum Prætor: quem magiſtratum geſſi Conſulibus Tuditano & Cethego, cùm quidem ille admodùm ſenex, ſuaſor legis Cinciæ de donis & muneribus fuit. Hic & bellum gerebat ut adoleſcens, cùm planè grandis eſſet; & Annibalem juveniliter exultantem patientiâ ſuâ molliebat: de quo præclarè familiaris noſter Ennius:

Unus qui nobis cunctando reſtituit rem.
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo magiſque magiſque viri nunc gloria claret.

Tarentum verò, quâ vigilantiâ, quo conſilio recepit? cùm quidem, me audiente, Salinatori, qui, amiſſo oppido, fugeret in arcem, glorianti atque ita dicenti: Meâ operâ, Q. Fabi, Tarentum recepiſti: Certè, inquit ridens; nam, niſi tu amiſiſſes, nunquàm recepiſſem. Nec verò in armis præſtantior, quàm in togâ: qui Conſul iterùm, Sp. Carvilio collegâ quieſcente, C. Flaminio Tribuno-pl. quoad potuit reſtitit, agrum Picentem & Gallicum viritim contra Senatus auctoritatem dividenti: Augurque cùm eſſet, dice-

dicere auſus eſt, *optimis auſpiciis ea geri, quæ pro reip. ſalute gererentur: quæ contra remp ferrentur, contra auſpicia ferri.* Multa in eo præclara cognovi: ſed nihil eſt admirabilius, quàm quomodo ille mortem M. filii tulit, clari viri, & Conſularis: eſt in manibus laudatio; quam cum legimus, quem philoſophum non contemnimus? Nec vero ille in luce modò, atque in oculis civium magnus; ſed intùs domique præſtantior: qui ſermo? quæ præcepta? quanta notitia antiquitatis? quæ ſcientia juris augurii? multæ etiam, ut in homine Romano, literæ: omnia memoria tenebat, non domeſtica ſolùm, ſed etiam externa bella; cujus ſermone ita tùm cupidè fruebar, quaſi jam divinarem id, quod evenit, illo extincto, fore unde diſcerem neminem.

V. Quorſum igitur hæc tàm multa de Maximo? quia profecto videtis, nefas eſſe dictu, miſeram fuiſſe talem ſenectutem. Nec tamen omnes poſſunt eſſe Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedeſtres navaleſque pugnas, ut bella à ſe geſta, ut triumphos recordentur; eſt enim quietè, & purè, & eleganter actæ ætatis placida ac lenis ſenectus: qualem accepimus Platonis, qui uno & octogeſimo anno ſcribens mortuus eſt: qualem Iſocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixitque quinquennium poſteà; cujus magiſter Leontinus Gorgias centum & ſeptem complevit annos; neque unquam in ſuo ſtudio atque opere ceſſavit, qui, cùm ex eo quæreretur, cur tamdiu vellet eſſe in vitâ? nihil habeo, inquit, quod incuſem ſenectutem. Præclarum reſponſum, & docto homine dignum; ſua enim vitia inſipientes, & ſuam culpam in ſenectutem conferunt: quod non faciebat is, cujus modò mentionem feci, Ennius,

Sicut fortis equus, ſpatio qui ſæpe ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectu' quieſcit.

Equi fortis & victoris ſenectuti comparat ſuam: quem quidem probè meminiſſe poteſtis. Anno enim undeviceſimo poſt ejus mortem, hi Conſules, T. Flamininus, & M. Acilius facti ſunt: ille autem Cæpione & Philippo iterum Conſule mortuus eſt; cùm ego quidem V & LX annos natus, legem Voconiam voce magnâ & bonis lateribus ſuaſiſſem. Annos LXX natus, tot enim vixit Ennius, ita ferebat duo, quæ maxima putantur onera, paupertatem & ſenectutem, ut eis pænè delectari videretur. Etenim, cùm contemplor animo, reperio quatuor cauſas, cur ſenectus miſera videatur: unam, quòd avocet à rebus gerendis: alteram, quòd corpus faciat infirmius: tertiam, quòd privet omnibus ferè voluptatibus: quartam, quòd haud procul abſit à morte. Earum, ſi placet, cauſarum quanta quàmque ſit juſta unaquæque, videamus.

VI. A rebus gerendis ſenectus abſtrahit. Quibus? an iis, quæ in juventute geruntur & viribus? Nullæne igitur res ſunt ſeniles, quæ vel infirmis corporibus, animo tamen adminiſtrentur? Nihil

Nihil ergo agebat Q. Maximus? nihil L. Paulus, pater tuus, Scipio, ſocer optimi viri, filii mei? cæteri ſenes, Fabricii, Curii, Coruncanii, cum remp. conſilio auctoritate defendebant, nihil agebant? Ad App. Claudii ſenectutem accedebat etiam, ut cæcus eſſet: tamen is, cum ſententia Senatus inclinaret ad pacem, & fœdus faciendum cum Pyrrho, non dubitavit dicere illa, quæ verſibus perſecutus eſt Ennius:

Quo vobis mentes, rectæ quæ ſtare ſolebant
*Antehac, dementes ſeſe flexere * via?* * al. *vias.*

cæteraque graviſſimè; notum enim vobis carmen eſt: & tamen ipſius Appii extat oratio: atque hanc ille egit ſeptem & decem annos poſt alterum Conſulatum, cum inter duos Conſulatus anni decem interfuiſſent, Cenſorque ante Conſulatum ſuperiorem fuiſſet. Ex quo intelligitur, Pyrrhi bello grandem ſanè fuiſſe; & tamen ſic à patribus accepimus. Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda verſari ſenectutem negant, ſimileſque ſunt iis qui gubernatorem in navigando agere nihil dicant, cum alii malos ſcandant, alii per foros curſent, alii ſentinam exhauriant; ille autem clavum tenens quietus ſedeat in puppi. Non facit ea quæ juvenes; at vero multo majora & meliora facit. Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur; ſed conſilio, auctoritate, ſententia; quibus non modò non orbari, ſed etiam augeri ſenectus ſolet: niſi fortè ego vobis, qui & miles, & Tribunus, & Legatus, & Conſul verſatus ſum in vario genere bellorum, ceſſare nunc videor, cum bella non gero. At Senatui quæ ſunt gerenda præſcribo, & quomodo: Carthagini malè jam diu cogitanti bellum multo ante denuncio; de quâ vereri non ante deſinam, quam illam exciſam eſſe cognovero: quam palmam utinam dii immortales tibi, Scipio, reſervent, ut avi reliquias perſequare; cujus à morte hic tertius & triceſimus eſt annus, ſed memoriam illius viri excipient omnes anni conſequentes. Anno ante me Cenſorem mortuus eſt, novem annis poſt meum Conſulatum, cum Conſul iterum, me Conſule, creatus eſſet. Num igitur, ſi ad centeſimum annum vixiſſet, ſenectutis eum ſuæ pœniteret? nec enim excurſione, nec ſaltu, nec eminus haſtis, aut comminus gladiis uteretur; ſed conſilio, ratione, ſententia: quæ niſi eſſent in ſenibus, non ſummum conſilium majores noſtri appellaſſent Senatum. Apud Lacedæmonios quidem ii, qui ampliſſimum magiſtratum gerunt, ut ſunt, ſic etiam nominantur ſenes. Quod ſi legere, aut audire voletis externa, maximas reſp. ab adoleſcentibus labefactas, à ſenibus ſuſtentatas & reſtitutas reperietis.

Cedo, qui veſtram remp. tantam amiſiſtis tam citò? ſic enim percontatur, ut eſt in Nævii ludo, reſpondentur & alia, & hæc in primis,

Proveniebant oratores novi ſtulti adoleſcentuli.

Temeritas eſt videlicet florentis ætatis; prudentia ſeneſcentis.

VII. At

VII. At memoria minuitur: credo, niſi eam exerceas, aut ſi ſis naturâ tardior. Themiſtocles omnium civium nomina perceperat: num igitur cenſetis eum, cum ætate proceſſiſſet, qui Ariſtides eſſet, Lyſimachum ſalutare ſolitum? Equidem non modò eos novi, qui ſunt; ſed eorum patres etiam, & avos; nec ſepulcra legens vereor, quod aiunt, ne memoriam perdam; his enim ipſis legendis redeo in memoriam mortuorum: nec verò quemquam ſenum audivi oblitum, quo loco theſaurum obruiſſet: omnia, quæ curant, meminerunt; vadimonia conſtituta; qui ſibi, quibus ipſi debeant. Quid Juriſconſulti? quid Pontifices? quid Augures? quid Philoſophi ſenes? quam multa meminerunt? manent ingenia ſenibus, modò permaneat ſtudium, & induſtria; nec ea ſolùm in claris & honoratis viris, ſed in vita etiam privata & quieta. Sophocles ad ſummam ſenectutem tragœdias fecit: qui propter ſtudium cum rem familiarem negligere videretur, à filiis in judicium vocatus eſt: ut, quemadmodum noſtro more malè rem gerentibus patribus bonis interdici ſolent; ſic illum, quaſi deſipientem, à re familiari removerent judices. Tum ſenex dicitur eam fabulam, quam in manibus habebat, & proximè ſcripſerat, Œdipum Coloneum recitaſſe judicibus, quæſiſſeque, num illud carmen deſipientis videretur: quo recitato, ſententiis judicum eſt liberatus. Num igitur hunc, num Homerum, num Heſiodum, num Simonidem, num Steſichorum, num, quos ante dixi, Iſocratem, Gorgiam, num philoſophorum principes, Pythagoram, Democritum, num Platonem, num Xenocratem, num poſtea Zenonem, Cleanthem, aut eum, quem vos etiam Romæ vidiſtis, Diogenem Stoicum, coegit in ſuis ſtudiis obmuteſcere ſenectus? an non in omnibus iis ſtudiorum agitatio vitæ æqualis fuit? Age, ut iſta divina ſtudia omittamus, poſſum nominare ex agro Sabino ruſticos Romanos vicinos & familiares meos, quibus abſentibus, nunquam fere ulla in agro majora opera fiunt, non ſerendis, non percipiendis, non condendis fructibus: quanquam in illis minus hoc mirum; nemo enim eſt tam ſenex, qui ſe annum non putet poſſe vivere: ſed iidem elaborant in eis, quæ ſciunt nihil omnino ad ſe pertinere.

Serit arbores, quæ alteri ſæculo proſint,

ut ait Statius noſter in Synephebis. Nec vero dubitet agricola, quamvis ſenex, quærenti, cui ſerat, reſpondere: Diis immortalibus, qui me non accipere modò hæc à majoribus voluerunt, ſed etiam poſteris prodere.

VIII. Melius Cæcilius de ſene alteri ſeculo proſpiciente, quam illud idem:

Ædepol ſenectus, ſi nihil quidquam aliud vitii
Apportes tecum, cum advenis; unum id ſat eſt,
Quod diu vivendo, multa quæ non volt videt.

Et

Et multa fortaſſe, quæ vult; atque in ea quidem, quæ non vult, ſæpe etiam adoleſcentia incurrit. Illud verò idem Cæcilius vitioſius:

Tum equidem in ſenectâ hoc deputo miſerrimum,
Sentire eâ ætate eſſe ſe odioſum alteri.

Jucundum potiùs, quam odioſum: ut enim adoleſcentibus bonâ indole præditis ſapientes ſenes delectantur, leviorque fit eorum ſenectus, qui à juventute coluntur & diliguntur; ſic adoleſcentes ſenum præceptis gaudent, quibus ad virtutum ſtudia ducuntur; nec minus intelligo me vobis, quàm vos mihi eſſe jucundos. Sed videtis, ut ſenectus non modò languida atque iners non ſit, verùm etiam ſit operoſa, & ſemper agens aliquid & moliens; tale ſcilicet, quale cujuſque ſtudium in ſuperiore vitâ fuit. Quid, quod etiam addiſcunt aliquid? ut Solonem verſibus gloriantem videmus, qui ſe quotidie aliquid addiſcentem ſenem fieri dicit: ut ego feci, qui Græcas literas ſenex didici: quas quidem ſic avidè arripui, quaſi diuturnam ſitim explere cupiens, ut ea ipſa mihi nota eſſent, quibus me nunc exemplis uti videtis: quod cùm feciſſe Socratem in fidibus audirem, vellem equidem & illud (diſcebant enim fidibus antiqui) ſed in literis certè elaboravi.

IX. Nec nunc quidem vires deſidero adoleſcentis (is enim erat locus alter de vitiis ſenectutis) non plùs, quàm adoleſcens tauri, aut elephanti deſiderabam: quod eſt, eo decet uti; & quicquid agas, agere pro viribus. Quæ enim vox poteſt eſſe contemptior, quam Milonis Crotoniatæ? qui, cùm jam ſenex eſſet, athletaſque ſe in curriculo exercentes videret, adſpexiſſe lacertos ſuos dicitur, illacrymanſque dixiſſe, At hi quidem jam mortui ſunt. Non verò tàm iſti, quàm tu ipſe nugator; neque enim ex te unquam es nobilitatus, ſed ex lateribus & lacertis tuis. Nihil Sext. Ælius tale, nihil multis annis ante T. Coruncanius; nihil modò P. Craſſus: à quibus jura civibus præſcribebantur; quorum uſque ad extremum ſpiritum eſt provecta prudentia. Orator metuo ne langueſcat ſenectute; eſt enim munus ejus non ingenii ſolùm, ſed laterum etiam & virium. Omninò canorum illud in voce ſplendeſcit etiam neſcio quo pacto in ſenectute: quod equidem adhuc non amiſi, & videtis annos: ſed tamen eſt decorus ſermo ſenis, quietus & remiſſus, facitque perſæpe ipſa ſibi audientiam diſerti ſenis compta & mitis oratio: quod ſi ipſe exequi nequeas, poſſis tamen Scipioni præcipere & Lælio. Quid enim eſt jucundius ſenectute ſtipatâ ſtudiis juventutis? An ne eas quidem vires ſenectuti relinquemus, ut adoleſcentulos doceat, inſtituat, ad omne officii munus inſtruat? quo quidem opere quid poteſt eſſe præclarius? Mihi vero Cn. & P. Scipiones, & avi tui duo, L. Æmilius & P. Africanus, comitatu nobilium juvenum fortunati videbantur: nec ulli bonarum artium magiſtri non

beati putandi, quamvis conſenuerint vires, atque defecerint: etſi iſta ipſa defectio virium adoleſcentiæ vitiis efficitur ſæpiùs, quàm ſenectutis; libidinoſa etenim & intemperans adoleſcentia effœtum corpus tradit ſenectuti. Cyrus quidem apud Xenophontem eo ſermone, quem moriens habuit, cùm admodùm ſenex eſſet, negat ſe unquam ſenſiſſe, ſenectutem ſuam imbecilliorem factam, quàm adoleſcentia fuiſſet. Ego L. Metellum memini puer (qui cùm quadriennio poſt alterum Conſulatum Pontifex Maximus factus eſſet, viginti & duos annos ei ſacerdotio præfuit) ità bonis eſſe viribus extremo tempore ætatis, ut adoleſcentiam non requireret. Nihil neceſſe eſt mihi de me ipſo dicere: quanquàm eſt id quidem ſenile, ætatique noſtræ conceditur.

1 X. Videtiſne, ut apud Homerum ſæpiſſimè Neſtor de virtutibus ſuis prædicet? jam enim tertiam ætatem hominum vivebat: nec erat ei verendum, ne vera de ſe prædicans nimis videretur aut inſolens, aut loquax: etenim, ut ait Homerus, ex ejus lingua melle dulcior fluebat oratio; quam ad ſuavitatem nullis egebat corporis viribus: & tamen dux ille Græciæ nuſquam optat, ut Ajacis ſimiles habeat decem, at ut Neſtoris: quod ſi acciderit, non dubitat quin brevi Troja ſit peritura. Sed redeo ad me: quartum annum ago & octogeſimum: equidem poſſe vellem idem gloriari, quod Cyrus: ſed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis eſſe viribus, quibus aut miles bello Punico, aut Quæſtor eodem bello, aut Conſul in Hiſpaniâ fuerim, aut quadriennio poſt, cum Tribunus Militaris depugnavi apud Thermopylas, M. Acilio Glabrione Conſule: ſed tamen, ut vos videtis, non planè me enervavit, nec afflixit ſenectus: non curia vires meas deſiderat, non roſtra, non amici, non clientes, non hoſpites; nec enim unquàm ſum aſſenſus veteri illi laudatoque proverbio, quod monet, maturè fieri ſenem, ſi diu velis eſſe ſenex. Ego verò me minùs diu ſenem eſſe mallem, quàm eſſe ſenem antè quàm eſſem. Itaque nemo adhuc convenire me voluit, cui fuerim occupatus. At minùs habeo virium, quam veſtrûm utervis. Nec vos quidem T. Pontii Centurionis vires habetis; num idcirco eſt ille præſtantior? moderatio modò virium adſit, & tantum, quantum poteſt quiſque, nitatur; næ ille non magno deſiderio tenebitur virium. Olympiæ per ſtadium ingreſſus eſſe Milo dicitur, cùm humeris ſuſtineret bovem vivum: utrum igitur has corporis, an Pythagoræ tibi malis vires ingenii dari? denique iſto bono utare, dum adſit; cum abſit, ne requiras: niſi fortè adoleſcentes pueritiam, paulùm ætate progreſſi adoleſcentiam debeant requirere. Curſus eſt certus ætatis, & una via naturæ, eaque ſimplex; ſuaque cuique parti ætatis tempeſtivitas eſt data: ut & infirmitas puerorum, & ferocitas juvenum, & gravitas jàm conſtantis ætatis, & ſenectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod ſuo tempore percipi debeat. Arbitror te audire, Scipio, hoſpes

hoſpes tuus avitus Maſiniſſa quæ faciat hodie, nonaginta annos natus: cùm ingreſſus iter pedibus ſit, in equum omnino non adſcendere; cùm equo, ex equo non deſcendere: nullo imbre, nullo frigore adduci, ut capite operto ſit: ſummam in eo eſſe corporis ſiccitatem: itaque exequi omnia regis officia & munera. Poteſt igitur exercitatio & temperantia etiam ſenectuti conſervare aliquid priſtini roboris.

XI. Non ſunt in ſenectute vires; ne poſtulantur quidem vires à ſenectute; ergò & legibus & inſtitutis vacat ætas noſtra muneribus iis, quæ non poſſunt ſine viribus ſuſtineri; itaque non modò quod non poſſumus, ſed ne quantum poſſumus quidem, cogimur. At ita multi ſunt imbecilli ſenes, ut nullum officii, aut omninò vitæ munus exequi poſſint. At id quidem non proprium ſenectutis eſt vitium, ſed commune valetudinis. Quàm fuit imbecillus P. Africani filius is, qui te adoptavit! quàm tenui, aut nullâ potiùs valetudine! quod ni ita fuiſſet, alterum ille extitiſſet lumen civitatis; ad paternam enim magnitudinem animi doctrina uberior acceſſerat. Quid mirum igitur in ſenibus, ſi infirmi ſunt aliquando, cùm ne id quidem adoleſcentes effugere poſſint? Reſiſtendum, Læli, & Scipio, ſenectuti eſt, ejuſque vitia diligentiâ compenſanda ſunt. Pugnandum tanquàm contra morbum, ſic contra ſenectutem. Habenda ratio valetudinis; utendum exercitationibus modicis: tantum cibi & potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec verò corpori ſoli ſubveniendum eſt, ſed menti atque animo multo magis. Nam hæc quoque, niſi tanquàm lumini oleum inſtilles, extinguuntur ſenectute; & corpora quidem defatigatione & exercitatione ingraveſcunt; animi autem exercitando levantur: nam quos ait Cæcilius——*comicos ſtultos ſenes*, hos ſignificat credulos, oblivioſos, diſſolutos: quæ vitia non ſunt ſenectutis, ſed inertis, ignavæ, ſomniculoſæ ſenectutis: ut petulantia, ut libido, magis eſt adoleſcentium, quàm ſenum; nec tamen omnium adoleſcentium, ſed non proborum: ſic iſta ſenilis ſtultitia, quæ deliratio appellari ſolet, ſenum levium eſt, non omnium. Quatuor robuſtos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas Appius regebat & ſenex, & cæcus: intentum enim animum, tanquam arcum, habebat, nec langueſcens ſuccumbebat ſenectuti: tenebat non modò auctoritatem, ſed etiam imperium in ſuos: metuebant ſervi, verebantur liberi, carum omnes habebant: vigebat in illâ domo patrius mos, & diſciplina. Ita enim ſenectus honeſta eſt, ſi ſe ipſa defendit, ſi jus ſuum retinet, ſi nemini emancipata eſt, ſi uſque ad extremum ſpiritum vindicet jus ſuum: ut enim adoleſcentem, in quo ſenile aliquid; ſic ſenem, in quo eſt adoleſcentis aliquid, probo: quod qui ſequitur, corpore ſenex eſſe poterit, animo nunquàm erit. Septimus mihi Originum liber eſt in manibus: omnia antiquitatis monu-

menta colligo: cauſarum illuſtrium, quaſcumque defendi, nunc quàm maximè conficio orationes: jus Augurum, Pontificum, Civile tracto: multùm etiam Græcis litteris utor; Pythagoreorumque more, exercendæ memoriæ gratiâ, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro veſperi. Hæ ſunt exercitationes ingenii, hæc curricula mentis: in his deſudans atque elaborans corporis vires non magnoperè deſidero: adſum amicis: venio in Senatum frequens, ultròque affero res multum & diu cogitatas; eaſque tueor animi, non corporis viribus; quæ ſi exequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus ea ipſa cogitantem, quæ jam agere non poſſem: ſed ut poſſim, facit acta vita; ſemper enim in his ſtudiis laboribuſque viventi non intelligitur, quando obrepat ſenectus. Ita ſenſim ſine ſenſu ætas ſeneſcit: nec ſubitò frangitur, ſed diuturnitate extinguitur.

XII. Sequitur tertia vituperatio ſenectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O præclarum munus ætatis, ſi quidem id aufert nobis, quod eſt in adoleſcentiâ vitioſiſſimum! Accipite enim, optimi adoleſcentes, veterem orationem Archytæ, Tarentini, magni in primis, & præclari viri: quæ mihi tradita eſt, cùm eſſem adoleſcens Tarenti cum Q. Maximo. Nullam capitaliorem peſtem, quàm corporis voluptatem, hominibus dicebat à naturâ datam; cujus voluptatis avidæ libidines temerè & effrenatè ad potiundum incitarentur. Hinc patriæ proditiones, hinc rerumpub. everſiones, hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci: nullum denique ſcelus, nullum malum facinus eſſe, ad quod ſuſcipiendum non libido voluptatis impelleret: ſtupra verò, & adulteria, & omne tale flagitium nullis illecebris excitari aliis, niſi voluptatis. Cùmque homini ſive naturâ, ſive quis deus nihil mente præſtabilius dediſſet; huic divino muneri ac dono nihil eſſe tàm inimicum, quàm voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiæ locum eſſe, neque omninò in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere: quod quò magis intelligi poſſet, fingere animo jubebat, tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi poſſet maxima; nemini cenſebat fore dubium, quin tamdiu, dùm ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione conſequi poſſet; quocirca nihil eſſe tàm deteſtabile, tàmque peſtiferum, quàm voluptatem: ſi quidem ea, cum major eſſet atque longior, omne animi lumen extingueret. Hæc cum C. Pontio Samnite, patre ejus, à quo, Caudino prælio Sp. Poſthumius, T. Veturius, Conſules, ſuperati ſunt, locutum Archytam, Nearchus Tarentinus, hoſpes noſter, qui in amicitiâ populi Rom. permanſerat, ſe à majoribus natu accepiſſe dicebat, cùm quidem ei ſermoni interfuiſſet Plato Athenienſis: quem Tarentum veniſſe, L. Camillo, Appio Claudio Conſulibus, reperio. Quorſum hæc? ut intelligatis, ſi voluptatem aſpernari ratione & ſapientiâ non poſſemus, magnam habendam.

dam ſenectuti gratiam, quæ efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret; impedit enim conſilium voluptas, rationi inimica eſt, ac mentis, ut dicam, præſtringit oculos, nec habet ullum cum virtute commercium. Invitus quidem feci, ut fortiſſimi viri T. Flaminini fratrem L. Flamininum è Senatu ejicerem ſeptem annis póſt, quam Conſul fuiſſet: ſed notandam putavi libidinem. Ille enim cùm eſſet Conſul in Gallia, exoratus in convivio à ſcorto eſt, ut ſecuri feriret aliquem eorum, qui in vinclis eſſent damnati rei capitalis: hic Tito fratre ſuo Cenſore, qui proximus ante me fuerat, elapſus eſt: mihi verò & Flacco neutiquam probari potuit tam flagitioſa & tam perdita libido, quæ cum probro privato conjungeret imperii dedecus.

XIII. Sæpe audivi à majoribus natu, qui ſe porrò pueros à ſenibus audiiſſe dicebant, mirari ſolitum C. Fabricium, quòd cùm apud regem Pyrrhum legatus eſſet, audiſſet à Theſſalo Cyneâ, eſſe quendam Athenis, qui ſe ſapientem profiteretur: eumque dicere, omnia quæ faceremus ad voluptatem eſſe referenda: quod ex eo audientes, M. Curium & T. Coruncanium optare ſolitos, ut id Samnitibus, ipſique Pyrrho perſuaderetur: quò facilius vinci poſſent, cùm ſe voluptatibus dediſſent. Vixerat M. Curius cum P. Decio, qui quinquennio ante eum Conſulem ſe pro rep. quarto Conſulatu devoverat. Norat eundem Fabricius, norat Coruncanius; qui cum ex ſuâ vitâ, tum ex ejus, quem dico, P. Decii facto, judicabant eſſe profectò aliquid naturâ pulchrum atque præclarum, quod ſuâ ſponte peteretur; quodque ſpretâ & contemptâ voluptate, optimus quiſque ſequeretur. Quorſum igitur tam multa de voluptate? quia non modò vituperatio nulla, ſed etiam ſumma laus ſenectutis eſt, quod ea voluptates nullas magnopere deſiderat: caret epulis, extructiſque menſis, & frequentibus poculis? caret ergo etiam vinolentiâ, & cruditate, & inſomniis. Sed ſi aliquid dandum eſt voluptati, quoniam ejus blanditiis non facilè obſiſtimus, divinè enim Plato eſcam malorum voluptatem appellat, quod eâ videlicet homines capiantur, ut hamo piſces; quanquàm immoderatis epulis careat ſenectus, modicis tamen conviviis delectari poteſt. C. Duillium, M. filium, qui Pœnos claſſe primus devicerat, redeuntem à cœnâ ſenem ſæpè videbam puer: delectabatur crebro funali, & tibicine, quæ ſibi nullo exemplo privatus ſumpſerat: tantum licentiæ dabat gloria. Sed quid ego alios? ad meipſum jam revertar. Primùm habui ſemper ſodales: ſodalitates autem me Quæſtore conſtitutæ ſunt, ſacris Idæis Magnæ Matris acceptis: epulabar igitur cum ſodalibus omnino modicè, ſed erat quidem fervor ætatis: quâ progrediente, omnia fient indies mitiora; neque enim ipſorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis, quàm cœtu amicorum, & ſermonibus metiebar: benè enim majores noſtri accubitionem epularem amicorum, quia vitæ conjunctio-

nem haberet, convivium nominârunt, meliùs quàm Græci; qui hoc idem tùm compotationem, tùm concœnationem vocant: ut, quod in eo genere minimum eſt, id maximè probare videantur.

XIV. Ego verò propter ſermonis delectationem tempeſtivis quoque conviviis delector, nec cum æqualibus ſolùm, qui pauci admodum reſtant, ſed cum veſtrâ etiam ætate, atque vobiſcum: habeoque ſenectuti magnam gratiam, quæ mihi ſermonis aviditatem auxit, potionis & cibi ſuſtulit. Quòd ſi quem etiam iſta delectant, ne omnino bellum indixiſſe videar voluptati, cujus eſt fortaſſe quidam naturalis modus, non intelligo, ne in iſtis quidem voluptatibus ipſis carere ſenſu ſenectutem. Me verò & magiſteria delectant à majoribus inſtituta; & is ſermo, qui more majorum à ſummo adhibetur in poculis: & pocula, ſicut in ſympoſio Xenophontis, minuta atque rorantia, & refrigeratio æſtate, & vicißim aut ſol, aut ignis hibernus; quæ quidem in Sabinis etiam perſequi ſoleo, conviviumque vicinorum quotidiè compleo, quod ad multam noctem, quàm maximè poſſumus, vario ſermone producimus. At non eſt voluptatum tanta quaſi titillatio in ſenibus. Credo: ſed ne deſideratio quidem; nihil autem moleſtum, quod non deſideres. Benè Sophocles, cùm ex eo quidam jam affecto ætate quæreret, uteretur-ne rebus venereis: Dii meliora, inquit; libenter vero iſtinc, tanquàm à domino agreſti ac furioſo, profugi; cupidis enim rerum talium odioſum & moleſtum eſt fortaſſe carere; ſatiatis vero & expletis jucundius eſt carere, quam frui: quanquam non caret is, qui non deſiderat. Ego hoc non deſiderare dico eſſe jucundius, quàm frui. Quòd ſi iſtis ipſis voluptatibus bona ætas fruitur libentiùs; primùm parvulis fruitur rebus, ut diximus; deinde iis, quibus ſenectus, ſi non abundè potitur, non omninò caret: ut Turpione Ambivio magis delectatur, qui in primâ caveâ ſpectat; delectatur tamen etiam qui in ultimâ: ſic adoleſcentia voluptates propè intuens magis fortaſſe lætatur; ſed delectatur etiam ſenectus, procul eas ſpectans tantum, quantum ſat eſt. At illa quanti ſunt, animum tanquàm emeritis ſtipendiis libidinis, ambitionis, contentionis, inimicitiarum, cupiditatum omnium, ſecum eſſe, ſecumque, ut dicitur, vivere? ſi verò habet aliquod tanquàm pabulum ſtudii atque doctrinæ, nihil eſt otioſâ ſenectute jucundius. Mori videbamus in ſtudio dimetiendi pænè cœli atque terræ C. Gallum, familiarem patris tui, Scipio: quoties illum lux noctu aliquid deſcribere ingreſſum, quoties nox oppreſſit, cùm manè cœpiſſet! quam delectabat eum defectiones ſolis & lunæ multò ante nobis prædicere! Quid in levioribus ſtudiis, ſed tamen acutis! quàm gaudebat bello ſuo Punico Nævius! quàm Truculento Plautus! quàm Pſeudolo! Vidi etiam ſenem Livium: qui cum ſex annos antè, quam ego natus ſum, fabulam docuiſ-

ſet,

ſet, Centhone, Tuditanoque Conſulibus, uſque ad adoleſcentiam meam proceſſit ætate. Quid de P. Licinii Craſſi & pontificii & civilis juris ſtudio loquar? aut de hujus P. Scipionis, qui his paucis diebus Pontifex Maximus factus eſt? Atqui eos omnes, quos commemoravi, his ſtudiis flagrantes ſenes vidimus. M. vero Cethegum, quem rectè Suadæ medullam dixit Ennius, quanto ſtudio exerceri in dicendo videbamus, etiam ſenem! Quæ ſunt igitur epularum, aut ludorum, aut ſcortorum voluptates cum his voluptatibus comparandæ? Atque hæc quidem ſtudia doctrinæ; quæ quidem prudentibus, & bene inſtitutis pariter cum ætate creſcunt: ut honeſtum illud Solonis ſit, quod ait verſiculo quodam, ut ante dixi, ſeneſcere ſe multa indies addiſcentem: quâ voluptate animi nulla certe poteſt eſſe major.

XV. Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector; quæ nec ulla impediuntur ſenectute, & mihi ad ſapientis vitam proximè videntur accedere: habent enim rationem cum terrâ, quæ nunquam recuſat imperium, nec unquàm ſine uſurâ reddit, quod accepit; ſed aliàs minore, plerumque majore cum fœnore: quanquàm me quidem non fructus modò, ſed etiam ipſius terræ vis ac natura delectat; quæ cum gremio mollito ac ſubacto ſemen ſparſum excepit, primùm id occæcatum cohibet; ex quo occaſio, quæ hoc efficit, nominata eſt: deinde tepefactum vapore & compreſſu ſuo diffindit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem; quæ nixa fibris ſtirpium ſenſim adoleſcit, culmoque erecta geniculato, vaginis jam quaſi pubeſcens includitur, è quibus cum emerſerit, fundit frugem ſpici, ordine ſtructam, & contra avium minorum morſus munitur vallo ariſtarum. Quid ego vitium ſatus, ortus, incrementa commemorem? ſatiari delectatione non poſſum, ut meæ ſenectutis requietem oblectamentaque pernoſcatis. Omitto enim vim ipſam omnium, quæ generantur è terra; quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex cæterarum frugum ac ſtirpium minutiſſimis ſeminibus tantos truncos ramoſque procreat: malleoli, plantæ, ſarmenta, vivi radices, propagines, nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent? Vitis quidem, quæ naturâ caduca eſt, & niſi fulta ſit, ad terram fertur; eadem, ut ſe erigat claviculis ſuis, quaſi manibus, quicquid eſt nacta, complectitur: quam ſerpentem multiplici lapſu & erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne ſilveſcat ſarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte vere in iis, quæ relicta ſunt, exiſtit tanquam ad articulos ſarmentorum ea, quæ gemma dicitur: à quo oriens uva ſeſe oſtendit: quæ & ſucco terræ, & calore ſolis augeſcens prima eſt peracerba guſtatu, deinde maturata dulceſcit: veſtitaque pampinis, nec modico tempore caret, & nimios ſolis defendit ardores: quâ quid poteſt eſſe cum fructu lætius, tum aſpectu pulchrius? cujus quidem non utilitas me ſo-

lùm, ut ante dixi, ſed etiam cultura, & ipſa natura delectat: adminiculorum ordines, capitum jugatio, religatio & propagatio vitium ſarmentorumque ea, quam dixi, aliorum amputatio, aliorum immiſſio. Quid ego irrigationes? quid foſſiones agri, repaſtinationes que proferam, quibus fit multo terrafœcundior? Quid de utilitate loquar ſtercorandi? dixi in eo libro, quem de rebus ruſticis ſcripſi; de qua doctus Heſiodus ne verbum quidem fecit, cum de cultura agri ſcriberet. At Homerus, qui multis, ut mihi videtur, ante ſæculis fuit, Laertem lenientem deſiderium, quod capiebat è filio, colentem agrum, & eum ſtercorantem facit. Nec verò ſegetibus ſolùm, pratis, & vineis, & arbuſtis res ruſticæ lætæ ſunt, ſed etiam hortis & pomariis: tum pecudum paſtu, apium examinibus, florum omnium varietate. Nec conſitiones modò delectant, ſed etiam inſitiones: quibus nihil invenit agriculturâ ſolertius.

XVI. Poſſum perſequi multa oblectamenta rerum ruſticarum: ſed ea ipſa, quæ dixi, fuiſſe ſentio longiora. Ignoſcetis autem: nam & ſtudio rerum ruſticarum provectus ſum, & ſenectus eſt naturâ loquacior: ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita M. Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphaſſet, conſumpſit extremum tempus ætatis; cujus quidem villam ego contemplans, abeſt enim non longè à me, admirari ſatis non poſſum vel hominis ipſius continentiam, vel temporum diſciplinam. Curio ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites cùm attuliſſent, repudiati ab eo ſunt; non enim aurum habere præclarum ſibi videri dixit; ſed iis, qui haberent aurum, imperare. Poteratne tantus animus non jucundam efficere ſenectutem? Sed venio ad agricolas, ne à meipſo recedam. In agris erant tum Senatores & iidem ſenes; ſiquidem aranti L. Quinctio Cincinnato nunciatum eſt, eum Dictatorem eſſe factum: cujus Dictatoris juſſu Magiſter Equitum C. Servilius Ahala Sp. Mælium regnum appetentem, occupatum interemit: à villa in Senatum arceſſebantur & Curius & cæteri ſenes; ex quo, qui eos arceſſebant, viatores nominati ſunt: num igitur horum ſenectus miſerabilis fuit, qui ſe agri cultione oblectabant? Meâ quidem ſententiâ haud ſcio, an ulla beatior eſſe poſſit: neque ſolùm officio, quòd hominum generi univerſo cultura agrorum eſt ſalutaris; ſed & delectatione, quam dixi, & faturitate copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent: ut, quoniam hæc quidam deſiderant, in gratiam jam cum voluptate redeamus. Semper enim boni aſſiduique domini referta cella vinaria, olearia, etiam penaria eſt, villaque tota locuples eſt; abundat porco, hœdo, agno, gallinâ, lacte, caſeo, melle. Jam hortum ipſi agricolæ ſuccidiam altéram appellant. Conditiora facit hæc ſupervacanei operis aucupium atque venatio. Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordi-

ordinibus, aut vinearum olivetorumque ſpecie dicam? Brevi præcîdam. Agro benè culto nil poteſt eſſe nec uſu uberius, nec ſpecie ornatius: ad quem fruendum non modò non retardat, verùm etiam invitat atque allectat ſenectus. Ubi enim poteſt illa ætas aut caleſcere vel apricatione melius, vel igni; aut viciſſim umbris aquiſve refrigerari ſalubrius? Sibi igitur habeant arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi clavam, ſibi pilam, ſibi natationes & curſus: nobis ſenibus ex luſionibus multis talos relinquant & teſſeras: id ipſum utrum lubebit; quoniam ſine his beata eſſe ſenectus poteſt.

XVII. Multas ad res perutiles Xenophontis libri ſunt; quos legite, quæſo, ſtudioſè, ut facitis: quàm copioſè ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui eſt de tuendâ re familiari, qui Oeconomicus inſcribitur? Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quam ſtudium agri colendi, Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo, Cyrum minorem regem Perſarum, præſtantem ingenio atque imperii gloriâ, cum Lyſander Lacedæmonius, vir ſummæ virtutis, veniſſet ad eum Sardis, eique dona à ſociis attuliſſet; & cæteris in rebus comem erga Lyſandrum atque humanum fuiſſe, & ei quendam conſeptum agrum, diligenter conſitum oſtendiſſe: cùm autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam atque puram, & ſuavitatem odorum, qui afflarentur è floribus; tùm dixiſſe, mirari ſe non modò diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, à quo eſſent illa dimenſa atque deſcripta: & ei Cyrum reſpondiſſe: Atqui ego omnia iſta ſum dimenſus; mei ſunt ordines, mea deſcriptio: multæ etiam iſtarum arborum meâ manu ſunt ſatæ. Tum Lyſandrum intuentem ejus purpuram & nitorem corporis, ornatumque Perſicum multo auro multiſque gemmis dixiſſe: Rectè verò te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt. Hac igitur fortunâ frui licet ſenibus nec ætas impedit, quo minus & cæterarum rerum, & imprimis agri colendi ſtudia teneamus uſque ad ultimum tempus ſenectutis. Marcum quidem Valerium Corvum accepimus ad centeſimum annum perduxiſſe, cùm eſſet acta jam ætate in agris, eoſque coleret; cujus inter primum & ſextum Conſulatum ſex & quadraginta anni interfuerunt: itaque quantum ſpatium ætatis majores noſtri ad ſenectutis initium eſſe voluerunt, tantus illi curſus honorum fuit; atque ejus extrema ætas hoc beatior, quam media, quod auctoritatis plus habebat, laboris verò minùs. Apex autem ſenectutis eſt auctoritas. Quanta fuit in L. Cæcilio Metello! quanta in Atilio Calatino! in quem illud elogium unicum: *plurimæ conſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe virum*; notum eſt carmen inciſum in ſepulcro. Jure igitur gravis, cujus de laudibus omnium eſſet fama conſentiens. Quem virum P. Craſſum, nuper Pontificem Maximum, quem poſtea

poſtea M. Lepidum eodem ſacerdotio præditum vidimus? Quid de Paulo, aut Africano loquar? aut, ut jam ante, de Maximo? quorum non in ſententiâ ſolùm, ſed etiam in nutu deſidebat auctoritas. Habet ſenectus, honorata præſertim, tantam auctoritatem, ut ea pluris ſit, quam omnes adoleſcentiæ voluptates.

XVIII. Sed in omni oratione mementote, eam me laudare ſenectutem, quæ fundamentis adoleſcentiæ conſtituta ſit: ex quo id efficitur, quod ego magno quondam cum aſſenſu omnium dixi: *Miſeram eſſe ſenectutem, quæ ſe oratione defenderet:* non cani, non rugæ repentè auctoritatem arripere poſſunt; ſed honeſtè acta ſuperior ætas fructus capit auctoritatis extremos. Hæc enim ipſa ſunt honorabilia, quæ videntur levia atque communia, ſalutari, appeti, decedi, aſſurgi, deduci, reduci, conſuli: quæ & apud nos, & in aliis civitatibus, ut quæque optimè morata, ita diligentiſſimè obſervantur. Lyſandrum Lacedæmonium, cujus modò mentionem feci, dicere aiunt ſolitum, Lacedæmone eſſe honeſtiſſimum domicilium ſenectutis: nuſquàm enim tantum tribuitur ætati, nuſquam eſt ſenectus honoratior: quin etiam memoriæ proditum eſt, cum Athenis, ludis, quidam in theatrum grandis natu veniſſet, in magno conſeſſu locum ei à ſuis civibus nuſquam datum: cùm autem ad Lacedæmonios acceſſiſſet, qui, cùm legati eſſent, certo in loco conſederant, conſurrexiſſe omnes, & ſenem illum ſeſſum recepiſſe: quibus cùm à cuncto conſeſſu plauſus eſſet multiplex datus, dixiſſe ex iis quendam, Athenienſes ſcire quæ recta eſſent, ſed facere nolle. Multa in noſtro collegio præclara; ſed hoc, de quo agimus, imprimis, quod, ut quiſque ætate antecedit, ita ſententiæ principatum tenet; neque ſolùm honore antecedentibus, ſed iis etiam, qui cum imperio ſunt, majores natu augures anteponuntur. Quæ ſunt igitur voluptates corporis cum auctoritatis præmiis comparandæ? quibus qui ſplendidè uſi ſunt, ii mihi videntur fabulam ætatis peregiſſe, nec tanquàm inexercitati hiſtriones, in extremo actu corruiſſe. At ſunt moroſi, & anxii, & iracundi, & difficiles ſenes, ſi quærimus, etiam avari: ſed hæc morum vitia ſunt, non ſenectutis. Ac moroſitas tamen, & ea vitia, quæ dixi, habent aliquid excuſationis, non illius quidem juſtæ, ſed quæ probari poſſe videatur: contemni ſe putant, deſpici, illudi: præterea in fragili corpore odioſa omnis offenſio eſt: quæ tamen omnia dulciora ſunt & moribus bonis & artibus: idque tùm in vita, tùm in ſcenâ intelligi poteſt ex iis fratribus, qui in Adelphis ſunt: quanta in altero duritas, in altero comitas! Sic ſe res habet: ut enim non omne vinum, ſic non omnis ætas vetuſtate coaceſcit: ſeveritatem in ſenectute probo, ſed eam, ſicut alia, modicam; acerbitatem nullo modo: avaritia verò ſenilis quid ſibi velit, non intelligo; poteſt enim quidquam eſſe abſurdius, quàm, quo minùs viæ reſtat, eò plus viatici quærere?

XIX. Quar-

XIX. Quarta reſtat cauſa, quæ maximè angere atque ſolicitam habere noſtram ætatem videtur, appropinquatio mortis, quæ certè à ſenectute non poteſt longè abeſſe. O miſerum ſenem, qui mortem contemnendam eſſe in tam longâ ætate non viderit! quæ aut planè negligenda eſt, ſi omnino extinguit animum; aut etiam optanda, ſi aliquo eum deducit, ubi ſit futurus æternus. Atqui tertium certè nihil inveniri poteſt. Quid igitur timeam, ſi aut non miſer poſt mortem, aut beatus etiam futurus ſum? quanquàm quis eſt tam ſtultus, quamvis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum, ſe ad veſperum eſſe victurum? quin etiam ætas illa multò plures quàm noſtra mortis caſus habet: faciliùs in morbos incidunt adoleſcentes; graviùs ægrotant; triſtiùs curantur: itaque pauci veniunt ad ſenectutem; quod ni ita accideret, meliùs & prudentiùs viveretur: mens enim, & ratio, & conſilium in ſenibus eſt; qui ſi nulli fuiſſent, nullæ omnino civitates eſſent. Sed redeo ad mortem impendentem: quod illud eſt crimen ſenectutis, cùm illud videatis cum adoleſcentiâ eſſe commune? Senſi ego cùm in optimo filio meo, tùm in expectatis ad amplißimam dignitatem fratribus tuis, Scipio, omni ætati mortem eſſe communem. At ſperat adoleſcens, diu ſe victurum; quod ſperare idem ſenex non poteſt. Inſipienter ſperat: quid enim ſtultius, quam incerta pro certis habere, falſa pro veris? Senex ne quod ſperet quidem habet. At eſt eo meliore conditione quàm adoleſcens, cum id, quod ille ſperat, hic jam conſecutus eſt. Ille vult diu vivere: hic diu vixit. Quanquàm, ô dii boni! quid eſt in hominis vitâ diu? da enim ſupremum tempus: expectemus Tarteſſiorum regis ætatem: fuit enim, ut ſcriptum video, Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, centum & viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo eſt aliquid extremum: cùm enim id advenit, tunc illud, quod præteriit, effluxit: tantum remanet, quod virtute & rectè factis conſecutus ſis: horæ quidem cedunt, & dies, & menſes, & anni; nec præteritum tempus unquam revertitur, nec quid ſequatur ſciri poteſt: quod cuique temporis ad vivendum datur, eo debet eſſe contentus: neque enim hiſtrioni, ut placeat, peragenda eſt fabula, modò, in quocumque fuerit actu, probetur; neque ſapienti uſque ad *plaudite* vivendum: breve enim tempus ætatis ſatis eſt longum ad benè honeſtèque vivendum; ſin proceſſeris longius, non magis dolendum eſt, quam agricolæ dolent, præteritâ verni temporis ſuavitate, æſtatem autumnumque veniſſe: ver enim, tanquàm adoleſcentia ſignificat, oſtenditque fructus futuros; reliqua tempora demetendis fructibus & percipiendis accommodata ſunt: fructus autem ſenectutis eſt, ut ſæpe dixi, ante partorum bonorum memoria & copia. Omnia verò, quæ ſecundùm naturam fiunt, ſunt habenda in bonis: quid eſt autem tàm ſecundùm natu-

naturam, quem ſenibus emori? quod idem contingit adoleſcentibus, adverſante & repugnante naturâ. Itaque adoleſcentes mori ſic mihi videntur, ut cum aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: ſenes autem, ſicut ſuâ ſponte, nulla adhibita vi, conſumptus ignis extinguitur; & quaſi poma ex arboribus, cruda ſi ſint, vi avelluntur; ſi matura & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas: quæ mihi quidem tàm jucunda eſt, ut quo propius ad mortem accedam, quaſi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longâ navigatione eſſe venturus.

XX. Omnium ætatum certus eſt terminus: ſenectutis autem nullus certus eſt terminus: rectéque in ea vivitur, quoad munus officii exequi & tueri poſſis, & tamen mortem contemnere; ex quo fit, ut animoſior etiam ſenectus ſit, quàm adoleſcentia, & fortior. Hoc illud eſt, quod Piſiſtrato tyranno à Solone reſponſum eſt; cum illi quærenti, Quâ tandem ſpe fretus, ſibi tam audaciter obſiſteret? reſpondiſſe dicitur, Senectute. Sed vivendi finis eſt optimus, cum integrâ mente cæteriſque ſenſibus, opus ipſa ſuum eadem, quæ coagmentavit, natura diſſolvit. Ut navem, ut ædificium idem deſtruit facillimè, qui conſtruit: ſic hominem eadem optimè, quæ conglutinavit, natura diſſolvit: jam omnis conglutinatio recens ægrè, inveterata facilè divellitur: ita fit, ut illud breve vitæ reliquum nec avidè appetendum ſenibus, nec ſine cauſa deſerendum ſit: vetatque Pythagoras injuſſu imperatoris, id eſt, dei, de præſidio & ſtatione vitæ decedere. Solonis quidem ſapientis elogium eſt, quo ſe negat velle ſuam mortem dolore amicorum & lamentis vacare: vult, credo, ſe eſſe carum ſuis. Sed haud ſcio an melius Ennius:

Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu
Faxit.

Non cenſet lugendam eſſe mortem, quam immortalitas conſequatur. Jam ſenſus moriendi aliquis eſſe poteſt, iſque ad exiguum tempus, præſertim ſeni: poſt mortem quidem ſenſus aut optandus, aut nullus eſt. Sed hoc meditatum ab adoleſcentiâ debet eſſe, mortem ut negligamus; ſine qua meditatione, tranquillo eſſe animo nemo poteſt: moriendum enim certè eſt; & id incertum, an eo ipſo die; mortem igitur omnibus horis impendentem timens, quî poterit animo conſiſtere? de quâ non ita longâ diſputatione opus eſſe videtur, cùm recorder, non ſolum Brutum, qui in liberandâ patriâ eſt interfectus: non duos Decios, qui ad voluntariam mortem curſum equorum incitaverunt: non M. Atilium, qui ad ſupplicium eſt profectus, ut fidem hoſti datam conſervaret: non duos Scipiones, qui iter Pœnis vel corporibus ſuis obſtruere voluerunt: non avum tuum L. Paulum, qui morte luit collegæ in Cannenſis gnominiâ temeritatem: non M. Marcellum, cujus interitum ne crudeliſſimus

quidem

quidem hoſtis honore ſepulturæ carere paſſus eſt; ſed legiones noſtras, quod ſcripſi in Originibus, in eum ſæpè locum profectas alacri animo & erecto, undè ſe nunquam redituras arbitrarentur. Quod igitur adoleſcentes, & ii quidem non ſolùm indocti, ſed etiam ruſtici contemnunt, id docti ſenes extimeſcent? Omnino, ut mihi quidem videtur, ſtudiorum omnium ſatietas vitæ facit ſatietatem. Sunt pueritiæ certa ſtudia; num igitur ea deſiderant adoleſcentes? ſunt & ineuntis adoleſcentiæ; num ea conſtans jam requirit ætas, quæ media dicitur? ſunt etiam hujus ætatis; nec ea quidem quæruntur à ſenectute: ſunt extrema quædam ſtudia ſenectutis: ergo, ut ſuperiorum ætatum ſtudia occidunt, ſic occidunt etiam ſenectutis: quod cum evenit, ſatietas vitæ tempus maturum mortis affert.

XXI. Equidem non video, cur, quid ipſe ſentiam de morte, non audeam vobis dicere: quod eo meliùs mihi cernere videor, quo ab eâ propius abſum. Ergo veſtros patres, P. Scipio, tuque, C. Læli, viros clariſſimos, mihique amiciſſimos, vivere arbitror: & eam quidem vitam, quæ eſt ſola vita nominanda. Nam, dùm ſumus in his incluſi compagibus corporis, munere quodam neceſſitatis, & gravi opere perfungimur; eſt enim animus cœleſtis ex altiſſimo domicilio depreſſus & quaſi demerſus in terram, locum divinæ naturæ æternitatique contrarium. Sed credo Deos immortales ſparſiſſe animos in corpora humana, ut eſſent, qui terras tuerentur, quique cœleſtium ordinem contemplantes, imitarentur eum vitæ modo atque conſtantiâ: nec me ſolum ratio ac diſputatio impulit, ut ita crederem; ſed nobilitas etiam ſummorum philoſophorum & auctoritas. Audiebam Pythagoram, Pythagoreoſque, incolas pænè noſtros, qui eſſent Italici philoſophi quondam nominati, nunquàm dubitaſſe, quin ex universâ mente divinâ delibatos animos haberemus: demonſtrabantur mihi præterea quæ Socrates ſupremo vitæ die de immortalitate animorum diſſeruiſſet, is, qui eſſet omnium ſapientiſſimus oraculo Apollinis judicatus. Quid multa? ſic mihi perſuaſi, ſic ſentio, cùm tanta celeritas animorum ſit, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tantæ ſcientiæ, tot inventa, non poſſe eam naturam, quæ res eas contineat, eſſe mortalem: cùmque ſemper agitetur animus, nec principium motûs habeat, quia ſe ipſe moveat, ne finem quidem habiturum eſſe motûs, qui nunquàm ſe ipſe ſit relicturus; &, cùm ſimplex animi naturâ eſſet, neque haberet in ſe quidquam admiſtum diſpar ſui atque diſſimile, non poſſe eum dividi; quod ſi non poſſit, non poſſe interire: magnoque eſſe argumento, homines ſcire pleraque antè quàm nati ſint, quod jam pueri, cùm artes difficiles diſcant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tùm primum accipere videantur, ſed reminiſci, & recordari.

XXII. Hæc

XXII. Hæc Plato noſter. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus major hæc dicit: Nolite arbitrari, ô mihi cariſſimi filii, me, cùm à vobis diſceſſero, nuſquam, aut nullum fore; nec enim, dùm eram vobiſcum, animum meum videbatis: ſed eum eſſe in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis: eundem igitur eſſe creditote, etiam ſi nullum videbitis. Nec verò clarorum virorum poſt mortem honores permanerent, ſi nihil eorum ipſorum animi efficerent, quò diutius memoriam ſui tuerentur. Mihi quidem nunquam perſuaderi potuit, animos, dùm in corporibus eſſent mortalibus, vivere; cùm exiiſſent ex iis, emori: nec verò tùm animum eſſe inſipientem, cùm ex inſipienti corpore evaſiſſet; ſed cùm omni admixtione corporis liberatus, purus, & integer eſſe cœpiſſet, tùm eſſe ſapientem. Atque etiam, cùm hominis natura morte diſſolvitur, cæterarum rerum perſpicuum eſt, quò quæque diſcedant: abeunt enim illuc omnia, unde orta ſunt; animus autem ſolus, nec cùm adeſt, nec cùm diſcedit, apparet. Jam verò videtis, nihil eſſe morti tàm ſimile, quàm ſomnum. Atque dormientium animi maximè declarant divinitatem ſuam: multa enim, cùm remiſſi & liberi ſunt, futura proſpiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri ſint, cùm ſe planè corporis vinculis relaxaverint. Quare, ſi hæc ita ſunt, ſic me colitote ut deum; ſin unà eſt interiturus animus cum corpore, vos tamen deos verentes, qui hanc omnem pulchritudinem tuentur & regunt, memoriam noſtri piè inviolatèque ſervabitis.

XXIII. Cyrus quidem hæc moriens. Nos, ſi placet, noſtra videamus. Nemo unquàm mihi, Scipio, perſuadebit, aut patrem tuum Paulum, aut duos avos, Paulum & Africanum, aut Africani patrem, aut patruum, aut multos præſtantes viros, quos enumerare non eſt neceſſe, tanta eſſe conatos, quæ ad poſteritatis memoriam pertinerent; niſi animo cernerent, poſteritatem ad ſe pertinere. An cenſes, ut de me ipſo aliquid more ſenum glorier, me tantos labores diurnos nocturnoſque, domi militiæque ſuſcepturum fuiſſe, ſi iiſdem finibus gloriam meam, quibus vitam, eſſem terminaturus? nonne melius multò fuiſſet otioſam ætatem & quietam ſine ullo labore & contentione traducere? ſed neſcio quomodò animus erigens ſe poſteritatem ſemper ita proſpiciebat, quaſi, cùm exceſſiſſet è vitâ, tum denique victurus eſſet: quod quidem ni ita ſe haberet, ut animi immortales eſſent, haud optimi cujuſque animus maximè ad immortalitatis gloriam niteretur. Quid, quod ſapientiſſimus quiſque æquiſſimo animo moritur, ſtultiſſimus iniquiſſimo? Nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat & longiùs, videre ſe ad meliora proficiſci: ille autem, cui obtuſior ſit acies, non videre? Equidem efferor ſtudio patres veſtros, quos colui & dilexi, videndi; neque verò eos ſolos convenire aveo, quos ipſe cognovi; ſed illos etiam, de quibus audivi, & legi, & ipſe conſcripſi. Quò quidem me proficiſcentem haud

haud ſanè quis facile retraxerit: neque tanquàm Peliam recoxerit: & ſi quis deus mihi largiatur, ut ex hac ætate repueraſcam, & in cunis vagiam, valde recuſem: nec verò velim, quaſi decurſo ſpatio, ad carceres à calce revocari; quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? ſed habeat ſanè; habet certè tamen aut ſatietatem, aut modum; non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi & ii docti ſæpe fecerunt: neque me vixiſſe pœnitet, quoniam ita vixi, ut non fruſtra me natum exiſtimem; & ex vitâ ita diſcedo, tanquàm ex hoſpitio, non tanquàm ex domo; commorandi enim natura diverſorium nobis, non habitandi dedit. O præclarum diem, cùm ad illud divinum animorum concilium cœtumque proficiſcar! cumque ex hac turbâ & colluvione diſcedam! proficiſcar enim non ad eos ſolùm viros, de quibus antè dixi; ſed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus eſt, nemo pietate præſtantior; cujus à me corpus crematum eſt: quod contra decuit ab illo meum; animus verò non me deſerens, ſed reſpectans, in ea profectò loca diſceſſit, quò mihi ipſi cernebat eſſe veniendum: quem ego meum caſum fortiter ferre viſus ſum; non quod æquo animo ferrem; ſed me ipſe conſolabar, exiſtimans non longinquum inter nos digreſſum & diſceſſum fore. His mihi rebus, Scipio, id enim te cum Lælio admirari ſolere dixiſti, levis eſt ſenectus, nec ſolùm non moleſta, ſed etiam jucunda: quòd ſi in hoc erro, quod animos hominum immortales eſſe credam, lubenter erro; nec mihi hunc errorem, quo delector, dùm vivo, extorqueri volo: ſin mortuus, ut quidam minuti philoſophi cenſent, nihil ſentiam, non vereor, ne hunc errorem meum mortui philoſophi irrideant: quod ſi non ſumus immortales futuri, tamen extingui homini ſuo tempore optabile eſt. Nam habet natura, ut aliarum omnium rerum, ſic vivendi modum. Senectus autem peractio ætatis eſt tanquàm fabulæ: cujus defatigationem fugere debemus, præſertim adjuncta ſatietate. Hæc habui de ſenectute quæ dicerem: ad quam utinam perveniatis! ut ea, quæ ex me audiſtis, re experti probare poſſitis.

M. TUL-

M. TULLII CICERONIS

LÆLIUS,

SIVE

De AMICITIA

DIALOGUS.

Ad T. POMPONIUM ATTICUM *PRÆFATIO.*

I. QUINTUS Mucius Augur multa narrare de C. Lælio, ſocero ſuo, memoriter & jucundè ſolebat, nec dubitare illum in omni ſermone appellare ſapientem. Ego autem à patre ità eram deductus ad Scævolam, ſumptâ virili togâ, ut, quoad poſſem & liceret, à ſenis latere nunquam diſcederem. Itaque multa ab eo prudenter diſputata, multa etiam breviter & commodè dicta memoriæ mandabam; fierique ſtudebam ejus prudentiâ doctior. Quo mortuo, me ad pontificem Scævolam contuli, quem unum noſtræ civitatis & ingenio & juſtitia præſtantiſſimum audeo dicere. Sed de hoc aliàs: nunc redeo ad Augurem. Cùm ſæpe multa, tum memini, domini hemicyclio ſedentem, ut ſolebat, cùm & ego eſſem unà, & pauci admodùm familiares, in eum ſermonem illum incidere, qui tum fere omnibus erat in ore: meminiſti enim, Attice, & eo magis, quod P. Sulpicio utebare multùm, cùm is Tribunus-pl. capitali odio à Q. Pompeio, qui tum erat Conſul, diſſideret, quocum conjunctiſſimè & amantiſſimè vixerat, quanta hominum eſſet vel admiratio, vel querela. Itaque tum Scævola, cùm in eam ipſam mentionem incidiſſet, expoſuit nobis ſermonem Lælii de Amicitiâ habitum ab illo ſecum, & cum altero genero C. Fannio, Marci filio, paucis diebus poſt mortem Africani Ejus diſputationis ſententias memoriæ mandavi, quas hoc libro expoſui meo arbitratu; quaſi enim ipſos induxi loquentes, ne *inquam*, & *inquit*, ſæpius interponerentur; atque ut tanquàm à præſentibus coram

coràm haberi ſermo videretur. Cum enim ſæpe mecum ageres, ut de Amicitiâ ſcriberem aliquid, digna mihi res cùm omnium cognitione, tùm noſtrâ familiaritate viſa eſt. Itaque feci non invitus, ut prodeſſem multis tuo rogatu. Sed, ut in Catone Majore, qui eſt ſcriptus ad te de Senectute, Catonem induxi ſenem diſputantem, quia nulla videbatur aptior perſona, quæ de illâ ætate loqueretur, quàm ejus, qui & diutiſſimè ſenex fuiſſet, & in ipsâ ſenectute præ cæteris floruiſſet: ſic cùm accepiſſemus à patribus maximè memorabilem C. Lælii & P. Scipionis familiaritatem fuiſſe, idonea mihi Lælii perſona viſa eſt, quæ de amicitiâ ea ipſa diſſereret, quæ diſputata ab eo meminiſſet Scævola. Genus autem hoc ſermonum, poſitum in hominum veterum auctoritate, & eorum illuſtrium, plus neſcio quo pacto videtur habere gravitatis. Itaque ipſe mea legens, ſic afficior interdum, ut Catonem, non me loqui exiſtimem. Sed ut tùm ad ſenem ſenex de ſenectute, ſic hoc libro ad amicum amiciſſimus de Amicitiâ ſcripſi. Tùm eſt Cato locutus, quo erat nemo ferè ſenior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Lælius & ſapiens, ſic eſt enim habitus, & amicitiæ gloriâ excellens, de amicitiâ loquitur. Tu velim animum à me parumper avertas, Lælium loqui ipſum putes. C. Fannius & Q. Mucius ad ſocerum veniunt poſt mortem Africani; ab his ſermo oritur: reſpondet Lælius: cujus tota diſputatio eſt de Amicitiâ, quam legens tu ipſe cognoſces.

II. *Fannius.* Sunt iſta, Læli; nec enim melior vir fuit Africano quiſquam, nec clarior; ſed exiſtimare debes, omnium oculos in te eſſe conjectos: unum te ſapientem & appellant & exiſtimant; tribuebatur hoc modo M. Catoni; ſcimus L. Atilium apud patres noſtros appellatum eſſe ſapientem; ſed uterque alio quodam modo: Atilius, quia prudens eſſe in jure civili putabatur: Cato, quia multarum rerum uſum habebat: multa ejus & in Senatu & in foro vel proviſa prudenter, vel acta conſtanter, vel reſponſa acutè ferebantur; propterea quaſi cognomen jam habebat in ſenectute ſapientis; te autem alio quodam modo, non ſolùm natura & moribus, verùm etiam ſtudio & doctrina eſſe ſapientem: nec ſicut vulgus, ſed ut eruditi ſolent appellare ſapientem, qualem in tota Græcia neminem: nam qui ſeptem appellantur, eos, qui iſta ſubtilius quærunt, in numero ſapientium non habent. Athenis unum accepimus, & eum quidem etiam Apollinis oraculo ſapientiſſimum judicatum; hanc eſſe in te ſapientiam exiſtimant, ut omnia tua in te poſita eſſe ducas; humanoſque caſus virtute inferiores putes; itaque ex me quærunt, credo item ex te, Scævola, quonam pacto mortem Africani feras, eoque magis, quod his proximis Nonis, cùm in hortos D. Bruti auguris, commentandi causâ, ut aſſolet, veniſſemus, tu non adfuiſti: qui diligentiſſimè ſemper illum diem, & illud

munus ſolitus eſſes obire. *Scævola.* Quærunt quidem, C. Læli, multi, ut eſt à Fannio dictum: ſed ego id reſpondeo, quod animadverti, te dolorem quem acceperis cùm ſummi viri, tùm amiciſſimi morte, ferre moderatè: nec potuiſſe non commoveri, nec fuiſſe id humanitatis tuæ; quod autem his Nonis in noſtro collegio non adfuiſſes, invaletudinem cauſæ, non mœſtitiam fuiſſe. *Læl.* Rectè tu quidem, Scævola, & verè; nec enim ab iſto officio, quod ſemper uſurpavi, cùm valerem, abduci incommodo meo debui: nec ullo caſu arbitror hoc conſtanti homini poſſe contingere, ut ulla intermiſſio fiat officii. Tu autem, Fanni, qui mihi tantum tribui dicis, quantum ego nec agnoſco, nec poſtulo, facis amicè: ſed, ut mihi videris, non rectè judicas de Catone; aut enim nemo, quod quidem magis credo, aut, ſi quiſquam, ille ſapiens fuit. Quomodo enim, ut alia omittam, mortem filii tulit? memineram Paulum, videram Gallum: ſed hi in pueris; Cato in perfecto & ſpectato viro. Quamobrem cave Catoni anteponas ne iſtum quidem ipſum, quem Apollo, ut ais, ſapientiſſimum judicavit: hujus enim facta, illius dicta laudantur. De me autem, ut jam cum utroque loquar, ſic habetote.

III. Ego, ſi Scipionis deſiderio me moveri negem, quàm id rectè faciam, viderint ſapientes: ſed certè mentiar; moveor enim tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nemo unquàm erit; &, ut confirmare poſſum, nemo certè fuit: ſed non egeo medicinâ; me ipſe conſolor, & maxime illo ſolatio, quod eo errore careo, quo amicorum deceſſu plerique angi ſolent; nihil enim mali accidiſſe Scipioni puto: mihi accidit, ſi quid accidit: ſuis autem incommodis graviter angi, non amicum, ſed ſeipſum amantis eſt. Cum illo verò quis neget actum eſſe præclarè? niſi enim, quod ille minimè putabat, immortalitatem optare vellet, quid non eſt adeptus, quod homini fas eſſet optare? qui ſummam ſpem civium, quam de eo jam puero habuerant, continuò adoleſcens incredibili virtute ſuperavit: qui Conſulatum petivit nunquàm, factus eſt Conſul bis, primum ante tempus: iterum ſibi ſuo tempore, reipub. pænè ſerò; qui duabus urbibus everſis, inimiciſſimis huic imperio, non modò præſentia, verùm etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillimis? de pietate in matrem? liberalitate in ſorores? bonitate in ſuos? juſtitiâ in omnes? nota ſunt vobis: quàm autem civitati carus fuerit, mœrore funeris indicatum eſt. Quod igitur hunc paucorum annorum acceſſio juvare potuiſſet? ſenectus enim, quamvis non ſit gravis, ut memini Catonem anno antè, quàm mortuus eſt, mecum, & cum Scipione diſſerere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiamnum erat Scipio. Quamobrem vita quidem talis fuit, vel fortuna, vel gloria, ut nihil poſſet accedere; moriendi autem ſenſum celeritas abſtulit; quo de genere mortis difficile dictu eſt: quid homines

homines ſuſpicentur videtis. Hoc tamen verè licet dicere, P. Scipioni, ex multis diebus, quos in vitâ celeberrimos lætiſſimoſque viderit, illum diem clariſſimum fuiſſe, quo, Senatu dimiſſo, domum reductus ad veſperum eſt è Patribus Conſcriptis, à P. R. ſociis & Latinis, pridiè quàm exceſſit à vitâ: ut ex tam alto dignitatis gradu ad ſuperos videatur Deos potiùs, quàm ad inferos perveniſſe: neque enim aſſentior iis, qui hæc nuper diſſerere cœperunt, cum corporibus ſimul animos interire, atque omnia morte deleri.

IV. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel noſtrorum majorum, qui mortuis tàm religioſa jura tribuerunt; quod non feciſſent profectò, ſi nihil ad eos pertinere arbitrarentur: vel eorum, qui in hac terra fuerunt, magnamque Græciam, quæ nunc quidem deleta eſt, tum florebat, inſtitutis & præceptis ſuis erudierunt: vel ejus, qui Apollinis oraculo ſapientiſſimus eſt judicatus, qui non tùm hoc, tùm illud, ut in pleriſque, ſed idem dicebat ſemper, animos hominum eſſe divinos, iiſque, cùm è corpore exceſſiſſent, reditum in cœlum patere optimoque & juſtiſſimo cuique expeditiſſimum; quod item Scipioni videbatur, qui quidem quaſi præſagiret, perpaucis ante mortem diebus, cùm & Philus & Manlius adeſſent, & alii plures, tuque etiam, Scævola, mecum veniſſes, triduum diſſeruit de republicâ; cujus diſputationis fuit extremum ferè de immortalitate animorum: quæ ſe in quiete per viſum ex Africano audiſſe dicebat. Id ſi ita eſt, ut optimi cujuſque animus in morte facillimè evolet tanquam è cuſtodiâ vinculiſque corporis, cui cenſemus curſum ad Deos faciliorem fuiſſe, quàm Scipioni? quocirca mœrere hoc ejus eventu, vereor, ne invidi magis, quàm amici ſit. Sin autem illa veriora, ut idem interitus ſit animorum & corporum, nec ullus ſenſus maneat; ut nihil boni eſt in morte, ſic certè nihil mali; ſenſu enim amiſſo, fit idem, quaſi natus non eſſet omnino: quem tamen eſſe natum & nos gaudemus, & hæc civitas dum erit lætabitur. Quamobrem cum illo quidem, ut ſupra dixi, actum optimè eſt; mecum incommodius: quem fuerat æquius, ut priùs introieram, ſic prius exire de vita: ſed tamen recordatione noſtræ amicitiæ ſic fruor, ut beatè vixiſſe videar, quia cum Scipione vixerim: quocum mihi conjuncta cura de re publicâ & de privatâ fuit, quocum & domus & militia communis; & id, in quo eſt omnis vis amicitiæ, voluntatum, ſtudiorum, ſententiarum ſumma conſenſio. Itaque non tàm iſta me ſapientiæ, quam modò Fannius commemoravit, fama delectat, falſa præſertim, quàm quòd amicitiæ noſtræ memoriam ſpero ſempiternam fore; idque mihi eò magis eſt cordi, quod ex omnibus ſæculis vix tria aut quatuor nominantur paria amicorum: quo in genere ſperare videor Scipionis & Lælii amicitiam notam poſteritati fore. *Fann.* Iſtud quidem, Læli, ita neceſſe: ſed quoniam amicitiæ mentionem feciſti, & ſumus otioſi, pergratum mihi feceris,

ceris, ſpero item Scævolæ, ſi quemadmodum ſoles de cæteris rebus, cùm ex te quæruntur; ſic de amicitiâ diſputaris, quid ſentias, qualem exiſtimes, quæ præcepta des. *Scæv.* Mihi verò pergratum erit: atque, id ipſum cùm tecum agere conarer, Fannius antevertit; quamobrem utrique noſtrûm gratum admodùm feceris.

V. Læl. Ego verò non gravarer, ſi mihi ipſe confiderem; nam & præclara res eſt, & ſumus, ut dixit Fannius, otioſi; ſed quis ego ſum? aut quæ in me eſt facultas? doctorum eſt iſta conſuetudo, eaque Græcorum, ut iis ponatur de quo diſputent quàmvis ſubitò. Magnum opus eſt, egetque exercitatione non parvâ. Quamobrem quæ diſputari de amicitiâ poſſunt, ab eis cenſeo petatis, qui iſta profitentur; ego vos hortari tantùm poſſum, ut amicitiam omnibus rebus humanis anteponatis; nihil eſt enim tam naturæ aptum, tàm conveniens ad res vel ſecundas, vel adverſas. Sed hoc primùm ſentio, niſi in bonis amicitiam eſſe non poſſe: neque id ad vivum reſeco, ut illi, qui hæc ſubtiliùs diſſerunt, fortaſsè verè, ſed ad communem utilitatem parùm; negant enim quemquam virum bonum eſſe, niſi ſapientem. Sit ita ſanè; ſed eam ſapientiam interpretantur, quam adhuc mortalis nemo eſt conſecutus; nos autem ea, quæ ſunt in uſu vitaque communi, non ea, quæ finguntur, aut optantur, ſpectare debemus; nunquàm ego dicam, C. Fabricium, M. Curium, T. Coruncanium, quos ſapientes noſtri majores judicabant, ad iſtorum normam fuiſſe ſapientes. Quare ſibi habeant ſapientiæ nomen & invidioſum & obſcurum: concedantque, ut hi boni viri fuerint. Ne id quidem facient: negabunt id niſi ſapienti poſſe concedi. Agamus igitur pingui Minervâ, ut aiunt. Qui ita ſe gerunt, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, æqualitas, liberalitas; nec ſit in illis ulla cupiditas, vel libido, vel audacia; ſintque magna conſtantia, ut ii fuerunt, modò quos nominavi; hos viros bonos, ut habiti ſunt, ſic etiam appellandos putemus; quia ſequuntur, quantùm homines poſſunt, naturam, optimam benè vivendi ducem; ſic enim mihi perſpicere videor, ita natos eſſe nos, ut inter omnes eſſet ſocietas quædam: major autem, ut quiſque proximè accederet: itaque cives potiores, quam peregrini; & propinqui, quàm alieni; cum his enim amicitiam natura ipſa peperit; ſed ea non ſatis habet firmitatis; namque hoc præſtat amicitia propinquitati, quòd ex propinquitate benevolentia tolli poteſt, ex amicitiâ non poteſt; ſublatâ enim benevolentiâ, amicitiæ nomen tollitur, propinquitatis manet. Quanta autem vis amicitiæ ſit, ex hoc intelligi maximè poteſt: quòd ex infinitâ ſocietate generis humani, quam conciliavit ipſa natura, ita contracta res eſt & adducta in anguſtum, ut omnis caritas aut inter duos, aut inter paucos jungeretur.

VI. Eſt

VI. Eſt autem amicitia nihil aliud niſi omnium divinarum humanarumque rerum cum benevolentiâ & caritate ſumma conſenſio: quâ quidem haud ſcio, an, exceptâ ſapientiâ, quicquam melius homini ſit à diis immortalibus datum; divitias alii præponunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates; belluarum hoc quidem extremum eſt: illa autem ſuperiora caduca & incerta, poſita non tàm in noſtris conſiliis, quàm in fortunæ temeritate. Qui autem in virtute ſummum bonum ponunt, præclarè illi quidem: ſed hæc ipſa virtus amicitiam & gignit & continet: nec ſine virtute amicitia eſſe ullo pacto poteſt; jam virtutem ex conſuetudine vitæ ſermoniſque noſtri interpretemur: nec eam, ut quidam docti, verborum magnificentiâ metiamur: viroſque bonos eos, qui habentur, numeremus, Paulos, Catones, Gallos, Scipiones, Philos; his communis vita contenta eſt; eos autem omittamus, qui omninò nuſquam reperiuntur. Tales igitur inter viros amicitia tantas opportunitates habet, quantas vix queo dicere. Principio, cui poteſt eſſe vita vitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutuâ benevolentiâ conquieſcat? Quid dulcius, quàm habere, quicum omnia audeas ſic loqui, ut tecum? Quis eſſet tantus fructus in proſperis rebus, niſi haberes, qui illis æque ac tu ipſe gauderet? Adverſas verò ferre difficile eſſet ſine eo, qui illas graviùs etiam, quàm tu, ferret; denique cæteræ res, quæ expetuntur, opportunæ ſunt ſingulæ rebus ferè ſingulis: divitiæ, ut utare, opes ut colare, honores, ut laudare, voluptates, ut gaudeas, valetudo, ut dolore careas, & muneribus fungare corporis. Amicitia res plurimas continet: quoquò te verteris, præſtò eſt, nullo loco excluditur, nunquàm intempeſtiva, nunquàm moleſta eſt. Itaque non aquâ, non igni, ut aiunt, pluribus locis utimur, quàm amicitiâ; neque ego nunc de vulgari, aut de mediocri, quæ tamen ipſa & delectat, & prodeſt, ſed de verâ, & perfectâ loquor, qualis eorum, qui pauci nominantur, fuit; nam & ſecundas res ſplendidiores facit amicitia, & adverſas partiens communicanſque, leviores.

VII. Cùmque plurimas & maximas commoditates amicitia contineat, tùm illa mirum præſtat omnibus, quod bonam ſpem prælucet in poſterum: nec debilitari animos, aut cadere patitur. Verùm etiam amicum qui intuetur, tanquàm exemplar aliquod intuetur ſui; quocirca & abſentes adſunt, & egentes abundant, & imbecilles valent, &, quod difficilius dictu eſt, mortui vivunt: tantus eos honos, memoria, deſiderium proſequitur amicorum; ex quo illorum beata mors videtur: horum vita laudabilis; quod ſi exemeris ex naturâ rerum benevolentiæ junctionem, nec domus ulla, nec urbs ſtare poterit: ne agri quidem cultus permanebit; id ſi minùs intelligitur, quanta vis amicitiæ concordiæque ſit, ex diſſenſionibus atque diſcordiis percipi poteſt.

teſt. Quæ enim domus tàm ſtabilis, quæ tàm firma civitas eſt, quæ non odiis atque diſſidiis funditùs poſſit everti? ex quo quantum boni ſit in amicitiâ judicari poteſt. Agrigentinum quidem, doctum quendam virum, carminibus Græcis vaticinatum ferunt, quæ in rerum naturâ totoque mundo conſtarent, quæque moverentur, ea contrahere amicitiam, diſſipare diſcordiam; atque hoc quidem omnes mortales & intelligunt & re probant. Itaque, ſi quando aliquod officium extitit amici in periculis aut adeundis, aut communicandis, quis eſt, qui id non maximis efferat laudibus? qui clamores totâ caveâ nuper in hoſpitis & amici mei, M. Pacuvii, novâ fabula, cùm, ignorante rege, uter eorum eſſet Oreſtes, Pylades Oreſtem ſe eſſe diceret, ut pro illo necaretur; Oreſtes autem, ita ut erat, Oreſtem ſe eſſe perſeveraret? ſtantes plaudebant in re fictâ: quid arbitramur in verâ fuiſſe facturos? facilè indicabat ipſa natura vim ſuam; cùm homines, quod facere ipſi non poſſent, id rectè fieri in altero judicarent. Hactenus mihi videor, de amicitiâ quid ſentirem, potuiſſe dicere: ſiqua prætereà ſunt, credo autem eſſe multa, ab iis, ſi videbitur, qui ita diſputant, quæritote. *Fann.* Nos autem à te potiùs: quanquàm etiam ab iſtis ſæpe quæſivi, & audivi, non invitus equidem: ſed aliud quoddam expetimus filum orationis tuæ. *Scæv.* Tum magis id diceres, Fanni, ſi nuper in hortis Scipionis, cùm eſt de Republica diſputatum, affuiſſes, qualis tum patronus juſtitiæ fuit contra accuratam orationem Phili! *Fann.* Facile id quidem fuit, juſtitiam juſtiſſimo viro defendere. *Scæv.* Quid amicitiam? nonne facile ei, qui ob eam ſummâ fide, conſtantiâ, juſtitiâque ſervatam, maximam gloriam ceperit?

VIII. *Læl.* Vim hoc quidem eſt afferre; quid enim refert, quâ me rogatione cogatis? cogitis certè; ſtudiis enim generorum, præſertim in re bonâ, cùm difficile eſt, tùm ne æquum quidem obſiſtere. Sæpiſſime igitur mihi de amicitiâ cogitanti maximè illud conſiderandum videri ſolet, num propter imbecillitatem atque inopiam deſiderata ſit amicitiâ: ut dandis recipiendiſque meritis, quod quiſque minus per ſe ipſe poſſet, id acciperet ab alio, viciſſimque redderet: an eſſet hoc quidem proprium amicitiæ, ſed antiquior & pulchrior, & magis à naturâ ipsâ profecta alia cauſa; amor enim (ex quo amicitia nominata) princeps eſt ad benevolentiam conjungendam; nam utilitates quidem etiam ab iis percipiuntur ſæpe, qui ſimulatione amicitiæ coluntur, & obſervantur cauſâ temporis. In amicitiâ autem nihil fictum, nihil ſimulatum; &, quidquid in eâ eſt, id eſt verum & voluntarium. Quapropter à naturâ mihi videtur potiùs, quàm ab indigentiâ orta amicitia, & applicatione magis animi cum quodam ſenſu amandi, quam cogitatione, quantum illa res utilitatis eſſet habitura. Quod quidem quale ſit, etiam in beſtiis quibuſdam animadvorti poteſt: quæ ex ſe natos ita amant ad quoddam tempus,

& ab eis ita amantur, ut facilè earum ſenſus appareat; quod in homine multò eſt evidentius. Primùm ex ea caritate, quæ eſt inter natos & parentes: quæ dirimi niſi deteſtabili ſcelere non poteſt. Deinde, cùm ſimilis ſenſus extitit amoris, ſi aliquem nacti ſumus, cujus eum moribus & naturâ congruamus, quod in eo quaſi lumen aliquod probitatis & virtutis perſpicere videamur; nihil eſt enim amabilius virtute, nihil, quod magis alliciat ad diligendum: quippe cùm propter virtutem & probitatem eos etiam, quos nunquam vidimus, quodam modo diligamus. Quis eſt, qui C. Fabricii, M. Curii non cum caritate aliqua & benevolentia memoriam uſurpet, quos nunquam viderit? quis autem eſt, qui Tarquinium Superbum, qui Sp. Caſſium, Sp. Mælium non oderit? Cum duobus ducibus de imperio in Italiâ decertatum, Pyrrho & Hannibale: ab altero, propter probitatem ejus, non nimis alienos animos habemus: alterum propter crudelitatem ſemper hæc civitas oderit.

IX. Quod ſi tanta vis probitatis eſt, ut eam vel in eis, quos nunquàm vidimus, vel, quod majus eſt, in hoſte etiam diligamus, quid mirum ſi animi hominum moveantur, cùm eorum, quibuſcum conjuncti eſſe poſſunt, virtutem & bonitatem perſpicere videantur? Quanquàm confirmatur amor & beneficio accepto, & ſtudio perſpecto, & conſuetudine adjunctâ: quibus rebus ad illum primum motum animi & amoris adhibitis, admirabilis quædam exardeſcit benevolentiæ magnitudo: quam ſi qui putant ab imbecillitate proficiſci, ut ſit, per quem quiſque aſſequatur, quod deſideret, humilem ſanè relinquunt, & minimè generoſum, ut ita dicam, ortum amicitiæ, quam ex inopiâ atque indigentiâ natam volunt: quod ſi ita eſſet: ut quiſque minimum in ſe eſſe arbitraretur, ita ad amicitiam eſſet aptiſſimus; quod longè ſecus eſt; ut enim quiſque ſibi plurimum confidit, & ut quiſque maximè virtute & ſapientiâ ſic munitus eſt, ut nullo egeat, ſuaque omnia in ſe ipſo poſita judicet, ita in amicitiis expetendis colendiſque maxime excellit. Quid enim Africanus indigens mei? Minimè herclè: ac ne ego quidem illius: ſed ego admiratione quâdam virtutis ejus, ille viciſſim opinione fortaſsè nonnullâ, quam de meis moribus habebat, me dilexit: auxit benevolentiam conſuetudo. Sed quanquam utilitates multæ & magnæ conſecutæ ſunt, non ſunt tamen ab earum ſpe cauſæ diligendi profectæ. Ut enim benefici liberaleſque ſumus, non ut exigamus gratiam (neque enim beneficium fœneramur) ſed naturâ propenſi ad liberalitatem ſumus: ſic amicitiam non ſpe mercedis adducti, ſed quod omnis ejus fructus in ipſo amore ineſt, expetendam putamus. Ab iis, qui pecudum ritu ad voluptatem omnia referunt, longè diſſentiunt; nec mirum; nihil enim altum, nihil magnificum ac divinum ſuſpicere poſſunt, qui ſuas omnes cogitationes abjecerunt in rem tam humilem, támque contemptam; quamobrem

rem hos quidem ab hoc ſermone removeamus: ipſi autem intelligamus, naturâ gigni ſenſum diligendi, & benevolentiæ caritatem, factâ ſignificatione probitatis; quam qui appetiverunt, applicant ſeſe & propiùs admovent, ut & uſu ejus, quem diligere cœperunt, fruantur, & moribus; ſintque pares in amore & æquales, propenſioreſque ad benè merendum, quàm ad repoſcendum. Atque hæc inter eos ſit honeſta certatio; ſic & utilitates ex amicitiâ maximæ capientur: & erit ejus ortus à natura, quam ab imbecillitate, & gravior, & verior; nam ſi utilitas amicitias conglutinaret, eâdem commutatâ diſſiolveret; ſed quia natura mutari non poteſt, idcirco veræ amicitiæ ſempiternæ ſunt. Ortum quidem amicitiæ videtis, niſi quid ad hæc fortè vultis. *Fann.* Tu verò perge, Læli; pro hoc enim, qui minor eſt natu, meo jure reſpondeo. *Scæv.* Rectè tu quidem; quamobrem audiamus.

X. *Læl.* Audite ergo; optimi viri, ea quæ ſæpiſſimè inter me & Scipionem de amicitiâ diſſerebantur; quanquàm ille quidem nihil difficilius eſſe dicebat, quàm amicitiam uſque ad extremum vitæ permanere: nam, vel ut non idem expediret utrique, incidere ſæpe: vel ut de rep. non idem ſentirent: mutari etiam mores hominum ſæpe dicebat, alios adverſis rebus, alios ætate ingraveſcente; atque earum rerum exemplum ex ſimilitudine capiebat ineuntis ætatis, quod ſummi puerorum amores ſæpe unà cum prætextâ ponerentur; ſin autem ad adoleſcentiam perduxiſſent, dirimi tamen interdum contentione vel uxoriæ conditionis, vel commodi alicujus, quod idem adipiſci uterque non poſſet; quod ſi qui longiùs in amicitiâ provecti eſſent, tamen ſæpè labefactari, ſi in honoris contentionem incidiſſent; peſtem enim majorem eſſe nullam in amicitiis, quàm in pleriſque pecuniæ cupiditatem; in optimis quibuſque honoris certamen & gloriæ: ex quo inimicitias maximas ſæpe inter amiciſſimos extitiſſe: magna enim diſſidia, & plerumque juſta naſci, cùm aliquid ab amicis, quod rectum non eſſet, poſtularetur: ut aut libidinis miniſtri, aut adjutores eſſent ad injuriam; quod qui recuſarent, quamvis honeſtè id facerent, jus tamen amicitiæ deſerere arguerentur ab iis, quibus obſequi nollent; illos autem, qui quidvis ab amico auderent poſtulare, poſtulatione ipſa profiteri; omnia ſe amici causâ eſſe facturos; eorum querelâ inveteratas non modò familiaritates extingui ſolere, ſed etiam odia gigni ſempiterna. Hæc ita multa quaſi fata impendere amicitiis, ut omnia ſubterfugere non modò ſapientiæ, ſed etiam felicitatis diceret ſibi videri.

XI. Quamobrem id primùm videamus, ſi placet, quatenus amor in amicitia progredi debeat; num, ſi Coriolanus habuit amicos, ferre contra patriam arma illi cum Coriolano debuere? num Viſcellinum amici regnum appetentem, num Sp. Mælium debuerunt juvare? Ti. quidem Gracchum remp. vexantem, à Qu. Tube-

Tuberone, æqualibuſque amicis derelictum videbamus. At C. Bloſius Cumanus, hoſpes familiæ veſtræ, Scævola, cùm ad me, qui aderam Lænati & Rupilio Conſulibus in conſilio, deprecatum veniſſet, hanc, ut ſibi ignoſcerem, cauſam afferebat, quòd tanti Tib. Gracchum feciſſet, ut, quidquid ille vellet, ſibi faciendum putaret. Tum ego, Etiamne, ſi te in Capitolium faces ferre vellet? Nunquam, inquit, voluiſſet id quidem. Sed ſi voluiſſet? Paruiſſem. Videtis quam nefaria vox; & hercle ita fecit, vel plus etiam quam dixit; non enim paruit ille Tib. Gracchi temeritati, ſed præfuit: nec ſe comitem illius furoris, ſed ducem præbuit. Itaque hâc amentiâ, quæſtione novâ perterritus, in Aſiam profugit, ad hoſtes ſe contulit, pœnas reip. graves juſtaſque perſolvit. Nulla eſt igitur excuſatio peccati, ſi amici causâ peccaveris; nam cùm conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile eſt amicitiam manere, ſi à virtute defeceris. Quòd ſi rectum ſtatuerimus, vel concedere amicis quidquid velint, vel impetrare ab iis quidquid velimus, perfectâ quidem ſapientiâ ſumus, ſi nihil habeat res vitii: ſed loquimur de iis amicis, qui ante oculos ſunt, quos videmus, aut de quibus memoriam accepimus, aut quos novit vita communis; ex hoc numero nobis exempla ſumenda ſunt, & eorum quidem maximè, qui ad ſapientiam proximè accedunt. Videmus Papum Æmilium C. Luſcino familiarem fuiſſe (ſic à patribus accepimus) bis unà Conſules, & collegas in cenſura: tùm & cum iis, & inter ſe conjunctiſſimos fuiſſe, M. Curium, & T. Coruncanium, memoriæ proditum eſt; igitur ne ſuſpicari quidem poſſumus, quemquam horum ab amico quippiam contendiſſe, quod contra fidem, contra jusjurandum, contra remp. eſſet; nam hoc quidem in talibus viris quid attinet dicere? ſi contendiſſet, ſcio impetraturum non fuiſſe; cum illi ſanctiſſimi viri fuerint; æque autem nefas ſit, tale aliquid & facere rogatum, & rogare. At verò Tib. Gracchum ſequebantur C. Carbo, C. Cato, & minimus tum quidem Caius frater, nunc idem acerrimus.

XII. Hæc igitur lex in amicitiâ ſanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati; turpis enim excuſatio eſt, & minimè accipienda, cùm in cæteris peccatis, tùm ſi quis contra remp. ſe amici causâ feciſſe fateatur. Etenim eo loco, Fanni, & Scævola, locati ſumus, ut nos longè proſpicere oporteat futuros caſus reip. deflexit enim jàm aliquantulùm de ſpatio curriculoque conſuetudo majorum. Tib. Gracchus regnum occupare conatus eſt, vel regnavit is quidem paucos menſes. Num quid ſimile pop. R. audierat, aut viderat? Hunc etiam poſt mortem ſecuti amici & propinqui, quid in P. Naſicam Scipionem effecerint, ſine lacrymis non queo dicere; nam Carbonem quoquo modo potuimus, propter recentem pœnam Tib. Gracchi, ſuſtinuimus. De C. Gracchi autem Tribunatú, quod expectem, non libet

libet augurari; ſerpit deinde res, quæ proclivius ad perniciem, cùm ſemel cœpit, labitur. Videtis in tabellâ jam ante quanta ſit facta labes, primo Gabinia lege, biennio autem poſt, Caſſia. Videre jam videor populum à Senatu disjunctum, multitudiniſque arbitrio res maximas agi; plures enim dicent, quemadmodum hæc fiant, quam quemadmodum his reſiſtatur. Quorſum hæc? quia ſine ſociis nemo quidquam tale conatur. Præcipiendum eſt igitur bonis, ut, ſi in ejuſmodi amicitias ignari caſu aliquo inciderint, ne exiſtiment, ita ſe alligatos, ut ab amicis magna aliqua re in remp. peccantibus non diſcedant: improbis autem pœna ſtatuenda eſt: nec verò minor iis, qui ſecuti erunt alterum, quàm iis, qui ipſi fuerint impietatis duces. Quis clarior in Græcia Themiſtocle? quis potentior? qui cum imperator bello Perſico ſervitute Græciam liberaſſet, propterque invidiam in exilium pulſus eſſet, ingratæ patriæ injuriam non tulit, quam ferre debuit; fecit idem quod xx. annis ante apud nos fecerat Coriolanus: his adjutor contra patriam inventus eſt nemo; itaque mortem ſibi uterque conſcivit; quare talis improborum conſenſio non modò excuſatione amicitiæ tegenda non eſt, ſed potius omni ſupplicio vindicanda; ut ne quis ſibi conceſſum putet amicum, vel bellum patriæ inferentem, ſe qui; quod quidem, ut res cœpit ire, haud ſcio, an aliquando futurum ſit; mihi autem non minori curæ eſt, qualis reſpub. poſt mortem meam futura ſit, quam qualis hodie ſit.

XIII. Hæc igitur prima lex amicitiæ ſanciatur, ut ab amicis honeſta petamus, amicorum causâ honeſta faciamus: nec expectemus quidem, dùm rogemur: ſtudium ſemper adſit, cunctatio abſit: conſilium verò dare gaudeamus liberè: plurimum in amicitiâ amicorum benè ſuadentium valeat auctoritas: eaque & adhibeatur ad monendum non modò apertè, ſed etiam acriter, ſi res poſtulabit: & adhibitæ pareatur. Nam quibuſdam, quos audio ſapientes habitos in Græcia, placuiſſe opinor mirabilia quædam; ſed nihil eſt quod illi non perſequantur ſuis argutiis: partim fugiendas eſſe nimias amicitias, ne neceſſe ſit unum ſolicitum eſſe pro pluribus: ſatis ſupèrque eſſe ſibi ſuarum cuique rerum: alienis nimis implicari moleſtum eſſe: commodiſſimum eſſe, quàm laxiſſimas habenas habere amicitiæ; quas vel adducas cùm velis, vel remittas: caput enim eſſe ad beatè vivendum ſecuritatem; quâ frui non poſſit animus, ſi tanquàm parturiat unus pro pluribus. Alios autem dicere aiunt multò etiam inhumanius, quem locum breviter perſtrinxi paulò antè, præſidii adjumentique causâ, non benevolentiâ, neque caritatis, amicitias eſſe expetendas: itaque ut quiſque minimum firmitatis habeat, minimumque virium, ita amicitias appetere maximè: ex eo fieri, ut mulierculæ magis amicitiarum præſidia quærunt, quàm viri; & inopes, quam opulenti: & calamitoſi, quam ii, qui putentur beati.

beati. O præclaram ſapientiam! Solem enim è mundo tollere videntur, qui amicitiam è vitâ tollunt: quâ à diis immortalibus nihil melius habemus, nihil jucundius; quæ eſt enim iſta ſecuritas? ſpecie quidem blanda, ſed reapſe multis locis repudianda; neque enim eſt conſentaneum, ullam honeſtam rem actionemve, ne ſolicitus ſis, aut non ſuſpicere, aut ſuſceptam deponere; quod ſi curam fugimus, virtus fugienda eſt; quæ neceſſe eſt, cùm aliqua cura res ſibi contrarias aſpernetur atque oderit; ut bonitas malitiam, temperantia libidinem, ignaviam fortitudo. Itaque videas rebus injuſtis juſtos maximè dolere, imbecillibus fortes, flagitioſis modeſtos. Ergo hoc proprium eſt animi benè conſtituti, & lætari bonis rebus, & dolere contrariis. Quamobrem ſi cadit in ſapientem animi dolor, qui profectò cadit, niſi ex ejus animo exſtirpatam humanitatem arbitremur, quæ cauſa eſt, cur amicitiam funditùs tollamus è vitâ, ne aliquas propter eam ſuſcipiamus moleſtias? Quid enim intereſt, motu animi ſublato, non dico inter hominem & pecudem; ſed inter hominem & ſaxum, aut truncum, aut quidvis generis ejuſdem? neque enim ſunt iſti audiendi, qui virtutem duram, & quaſi ferream eſſe volunt, quæ quidem eſt cum multis in rebus, tum in amicitiâ, tenera atque tractabilis: ut & bonis amici quaſi diffundantur, & incommodis contrahantur. Quamobrem angor iſte, qui pro amico ſæpe capiendus eſt, non tantum valet, ut tollat è vitâ amicitiam: non plus, quàm ut virtutes, qui nonnullas curas & moleſtias afferunt, repudientur.

XIV. Cùm autem contrahat amicitiam, ut ſupra dixi, ſi qua ſignificatio virtutis eluceat, ad quam ſe ſimilis animus applicet & adjungat; id cum contingit, amor exoriatur neceſſe eſt; quid enim tàm abſurdum, quàm delectari multis inanibus rebus, ut honore, ut gloriâ, ut ædificio, ut veſtitu, cultuque corporis: animo autem virtute prædito, eo, qui vel amare, vel, ut ita dicam, redamare poſſit, non admodùm delectari? nihil eſt enim remuneratione benevolentiæ, nihil viciſſitudine ſtudiorum officiorumque jucundius. Quòd ſi etiam illud addimus, quod rectè addi poteſt, nihil eſſe, quod ad ſe rem ullam tàm illiciat & tàm attrahat, quàm ad amicitiam ſimilitudo: concedetur profectò verum eſſe, ut bonos boni diligant, adſciſcantque ſibi quaſi propinquitate conjunctos atque naturâ; nihil eſt enim appetentius ſimilium ſui, nihil rapacius, quàm natura. Quàmobrem hoc quidem, Fanni & Scævola, conſtat, ut opinor, bonis inter bonos quaſi neceſſariam benevolentiam eſſe; qui eſt amicitiæ fons à naturâ conſtitutus: ſed eadem bonitas etiam ad multitudinem pertinet; non eſt enim inhumana virtus, neque immunis, neque ſuperba: quæ etiam populos univerſos tueri, eiſque optimè conſulere ſoleat: quod non faceret profectò, ſi à caritate vulgi abhorreret. Atque etiam mihi quidem videntur, qui utilitatis causâ fingunt ami-

amicitias, amabiliſſimum nodum amicitiæ tollere; non enim tàm utilitas parta per amicum, quàm amici amor ipſe delectat: tùmque illud fit, quod ab amico eſt profectum, jucundum, ſi cum ſtudio eſt profectum: tantumque abeſt, ut amicitiæ propter indigentiam colantur, ut ii, qui opibus & copiis, maximèque virtute præditi, in quâ plurimum eſt præſidii, minimè alterius indigeant, liberaliſſimi ſint & beneficentiſſimi. Atque haud ſcio, an ne opus ſit quidem, nihil unquàm omninò deeſſe amicis. Ubi enim ſtudia noſtra viguiſſent, ſi nunquàm conſilio, nunquam operâ noſtrâ, nec domi, nec militiæ Scipio eguiſſet? non igitur utilitatem amicitia, ſed utilitas amicitiam conſecuta eſt.

XV. Non ergo erunt homines deliciis diffluentes audiendi, ſi quando de amicitiâ, quam nec uſu, nec ratione habent cognitam, diſputabunt. Nam quis eſt, proh deûm fidem atque hominum! qui velit, ut neque diligat quenquam, nec ipſe ab ullo diligatur, circumfluere omnibus copiis, atque in omnium rerum abundantiâ vivere? hæc enim eſt tyrannorum vita; in quâ nimirum nulla fides, nulla caritas, nulla ſtabilis benevolentiæ poteſt eſſe fiducia: omnia ſemper ſuſpecta atque ſolicita: nullus locus amicitiæ: quis enim aut eum diligat, quem metuit; aut eum, à quo ſe metui putat? Coluntur tamen ſimulatione duntaxat ad tempus; quod ſi fortè, ut fit plerumque, ceciderint, tùm, intelligitur, quàm fuerint inopes amicorum; quod Tarquinium dixiſſe ferunt tùm exulantem, ſe intellexiſſe, quos fidos amicos habuiſſet, quos infidos, cum jam neutris gratiam referre poſſet; quanquam miror, illâ ſuperbiâ & importunitate, ſi quenquam habere potuit. Atque ut hujus, quem dixi, mores veros amicos parare non potuere; ſic multorum opes præpotentium excludunt amicitias fideles: non enim ſolùm ipſa fortuna cæca eſt, ſed eos etiam plerumque efficit cæcos, quos complexa eſt. Itaque efferuntur illi ferè faſtidio & contumaciâ: neque quidquam inſipiente fortunato intolerabilius fieri poteſt. Atque hoc quidem videre licet, eos, qui anteà commodis fuerunt moribus, imperio, poteſtate, proſperis rebus immutari, ſpernique ab iis veteres amicitias, indulgeri novis. Quid autem ſtultius, quàm, cùm plurimum copiis, facultatibus, opibus poſſint, cætera parare, quæ parantur pecuniâ, equos, famulos, veſtem egregiam, vaſa pretioſa: amicos non parare, optimam & pulcherrimam vitæ, ut ità dicam, ſupellectilem? etenim cætera cùm parant, cui parent, neſciunt, nec cujus causâ laborent; ejus enim eſt iſtorum quidque, qui vincit viribus: amicitiarum ſua cuique permanet ſtabilis & certa poſſeſſio: ut etiam ſi illa maneant, quæ ſunt quaſi dona fortunæ, tamen vita inculta, & deſerta ab amicis, non poſſit eſſe jucunda. Sed hæc hactenus.

XVI. Conſtituendi autem ſunt, qui ſint in amicitiâ fines, & quaſi termini diligendi: de quibus tres video ſententias ferri; quarum

quarum nullam probo: unam, ut eodem modò erga amicum affecti ſimus, quo erga noſmetipſos; alteram, ut noſtra in amicos benevolentia, illorum erga nos benevolentiæ pariter æqualiterque reſpondeat: tertiam, ut, quanti quiſque ſeipſe facit, tanti fiat ab amicis. Harum trium ſententiarum nulli prorſus aſſentior; nec enim illa prima vera eſt, ut, quemadmodum in ſe quiſque, ſic in amicum ſit animatus; quàm multa enim, quæ noſtrâ causâ nunquam faceremus, facimus causâ amicorum? precari ab indigno, ſupplicare; tùm acerbiùs in aliquem invehi, inſectarique vehementiùs: quæ in noſtris rebus non ſatis honeſtè, in amicorum fiunt honeſtiſſimè: multæque res ſunt, in quibus de ſuis commodis viri boni multa detrahunt, detrahique patiuntur, ut iis amici potiùs, quàm ipſi fruantur. Altera ſententia eſt, quæ definit amicitiam paribus officiis ac voluntatibus; hoc quidem eſt nimis exiguè & exiliter ad calculos vocare amicitiam, ut par ſit ratio acceptorum & datorum. Ditior mihi & affluentior videtur eſſe vera amicitia: nec obſervare reſtrictè, ne plus reddat, quàm acceperit; neque enim verendum eſt, ne quid excidat, aut ne quid in terram defluat, aut ne plus æquo quid in amicitiam congeratur. Tertius vero ille finis deterrimus, ut, quanti quiſque ſe ipſe faciat, tanti fiat ab amicis; ſæpe enim in quibuſdam aut animus abjectior eſt, aut ſpes amplificandæ fortunæ fractior; non eſt igitur amici, talem eſſe in eum, qualis ille in ſe eſt: ſed potiùs eniti & efficere, ut amici jacentem animum excitet, inducatque ſpem cogitationemque meliorem. Alius igitur finis veræ amicitiæ conſtituendus eſt, ſi prius, quid maximè reprehendere Scipio ſolitus ſit, edixero. Negabat ullam vocem inimiciorem amicitiæ potuiſſe reperiri, quam ejus qui dixiſſet, ita amare oportere, ut ſi aliquando eſſet oſurus; nec verò ſe adduci poſſe, ut hoc quemadmodùm putaretur, à Biante eſſe dictum crederet, qui ſapiens habitus eſſet unus è ſeptem, ſed impuri cujuſdam, aut ambitioſi, aut omnia ad ſuam potentiam revocantis eſſe ſententiam. Quonam enim modo quiſquam amicus eſſe poterit, cui ſe putabit inimicum eſſe poſſe? quinetiam neceſſe erit cupere & optare; ut quàm ſæpiſſimè peccet amicus, quo plures det ſibi tanquam anſas ad reprehendendum: rursùm autem rectè factis, commodiſque amicorum neceſſe erit angi, dolere, invidere; quare hoc quidem præceptum, cujuſcunque eſt, ad tollendam amicitiam valet. Illud potiùs præcipiendum fuit, ut eam diligentiam adhiberemus in amicitiis comparandis, ut nequando amare inciperemus eum, quem aliquando odiſſe poſſemus; quinetiam ſi minus felices in diligendo fuiſſemus, ferendum id Scipio potiùs, quàm inimicitiarum tempus cogitandum, putabat.

XVII.

XVII. His igitur finibus utendum arbitror, ut, cùm emendati mores amicorum ſint, tùm ſit inter eos omnium rerum, conſiliorum, voluntatum, ſine ullâ exceptione, communitas; ut etiam ſi quâ fortunâ acciderit, ut minus juſtæ amicorum voluntates adjuvandæ ſint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinandum ſit de viâ, modò ne ſumma turpitudo ſequatur; eſt enim quatenus amicitiæ dari venia poſſit, nec verò negligenda eſt fama; nec mediocre telum ad res gerendas exiſtimare oportet benevolentiam civium: quam blanditiis & aſſentando colligere turpe eſt; virtus, quam ſequitur caritas, minimè repudianda eſt. Sed ſæpe, etenim redeo ad Scipionem; cujus omnis ſermo erat de amicitiâ, quòd omnibus in rebus homines diligentiores eſſent; ut capras, & oves quot quiſque haberet, dicere poſſet; amicos quos haberet, non poſſet dicere: & in illis quidem parandis adhibere curam, in amicis eligendis negligentes eſſe; nec habere quaſi ſigna quædam & notas, quibus eos, qui ad amicitiam eſſent idonei, judicarent. Sunt igitur firmi, & ſtabiles, & conſtantes eligendi: cujus generis eſt magna penuria; & judicare difficile eſt ſanè niſi expertum; experiendum autem eſt in ipsâ amicitiâ; ita præcurrit amicitia judicium, tollitque experiendi poteſtatem. Eſt igitur prudentis ſuſtinere, ut currum, ſic impetum benevolentiæ: quo utamur, quaſi equis tentatis, ſic amicitiis, aliquâ parte periclitatis moribus amicorum. Quidam ſæpe in parvâ pecuniâ perſpiciuntur, quàm ſint leves: quidam, quos parva movere non potuit, cognoſcuntur in magnâ; ſin verò erunt aliqui reperti, qui pecuniam præferre amicitiæ ſordidum exiſtiment: ubi eos inveniemus, qui honores, magiſtratus, imperia, poteſtates, opes amicitiæ non anteponent? ut cùm ex alterâ parte propoſita hæc ſint, ex alterâ jus amicitiæ, non multo illa malint? imbecilla enim natura eſt ad contemnendam potentiam: quam etiam ſi neglectâ amicitiæ conſecuti ſunt, obſcuratum iri ſe arbitrantur, quia non ſine magnâ causâ ſit neglecta amicitia. Itaque veræ amicitiæ difficillimè reperiuntur in iis, qui in honoribus reque publicâ verſantur. Ubi enim iſtum invenias, qui honorem amici anteponat ſuo? Quid? hæc ut omittam, quàm graves, quàm difficiles pleriſque videntur calamitatum ſocietates? ad quas non eſt facilè inventu qui deſcendant. Quanquàm Ennius rectè,

Amicus certus in re incerta cernitur:

tamen hæc duo levitatis & infirmitatis pleroſque convincunt: aut ſi in bonis rebus contemnunt, aut in malis deſerunt.

XVIII. Qui igitur utrâque in re gravem, conſtantem, ſtabilem ſe in amicitiâ præſtiterit, hunc ex maximè raro hominum genere judicare debemus, & pænè divino. Firmamentum autem ſtabilitatis conſtantiæque eſt ejus, quam in amicitiâ quærimus, fides. Nihil enim eſt ſtabile, quod infidum eſt. Simplicem prætereà, & communem, & conſentientem, & qui rebus iiſdem

dem moveatur, eligi par eſt: quæ omnia pertinent ad fidelitatem; neque enim fidum poteſt eſſe multiplex ingenium & tortuoſum: neque verò, qui non iiſdem rebus movetur, naturaque conſentit, aut fidus aut ſtabilis poteſt eſſe. Addendum eodem eſt, ut ne criminibus aut inferendis delectetur, aut credat oblatis: quæ omnia pertinent ad eam, quam jamdudum tracto, conſtantiam. Ita fit verum illud, quod initio dixi, Amicitiam, niſi inter bonos, eſſe non poſſe. Eſt enim boni viri, quem eundem ſapientem licet dicere, hæc duo tenere in amicitiâ: primùm, ne quid fictum ſit, neve ſimulatum: apertè enim vel odiſſe magis ingenui eſt, quam fronte occultare ſententiam: deinde, non ſolùm ab aliquo allatas criminationes repellere, ſed ne ipſum quidem eſſe ſuſpicioſum, ſemper aliquid exiſtimantem ab amico eſſe violatum. Accedat huc ſuavitas quædam oportet ſermonum atque morum, haudquaquam mediocre condimentum amicitiæ. Triſtitia autem & in omni re ſeveritas, habet illa quidem gravitatem; ſed amicitia remiſſior eſſe debet, & liberior, & dulcior, & ad omnem comitatem facilitatemque proclivior.

XIX. Exiſtit autem hoc loco quædam quæſtio ſubdifficilis: num quando amici novi, digni amicitiâ, veteribus ſint anteponendi, ut equis vetulis teneros anteponere ſolemus. Indigna homine dubitatio; non enim eſſe debent amicitiarum, ſicut aliarum rerum, ſatietates. Veterrima quæque (ut ea vina, quæ vetuſtatem ferunt) eſſe debent ſuaviſſima: verumque illud eſt, quod dicitur, multos modios ſalis ſimul edendos eſſe, ut amicitiæ munus expletum ſit; novitates autem, ſi ſpem afferunt, ut tanquàm in herbis non fallacibus fructus appareat, non ſunt illæ quidem repudiandæ; vetuſtas tamen loco ſuo conſervanda; maxima eſt enim vis vetuſtatis & conſuetudinis. Quin ipſo equo, cujus modò mentionem feci, ſi nulla res impediat, nemo eſt, qui non eo, quo conſuevit, libentiùs utatur, quam intractato & novo. Nec verò in hoc, quod eſt animal, ſed in iis etiam, quæ ſunt inanimata, conſuetudo valet: cùm locis ipſis delectemur montuoſis etiam & ſylveſtribus, in quibus diutiùs commorati ſumus. Sed maximum eſt in amicitiâ, ſuperiorem parem eſſe inferiori: ſæpe enim excellentiæ quædam ſunt, qualis erat Scipionis in noſtro, ut ita dicam, grege. Nunquàm ſe ille Philo, nunquàm Rupilio, nunquàm Mummio antepoſuit, nunquam inferioris ordinis amicis. Q. vero Maximum fratrem, egregium virum, omninò ſibi nequaquam parem, quod is anteibat ætate, tanquàm ſuperiorem colebat; ſuoſque omnes per ſe eſſe ampliores volebat. Quod faciendum imitandumque eſt omnibus: ut ſi quam præſtantiam virtutis, ingenii, fortunæ conſecuti ſunt, impertiant eam ſuis, communicentque cum proximis: ut ſi parentibus nati ſint humilibus, ſi propinquos habeant imbecilliores vel animo, vel fortunâ, eorum augeant opes, eiſque honori ſint & dignitati: ut in fabulis, qui aliquandiu propter ignorationem ſtirpis & generis

in

in famulatu fuerint, cum cogniti ſunt, & aut deorum, aut regum filii inventi, retinent tamen caritatem in paſtores, quos patres multos annos eſſe duxerunt. Quod quidem eſt multo profectò magis in veris patribus certiſque faciendum: fructus enim ingenii & virtutis, omniſque præſtantiæ, tum maximus capitur, cum in proximum quemque confertur.

XX. Ut igitur ii, qui ſunt in amicitiæ conjunctioniſque neceſſitudine ſuperiores, exæquare ſe cum inferioribus debent: ſic inferiores non dolere, ſe à ſuis aut ingenio, aut fortunâ, aut dignitate ſuperari: quorum plerique aut queruntur ſemper aliquid, aut etiam exprobrant: eoque magis, ſi habere ſe putant, quod officiosè, & amicè, aut cum labore aliquo ſuo factum queant dicere. Odioſum ſanè genus hominum officia exprobrantium: quæ meminiſſe debet is, in quem collata ſunt, non commemorare, qui contulit. Quamobrem ut ii, qui ſuperiores ſunt, ſubmittere ſe debent in amicitia: ſic quodam modo inferiores extollere; ſunt enim quidam, qui moleſtas amicitias faciunt, cum ipſi ſe contemni putant; quod non ferè contingit, niſi iis, qui etiam contemnendos ſe arbitrantur: qui hac opinione non modò verbis, ſed etiam opere levandi ſunt. Tantum autem cuique tribuendum, primùm, quantum ipſe efficere poſſis: deinde etiam, quantum ille, quem diligas atque adjuves, ſuſtinere; non enim tu poſſis, quamvis licet excellas, omnes tuos ad honores ampliſſimos producere: ut Scipio P. Rutilium potuit Conſulem efficere, fratrem ejus Lucium non potuit. Quòd ſi etiam poſſis quidvis deferre ad alterum, videndum eſt tamen, quid ille poſſit ſuſtinere. Omninò amicitiæ, corroboratis jam confirmatiſque & ingeniis & ætatibus, judicandæ ſunt: nec, ſi qui ineunte ætate venandi, aut pilæ ſtudioſi fuerint, eos habere neceſſarios oportet, quos tùm eodem ſtudio præditos dilexerunt; iſto enim modo nutrices, & pædagogi jure vetuſtatis plurimum benevolentiæ poſtulabunt: qui negligendi quidem non ſunt, ſed alio quodam modo colendi; aliter amicitiæ ſtabiles permanere non poſſunt; diſpares enim mores diſparia ſtudia ſequuntur, quorum diſſimilitudo diſſociat amicitias: nec ob aliam cauſam ullam boni improbis, improbi bonis amici eſſe non poſſunt, niſi quòd tanta eſt inter eos, quanta maxima poteſt eſſe, morum ſtudiorumque diſtantia. Rectè etiam præcipi poteſt in amicitiis, ne intemperata quædam benevolentia, quod perſæpe fit, impediat magnas utilitates amicorum: nec enim, ut ad fabulas redeam, Trojam Neoptolemus capere potuiſſet, ſi Lycomedem, apud quem erat educatus, multis cum lacrymis iter ſuum impedientem, audire voluiſſet; & ſæpe incidunt magnæ res, ut diſcedendum ſit ab amicis: quas qui impedire vult, quod deſiderium non facilè ferat, is & infirmus eſt, molliſque naturâ, & ob eam ipſam cauſam in amicitia parum juſtus. Atque in omni re conſiderandum eſt, & quid poſtules ab amico, & quid patiare à tè impetrari.

XXI. Eſt

XXI. Eſt enim quaſi quædam calamitas in amicitiis dimittendis nonnunquam neceſſaria: jam enim à ſapientium familiaritatibus ad vulgares amicitias oratio noſtra delabitur. Erumpunt ſæpe vitia amicorum cùm in ipſos amicos, tùm in alienos; quorum tamen ad amicos redundet infamia; tales igitur amicitiæ ſunt remiſſione uſûs eluendæ, &, ut Catonem dicere audivi, diſſuendæ magis, quam diſcindendæ: niſi quædam admodùm intolerabilis injuria exarſerit, ut neque rectum, neque honeſtum ſit, neque fieri poſſit, ut non ſtatim alienatio disjunctioque facienda ſit; ſin autem aut morum, aut ſtudiorum commutatio quædam, ut fieri ſolet, facta erit; aut in reip. partibus diſſenſio interceſſerit (loquor enim jam, ut paulò ante dixi, non de ſapientium, ſed de communibus amicitiis) cavendum erit, ne non ſolùm amicitiæ depoſitæ, ſed inimicitiæ etiam ſuſceptæ videantur; nihil enim eſt turpius, quàm cum eo bellum gerere, quîcum familiariter vixeris. Ab amicitia Q. Pompeli meo nomine ſe removerat, ut ſcitis, Scipio: propter diſſenſionem autem, quæ erat in repub. alienatus eſt à collega noſtro Metello: utrumque egit graviter, auctoritate & offenſione animi non acerbâ. Quamobrem primùm danda opera eſt, nequa amicorum diſſidia fiant: ſin tale aliquid evenerit, ut extinctæ potius amicitiæ, quàm oppreſſæ eſſe videantur. Cavendum verò, ne etiam in graves inimicitias convertant ſe amicitiæ: ex quibus jurgia, maledicta, contumeliæ gignuntur; quæ tamen, ſi tolerabilia erunt, ferenda ſunt: & hic honos veteri amicitiæ tribuendus, ut is in culpâ ſit, qui faciat, non qui patiatur injuriam. Omninò omnium horum vitiorum atque incommodorum una cautio eſt, atque una proviſio, ut ne nimis citò diligere incipiant, neve non dignos. Digni autem ſunt amicitiâ, quibus in ipſis ineſt cauſa, cur diligantur. Rarum genus, & quidem omnia præclara rara, nec quidquam difficilius, quàm reperire, quod ſit omni ex parte in ſuo genere perfectum; ſed plerique neque in rebus humanis quidquam bonum norunt, niſi quod fructuoſum ſit: & amicos, tanquam pecudes, eos potiſſimùm diligunt, ex quibus ſperant ſe maximum fructum eſſe capturos: ita pulcherrimâ illâ & maximè naturali carent amicitiâ, per ſe & propter ſe expetendâ: nec ipſi ſibi exemplo ſunt, hæc vis amicitiæ qualis & quanta ſit. Ipſe enim ſe quiſque diligit, non ut aliquam à ſe ipſe mercedem exigat caritatis ſuæ, ſed quod per ſe ſibi quiſque carus eſt; quod niſi idem in amicitiam transferatur, verus amicus nunquam reperietur; eſt enim is quidem, tanquam alter idem. Quòd ſi hoc apparet in beſtiis, volucribus, nantibus, agreſtibus, cicuribus, feris; primùm ut ſe ipſæ diligant, id enim pariter cum omni animante naſcitur; deinde, ut requirant atque appetant, ad quas ſe applicent ejuſdem generis animantes: idque faciunt cum deſiderio, & cum quadam ſimilitudine amoris humani; quanto id magis in homine ſit naturâ,

turâ, qui & ſe ipſe diligit, & alterum anquirit, cujus animum ita cum ſuo miſceat, ut efficiat pæne unum ex duobus?

XXII. Sed plerique perversè, ne dicam impudenter, amicum habere talem volunt, quales ipſi eſſe non poſſunt: quæque ipſi non tribuunt amicis, hæc ab iis deſiderant. Par eſt autem, primum ipſum eſſe virum bonum, tum alterum ſimilem ſui quærere. Equidem in talibus ea, quam jamdudum tractamus, ſtabilitas amicitiæ confirmari poteſt: cum homines benevolentiâ conjuncti primùm cupiditatibus iis, quibus cæteri ſerviunt, imperabunt: deinde æquitate juſtitiâque gaudebunt, omniaque alter pro altero ſuſcipiet: neque quidquam unquam niſi honeſtum & rectum alter ab altero poſtulabit: neque ſolùm colent inter ſe ac diligent ſed etiam verebuntur; nam maximum ornamentum amicitiæ tollit, qui ex ea tollit verecundiam. Itaque in iis perniciosus eſt error, qui exiſtimant libidinum peccatorumque omnium in amicitia licentiam. Virtutum amicitia adjutrix à natura data eſt, non vitiorum comes: ut quoniam ſolitaria non poſſet virtus ad ea, quæ ſumma ſunt, pervenire, conjuncta & conſociata cum altera perveniret: quæ ſi quos inter ſocietas aut eſt, aut fuit, aut futura eſt, eorum eſt habendus ad ſummum naturæ bonum optimus beatiſſimuſque comitatus. Hæc eſt, inquam, ſocietas, in qua omnia inſunt, quæ putant homines expetenda, honeſtas, gloria, tranquillitas animi, atque jucunditas: ut &, cum hæc adſint, beata vita ſit, & ſine his eſſe non poſſit. Quod cum optimum maximumque ſit, ſi id volumus adipiſci, virtuti opera danda eſt: ſine quâ neque amicitiam, neque ullam rem expetendam conſequi poſſumus; eâ verò neglectâ, qui ſe amicos habere arbitrantur, tum ſe denique erraſſe ſentiunt, cùm eos gravis aliquis caſus experiri cogit. Quocirca, dicendum eſt enim ſæpius, cùm judicaveris, diligere oportet; non cùm dilexeris, judicare; ſed cùm multis in rebus negligentiâ plectimur, tum maximè in amicis & deligendis & colendis; præpoſteris enim utimur conſiliis, & acta agimus, quod vetamur vetere proverbio. Nam implicati ultrò & citrò vel uſu diuturno, vel etiam officiis, repentè in medio curſu amicitias, exortâ aliquâ offenſione, dirumpimus.

XXIII. Quò etiam magis vituperanda eſt rei maximè neceſſariæ tanta incuria. Una eſt enim amicitia in rebus humanis, de cujus utilitate omnes uno ore conſentiunt; quanquam à multis ipſa virtus contemnitur, & venditatio quædam atque oſtentatio eſſe dicitur; multi divitias deſpiciunt, quos parvo contentos tenuis victus cultuſque delectat: honores verò, quorum cupiditate quidam inflammantur, quam multi ita contemnunt, ut nihil inanius, nihil eſſe levius exiſtiment; itemque cætera, quæ quibuſdam admirabilia videntur, permulti ſunt, qui pro nihilo putent; de amicitia omnes ad unum idem ſentiunt, & ii, qui ad rempub.

ſe contulerunt; & ii, qui rerum cognitione doctrinâque delectantur; & ii, qui ſuum negotium gerunt otioſi: poſtremò ii, qui ſe totos tradiderunt voluptatibus, ſine amicitiâ vitam eſſe nullam ſentiunt, ſi modò velint aliquâ ex parte liberaliter vivere; ſerpit enim neſcio quomodo per omnium vitas amicitia: nec ullam ætatis degendæ rationem patitur eſſe expertem ſui. Quinetiam ſi quis eâ aſperitate eſt & immanitate naturæ, congreſſus ut hominum fugiat atque oderit, qualem fuiſſe Athenis Timonem neſcio quem accepimus; tamen is pati non poſſit, ut non anquirat aliquem, apud quem evomat virus acerbitatis ſuæ. Atque hoc maximè judicaretur, ſi quid tale poſſet contingere, ut aliquis nos deus ex hac hominum frequentiâ tolleret, & in ſolitudine uſpiam collocaret, atque ibi ſuppeditans omnium rerum, quas natura deſiderat, abundantiam & copiam, hominis omninò aſpiciendi poteſtatem eriperet; quis tam eſſet ferreus, qui eam vitam ferre poſſet, cuique non auferret fructum voluptatum omnium ſolitudo? Verum ergo illud eſt, quod à Tarentino Archytâ, ut opinor, dici ſolitum, noſtros ſenes commemorare audivi, ab aliis ſenibus auditum: Si quis in cœlum aſcendiſſet, naturamque mundi, & pulchritudinem ſiderum perſpexiſſet, inſuavem illam admirationem ei fore, quæ jucundiſſima fuiſſet, ſi aliquem cui narraret habuiſſet. Sic natura ſolitarium nihil amat, ſemperque ad aliquod tanquam adminiculum annititur: quod in amiciſſimo quoque dulciſſimum eſt.

XXIV. Sed cùm tot ſignis eadem natura declaret, quid velit, anquirat, deſideret; obſurdeſcimus tamen neſcio quomodò; nec ea, quæ ab eâ monemur, audimus; eſt enim varius & multiplex uſus amicitiæ, multæque cauſæ ſuſpicionum offenſionumque dantur: quas tum evitare, tum elevare, tum ferre, ſapientis eſt; una illa ſublevanda offenſio eſt, ut & veritas in amicitiâ, & fides retineatur; nam & monendi amici ſæpe ſunt, & objurgandi: & hæc accipienda amicè, cùm benevolè fiunt. Sed neſcio quomodo verum eſt, quod in Andriâ familiaris meus dicit:

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Moleſta veritas, ſi quidem ex eâ naſcitur odium, quod eſt venenum amicitiæ; ſed obſequium multo moleſtius, quod peccatis indulgens, præcipitem amicum ferri ſinit; maxima autem culpa in eo eſt, qui & veritatem aſpernatur, & in fraudem obſequio impellitur. Omnis igitur hâc in re habenda ratio & diligentia eſt: primùm, ut monitio acerbitate, deinde ut objurgatio contumeliâ careat: in obſequio autem, quoniam Terentiano verbo lubenter utimur, comitas adſit; aſſentatio, vitiorum adjutrix, procul amoveatur: quæ non modò amico, ſed ne libero quidem digna eſt: aliter enim cum tyranno, aliter cum amico vivitur. Cujus autem aures veritati clauſæ ſunt, ut ab amico verum audire

dire nequeat, hujus ſalus deſperanda eſt; ſcitum eſt enim illud Catonis, ut multa; Melius de quibuſdam acerbos inimicos mereri, quàm eos amicos qui dulces videantur; illos verum ſæpè dicere, hos nunquam. Atque illud abſurdum eſt, quod ii, qui monentur, eam moleſtiam, quam debent capere, non capiunt: eam capiunt, quâ debent vacare: peccaſſe enim ſe non anguntur, objurgari moleſtè ferunt: quod contra oportebat, delicto dolere, correctione gaudere.

XXV. Ut igitur & monere, & moneri proprium eſt veræ amicitiæ: & alterum liberè facere, non aſperè; alterum patienter accipere, non repugnanter: ſic habendum eſt, nullam in amicitiis peſtem eſſe majorem, quàm adulationem, blanditiam, aſſentationem; quamvis enim multis nominibus eſt hoc vitium notandum, levium hominum atque fallacium, ad voluntatem loquentium omnia, nihil ad veritatem. Cùm autem omnium rerum ſimulatio eſt vitioſa (tollit enim judicium veri, idque adulterat) tum amicitiæ repugnat maximè: delet enim veritatem, ſine quâ nomen amicitiæ valere non poteſt. Nam cùm amicitiæ vis ſit in eo, ut unus quaſi animus fiat ex pluribus; quî id fieri poterit, ſi ne in uno quidem quoque unus animus erit, idemque ſemper; ſed varius, commutabilis, multiplex? Quid enim poteſt eſſe tam flexibile, tam devium, quàm animus ejus, qui ad alterius non modo ſenſum ac voluntatem, ſed etiam vultum atque nutum convertitur?

Negat quis? nego: ait? aio; poſtremò imperavi egomet mibi, Omnia aſſentari.

ut ait idem Terentius, ſed ille ſub Gnathonis perſonâ: quod amici genus adhibere, omninò levitatis eſt. Multi autem Gnathonum ſimiles cùm ſint, loco, fortunâ, famâ ſuperiores: horum eſt aſſentatio moleſta, cùm ad vanitatem acceſſit auctoritas; ſecerni autem blandus amicus à vero, & internoſci tam poteſt, adhibitâ diligentiâ, quàm omnia fucata & ſimulata à ſinceris atque veris. Concio, quæ ex imperitiſſimis conſtat, tamen judicare ſolet, quid interſit inter popularem, id eſt, aſſentatorem, & levem civem, & inter conſtantem, ſeverum, & gravem. Quibus blanditiis C. Papirius nuper influebat in aures concionis, cùm ferret legem de Tribunis-pleb. reficiendis? Diſſuaſimus nos. Sed nihil de me: de Scipione dicam libentius. Quanta illa, dii immortales! fuit gravitas, quanta in oratione majeſtas! ut facilè ducem pop. Rom. non comitem diceres: ſed affuiſtis, & eſt in manibus oratio; itaque lex popularis ſuffragiis populi repudiata eſt. Atque, ut ad me redeam; meminiſtis, Q. Maximo, fratre Scipionis, & L. Mancino Conſulibus, quam popularis lex de ſacerdotiis C. Licinii Craſſi videbatur; cooptatio enim collegiorum ad populi beneficium transferebatur. Atque is primùm inſtituit in forum verſus agere cum populo; tamen illius vendibilem o-

rationem religio deorum immortalium, nobis defendentibus, facilè vincebat; atque id actum eſt Prætore me, quinquennio ante, quàm Conſul ſum factus; itaque re magis, quàm auctoritate, cauſa illa defenſa eſt.

XXVI. Quòd ſi in ſcenâ, id eſt, in concione, in quâ rebus fictis & adumbratis loci plurimum eſt, tamen verum valet, ſi modò id patefactum & illuſtratum eſt, quid in amicitiâ fieri oportet, quæ tota veritate perpenditur? in qua, niſi, ut dicitur, apertum pectus videas, tuumque oſtendas, nihil fidum, nihil exploratum habeas: ne amare quidem, aut amari; cùm id quàm verè fiat, ignores. Quanquam iſta aſſentatio, quamvis pernicioſa ſit, nocere tamen nemini poteſt, niſi ei, qui eam recipit, atque ea delectatur: ita fit, ut is aſſentatoribus patefaciat aures ſuas maximè, qui ipſe ſibi aſſentetur, & ſe maximè ipſe delectat. Omninò eſt amans ſui virtus; optimè enim ſe ipſa novit, quamque amabilis ſit intelligit: ego autem non de virtute nunc loquor, ſed de virtutis opinione; virtute enim ipſa non tàm multi prædíti eſſe, quàm videri volunt. Hos delectat aſſentatio: his fictus ad ipſorum voluntatem ſermo cùm adhibetur, orationem illam vanam teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant: nulla eſt igitur hæc amicitia, cùm alter verum audire non vult, alter ad mentiendum paratus eſt. Nec paraſitorum in comœdiis aſſentatio nobis faceta videretur, niſi eſſent milites glorioſi.

Magnas verò agere gratias Thaïs mihi?

Satis erat reſpondere, Magnas: *Ingentes*, inquit: ſemper auget aſſentator id, quod is, cujus ad voluntatem dicitur, vult eſſe magnum. Quamobrem, quanquam blanda iſta vanitas apud eos valeat, qui ipſi illum allectant & invitant; tamen etiam graviores conſtantioreſque admonendi ſunt, ut animadvertant, ne callidâ aſſentatione capiantur; apertè enim adulantem nemo non videt, niſi qui admodum eſt excors; callidus ille & occultus ne ſe inſinuet, ſtudioſe cavendum eſt; nec enim facillimè agnoſcitur, quippe qui etiam adverſando ſæpe aſſentetur; & litigare ſe ſimulans blandiatur, atque ad extremum det manus, vincique ſe patiatur, ut is, qui illuſus ſit, plus vidiſſe videatur: quid autem turpius quàm illudi? Quod ne accidat, magis cavendum eſt, ut in Epiclero:

Hodie me ante omnes comicos ſtultos ſenes
Verſaris, atque luſeris lautiſſimè.

Hæc enim etiam in fabulis ſtultiſſima perſona eſt improvidorum & credulorum ſenum.

XXVII. Sed neſcio quo pacto ab amicitiis perfectorum hominum, id eſt, ſapientium (de hac dico ſapientia, quæ videtur in hominem cadere poſſe) ad leves amicitias deflexit oratio. Quamobrem ad illa prima redeamus, eâque ipsâ concludamus aliquando. Virtus, virtus inquam, C. Fanni, & tu, Q. Muci, & conciliat amicitias, & conſervat; in eâ eſt enim convenientia rerum,

in eâ ſtabilitas, in eâ conſtantia: quæ, cùm ſe extulit, & oſtendit lumen ſuum, & idem aſpexit agnovitque in alio: ad id ſe admovet, viciſſimque accipit illud, quod in altero eſt: ex quo exardeſcit ſive amor, ſive Amicitia; utrumque enim dictum eſt ab amando; amare autem nihil aliud eſt, niſi eum ipſum diligere, quem ames, nullâ indigentiâ, nullâ utilitate quæſitâ; quæ tamen ipſa efflореſcit ex amicitia, etiam ſi tu eam minus ſecutus ſis: hac nos adoleſcentes benevolentiâ ſenes illos L. Paulum, M. Catonem, C. Gallum, P. Naſicam, T. Gracchum, Scipionis noſtri ſocerum dileximus; hæc etiam magis elucet inter æquales, ut inter me & Scipionem, L. Furium, P. Rupilium, Sp. Mummium; viciſſim autem ſenes in adoleſcentium caritate acquieſcimus; ut in veſtra, ut in Q. Tuberonis; equidem etiam admodum adoleſcentis, P. Rutilii, A. Virginii familiaritate delector. Quoniamque ita ratio comparata eſt vitæ naturæque noſtræ, ut alia ætas oriatur; maximè quidem optandum eſt, ut cum æqualibus poſſis, quibus cum tanquàm è carceribus emiſſus ſis, cum iiſdem ad calcem, ut dicitur, pervenire. Sed quoniam res humanæ fragiles caduçæque ſunt, ſemper aliqui anquirendi ſunt, quos diligamus, & à quibus diligamur; caritate enim benevolentiâque ſublatâ omnis eſt è vita ſublata jucunditas. Mihi quidem Scipio, quanquam eſt ſubitò ereptus, vivit tamen, ſemperque vivet; virtutem enim amavi illius viri, quæ extincta non eſt; nec mihi ſoli verſatur ante oculos, qui illam ſemper in manibus habui, ſed etiam poſteris erit clara, & inſignis; nemo unquam animo, aut ſpe majora ſuſcipiet, qui ſibi non illius memoriam atque imaginem proponendam putet. Equidem ex omnibus rebus, quas mihi aut fortuna aut natura tribuit, nihil habeo, quod cum amicitia Scipionis poſſim comparare. In hac mihi de repub. conſenſus, in hac rerum privatarum conſilium; in eadem requies plena oblectationis fuit; nunquam illum ne minima quidem re offendi, quod quidem ſenſerim; nihil audivi ex eo ipſo, quod nollem; una domus erat, idem victus, iſque communis: neque ſolùm militia, ſed etiam peregrinationes, ruſticationeſque communes. Nam quid ego de ſtudiis dicam cognoſcendi ſemper aliquid atque diſcendi? in quibus remoti ab oculis populi, omne otioſum tempus contrivimus? Quarum rerum recordatio & memoria ſi una cum illo occidiſſet, deſiderium conjunctiſſimi atque amantiſſimi viri ferre nullo modo poſſem; ſed nec illa extincta ſunt, alunturque potius & augentur cogitatione & memoriâ meâ: & ſi illis plane orbatus eſſem, magnum tamen afferret mihi ætas ipſa ſolatium: diutiùs enim jam in hoc deſiderio eſſe non poſſum. Omnia autem brevia, tolerabilia eſſe debent, etiam ſi magna ſint. Hæc habui de Amicitiâ quæ dicerem. Vos autem hortor, ut ita virtutem locetis, fine quâ amicitia eſſe non poteſt, ut, eâ exceptâ, nihil amicitiâ præſtabilius putetis.

HISTO-

HISTORIA Succincta

Rerum gestarum & Scriptorum

M. T. CICERONIS.

Anni Urbis Cond.	Anni ante Orationat. Italianam labentes.	Anni ætatis Tulli exactis.	
647	62	—	M. Tullius Cicero Arpini natus iii. Non.
664	45	17	Januar. In Juris Civilis studio operam dedit Q. Mutio Scævolæ J. C.
665	44	18	Philonem Philosophum Academicum, qui, Mithridate eo tempore in Græciam exercitum mittente, Athenis Romam profugerat, in Philosophia audivit.
666	43	19	Apollonio Moloni Rhodio Rhetori in Oratoria operam dedit.
672	35	27	P. Quinctium oratione privatim defendit coram M. Tullio & Cn. Dolabella Coss.
673	36	26	Sext. Roscium Amerinum ad L. Syllam & Q. Pium Coss. publicè defendit.
674	37	25	Susceptâ peregrinatione Asiaticâ, Athenis Antiochum Academicum in Philosophia 6 menses audivit.
675	34	28	Asiâ & Rhodo peragratâ Romam rediit à Molone Rhodio laudatus.
678	31	31	Quæsturam petit; mox Sex. Peducæi Prætoris Siciliæ Quæstor.
684	25	37	Ædilis Curulis Verrem accusavit. Pro Fonteio & pro Cæcina dixit.
687	22	40	Prætor Urb. inter 8 primus, Orationes pro Lege Maniliâ & pro Cluentio habuit.
689	20	42	Filium Marcum ex Terentiâ uxore suscepit.
690	19	43	Consul factus, Orationes 12 Consulares habuit, de L. Agraria 3. contra P. Servilium Rullum: pro C. Rabirio Perduellionis reo: pro Murænâ: 4. in L. Catilinam, cujus Conjurationem in Senatum detexit, fortiterque repressit: & tres alias, quæ perierunt. Et ab hoc tempore, usque ad extremum vitæ 16 libros Epistolarum ad Atticum scripsit.
691	18	44	Consulatu abiens, præter morem, publico juramento affirmavit, suâ unius operâ remp. & urbem esse salvam. Frater ejus Q. Tullius Prætor Urbanus.
692	17	45	Idem Q. Tullius Asiæ Prætor per triennium.
695	15	47	Valerium Flaccum Oratione defendit.
694	14	48	Clodii furoribus cedens in Macedoniam exul abiit: & maximam rei familiaris jacturam fecit.
696	13	49	Romam honorificè ab exilio reductus Prid. Non. Septemb. Orationes post reditum in Senatu: ad Quirites: pro Domo: de Haruspicum Responsis habuit.

697	12	50	Acta Clodiana reſcidit. Tulliam filiam Craſſipedi deſponſavit. Orat. pro Sextio habuit, & interrogationem in Vatinium.
698	11	51	Scripſit libros 3. de Oratore: & 6. de Republica, qui interierunt. Orationem habuit in Piſonem.
699	10	52	Cn. Plancium ambitûs reum defendit. Scripſit ad Lentulum longam illam Epiſtolam Lib. 1. Famil. itemque illas ad Trebatium. C. Rabirium Poſthumum defendit.
700	9	53	Epiſtolas ad Curionem ſcripſit.
701	8	54	Orationem habuit pro T. Annio Milone.
702	7	55	Ariobarzanem juniorem Regem Cappadociæ reſtituit. Proconſul in provinciam Siciliam profectus Parthos & Arabas ad Amanum Montem feliciter devicit, Imperator ab exercitu ſalutatus. Epiſtolæ primæ lib. 15. & Cœlii ad Cic. lib. 8. & ad Cœlium lib. 2. & ad Appium Pulchrum lib. 3. exaratæ.
703	6	56	Filiam ſuam Tulliam viduam Dolabellæ deſponſavit.
704	5	57	Proconſul Capuam atque oram Maritimam Campaniæ obtinuit: cùm Cæſar Hiſpaniis occupatis Maſſiliam expugnaſſet, Epiſtol. lib. 7, 8, 9, 10. ad Atticum ſcripſit.
705	4	58	Dyrrhachii fuit cum prælium Pharſalicum inter Cæſarem & Pompeium committeretur.
706	3	59	Brunduſii Cæſarem Victorem ex Ægypto reducem expectavit.
707	2	60	Ad Cæſarem Orationem habuit pro M. Marcello. Libros reliquos Oratorios ſcripſit: item illos de Finibus: Quæſtiones Academicas & Tuſculanas & de Natura Deorum. Epiſtolas ſcripſit ad Torquatum & Cæcinam. Cum Terentia divortium fecit.
708	1	61	Virginem nomine Publiliam uxorem duxit. Tulliam filiam amiſit partu extinctam. Paulò pòſt conjugem Publiliam dimiſit. Orationes pro Ligario, & pro Rege Dejotaro habuit ad Cæſarem, qui ſub id tempus anni formam ordinavit.
709	1	62	Poſt Cæſaris cædem Idibus Martiis factam libros de Divinat. & de Fato ſcripſit. Athenas ad filium Marcum navigaturus, ventoque adverſo in Italiam rejectus, in itinere confecit Epiſtolas ad Atticum lib. 16. itemque Topica ad Trebatium: Romamque reverſus 3 libros de Officiis, cùm ante hos librum quoque de Senectute ad Atticum ſcripſiſſet.
710	2	63	Philippicas in M. Antonium dixit. Epiſtolas ad Plancum lib. 10. Famil. & ad D. Brutum lib. 2. & ad Caſſium lib. 12. miſit; ſub finem anni à Cæſare Octavio fil. quem ſuis ante ſententiis ornaverat, proſcriptus: paulò pòſt Antonii juſſu

An. ord. Jul.

INDEX

Rerum & Verborum quæ in Notis explicantur.

A.

A Bſolutionis litera Pag. 10
Abſolvere 309
Academici Platonem & Ariſtotelem ſecuti 16
Acarnania 177
Accedere 297
Accepti & expenſi codex 473
Accius Varus 425
L. Accius 370
Accuſatores idonei 404
Achaia 4, 296
Acroama 203
Actæ 496
Actio 468
Actio civilis 8
Actus 363
Addici 291
Admiſſarius 283
Admurmuratio 48, 265
Adoleſcentes Accuſatores 244
Adoleſcentes ad aliquem deducti 217
Adrianum mare 294
Adſignare 470
Advocatus 148, 217, 258
Ædes Nympharum 245, 338
Ædes Telluris 287
Ædiles Pleb. & Curules 248
Ædilitas 24
Ætoli victi 161
Ætolia 293
Affines 378
Africani ſepulchrum 204
Africanus 255
Africanus minor 201
Africanus minor mortuus in cubiculo inventus 310

INDEX.

Agere quid 27
Agrarii 130
Agrinæ 294
Servilius Ahala 305
Alauda 398
Albani tumuli 342
Albutius 2
Alea 200
Alexander Magnus Poëtis delectatus 205
Allienus 17
Allobroges 105
Alsium 329
Alveus 241
Ambitus & Ambitio 145
Ambracia 294
Amisum 39
Amphilochia 297
Anagnia 456
Ancharius 293
Angiportus 333
Angustè scribere 159
Animi divini 209
Anio fons 79, 187
Annales 71
Antesignanus 439
Antestari 336
Antiochia 194
Antiochus 35
Antiochus superatus 55
Antonii filius obses 387
Antonii intercessio pestifera 430
Antonius à Cœlio accusatus 220
Antonius pro Pompeii M. filio concionatus est 391
Antonius acta Cæsaris mutavit 395 Dolabella infensus 445. Diadema Cæsari imposuit 446. Plebem commovit 449. Patruum non revocavit 452
Antonius Magister Equitum 435
M. Antonius Orator 401
Apenninus mons 105, 314
Apertus 459
Apollinares ludi 404
Apollonia 296
Apotheca 437
Apparitor 444
Appellare debitorem 438
Appia via 56, 308
Appius Clodius 227
Appius aquam in urbem induxit 228. Appiam viam munivit lapidibus *ibid.*
Appropinquare 104
Aqua & igni interdici 399
Aqua pluvia 155
Aquila argentea 93, 105
M. Aquilius defensus 24
Aquinum 455
Aræ pro templis 97
Aratores 13
Arbitria 477
Arbor infelix 70
Arcæ 331
Areopagus 305
Aretini 171
Aricia 328
Ariobarzanes 30
Aristarchus 285
Armamentarium 73
Arsinoë 294
Artes in Græcia primum floruerunt 194
Asia libidinibus repleta 149
Aspirare 9, 473
Asportare 12, 473
Assiduitas 154
Astipulator 258
Astutus & ingratus 148
Athamanes 297
Athamas 272
Athenæ 296
Athenienfium ἀμνηστία 387
Atria templorum 330
Atrienses 283
Attius 207
Auctionariæ tabulæ 106
Audientia 15
Augurum collegium 409
Augusta auspicia 324
Aulæa 240
Aurelia via 93, 102
Aurum Coronarium 293
Auspicato 143
Auspicatus locus 69
Avunculus 414

Bacchari

B.

Bacchari 93
Baiæ aquæ 225
Baiæ lacus 229
Bambalio 408
Balneæ Xeniæ 238
Barbari 314
Barbaræ Gentes 356
Barbati 157
Benè Barbati 109
Barbati Romani 227
Baſilicæ 181
Baſilii monumentum 327
Baſis 469
Bella Cæſaris 354
Bellicum canere 160
Bellum 377
Bellum Africanum 43. Civile *ibid.* Italicum 292. Hiſpaniense 99. Juſtum 99. Miſtum *ibid.* Navale 44. Tranſalpinum 43. Turpe, vetus 45
Bercea 293
M. Bibulus 417
Bithynia 30
Bœotii 291
Bona Dea 113
Boſphorani 32
Boſphorus 163
Braccata Gallia 275
Brachium cohibere 217
T. Brochus 374
Brundusium 46, 274, 390, 434
Brutus Gallæcius 207
Brutorum familia 418
D. Brutus in ſecundis Cæſaris hæredibus 461
Bulienſes 297
Buſtuarius 259
Buſtum 253, 389
Byzantii 291

C.

Condemnationis litera 10, 309 473
Cæcilius Poeta 229
Cæſar unde 368
Cæſar benignè Ciceronem tractat 252. Galliam obtinet 417
Cæſaris acta ſervanda 395. Geſta 364. Prælia 354
Cæſetius 382
Caiæ cur novæ nuptæ vocatæ 158
Cajeta 46
Cajus ſeu Dominus 368
Calare 144
Calatinus 255
Calcitrare 229
Calphurnii 275
Calumnia 338
Camillus patriæ ſubvenit 232
Camillus quater triumphavit 278
Campanus ager 453
Campus Martius 69, 128
Candidati 234, 276
Capitis periculum ſubire 233
Capitolii incenſio 117
Capſa 18
Capuanorum decretum 323
Carbo Tribunus 304
Carcer 111
Carmen 70
Carthaginienſium potentia 55
Carthago 140
Caſilinum 454
Caſſii dictum 317
Caſſinum 425, 455
Caſtoris templum 254, 311
Caſtum quid 69
Catamitus 443
Catilinæ domeſtica turpido 88
Catilinæ reſponſum 272. Mores 217, 218
Catilinæ conſilium à Fulvia evulgatum 85
Cato Major 205
M. Cato 201
M. Cato accuſat Servium 23

Cato Clidromum occupat 161
Cato Romam redit ut Metello se opponat 186
M. Porcii Catonis de se dictum 152
Cato Uticensis 314
Causa idonea 4
Causam dicere 217
Cella 13
Censores 5, 253
Census quinto quoque anno 198
Centauri 260
Centuriæ equitum 183
Centuriatus 48
Centuriones 302, 355, 397
Cera legitima & infamis 11
Certare cum usuris fructibus 107
Certum nomen 226
Cerussa 262
Chaldæi 156
Charonitæ 399
Charybdis 436
Cherronesus 291
Chios 203
Chirographa 453
Chirographum 396
Cicero contra ambitum dixit 179. Cur novum hominem se dixit 152. Agrariam legem sustulit 250. Jurare prohibitus à Trib. Pleb. 251. Præter formam juravit 476. Semper pacis suasor 358, 380, 423. de Pompeii victoria nunquam benè ominatus est 259. Cur secutus sit Pompeium 358
Cicero, Pater Patriæ 251. Imperator 272. Augur 445. Jocosus 424. Non nimis in computando subtilis 476
Ciceronis studia 192
Cilicia 4
Cinna 457
Circæum poculum 21
Circumscriptor 102
Circus maximus 334
Cisium 442
Citheris 433
Civica Corona 251
Claves dare 438
Claustrum 152
Clausula 241
Clausum mare 55
Clientes 141, 180
Clivis Capitolinus 414
Clodia Clytæmnestra dicta, &c. 237, 8. Quadrantraria Poetria 239
Clodia Vestalis 228
Clodiorum ornamenta 227
P. Clodius occisus 479
Cœlimontana porta 276
De Cœlo servare 444
Coemptiones in matrimonio 158
Cœnæ antelucanæ 109
Cognitor 6, 472
Cohortes 302, 355
Collegia 253
Colonia 274
Colophon 46, 203
Columna Cæsaris dejecta 489
Columna Mœnia 18
Commissationes 103, 228
Comitia 304
Comitia centuriata 267, 397
Comitia centuriata & tributa, &c. 29, 69, 143
Comitiales dies 212
Comitiorum dilatio 28
Comitium 74
Commeatus 55, 355
Commentarii 388
Commentarioli 396
Communis 494
Conchylia 437
Conchyliorum luxuria prohibita 283
Concionatores 133
Concordiæ ædes 123
Concordiæ templum 415
Conquisitores 335, 486
Conscientiæ vis 126
Confidius 370
Consobrinus 374
Consu vitiosus 445
Consularia insignia 260
Consules fugati 431
Consulibus in provincias ituris omnia fausta omnes precabantur 265

Controverſia 369
Controverſum jus 159
Contubernales 243, 378
Conventus 379
Convitium 199, 215
Corduba 207
Corfidius 282
Cornelii 117
Cornicum oculos configere 156
Cotta 413
Cotta Orator mortuus ante diem Triumphi 280
Cotys 290
L. Craſſus 280
M. Craſſus 413
M. Craſſus Cœlium defendit 220
Craſſus Orator 170
Cretenſes à Lycurgo inſtituti 183
Crotala 259
Cubile & lectus 128
Cubilia 283
Cupa *ibid.*
Curia 129, 215
Curiæ incenſio 308
Curio interfectus 412
Curius Dentatus ter triumphavit 152
Curius de Samnitibus triumphavit 231
Curules Magiſtratus 129
Cuſtodes 18, 267
Cydnus fluv. 419
Cymba 259
Cyrus Architectus 326
Cyzicum 38, 162

D.

Decempeda 338
Decius Magius 261
C. Decianus 76
Decimæ 36
Decoctores 101
Decoquere 427
Decrepitus ſenex 230
Decuriones 215
Deductio 13, 474
Deferre nomen 6, 236
Dejotarus Rex 450
Delos 56
Delubra 3, 114, 129, 139
Denſeleti 290
Denticula colluſor Antonii 432
Deportare 12, 473
Derivare crimen 316
Deſcendere ad judicium 213
Deſignatores 470
Deſperati ſenes 101
Deſultorius 174
Diadema 446
Dicere quid 27
Dicis cauſa 158
Dictator unde 388
Dictator in municipiis 315
Dide ac diffice 230
Didius 152
Diem dicere 13
De Die in Diem vivere 447
Dies Feſti, profeſti, faſti, nefaſti 112
Difficultates 5
Dignitas 496
Dimicatio capitis 147
Diminutum Caput 264
Dimiſſio quadruplex 294
Dio Legatus 223
Diogenes Cynicus 184
Diplomata 293
Diriberi 296
Diribitores 267
Diſcedere de via 230
Deceptator 228
Diſertus 16
Diſſerere *ibid.*
Diſſidium 377
Diverſorium 455
Divinatio 472
Diviſores 173
Doctrina puerilis 233
Dolopes 294
Cn. Domitius 419. Syllam accuſavit 23

L. Domitii conſtantia 485
Dona Militaria 149
Druſus 196, 310
Duumviri 66
Dux ſententiæ 394
Dyrrachium 290, 296

E.

EBrii, ebrioſi 103
Ecbatana 33
Edititii Judices 170
Effrænatus 81
Eludere 16, 81
Ementiri auſpicia 447
Emptus de lapide 267
Encyclopædia Artium 193
Ennius Poeta 160, 294
Epicureorum dogmata 282
Epicurus 297
Epirus ibid.
Epulones 452
Equitius 73
Equo merere 398
Equuleus 330
Equus Trojanus 185, 241, 421
Ergaſtulum 78
Erycina Venus 20
Eryx ibid.
Eſculentum 435
Eſquilina porta 276
Eſquilinus campus 470
Eſſedum 438
Et interrogativum 70
Etruria 327
Evocator 94
Euripus 164
Excubiæ 365
Exercitus 3 Rom. interfecti 431
Excuare 592, 506
Eximius 19
Exiſtimatio 214
Ex memoria 119
Exoletus 329
Expedire 16
Experiri jus 222
Exequiæ 319, 343
Extrema Reip. tempora 66
Extremis digitis attingere 225
Exturbare 169

F.

FAbia Veſtalis 117
Fabius Maximus 52, 255
Fabius Max. Africanum funebri oratione laudavit 184
Fabricius aurum recuſavit 231
Fabricius triumphavit 278
Faces olim metaphoricè 420
Faces ab occidente 122
Facere 190
Facilitas 50
Fæſulæ 107
Fæſulani 171
Falcarii 86
Familiares 312
Fana 6
Fanum Cumanum 40
Faſces laureati 378
Faſti 447
Faſti dies 156
Faſtigium 458
Fata 406
Fata Sibyllina 417
Fatum 103
Fauces fati 104
Fauſta uxor Milonis 315
Fercula 477
Ferramentum 118
Fidenæ 465
Fides 222, 303, 362
Figulus 413
Filius-familias tabulas non conficit 219
Fines officiorum 178
Fines regendi 155
L. Flaccus 77, 275
Flamen 458
Flamen unde 314
Flaminius Philippum vicit 161, 276
C. Flavius jus civile pervulgavit 156
Foci 439, 441
Focus 139
Fœdera ferire 228
Fœderati 293
Fortunæ rota 477

Forum Aurelium 93
Fraudem ſuſcipere 270
Fretum 164
Frumentum Prætori datum 474
Fucata 157
Fugitivus occiſus qui ſe Marii filium fingebat 389
Fulvia uxor Clodii 315, 412
Fulvia conjux Antonii 459
M. Fulvius 84
Fundus 328
Funeris arbitria 260, 477
Funus qui ducebat, in jus vocari non potuit 68
Furciferi 356
Furioſus 308
L. Furius 301
Furunculus 282

G.

GAbinius bis in judicium vocatus 198. libidinibus infamis 250. à Ptolomæo corruptus 273
Galba 74—oſtenſis liberis liberatus 175
Gallia Ciſalpina 47
Gallicæ 441
Ganeæ 255
Ganeo 102
Gentes fortiſſimæ 354
Germanitas 382
Gladiator 95, 102
Gladiator confectus 109
Glaucia 73
Gracchi 83
Gracchi occiſi 308
Tib. Gracchus 130
Græca lingua ubique in uſu 202
Græci comites 315, 329
Græcia magna 198
Gratia populi in Ciceronem 407
Gratioſa provincia 153
Gratioſus 147, 222, 502
Gratulatio 133
Gratulationes Cæſari decretæ 487
Gurguſtium 285
Gymnaſium 496
Gynæceum 451

H.

HÆrere ad metas 244
Ex Harâ productus 268
Haruſpices & eorum reſponſa 117
Haſtas abjicere 168
Helena 432
Helluo 436
Heraclea 196
Hetruſci haruſpices 122
Hiberna 49
Hippia 435
Hiſpaniæ duæ 47
Homeri patria 203
Honorarium frumentum 291
Honores, *i. e.* magiſtratus 29
Honos Ciceroni habitus 407
Hora tertia 180
Hora Romanorum 315, 442
Horatii 204
Hortenſius 413
Hortenſius Rex fori 11. Aſiaticæ dictionis ſtudioſus 54
Hoſpitii jus 195

J.

JAniculum 338
Ibi 157
Idiotæ 280
Idonei 6
Ilias 206
Illyricum mare 47
Imaginum uſus in funeribus 319
Imagines nobilitatem commendabant 248
Impedimenta 315
Imperator qui 355

Imperatores 31
Imperatores ante Cæsarem 354
Imperatores ab exercitu nominabantur 372
Imperium 268
Imperium justum 380
In ante diem 85
Incestum stuprum Clodii 307
Incommoda 5
Increpuit 155
Index 474
Induere 494
Infestus 217
Ingenui 137
Inquilinus 455
Inquisitio Candidati 168
Insignia victoriæ 32
Instare 103
Institutum 143
Instrumentum 319
Insulæ 200
Integer vitæ 185
Integri 6
Integrum 369
Integrum caput 264
Intendere seu intentare 321
Interamna 326, 455
Intercedendi jus 57
Intercisi dies 212
Interiores nationes 60, 490
Intervertere 443
Irrogatio 68
Isauricus 61
Istuc 12
Ithyræi 416
Juba Cæsari infensus 379
Judex & Arbiter 159
Judices ex decuria assumebantur 167
Judices Manipulares 398
Judicia 5
Judicia publica 71
Judicia Senatoribus communicata Equitibus & Trib. ærariis 173
Judicium 214
Judicium dare 475
Judicium de Milone novum 301
Jugerum 426
Julia Lentuli uxor 135
Juno Sospita 190
Jupiter 66
Jupiter Stator 87, 436
Jupiter Urius 290
Juramentum Magistratum deponentium 251
Jurati Judices 67
Jurati testes 214, 222
Jure manu conserere 157
Juris consultorum professio bipartita 159
Jus & Justitia 467
Jus civile à Flavio pervulgatum 156
Jus controversum 159
Jus Prætorium 408
Jus privatum 8

L.

Lacedæmoniorum epulæ 183
Lacerna 441
Lacus Pretius 339
C. Lælius 178, 201
Lamentum 346
Lanista 263
Lanuvium 189, 314
Laodicea 466
Lapithæ 266
Largitor & Prodigus 134
Lars Tolumnius 465
Latialis Jupiter 343
Latrocinium 94, 96, 108
Laudationes 319, 343
Laureati triumphabant 189
M. Lecca 104
Lectuli Punicani 184
Lecticæ 107
Legati 421
Legatio libera 390
Legatus 370
Lege agere 8
Leges Clodii 476
Censoriæ 71

Leges de judiciis 472
Leges XII tabularum 205
Legio 434
Legitimum 314
Legum æra 122
Lenocinium 18
P. Lentulus. 24, 136
Cn. Lentulus 16
Lentulus Spinther 274
Lentulus Spinther Ptolemæum reſtituere noluit *ibid.*
Leontinus ager 453
Leontium 426
Lepidus cum Catulo pugnat 127
Leptines 467
Leucopetra 391
LEX Ælia & Fuſia 253. Agraria 250. de Aleâ 432. de Ambitu 146. Cæſaris de provinciis 457. Calpurnia 169. Catuli de vi publica 212. Cinnia 28. Cornelia Majeſtatis 274. Cornelia de ſicariis 306. Domitia de ſacerdotiis 221. Fabia 68, 181. Julia 397. Julia de pecuniis 274. Judiciaria 295
LEX Manilia 170. Papia 198. Plautia 212. Plotia 320. Pompeia, 397. Portia 68. De Pecuniis repetundis 8. Roſcia 427. Sempronia 134. Silvani & Carbonis 196. Socialis 8. Syllæ 250. Titia 153. Villia de ætate Magiſtratuum 220
Liberi populi 298
Liberta 20
Libertatis templum 330
Libertini 137, 408
Ligarius Quæſtor Urbanus 383
Lilybæus 15
Limen ſanctum 437
Lintres 339
Litis æſtimatio 167
Locrenſes 198
Locri 297
Luci 67, 343
Luctus Senatûs propter Ciceronis exilium 257
Luculli 195, 413
Ludi Apollinares 421
Ludi Compitalitii 252
Ludi funebres 343
Ludimagiſter 42
Ludus *ibid.*
Ludus Gladiatorius 102
Lupercalia 446
Luperci 224
Lucius à Trebonio occiſus 306
Luſtra 232, 410
Lutatius Catulus 413

M.

MAcer 67
Mactare 94
Mæandri 275
Magiſtratus Sacroſancti 110
Magiſtratuum ætas 220
Maledictum 150
Malleoli 96, 333
Mancipes 13, 474
Mancipi eſſe 145
Mancus 313
Mandare ſe 91
Mandare honores 183
Manes 257
Manicatæ tunicæ 109
Manipulus 398
Manliana ſeditio 312
Manlii ſcelus 402
M. Manlius 447
Manubiæ 207
Manumitti 330
Manupretium 277
Marcellinus 7
Marcellus quinquies Coſ. 52, 271
Marcellus quater triumphavit 278
Marcellus Cæſarem offendit 353
Marcellus Orator naufragio periit 271
Marcellorum Nobilitas 355
Marcelli 3. novies Coſſ. 477
Q. Marcius 276
Marcus Ciceronis filius 130
Maritimum bellum 35
Marius 77, 84, 140, 152, 270
Marius ſepties Coſ. &c. 52. Jugurtham vicit 58. Pater patriæ 77
Marii reſponſio 58
Marius alienus à poetis 203
Maſſilia 105
Maſſilienſes 450

Materfamilias & Matrona 226
Matronæ non attrectandæ 222
Medea 39, 221
Mediolanum 280
Medius fidius 339
Sp. Melius 337, 447
Memmius occiſus 131
Meritorius puer 455
Metelli Plebeii 227
L. Metellus Dalmaticus 74
Q. Metellus Nepos *ibid.*
Metellus Cretenſes vicit 47
Metellus cur Ciceroni infenſus 267
Metelli exilium 259
Metellus Macedonicus 279
Metellus Numidicus 196
Mihi 100
Milo condemnatus 486
Milonis & Clodii inimicitiæ 476
Milvius Pons 116
Mimus 244
Minucia Porticus 446
Miſenum 46
Miſer, Miſerandus 134
Mithridates à Lucullo relictus 29. in tota Aſia Romanos interfecit 32. in Cappadociam venit 39
Mithridatis potentia 29. Copiæ 38
Monumenta Cæſari poſita 364
Monumentum 311, 357, 416
Mors immatura 130
Mos 143
Mulcta 68, 394
Mulieres in perpetua tutela 158
Mulieres non poterant manumittere 242
L. Mummius 257
Munatius Plancus 336
Munera 364
Municipales 433
Municipes 215, 391
Municipes jus ſuffragiorum habebant 170
Municipia 132, 197, 270
Municipium 274
Muræna pater quid in Prætura geſſerit 151
Muri, mœnia 87
Q. Mutius 20

N.

N. L. id eſt, non Liquet 10, 473
N. Narbo Martius 422, 441
P. Naſica 305
Nationes 399
Nationes ſingulæ ſuos Patronos habebant 456
L. Natta 182
Naviculatores 33
Navis pro familia 76
Naupactum 294
Neapolis 223
Nebulo 449
Neceſſitas Naturæ 132
Neceſſitudo 21
Negotiatores Romani in Aſia 37
Nepos 102
Nequam 442
Nexus 145
Nicomedes Bithyniæ Rex 30
Nomenclator 185
Nomen deferre 6
Non modo, *pro*, non modo non 496
Norma 145
Numantia 140
Numen 66
Nummatio 460

O.

Obligurire 103
Obſidere ſtuprum 93
Obſides 130
Obſoleſcere 231
Obſtrepi 356
Occurſationes 348
Ocricula 333
Octavii 74, 190
Octaviorum familia 465
Cn. Octavius 124
Offenſio 25
Officium neceſſitudinis 7
Omen Prærogativum 165
L. Opimius 83, 296, 305
Opinari 177
Opis ædes 422
Ops 396

Orare 3, 477
Ordines ducere 397
Oreſtes 272
Ornamenta ſumma 54
Ornamenta vetera 25
Oſtia 46
Oſtienſis provincia 153
L. Otho 166

P.

PAcis ornamenta 160
Palatina Medea 221
Palatium 82
Palladium 318
Paludamentum 265
Paludati in provincias ibant 265
Pamphylia 4, 47
C. Panſa 369
Papirius interfectus 311, 485
Parentare 394
Parere, Parturire 461
Parricida 95, 102
Parricidii reus 376
Partim 273
T. Patinas 325
Patres Conſcripti 352
Patricii 151
Patroni 262
Patroni Siculorum qui 3
Patruëles 238
Patruus 224, 414
L. Paulus 313
L. Paulus de Macedonia triumphavit 269
Peculatus 67, 166
Pelion Mons 221
Pellium nomine 478
Penates 139, 437
Penula 315, 328
Percellere 99
Perduelles 68, 321
Perendinus dies 159
Perfidioſus 20
Periſtromata 437
Perrhæbia 297
Perſes ſuperatus 55, 161
Petitiones 16, 89, 474
Phalaridis Taurus 270
Phalaris 285
Pharſalus 373
Phiditia 183
Philippus 35
Phocii 297
Picenus ager 75, 101
Pignus 393
Pilum 268, 333
L. Piſo 22, 392
Piſo Craſſipes gener Ciceronis 254
Piſo Frugi 248
Pupius Piſo de Hiſpanis triumphavit 280
Piſonum familia illuſtris 248
Placentia 274
L. Plancus 442
Plato tres animæ partes eſſe cenſuit 209
Platoris venæ inciſæ 478
Plebis ſeceſſiones 151
Plebs & Populus 144
Plotius 204
Poëtæ ſancti 202
Poëtæ à Romanis neglecti 195
Polliceri & promittere 222
Pompeii continentia 49. facilitas 48, 50 felicitas 52. temperantia 49. Auctoritas in bello 50
Pompeius, imperator à Sylla ſalutatus 43. ter triumphavit, *ibid.* Magnus, *ibid.* varia bella confecit 43, 44, 45. Urbes varias cepit 45. de Ciceronis reditu retulit 263. Juliam duxit 417. Milonem timebat 485
Pompeii cauſa melior 359
Pompeio ſtatua poſita 403
Populi de Pompeio judicia 51
Pompeius Strabo fulmine ictus 42
Pontificia Comitia 221
Popa 334
Popina 438
Popularis 69
Populi potentiſſimi 354
Portoria 36
Portorium 292
Poſtulatio 376
Potiri rerum & rebus 107
Prædes 440
Prædones 261
Præfecti varii 355
Præfectura 75, 275

Præfecturæ 433
Præfectus Fabrûm 182
Præfica 343
Præjudicium 7, 304
Præneſte 86
Prærogativa 354
Prærogativæ 444
Præſepia 270
Præter naturam & fatum 392
Prætexta 252
Prætextati 100, 149
Prætextatus 195, 427
Prætor primus 28
Prætores plures *ibid.*
Prætoria Cohors 109
Prævaricatio 223
Prævaricator 20, 261, 418
Primoribus labris guſtare 225
Princeps 17
Princeps Senatûs 24, 119
Princeps ſententiæ 267
Privatus 83
Proconſules 59, 243
Proluſio 474
Promulgare legem 267
Promulgatio 399, 410, 457
Propola 283
Protervitas 225
Provincia 30
Provincia tacita 153
Provinciæ à Senatu datæ 48
Pſeudophilippus 161
Ptolemæus Rex 221, 273
Pubes 78
Publicani 30, 177, 269
Pueritia præceps 213
Pulvinar 458
Pulvinaria 124, 337
Puncta 182
Punio & Punior 309
Purpurâ qui utebantur 101
Purpuratus Gabinius 134
Puſio 229
Puteoli 215, 456
Pyrrhi pax 228, 393
Pyrrhus Rex 392
Pyxis 258

Q.

Quadrans, quadrantal 239
Quadruplatores 11, 473
Quæſtio 304
Quæſtio peculatûs 166
Quæſtor Urbanus 383
Quæſtores 248, 429
Quæſtura primus Magiſtratus 59, 153
Quintus Pompeius 152
Quirites 27, 64
Quiritium jus 157

R.

Reate 116
Receptator locus 327
Recipere 11
Recuperatores 20
Redemptor 469
Redimere vectigalia 37
Referre ad Senatum 91
Reges clariſſimi 354
Regia 322
M. Regulus 270
Regum Commentarii 71
Religio 197
Religiones 342, 400
Religiones inexpiabiles 394
Religioſa loca 67
Remittere 17
Repentinus hæres 435
Repetundæ pecuniæ 6
Reprimere, comprimere 95
Requirere 475
Res novæ 320
Res ſacra 60
Res ſuas ſibi habere 438
Reſiſtere gratiæ 178
Reſpuere 218
Reus domi nemo fiebat 129
Rex fori Hortenſius 11
Rheda 433
Rhegium 391
Rhetor 426
Rhodii maris imperium diu tenuerunt 55

Rogare 3, 477
Rogatio 309
Rogatores 267
Romani Carthaginienſibus imperium maris ademerunt 56
Romanorum gloria militaris 31
Romulus Diis aſcriptus 114
Romulus Senatum inſtituit 260
Roſcius Comœdus 202
Roſtra 27, 56, 437
Rudem accipere 440
Rudiæ 205
Rutilius damnatus 296

S.

SAcer Prætor 3
Sacræ res 60
Sacrarium 93
Sacrarium Reipub. 188
Sacroſanctum quid 106
Sagum 276
Salaminii 203
Salinæ 36
Saltator 150
Salubritas 160
Samia vaſa 184
Samos 46
Samothracia 293
Sanctum quid 41
Saturnalia 117
Saturninus occiſus 77
C. Saufeius 73
Saxa Rubra 442
Scabellum 240
Scævola 74
M. Æmilius Scaurus 74, 152
Scelerati Cives Magiſtratu ſe abdicabant 120
Scena competitrix 167
Scholæ quid 282
Scipio Africanus 52, 139
Scipio Æmilianus Conſul factus extra legem 51. Carthaginem & Numantiam evertit 175. Miſſus eſt in Provincias legum Arbiter 178
Scipiones ſeptem triumpharunt 278
Scortum 455
[illegible]ribæ 137
Scribere anguſto 159
De Scripto agi *ibid.*
Scriptura 36
Scurræ 150
Scythia 258
Seceſſio 377
Sector 424, 436
Secures duodecim 46
Secures 105
Seductio teſtium 171
Sella 138
Sella aurea 446
Sella Curulis 129
Semihora 67
Seminarium 109
Semiplacentinus 255
Senatorius Ordo 215
Senatum habendi quibus jus erat 57
Senatus ſemper in loco ſacro 136
Sententiæ ferendæ ratio 10
Sententiam dividere 484
Seplaſia 261
Septemviri 452
Sepulcra 470
Sepulcrum ſanctum 468
Sequeſter 226
Sequeſtres 219
Serranus 74
Sertorius interfectus 33
Servi agreſtes 314
Servis nomina nationum imponebantur 247
P. Servilii victoria de Piratis 61
Seſtertia 9
Sevocare 422
Sextilis 390
Sextus Clodius 319
Sica 89
Sicarii 420
Sicilia horreum Reip. 47
Siculi acuti 12
Sidicinum 456
Signa & tabulas Imperatores ſibi aſſumebant 50
Signum dedit 323
Silanus contra Hiſpanos miſſus 276
Sinope 39
Siſapo 428
Socii 5, 298, 332, 370
Socii quo honore habiti 34

Sodales 91, 103, 174, 224
Soleæ 255
Solia 283
Solitudo 65
Sordidus, ſordidatus 298
Sortis Religio 17
Spartus 333
Spectata fides 6
Spectio 444
Speculæ 185
Speculator 52, 475
Sponſio 276
Spurius occiſus 305
Stabula 438
Statuarum uſus immodicus 50
Stipendiarii 5, 298
Stipendium 217
Stoici 231
Stoicorum dogmata 176
Stola 427
Stratum 294
Subſcriptores 17, 171, 475
Subſeciva opera 416
Subſellia 241
Suffragii jus Senatores non habebant 60
Suffragiorum confuſio 170
Sulpitiorum familia antiqua 151
Sulpitius 388
Sulpitius oppreſſus 124
P. Sulpitius Norbanum accuſavit 4
Summum bonum 360
Summum auxilium 65
Supercilia 248
Supplicatio 120, 270, 393
Suſpicere 11
Sylla Dictator 457
Syllæ tres ſtatuæ erectæ 469
Sylla & Marius 124
Symphonia 229
Symphoniaci Pueri 20
Syngrapha 164, 451
Syracuſæ 390
Syri Servi 476

T.

TAberna 138
Tabernæ 182
Tabeſcere 102
Tabulæ accepti & expenſi 219
Tabulæ auctionariæ 108
Tabulæ publicæ 197
Tabularium incenſum 67, 197
Tandem 98
Tarentini 195
Tarquinius Priſcus filiam prætextatâ donavit 149
Taureas Jubellius 261
Telum in Comitium ferre nefas 89
Temeritas 356
Tempeſtates 53
Tempeſtiva Convivia 200, 250
Templa 114, 129
Templum pro Curia & Foro 62
Tempora 28
Tempus 4, 495
Tenedos 162
Terræ motus 122
Tertium & Tertio Kal. 85
Teſtamentorum ſubjector 102
Teſtamentis ſeptem teſtes adhiberi ſolebant 327
Teſtamentum 457
Teſtificationes 171
Tetrarchæ 339
Tetrarchia 450
Teutones à Mario victi 58
Tharſus 293
Themiſta 281
Themiſtocles 203
Theophanes, Mitylenæus 206
Theſſalonica 290
Tibiarum uſus in funeribus 343
Tibicines Latini 157
Tigranes 163
Tigranis potentia 29
Tigranocertam occupat Lucullus 30, 40
Sex. Titius 76
Toga 111, 427
Togatus 396
Togatus hoſtis 430
Tonſi eſſe quando Romani cœperunt 248
Toreuma 282
Torquatus 287
Tortor 330
Tranſalpini 118
Tranſigere 18

Trebellius contra Manlium intercessit 54
Trebonius 419, 422
Tribules 18
Tribuni Ærarii 77, 137
Tribuni Pleb. Senatûs decreta examinabant 59. Triumphis intercedere poterant 228
Tribunitia potestas 5
Tribunitia potestas Sacrosancta 431
Tribunus Plebis Magistratus 78
Tribus unde 314
Triclinia 241, 438
Triumphalis porta 276
Triumphantium currus 279
Triumphus justus 271
Tropæa 291
Q. Tubero Orator 369
Tubero publicum convivium fecit 184
Tuberones doctrinâ excellentes 373
Tuberonum genus 374
Tullia Ciceronis filia 130
L. Tullius Cimber 419
Tumultus & bellum 115
Tunicati adolescentes 217
Turma 356
Tu te collige 14

V.

VAdimonia 108
Vadimonium deserere 101
Valerius jurisconsultus 390
M. Varro 454
asarii nomine 291, 478
Vates 129
Vectigalia 31
Vectigalium genera 36
Veiens 465
Velia 392
Velle sua causa 9
Veneficus 102
Venerei 20
Venire 408
Verecundia 352
Vereor ut 502
Vero 494
Versuram facere 220
Vestales 129
Vestibulum 239, 339, 437
E Vestigio 20
Veterani quando stipendia confeciſſe censebantur 41
Victores in bellis civilibus 348
Vigilia tertia 116
Vindiciæ 330
Vindicta 72
Virilis toga 216
Virtus 356
Virtutes 201
Vitricus 44
Umbri 167
Unde petebatur 157
Unguenta 225
Voluptates non possunt esse cum studio eloquentiæ 233
Utica 370
Vulturius 259

FINIS.

School-Books printed for C. BATHURST, *&c.*

GRÆCUM Lexicon Manuale, primùm à B. Hederico inſtitutum, poſt repetitas Sam. Patricii curas, auctum myriade ampliùs verborum, innumeris vitiis repurgatum, plurimiſque novis ſignificatibus verborum locupletatum cura J. Auguſti Erneſti, nunc iterum recenſitum, et quamplurimùm in utraque parte auctum, a T. Morell, S. T. P. 4to. 1778. pret. 1l. 1s.

C. Schrevelii Lexicon Manuale Græco-Latinum, et Latino-Græcum: ſtudio atque operâ J. Hill, nec non J. Entick vocabulorum decem quaſi millibus auctum; et ad calcem adjectæ ſunt ſententiæ Græco-Latinæ, quibus omnia Gr. Linguæ primitiva comprehenduntur. Item tractatus duo; alter de reſolutione verborum, de articulis alter; uterque perutilis, et adhuc deſideratus. 8vo. 1774. pr. 7s.

Poetæ minores Græci, ſelecti et emendati, omnibus ferè paginis ſubjicitur vocum difficiliorum explicatio grammatica. In *Heſiodo* inſeruntur tabulæ ære inciſæ inſtrumenta veterum agris colendis inſervientia deſcribentes. 8vo. pr. 4s.

Homeri Ilias, Græcè et Latinè. Annotationes regio juſſu ſcripſit atque edidit Sam. Clarke, S. T. P. 2 vols. 8vo. pr. 12s.

Colloquiorum Deſiderii Eraſmi Roterodami familiarium opus aureum. Cum ſcholiis quibuſdam perquàm eruditis, quæ difficiliora paſſim loca diligenter explicant. Recenſuit, ſuaſque etiam non paucas interpretationes addidit, Samuel Patrick, A. M. et Scholæ Carthuſianæ Subpreceptor.

Chriſtophori Cellarii Geographica antiqua, recognita denuò, et ad veterum novorumque Scriptorum fidem, Hiſtoricorum maximè, identidem caſtigata. Huic demum editioni tot chartas ex *majori* auctoris *Geographiâ antiquâ*, quot ad *minorem hanc* illuſtrandam requirebantur, duplicemque indicem, quorum priori vetera locorum nomina novis præponuntur, poſteriori nova veteribus addidit, totam recenſuit, et ſcholarum uſui accommodavit, Samuel Patrick, LL. D.

The Pantheon, repreſenting the fabulous Hiſtories of the Heathen Gods and moſt illuſtrious Heroes; in a ſhort, plain, and familiar Method, by way of Dialogue. By Andrew Tooke, M. A. late Profeſſor of Geometry in Greſham-College, and Maſter of the Charterhouſe School. Illuſtrated with new Copper Cuts of the ſeveral Deities.

Engliſh Particles exemplified in Sentences, deſigned for Latin Exerciſes: with the proper Rendering of each Particle inſerted in the Sentence. For the Uſe of Eton School. By William Willymott, LL. D. late Fellow of King's College, Cambridge.